

931.
II, I. D. 2. 6.
R
2078

De Codice Græco hujus Libri v. R. Simon Biblioth. Choiſ. T. I. p. 48.

Theol.
R III II - 444.

II 444.

3 Maser

Euthymii monachi Zigaboni commentarij in omnes Pſalmos è Græco in Latinum conuerſi, per R. D. Philippum Saulum Epiſcopum Brugnatenſem.

Bibl. Paſſei. D. et Amicorum.

Inſpice lector diligenter, & arcanæ doctrinæ theſaurum inæſtimabilem reperiſſe fateberis.

Acceſſit index ampliſſimus rerum memorabilium.

PARISIIS
Ex officina Carolæ Guillard, ſub Sole aureo, via ad diuum Iacobum.

1543.

Jo. Vool. 1733.

Paulinus Turchius Praedicatoriæ familiæ, beatiß. patri Clementi septimo Pontifici maximo salutem.

TELLI IMPRIMIS PATER beatissime, omni honore sunt prosequendi, qui diuino numine afflati, & proprij ingenij exercitatiõe, diuina nobis tradere curauerunt: quales Moyses, Dauid, Esaias, Paulus, ac cæteri canonicorum librorum scriptores: à quibus non lõgè absunt alij quamplurimi, qui eodem edocti spiritu, quæ per illos tradita sunt, pro hominis captu intellecta, vt aliis quoq; essent peruia, suo ingenio, & laboribus effecere: ceu Dionysius, Athanasius, Basilius, Chrysostomus, multique alij, qui vitæ ac morũ sanctitate insignes, & incomparabili doctrina conspicui, eximiis actionibus, eruditissimis libris à se conscriptis Christianã Remp. illustrarunt. A quorũ lectione cessasse, & monitis recessisse malorum omnium occasio nobis fuit. Hinc enim innumeri errores, & hæreses, hinc vitę neglectus, cõtemptus virtutum, vitiorum tyrannis, initium pa-

901.

riter,& incremẽtum ſumpſere . Quis enim horum lectioni attentius vacans,in fide recta,ac pietate nõ proficiat ? animum colat? charitatem proſequatur? miſericordiam,liberalitatem,iuſtitiam cæterasque virtutes?Auaritiam verò,inuidiã,luxuriam, iracundiam , aliosque huiuſmodi animi morbos multò magis q̃ ſerpentes,ac mortẽ fugiat?Quo fit,vt credam nihil vtilius Chriſtianæ Reipub.afferri poſſe, q̃ vt ij nobis reddantur, per quos olim Dei Eccleſia,etiam inter acerrimos aduerſarios, pietatis doctrina, vitæ meritis , & numero creuiſſe dignoſcitur . Quod ſanè vtinam attenderent multi noſtrorum temporum,qui hoc officio commodius fungi poſſent : mallentque horum vertendo libros , publicæ vtilitati conſulere , q̃ propria temere effundendo,priuatæ gloriæ deſeruire.A quorum profectò cõſilio longè aberat Philippus Saulus Epiſcopus Brugnatẽſis,vir ſanè priſcis illis patribus, virtutum ornatu, & ſacrarum literarum peritia comparãdus:qui huic ſaluberrimo inſtituto quàm maximè intentus erat . Nam ſi quos huic operi idoneos nactus eſſet, excitabat, monebat, rogabat, & quibus poſſet modis ad hoc compellere non omittebat . Ipſe verò tanto huius rei ſtudio tenebatur, vt dies , ac noctes ſumma cum voluptate in hoc inſumeret . Ab hoc profectò optimo viro plura, & egregia ſperare poteramus , niſi diuina prouidentia illum à nobis auocaſſet , fœlicitatem illi(vt meritò ſperamus) rectè anteactæ vitæ præmium benignè conferens , nobis verò paterna clementia (vt puto)indulgens,ne acriores dare pœnas noſtræ ignauiæ cogeremur:qui tanti viri exemplo,& monitis minus proficeremus . Hic elegantiſſimos cõmentarios Euthymij monachi Patris ſanctiſſimi, & eruditiſſimi nuper latinos fecerat,puro quidem, ac ſimplici dicendi genere , quos immatura morte præuentus , in lucem edere non potuit.Ego verò , qui eius doctrinæ ac ſanctitatis teſtis diutius fueram , ſtudiorum comes , conſiliorum conſcius, nimia ipſius humanitate ſumma illi neceſſitudine deuinctus : talis amici , quo meliorem ne deſiderare quidem licebat , tam ſanctos labores deperire , nos verò tanto theſauro fraudari æquo animo ferre non poteram . Conuerti me igitur ad Ioannem Matthæum Epiſcopum Veronenſem bonorum omnium (vt optimè noſti)quammaximè ſtudioſum , ipſum hortatus pariter , & precatus , vt tanti boni nobis author fieret : ratus quod erit , vt hoc pacto amici defuncti ſanctæ memoriæ , & viuentis iuſtæ mercedi , & communi omnium bonorum vtilitati quàmoptimè conſulatur . benignè annuit venerandus Pontifex,vt eſt ad recta omnia, & honeſta ſtudia quàm promptiſſimus,ſuaque authoritate,iuſſu,& impẽſis effecit, vt egregium hoc opus quàmoptime diſpoſitũ prodiret in publicũ: opus inq̃ à nemine ſatis pro dignitate laudandum, ſi eximij vatis diuinam mentem, & intelligentiam ſuſpicias : ſi interpretum eruditionem , & fidem:

si correctoris, & artificis peritiam, & diligentiam attendas. Cui verò aptius nuncupetur quàm tibi, si vel ipse respiciaris, vel ille? Tu enim Christiani populi caput es, & pater: cui & dignitate, qua insigniris, & probitate, qua fulges, bona cuncta, & sacra meritò sint dicanda: cùm præcipuè humanæ, & diuinę literę clarissimę familię tuæ Mediceæ plurimum debeant. cuius præcipuo studio, & opera, densissimis antea pressæ tenebris, & quasi sepultæ, in lucem sunt redditæ. Ille verò domus tuæ alumnus tot tantísque beneficiis est affectus, vt nesciam magis ne sit perspicuum, tua benignitate ipsum esse, quod est: an nullum studium illi propensius esse posse, quàm cuncta efficere, quæ ad salutem, & gloriam tuam spectare videantur. Tibi igitur Pontifici Maximo diuinum hoc opus dicamus, & mittimus, quò tuo patrocinio & iudicio munitũ, securius, & liberius omnibus se legendum exhibeat.

Vale.

INDEX COPIOSISSIMVS TVM VERBORVM TVM *sententiarum memorabilium in Euthymii commentarios Psalmorum. Numerus primus folium, alter paginam, tertius uerò uersum indicat.*

A

Aaron sacerdotũ primus vnctus 352 p.1.27
Abominatio quid 336.p.1 28
Abrahæ nemo nocuit 293 p.2.15
Abscõdita Dei 44 p.1,32
Abstinere nõ sufficit à vitiis, sed bonis operationibus opus est 97 p.1,35
Abstinere nõ solum oportet à peccatis, sed etiam opus est magna diligentia, multa humilitate & labore. 74 p.1,10
Abyssus quid 92 p.2,17
Accola seu indigena quis 115,p.1.6
Actiones & affectus humanos quare solemus diuinitati tribuere 126,p 2.24
Actiones impiorum delebũtur 2 p.2,36
Actiones nostræ animæ viaticum 80 p.1,6
A seculo & vsque in seculum tu es: quid est 260 p.2,36
Adam si non peccasset nũquã oportuisset illum Euæ coniungi 147 p.1,10
Adeps quid in scriptura 43 p.1, 7
Adiutorium hominum vbi 341 p.2,33
Adolescentiæ ætatis natura 324 p.1,8
Aedificãtes in scriptura quid 321 p.2,25
Aegyptiorũ plagę 225,p 1.9
Aegypti primus habitator 226 p.2,2
Aegyptus vnde dicatur 226 p. 1, 37
Aegyptus quare abundat moris 225 p.2,13
Aemulari tam in bonã quàm in malam partem capitur 104 p.2,25
Item 105 p.2,26
Aemulatio quid 104 p.2,25
Aendor quid 240 p.1,32
Aerugo quid 225 p.2,2
Aeterni montes qui 213,p. 2.30
Aeternitas Dei 261,p.1.20
Aethiopes in orbe omniũ hominum extremi sunt 185 p.2.35
Affectus humanos quare deo tribuimus 126,p. 2.24

Afflictionis proprium 6 pag.2,32.95 pag.2,27
Agarenorum origo 239 pagina 2,28
Agnorum filij qui 388 pag.1,3
Alarū Dei vmbra quid 159 pag.1,38
Alleluia præscriptum psalmis 292 pag.1,39
Alleluia quid 292 p. 2,1
Altaria duo olim erant in tẽplo 365 pag.1,17
Altare vbi constitutum erat 75 pag.2,5
Altissimus quid 17 pa.2,37
Amalechitæ à quo 239 pag.2,33
Amicititæ malignorum hominū non retinendæ 281 pagina 2,17
Ammonitę vnde nati 239 pagina 2,32
Angelus Iudæorum quis 403 pag.2,36
Angeli quare dicti sunt ignis vrens 289 pag.1,12
Angeli quare non mouentur ad malum 92 p. 1,35
Angeli quare virtutes & potestates dicuntur 287 pagina 2,37
Angeli quomodo mali 226 pagina 1,4
Angelorum manus 265 pagina 1,12
Anima quid 14 p.1,21
Anima, sua mẽbra habere dicitur 98 pag.1,18
Annus benignitatis quis 175 pag.1,19
Anni Dei, quid 285 p.2,22
Anni potentiæ, roboris, seu virium quot sunt 262 pagina 1,29
Ante luciferum quid 308 pagina 1.11, & seq.
Antiochus in Machabæos 168 pag.2,36
Antiochi auaricia 169 p.2,4
Antiquis lex erat vt deū laudarēt in cithara & in psaltẽrio atq; in aliis instrumẽtis musicis 91 pag.1,10
Aperire propositionem suam in psalterio quid est 139 pag.1,12
Apollinaris 231 p.1,9
Apostoli agni, Arietes, hirci, & taurorum filij dicti 388 pag.1,3
Apostoli aquarum fontes dicti 49 pagina 2,3
Apostoli labia Dei dicti 128 pagina 1,1
Apostoli eq dicti. 397p.1,21
Apostoli quare cœli dicti 180 pagina 2,15
Apostolorum omnium origo 184 pag.2,27
Appetitus libidinis iacet in rebus 110 pa.2,1
Approximare quid 89 pagina 2,28
Apum promptitudo 320 pagina 2,23
Aqua è petra educta 221 pagina 1.30

Aquæ pro purgatione 49 pagina 2.32
Aquæ quomodo cõtinentur in seipsis 92 p.2,10
Aquæ pro tentationibus 89 pagina 2,24
Aquæ toti terræ subiacẽt instar fundamenti 69 pag. 2,9
Aquis eloquia diuina comparata 2 pag.1,15
Aquarum fontes apostoli dicti 49 pag.2,3
Aquarum voces quid 268 pagina 2.34
Aquarum decursus quid 333 pagina 2,32
Aquarum nomine doctrinã Christi appellatã 2 p.1,17
Arabiæ opulentia 200 pagina 2,21
Aranea pro araneę tela 262 pagina 1,24
Arbitrij libertas homini à deo data est 206 pa.2,7
Arca figura corporis Christi 350, pa.2,33
Arca quomodo capta est ab alienigenis 227 pagi. 2,3 & sequen.
Arietum filij qui 80 p.1,12 & 388 pa.1,3
Arietes ouium qui 175 pagina 2.2
Arcus filij 395 pa.2,33
Arcus intẽtus & sagittæ præparatæ quid est 28 p.2,20
Item 30 pa.1,18
Arcu Assyrij plurimum vtebantur 213 pa.2,12
Arma Christianorum 396 pagina 1,17
Armon mons, libano adiacens est 351 p.1,35
Arrius 231 pag.1,9
Arrij & Eunomij confutatio 307 pag.1,26
Aspidis natura 161 pa.1,28
Astrologorum vanitas 205 pagina 1.22
Assyrij plurimum arcu vtebãtur 213 pa.2,12
Aula sancta quid 80 pagina 2,8
Aures quomodo inclinari dicuntur 42 p.1,34
Aurora quid 209 p.1,5
Auersio dei quid 32 p.2,31
Aurum quod mutuo acceperũt Israëlitæ ab Aegyptiis reputatum est in mercedem ministerij 295 p.2,8
Auxilio indigent non solum qui in calamitatibus sed & qui in prosperitatibus agunt 23 pag.1,4
Auxilium humanum inutile 16 pag.1,20

B

Baptismi figura diluuium fuit 82 pa.1,27
Baptizatus quid profitetur 88 pagina 2,29
Basan quid 183 p.2,3
Beati qui verè dicũtur 344 pagina 2,15
Beatus quis propriè dicatur 1, pagina 1, ver. 18

Beatitudo immortalitas est 1 p.1,27
Beatum hominem quid facit 344 p.2,15
Beelphegor quid 298 p.2,12
Bellatorum magnus numerus 223 p.1,8
Bellica instrumenta apud antiquos 207 p.2,5 & 213 p 2.3 & sequen.
Benedicere Deo & gratias agere debemus quomodo 144 p.2,29
Benedictio quid 60 p.2,23
Benedictio quid 345 p.1.34
Beneficia narrantur quæ Deus Iudæorum gratia operatus est 232 p.2,5 & sequen.
Beneficia Dei & ingratitudo populi sui 300 p.1 5,& sequen.
Beneplacitum patris 255 p.2,29
Beniamin quid 234 p.2,2
Beniamin 231 pa.2,11 & seq.
Beniamin adolescentulus, Paulus est apostolus 184 pagina 2.10
Beniamin figura Pauli ibi. versu.19
Benignitas Dei erga populum suum in deserto 223 pag.1,1 & sequen.
Benignitatis annus quis 175 pag.1,19
Bona domus Dei quæ 173 pag.1,37
Bona, bonis imprecanda 342 pag.1,36
Bona inferioris Hierusalem quæ 345 pag.2,20
Boni viri constantia 312 pag.1,18
Brachium in scriptura quid 27 pag.2,27
Brutorum sacrificia in lege reprobata 148 pag.2,15

C

CAdes quid 81 p.2,23
Calciamêtum pro itinere 166 pag.1,23
Calciamentum diuinitatis quid 167 pag.1,7
Calix & poculum in scriptura quid 39 pag.1,20
Camus & frenum quid 90 pag.1,37
Canem mortuum Dauid se appellabat 63 pag.2,14
Canes Christi sunt Episcopi 183 pag.2,38
Cantica domini quæ 359 pag.1,5
Cantare, psallere quomodo differunt 77 pag.2,5
Canticum psalmi quid 238 pagina 2.32
Caseus vnde dicatur 182 pagina 1.29
Casia quid 129 p.2,23
Cataractarum dictio quid signat & vnde dicatur 122 pagina 1.28
Cathedra pestilentiæ quid 1,pag.2,21
Cautela diaboli 366 pagina 1.7

Causata ipsa causarum nomi nibus appellamus 14.pag. 1,22
Cedar regio est Babyloni proxima 338 p.2,11
Cedrus aliquando in bonum aliquando in malum accipitur 81 pag.1,1
Cerua suapte natura calidissima est, vescitur serpêtiũ & reptiliũ carnib. 121.p.1,7
Cetorum habitatio vbi 379. pag.2,5
Cham primus omnium Aegyptum habitauit 226,p. 2,2
Christiani veri, pauperes dicuntur 66 p.1,38
Christianorum arma 396 p. 1,37
Christianorum virtus 255 p. 2,25
Christiani rectè Israël dici possunt 74 p.2,15
Christus solus hominis digni tatem ac similitudinem vere seruauit 245 p.1,20
Christus brachium patris 398 pag.2,14
Christus ex quo maxime magnificatus & exaltatus est, 172 p.2,11
Christus preces fundit,sed vt homo 306 p.2,9
Christus quid capit à Christianis 182,p.2,32
Christus quare, vt homo rogabat non incurrere in tentationes 190 p.2,17
Christus certamen duplex sustinuit secũdum duplicem suam naturam 3 p.1,26
Christus cornu Dauid quomodo 256 p.2,32
Christus vnicornium filius dictus 81 p.1,31
Christus qũo infidelium dicitur dominus 18 p.1,30
Christus quomodo minoratus est ab angelis 20 p.1,30
Christus humanis viribus dæmonem superauit 128 p.2, 33
Christus vt homo dæmonem deuicit 38 p.1,22
Christus potentia dei dictus 61 p.2.19
Christus vultus & facies patris dicitur 62 p.1,5
Christus mane & oriens dictus ibid.lin.37
Christus iustitia est nostra sanctificatio & redemptio 10 p.1,28
Christus in primo aduentu venit incognitus 143 p.1,1
Christi natiuitas 192 p.2.10
Christi natiuitatis miranda 134 p.1,4,& seq.
Christi domini qui 396 p. 2,16
Christi natiuitatis virtus 199 p.1,35
Christi & columbæ collatio 181 p.2,12
Christi inopia 251 pag.1,25
Christi corpus ædificatum dicitur 252 p.2,31

Christi corporis arca figura fuit 350 p.2,33
Christo omnes subiicientur, sed diuersimode 307 pagina 2,9
Cibauit eos ex adipe frumenti,&c. quomodo exponitur 237 p.1,24
Cithara quid 197 p.2,4
Ciuitas dei quæ 133 pagina 1,23
Climata mundi 211 p.2,19
Cœlum pro aëre sæpe ponitur 20 p.1,10
Cœli apostoli dicti 397, pagina 1,21
Cœli enarrare gloriam Dei quid 55 p.1,30
Cœli quomodo mutabuntur 285 p.2,2
Cœli confiteri deo quid 253, pagina 1,36
Cogitationes dei inscrutabiles 266 p.2,11
Cogitatio diuina perfectum opus habet 93 p.2,12
Cogitationum pœnas daturi sumus, quantò magis actionum 7 pa.2,11
Cognitio dei 360 p.1,23
Cognitio Dei in hominibus naturalis est 66 p.2,20
Cognoscere facilius est, operari verò difficilius 369, pagina 1,16
Conceptio & partus vnde 64 p.1,10
Confessio initium quoddam præstat ad agendum virtutes 215 p.1,16
Confiteri domino quid 91, pagina 1,17
Confidentia diuitiarum, aut amicorum in inferno nulla erit 141 pa.1,33
Conglutinari terræ quid, 127 p.1, 4
Columba celerrimi est volatus 154 pag.1,13
Columbæ ad Christum collatio 181 p.2,12
Columbæ ad sanctum spiritũ collatio ibid.ver.38
Compediti qui 374 pagina 1,37
Concupiscentia non est voluptas, sed vmbra voluptatis, 110 pagina 1,35
Concupiscẽtia vbi iacet, 40 pag.1,18
Considerare quid est 27, pagina 2,15
Consilium impiorum quid 1 pa.2,22
Consilium iustorum quid 2, pag.2,20
Consilij significata 239 pagina 1,20
Consilium quod in corde residet, radix est operationum corporis 1 p.2,3
Consilia congregandi apud antiquos 206 p.1,19
Constantia boni viri 312, pagina 1,18
Constitutio regum & principum diuinæ sapientiæ opus est 380 p.1,27
Contradictio linguarũ quid. 87 p.2,37
Conturbatio gentium vnde, 133 p.2,5
Conuersio quid 342 p.2,19
Conuersationes variæ 216 pagina 1,16
Cophinus quid 236, pagina 1,2
Cor multa significat 147 pa.2,28
Cor pro anima 148 p.2,27
Cordis consilium operationum radix 1 p.2.3
Core filij 120 p.2,30
Cornu Dauid Christus est quomodo 256 p.2,32
Cornu salutis quid 46 pagina 1,10.& 406 p.1,15
Cornu reges vngebantur cũ eligerentur 406 p.1.15
Corporis Christi, arca figura fuit & typus 350 p.2,33
Corporis dominici suauitas, 129 p.2,24
Corpus Christi ædificatũ dicitur 252 p.2,31
Cornua & vngulæ emortuæ partes sunt 192 p.2,30
Coruorum natura 376, pagina 1,16
Coruorum pulli per anagogem quid ibi.ver.26
Coturnicum plumæ 223 pagina 1,4
Culpa aliquando remittitur sine pœna 89 p.2,3
Currus dei quid 182 p.2,8
Custodia pro carcere 367 pagina 2,14
Custodiæ noctis quatuor, 215 p.2,28
Custodire pro operari 42 pagina 1,15
Cymbali duplex genus 383, pagina 1,14
Cynomyia quid 225 p.1,31

D

Daemonẽ supauit Christus humanis viribus, 128 p.2,33,& 38 p.1,23
Dæmones, quo tempore aduersus homines magis insurgunt 328 p.1,15
Dæmones intellectuales sunt substantiæ 183 p.1,28
Dæmones dicti peccatores, 179 p.1,17
Dæmonis machinamenta, 114 p.2,4
Dæmonis nomina 265 pagina 1,34
Dæmonum & falsorum deorum, deus noster deus est, 355 pagina 2,1
Dauid rex, canem se mortuum appellabat, 63 pagina 2,14
Dauid filius & seruus dei appellatus 45 pa.2,4
Dauid cornu Christus est, quomodo 256 p.2,32
Dauid primus de resurrectione manifestè tradidit 2 pagina 2,15
Dauid rex erat, & tamen priuatam vitã agebat 7 pagina 1,16

Dauid vnde verè celebris & clarus 7 p.1,16
Dauidis patiẽtia 164 p.1,15
Dauidis amor erga Iudæos 209 p.1,29
Dauid interpretatur manu fortis 275 p.2,16
Dauid quomodo adolescentulus dicatur 334 p.1,28
Dauid à quo formidauit 336 pagina,1.11
Dauid ad mandata dei veneratio ibidem,li.18
Dauid finxit se insanum corã rege Geth. 94 p.2,31
Dauid dicitur puer domini, duplici ratione 102 p.2,15
Dauid ter vnctus in regem, 76,p.1,25
Dauidis imprecationes quales. 102 p.1,30
Dauid se iustũ appellat quomodo 87 p.2,7
Decipiens etiam occidere videtur 10 p.1,2
Decor domus dei quid 75, p.2,18
Decursus aquarum quid, 333 pag.2,32
Dentes peccatorum quid 6, pagina,1.32
De profundis quid 346, pagina 2,30
Descendere in infernum viuentem,quid 155 p.1,14
Despicere quid 25 p.1,33
Deserti nomine Hierusalem intelligitur 174 p.2,8
Desertum vbi murmurabant Israelitæ vbi 297 p.1,18
Deus negatione irritatur, 366 pagina 1,7
Deus quomodo inuocandus, 363 p.1,28
Deus compræhendi non potest 360 p.1,20.& 2,8
Deus Israelitarum, quare dicitur cùm sit omnium deus, 406 pagina 1,4
Deus quomodo dicatur habitare in cœlo,cum vbiq; habitet 340 p.2,28
Deus Sinai & Deus Israel quomodo 180 p.2,18
Deus noster deus est deorum falsorum & dæmonũ 355, pag.2,1
Deus quomodo memor dicitur 327 p.1,16
Deus quare distulit aliquot annis suum impendere auxilium Iudæis 343 p.2.18
Deus quare comminatur,169 pagina 2,24
Deus non dat tentationes, 156 p.1,35
Deus quare dicitur lætari,tristari,furere irasci,&c.11,pagina 2,16
Deus quare non statim auxiliatur 12 p.1,24
Deus,lumẽ triplex est, vt inquit Gregorius theologus, 104 p.1,24
Deus suos non derelinquit, 107 p.2,14
Deus,id est inter intellectuales creaturas,quod sol inter sensibiles 199 p.1,17
Deus quomodo elongatur, 195 pa.2,13
Deus sanctus,& homines sancti quomodo 197 p.2,15
Deus quare non cessat ab operibus 309 p.2,30
Deus quare nec misericordia perpetuo , nec etiam iustitia vtitur 310 p.2.6
Deus solus prouidentiam nostri habet 9 p.1,14
Deus quomodo laudandus, 313 p.1,19
Deus quomodo dicitur in altis habitare & terram respicere 161 p.2,12
Deus operum suorum omnium prouidentiam haber, 376 p.1,2
Deus est qui tribuit,vt hostes nostros superemus in acie, 369 p.2,11
Deus quid poscit à nobis 370 pagina p.2,9
Deus solus saluat, 6 p.3,18
Deus solus est hominum verum solamen 21 pa.1,25
Dei misericordia & veritas, 168 p.1,23
Dei ad homines nulla comparatio 253 p.2,14
Dei magnitudo ibidẽ,& seq.
Dei cogitatio perfectũ opus habet 93 p.2,12
Dei cogitationes inscrutabiles 266 p.2,11
Dei cognitio 360 p.1,23
Dei cognitio in hominib.naturalis est 66 p.2,20
Dei prouidentia summa 316 p.2,33
Dei bonitas & longanimitas, 103 p.1,20
Dei varia auxilia vide psal. 36.integrum.105
Dei beneficia narrantur Iudæis elargita 239 p.2,5.& seq.
Dei currus quid 182 p.2.8
Dei dom⁹ decor,qd 75 p.2,18
Dei duplex seruitus 319,pagina 1,15
Dei appellationẽ & beati nobis indulsit deus 1 p.1,21
Dei splẽdor quid 263 p.1,30
Dei magnitudo demonstrari non potest 379 p.1,21
Deo benedicere & gratias agere debemus,144 p.2,29
Dei benignitas in populũ suũ in deserto 223 p.1,1.& seq.
Dei nomen quatuor capitur modis in scriptura 142. pagina 1,35
Dei domus bona quæ 173, pagina,1,37
Deo seruire omnia quid 330 pagina 2,3
Deum probare & cognoscere quid est 359 p.2,13
Deum timere non sufficit, 311 p.2,1
Deũ laudare quibus licebat? 353 p.1,28
Deũ laudare quomodo quis potest semper 95 p.1,24
Deum laudandi in cithara & psalterio

psalterio atque aliis instrumentis musicis, lex erat antiquis 91 p.1,10
Deũ laudandi tres modi, 378 pagina 2,23
Deũ iurare quid 273 p.1,10
Deo quare affectus & humanas actiones tribuimus, 126 p.2,24
Deum surgere quomodo, 15 pagina 1,30
Deorum nomina per verbum fidei euacuata 22 p.1,16
Deorum pluralitas quid 353, pagina 2,19
Dextra dei & dextera manus quid 384 p.2,2
Doëch regiorũ mulorũ prẽfectus apud Saulẽ 149 p.2,15
Dolosi sunt omnes mendaces 10 p.2,9
Domus dei mundicies 269, pagina 1,25
Domus domini qd 69, p.1,3
Domus renouationis quid, 82 p.2,8
Dormiẽtes videntur quodãmodo nõ viuere 102 p.1,14
Draco pro cete 291 p.2,6
Dux quis dicatur 403 p.1,15
Diabolus Græcis idem quod Latinis calumniator 198 pagina 2,37
Diaboli cautela 366 p.1,7
Diaboli astus ibidem
Diapsalma quid 3 p.2,8. Itẽ vide in proœmio.
Dies antiqui & æterni anni qui 216 p.1,1.& seq.
Dies certi vitæ hominũ, 285, pagina 1,14
Dies cœli quid 257 p.2,24
Dies mala quæ 118 p.2,39
Dies eructare quid 55 p.2,20
Dies & nox Christus quomodo dicitur ibidem, 30
Dies quomodo boni & mali, 96 p.2,36
Dies quã fecit dominus, quid 322 p.1,21
Dies perfectus quis 336 pagina 1,37
Dies resurrectionis solẽnitas solennitatum à diuo Gregorio dicitur 235 p.2,9
Dies vitę hominũ 285 p.1,14
Dies vltionis quando Iudæis contigit 390 p.2,5
Diei partes quomodo numerandæ 336 p.1,38
Diluuiũ fuit figura baptismi, 82 p.1,27
Discipuli Christi cerui dicti, 81 p.2.35
Discipuli sagittę & fulgura, 49 p.1,37
Diplois quid 306 p.2,30
Diuersæ viæ eorum qui saluãtur 73 p.1,29
Diuersitas viarum non vituperanda, quãdo omnes ad Christũ tendunt 73 p.1,29
Diues à paupere non distinguitur. 138 p.2,22
Diuitiarum viri 214 p.1,13
Diuitiæ ecclesiæ 103 p.2.25
Diuitiæ terrenæ fallaces, 96 pagina 2,4
Diuitum gloria reprobatur 192 pag.2,17
Diuina verbi incarnatio latẽter facta 199 p.1,28
Diuinorũ dogmatũ excellẽtiã vnde discimus 353 pa.1,37
Diuinitas omnia cernit & mutari nõ potest 163 p.1,34
Diuinitatis vtriusque personæ ostẽsio 307 p.1,10
Doctrinam Christi aquas appellatam 2 pag.1,17
Doctores solẽt habere discipulos filiorũ loco 96 p.2,22
Dogmata diuina vnde discimus 353 pa.1,37
Domus Dei decor quid 75 pagina 2,18

E

EBrietas pro lætitia 103 pag.2,20
Eburneus pro candido, quòd ebur candidum sit & splendescit 129 pag.2,35
Ecce, quomodo ab Hebræis vsurpatur 113 p.2,19
Ecclesia quid 284 pa.2,28
Ecclesia à Christo lumen accipit, vt Luna à Sole 199 pagina 1,23
Ecclesiæ torcularia dicuntur 18 pag.1,15
Ecclesiæ numero plures sunt si loca respicias: si religionẽ, vna 240 p.2,33. Itẽ 274 pagina 2,10
Ecclesia fidelium magna 66 pagina 1,25
Ecclesia malignantium quæ 75 pag.1,29
Egressio solis 211 pag.2,26
Electus quis 51 p.1,34
Elementa quo pacto Deum laudant cùm voce careant 378 pagina 2,22
Eloquia diuina quare aquis comparata 2 pagina 1,15
Ephraim rribus 231 pag.2 11,& sequen.
Ephraim quid 234 p.1,39
Ephrata quid 349 pa.1,4
Episcopi canes sunt Christi 183 pagina 2,38
Episcoporũ opus 273 p.2,13
Equi vocati apostoli dicti 397 pagina 1,21
Erodius quid 290 pag.2,24
Error quid 300 pag.2,14
Eructatio vnde 127 p.2,8
Esau binomius fuit 239 pagina 2,24
Et dederunt in escam meam fel, quomodo intelligitur 191 pagina 1,2
Etham quid 208 pag.2,31
Euangelium Dei iusticia dicitur 117 pag.1,10
Euangelij lex iuramentũ penitus abscidit 37 pa.2,10
Euãgelium appellatur misericordia 117 pa.1,31
Euangelium quare variis nominibus appellatum est ibidem versu.36
Euangeliũ ros dictum 400 pagina.1,33
Euge, Euge aduerbiũ est irritantis 118 pag 1,4

Ex præpositionis, vis 77 pag 2,17
Exacerbãtes qui 176 p.2,15
Exauditiõis causæ 88 p 1,18
Exitus matutini & vespere qui 174 pag.1,11
Ex frugibus terræ, quid offerebatur in lege 144 p.2,9
Ex lex quis 9 pa.2,24
Exquirere quid 29 pa.1,34
Extasis quid 84 p.2,28
Extasis quare Psal.30 dictus est ibidem
Exterminatio quid 266 p. 2,36
Extinctionis legis subnotatio 192 p.2,30
Exultãdum quõ 90 p.2,12
Ezechiæ regis pietas & religio 34 p.2,28

F

FAcies patris, filius est 333 p 2,22,& 62 pa.1,5
Facies terrę quid 2 pag.1,38
Facilitatis diuinæ magnitudinẽ demonstrare impossibile est 379 p.1,21
Ficus & vinea Iudæi dicti 397 pa.2,10
Fidei verbi energia & vis 22 pagina 1,17
Fideles quomodo fieri possunt, Psalterium decachordum 370 p.2,15
Fideles terræ qui 28 p.2,35
Fidelium ecclesia vna dicitur & multæ 136 p.2,38
Fideliũ, Christus quomodo dominus 18 pa.1,31
Fiducia apud Deum vnde 10 pag.1,7
Filia Tyri hoc est ipsa Tyrus ciuitas, vt filia Babylonis filia Syon &c. idioma est Hebraicum 131 p.1,1
Filiæ regum, quæ 130 pa. 1,1
Filius dextræ qs 13 pagi. 2,11
Filius hominis is verè dicitur qui est mulieris filius 20 pagina 1,24
Filius vultus est & facies patris 40 p.2,31
Filius dicitur dextera patris 41 pagina 1,3 & 333 pag. 2,22
Filij Edom qui 337 p.2,20
Filij hominum qui 7 pag.1 8 & 103 pag.2,12
Fimbriæ quid 131 pa.1,24
Finis vniuscuiusque mors 15 pagina 2,2
Fines terræ qui 173 pa. 2,16,& 199 p.2,21
Firmamentum, secundũ cœlum est 382 p.2,10
Fluctuare quid 47 pagina 1,23
Flumen Dei quid 174 pag. 1,39
Fluminis Dei, riuuli qui 175 pagina 1,1
Fontes aquarum apostoli dicti 42 pa.2,3
Fornicatio à Deo quid 205 pagina 2,35
Framea ꝓ Rom. 65 pa 1,32

Fratres

Fratres amamus præcipuè quando sine prole sumus 100 pag.2,1
Fratres Christi qui 65 pag. 2,19
Fratrum dilectiõis præcipua causa 100 pag.2,1
Frendere dentibus quando solent homines 100 pag. 2,28
Frendere proprie dicuntur leones 101 pag.1,1
Frenum & camus quid 90 pagina 1,37
Frigus, glacies, niues, venti non fortuito aut casu fiunt 377 pagina 2,10
Fulgur, grando, spiritus procellæ, ad nostrum commodum sunt, etsi ob ignorantiam nostram secus plerũque nobis videatur 380 pagina 1,1 & sequen.
Fundationis terræ rationes 69 pag.2,1,& sequen.
Fundamẽtum terræ quid secũdum magnum Basilium 69 pag 1,35
Fundamenta Christi quæ 247 pag.2,16
Funes in scriptura quid 39 pag.2,24
Funiculus hæreditatis quid 387 pag.1,29
Funis quid apud Aegyptios 359 pag.2,37
Futurum seculum quare seculum seculi dicatur 132 pagina 1,10

G

GAbalei qui 239 pa.2,31
Gaudendum quomodo 5 pagina 1,10
Gaudij proprium 6 pa.2,31
Gentes, desertum dictæ 81 pag.2,16
Gentes hæreditas sunt domini 180 pag.2,26
Gentes syluæ dictæ 82 pa. 1,8
Gentes dictæ diluuium 82 pagina 1,24
Gentes sacrificabãt proprios filios & filias dęmonibus 23 pag.2,15
Gentium vocatio tractatur 176 pagina.1,11
Gentium conturbatio vnde 133 pag.2,5
Genui pro creaui 4 pagi.1 29
Gladius pro lingua 106 pagina.2,5
Gloriari possumus de virtute 348 pagina.1,1
Gloria domus diuitis 141 pagina.2,15
Gloria corporis eiusdem ibi. ver.20
Gloria animæ sola virtus. ibi. ver.21
Gloria pro corpore 15 pag. 1,11
Gloriandum non est de propriis virtutibus 90 pag 2,12,& 16
Gloriandum de virtute quomodo licet 348 pa.1,1

Gratiæ Deo quomodo agendæ 322 pag.2,3

H

HAbitatio cete vbi 379 pagina 2,5
Habitare in cœlo quomodo Deus dicatur 340 p.2,28
Hæreditas Christi quæ 258 pagina 2,28
Hæreditas iustorum regnum est cœlorum 106 pa.2,22
In hæreticos omnes 330 pa. 1,11
Hebdomadę commẽsuratum est præsens seculum 11 p. 1,33
Herbarum pascua quid 67 pagina 2,32
Hermonim quid 123 p.1,17
Hierusalem nomen duplex 206 pagina 1,15
Hierusalẽ inferioris quę sunt bona 345 pa.2,20
Hierusalem nomine deserti intelligitur 174 pa.2,8
Hircorum filij qui dicti 388 pagina 1,3
Holocaustũ quid 59 p.1,16
Holocausta & sacrificia pro peccato & omnia sacrificiorum genera 116 pa.2,16
Homo & filius hominis, idẽ 19 pagina 2,16
Homo quomodo paulominus ab angelis minoratus sit ibidem ver.20
Homo quomodo considerari debet 98 pa.1,16
Homo per se nullum potest bonũ operari 107 p.1,32
Homo hominem iuuare non potest, hæc sanè intellige quo ad salutem, scilicet 190 pagina 1.17
Homo pacis quis 120 p.1,21
Hõ quomodo dicitur in imagine pertrãsire 114 p.1,12
Homo malignusdęmone deterior est 363 pa.1,6
Hominis dignitatem ac similitudinem Christus solus verè seruauit 245 p.1,20
Hominis proprium 138 pa.2,6
Homines dij dicuntur Deo permittente 1 pag.1,21
Homines vnius moris qui 180 pa.1,7
Hominum peculiare & proprium quid 202 pa.2,17
Hominum adiutorium vbi 43 pa.1,7
Humana fœlicitas fœlicitas non est 204 p.2,36
Humanæ mentis tenuitas 127 pa.2,22
Humanatio Christi magnificentia dicitur 15 pag.2,11
Humeri Dei 387 p.2,11
Humilis quis 27 p.1,7
Humilitas 85 p.2,22
Humilitatis significata plura 368 pa.1,31
Humilitas variis modis sumitur 261 pa.1,4
Hyems erat quando passus est dominus Iesus 104 pag.1,7

Hyssopi

Hyssopi natura 147 p.2,1

I

IDithum quis 168 p.1,37
Idiomatis Hebraici proprietas 80 p.2,23
Idola gentium quid 315 p. 1,27
Idumæi vnde descenderunt 239 p.2,23
Iesus quid 72 p.1,21
Ignis vrens quare dicti sunt angeli 289 p.1,12
Imagines sanctorum Idola non sunt 354 p.2,28
Imagines sanctorum vera habent argumenta 354 pa. 2,25
Imaginum & statuarum origo 38 pag.1,3
Impius quis dicitur 1 pa.2,8
Item 10 pa.2,21
Impij quomodo resurgent 2 pa 2,10
Impiorum cõsilium quid 1 pag.2,22
Impiorum semen exterminãdum fore 108 p.1,13
Imprecari quomodo licet 102 pa.1,30
Inanimata Deum quomodo laudant 378 p.2,30
Inanis gloria 140 pa.2,14
Incantatorum proprium 161 pag.1,35
Incarnationis Christi modi incogniti & incomprehensibiles 218 pag.2,25
Incomprehensibilis est Deus 360 p.2,8
Incola quis 36 pa.2,12
Indigena seu aecola quis 115 pag.1,6
In inferno confidentia amicorum aut diuitiarum nulla est 141 pa.1,33
In infernum descendere viuentem quid 155 pa. 1,14
Infernus quid 40 pa,2,10
Item 46 pa.2,24
Infidelitas Israëlitarum 223 pag.1,22
Infidelium Christus dominus dictus 18 pag.1,30
Inimici Christi 307 p.1,32
Inimici domini qui 237 p. 1,7
Iniquitas Saulis 103 p.1,10
Iniquitates pro iniqui 153 pag.2,27
Iniquitatis filius quis 256 pa.2,19
Iniquitatis thronus 271 pa. 1,25
Iniuria afficere seipsum quo modo quis dicatur 363 pa.2,17
Iniusta loquentes non dirigentur in conspectu Dei 282 pa.1,9
Iniuste agere quid 126 pag. 1,15
Iniusticia pro diuitiis 169 pag 2,11
In medio terræ salus operata 210 pa.1,15
Innocens quis dicitur 51 pagina 1,32

Inops quis dicitur 31 pag. 1,24
Inopis & pauperis differentia 238 pa.1,8
Inquisitionē peccatorū quis sustinere potest 347 pag. 1,11
Insania Sennacherib 151 p. 1,26
Insaniæ falsæ quæ 116 pag. 1,16
Inscriptio in finem quid 6 pag.2,10
Item 212 pag.2,17
Inscriptio intelligentiæ quid 88 pag.2,1
Inscriptio primæ sabbatorū quid 69 pa.1,7
Inscriptio filiis Core quid 136 pag.1,11
Inscriptio in finem quid 6 pa.2,10 Item 8 pa.2,18
Inscriptio Asaph quid 142 pag.1,16
Inscriptio, alleluia, quid 353 pagina 1,16
Insidiarum genus multiplex est 106 pag.1,30
Insipiens quis 140 pa.1,37 & 266 pa.2,17
In solo Christo gloriandum 11 pag.1,4
Instrumēta bellica apud antiquos 207 p.2,5
Insulæ pro ecclesiis 275 p. 2,29
In tenebris ambulare qui dicuntur 264 p.1,34
Interficere nō tātum de gladio dicitur 270 p.1,7
Ipse fecit nos & non ipsi nos, quomodo exponitur 280 pag.2,18
Ionas typus fuit triduanæ saluatoris sepulturæ 401 pa. 2,23
Iordanis quomodo interpretatur 123 pag.1,16
Ira Dei quid 26 pa.1,1
De ira Dei & terrore Origenis opinio 251 pagina 2,8
Iram in Deo & furorem esse, quomodo intelligēdum 109 pag.2,10
Irascendum quomodo 7 p. 1,33
Irrationalia & inanimata quomodo gratias agēt Deo 372 pag.2,9
Irrationabilia quo pacto deo benedicent 288 p.1,12
Irrationabiliū Dei, obedientia 377 pag.2,1
Irreprehēsibilis quis dicitur 36 pag.2,36
Is qui baptizatur quid profitetur 88 pag.2,29
Ismaelitæ vnde descenderūt 239 pagina 25
Israël Christiani dici possunt 74 pag.2,15
Israël quid 66 pa.1,5
Israëlitarum seruitutes variæ 299 pag.2,19
Iter pro actionibus 2 pa.2 56
Iubilare quid 235 p.1,19
Iubilus quid 134 p.2,24
Iudæus qui verus 213 p.1,27
Iudæi gentibus cōparati, minima sunt pars fidelium 135 p.1,21
Iudæi quare timebant fateri Christum esse Deum 35, pagina 2,29
Iudæi cū captiui essent in Babylone extra ciuitatis mœnia commorabantur 336 pagina 2,35
Iudęi Leones & vnicornes dicti 65 p.1,34
Iudæi quibus nominibus appellabantur 38 p.2,37
Iudæi oliuæ & campi dicti 397 p.2,17
Iudęi inuolutis chartis scribebant & non quadratis libris vt nos facimus 116 p.2,28
Iudæorum calamitas 389, pagina 2,30
Iudæorum perpetua seruitus ibi notatur, & dorsum eorū semper incurua 191 p.2,25
Iudæorum populus rudis, & ineruditus fuit 398 p.2,37
Iudæorū peruersa expositio in Psalm. 67. reprobatur. 186 p.2,21 & seq.
Iudæorum vicini 229 p.2,36
Iudæorum iniquitas quādiu durauit 154 p.2,2
Iudas quid 213 p.1,15
Iudicare terram quomodo 275 p.1,35
Iudicare cum datiuo quid 123 p.1,31
Iudiciale thronum Christi quid 21 p.2,27
Iudicium misericordiæ, & misericordia iudicio commisceri debet 92 pa.1,3
Iudicium legis 50 p.2,35
Iumentum dupliciter in scriptura sumitur 205 p.1,17
Iunior fui & senui, quomodo exponitur 107 p.2,10
Iuramentum quid 37 pagina 2,7 & 253 p.1,15
Iuramentum lex euangelica penitus abscidit 37 pagina 2,10
Iuramentum Dei quid significat 308 p.2,12
Iurare Deū quid 273 p.1,10
Iurare per reges solebant antiqui 171 p.1,29
Iusiurandum & iuramentum in Deo quid 406 p.2,5
Iusticia pro omni virtute 7, pagina 2,25
Iusticia vera quæ 37 p.1,8
Iustus quid? 30 p.2,1
Iustus etiam maxime Dei misericordia indiget 70 pagina 1,28
Iustus, fortis, & longanimis quō Deus dicitur 16 p.1,23
Iusto nullum impedimētum esse potest ad virtutem 108 p.1,21
Iusti, qui à scriptura dicti sint 2 p.2,21
Iusti ad palmam similitudo 267 pagina 2.2
Iusti hominis opera, Dauid li-

benter enarrat 108 p.1,21
Iusti non debent timere famē 106 p.2,32
Iusti etiam dei misericordia indigent 70 p.1,28
Iustū quomodo Dauid se appellat 87 p.2,7
Iustorum consilium quid 2, pa.2.20
Iustorum & delinquentium pugnantes sunt sententiæ 98 p.1,38
Iustorum virtutes permansuras 2 p.2,33
Iustificationes in lege 51 pagina 1, 4

L

LAbia dei apostoli dicti 128 p.1,1
Labores manuum manducare quid 344 p.2,39
Lachrymarum vallis quid 242 p.1,10
Lacus miseriæ quid 115 pagina 2,10
Lacus pro sepultura 78 pagina 2,23
Lætitiæ causæ 33 p.1,6
Lapis reprobatus quid 321, pagina 2,28
Laudare deū quomodo quis potest 95 p.1.24
Laudandi deum tres modi 378 p.2,23
Laus populi Israël 63 pagina 1,26
Lebes quid 166 p.1,18
Legalis virtus, vmbra & figura erat veræ virtutis 398, pagina 2,4
Legis partes 50 p.2,22
Legislator Christus est 25, pagina 1,15
Leo & Leonis catulus differunt 43 p.2,17
Leonis os & fauces male olēt 14 p.1,14
Leo pro principe dæmonum 14 pa.1,29
Lex, iustificatio, iudicium & mandata quid inter se differunt 258 p.1,2
Lex non veritatem, sed vmbram cōtinebat 319 pagina 2,22
Lex & mandatum quomodo differunt 50 p.2,23
Lex Mosaica nō erat data ex mera dei voluntate 180 pagina 2,31
Lex mosaica solis Iudæis data, euāgelium verò omnibus gentibus 117 p.1,13
Lex, testamentum & testimonia dicta 73 p.1,7
Legis nomina 323 pagina 1,16
Libamen salutaris quid 319 pagina 1,4
Libanus mons est Palęstinæ regionis altus ac ferens cedros 81 pa.1,14
Liber dei 361 p.2,32
Liber viuentium duplex 192 pagina 1,32
Liber multiplex ibidem
Liber in quo peccatores scribuntur ibi. p.2,6

Libidinis appetitus vbi 110, pagina 2,1
Linguarum cōtradictio quid 87 p 2,37
Lingua Dauid quomodo calamus 127 p.2,17
Lingua plures ceciderūt quā gladio 365 p.2,24
Linguosus vir quis 364 pagina 2,6
Locustæ quid 225 pagi.2,7
Lotio manuū quid denotabat apud Iudęos 75 p.1,36
Luna quomodo dicitur vrere 339 p.2,9
Luna à sole illuminatur 19 pagina 1,32
Lux & veritas Christus dicitur 123 p.2,18

M

MAchinamēta dæmonis, 114 p.2,4
Madianitæ qui 240 p.1,10
Madianitarum idololatria 395 pa.2,6
Magnitudinem facilitatis diuinæ, impossibile est demonstrare 379 p.1.21
Mala dies quæ 118 p.2,39
Malignorum hominum amicitię nō retinēdę 281 p.2,17
Malorum principum causæ 380 pa.1,38
Manasse 231 pa.2,11 & seq.
Manasses quid 234 p.2,4
Mandatum quid 50 p.2,27
Mandata de sacrificiis, quare Iudæis cōcessa 144 p.1,1
Mādauit & creata sunt quomodo 93 p.1,19
Māducare labores manuum quid 344 p.2,39
Manna quid 222 p.2, & 8
Manna quomodo dicitur panis angelorum ibidem, 18
Mane & orieus Christus dictus 62 p.1,37
Manus & dextra quid 257 pagina 1,14
Manus angelorum quid 265 pagina 1,12
Manus dei quid 85 p.2,2
Manus patris qd 329 p.1,12
Manus pro puniendi potentia 89 p.1,11
Maris profundum quid 183, pagina 2.7
Maria virgo mons vmbrosus & densus est. 394 p.2,2
Mari rubro vicinum est desertū vbi castrametati murmurabāt Israëlitæ 297 p.1,11
Maris plenitudo quid 275, pagina 1,7
Martyrum supplicia portæ mortis dictæ sunt 23 p.2,35
Melchisedech quomodo initium non habuisse dicitur 308 p.2,20 & seq.
Mēbra quomodo dicatur habere anima 98 p.1,18
Membrorum officium 382 p.2,33
Mēs & anima quomodo oculos habere dicūtur 12 p.2,23
Mensurarū genera varia 113, pagina 1,37
Mensura omnium minima 113 p.2,2

113 pagina 2,2
Merces fructus ventris quid 344 p.1,20
Merces custodiendorum mãdatorum dei 58 p.1,17
Meridies quid 105 p.2,2
Michol fidelitas erga Dauid maritum suum 100 p.2,19
Mille anni apud Deum quid 261 p.1,19 & seq.
Mirabilia Dei 372 p.1,7
Miranda Christi natiuitas 134 p.1.4 & seq.
Miserere repetitum, quid significat 341 p.1,13
Miseretur Deus impiorum ac se abnegantium 92 p.1,10
Miseretur Deus omnibus operibus suis 372 p.1,31
Misericordia diuina oẽs indigent 12 p.1.6 etiam maximè iusti. 268 p.2,34
Misericordia ad actiuã, & veritas ad contemplatiuam vitam pertinet 242 p.1,32
Misericordia præposita iudicio 91 p.2,28
Misericordia Dei immensa 258 p.1,15
Misericordia & iudicium commiseri debent ibidem
Misericordia Deus perpetuo nõ vtitur 310 p.2,6
Misericordia Dei & veritas 168 p.1,23
Mitis quis 246 p.1,30
Moabitæ vnde originem trahunt 239 p.2,27
Modus colligendi manna 222 p.2,8
Modi incarnationis Christi incogniti & incomprehẽsibiles 218 p.2,25
Mœstorum & tristium aspectus in terram versus 110, pagina 1,10
Monachorum consuetudo 9 pa.1,30
Mons Dei quid 182 p.1,21
Mons sanctus, sublimis est de Christo theologia 69 pagina 2,38
Mons sanctus quid 5 p.2,32
Mons Syon pro tota Iudæa 4 pa.1,18
Moriẽtiũ regio qd 317 p.2,7
Mors multiplex 183 p.1,13
Mors pro peccato 12 p.1,35
Mors remittitur, & tamen dãnum exigitur 89 p.2,3
Mortẽ formidasse quomodo Christus dicitur 250 p.2,20
Mortis vmbra peccatũ 407 pagina 1,12
Post mortem nullum erit gratificandi tempus 159 p.1,3
Morticina quid 229 p.2,2
Mos congregandi consilia apud antiquos 206 p.1,19
Mos prophetarum quãdo futura prædicunt 395 p.2,3
Mos sanctorum virorũ in agẽdis gratiis Deo 378 p.1,15
Mos scribendi apud veteres 116 p.2,26
Moyses quare non introduxit filios Israel in terram 299 p.1,1.& seq.
Moyses de resurrectione nihil nobis manifestè tradidit 2 pa.2,14
Muli quare non concipiunt 90 p.1,27
Mulierum dolores potius vitæ quàm mortis dicẽdi sunt 46 p.2,2
Multitudinem stellarum numerare quid 375 p.2,1
Mundi climata 211 p.2,19
Munitionis ciuitas quæ 166 pagina 1,30
Muri Hierusalẽ q 149 p.1,17
Myrrha quare vngebantur mortui 129 p.2,15

N

NAbuchodonozor, cursus vocatus 233 p.1,19
Natiuitatis Christi miranda 134 p.1.4 & seq.
Natiuitatis Christi virtus 199 p.1,35
Nato domino Iesu bella cessarunt 134 p.1,4
Neomenia quid 235 p.1,39
Nestorius 231 p.1,9
Nilus vnicus Aegypti fluuius 235 p.1,10
Nolite fieri sicut equus & mulus, quomodo exponitur 90 p.1,21
Nomina communia regũ secundum regiones 95 pagina 1,7
Nouum quid magis, aut admirandum est 277 p.2,21
Noctis custodiæ quatuor 182 p.2,8
Nox quomodo transigenda 353 p.1,1
Nuptiæ natura ex peccato prueniunt 147 p.1,16
Nyctcoracis natura 283. pagina 1,6

O

OBedientia irrationabiliũ 377 p.2,1
Oblatio & holocausta differunt 149 p.1,9
Obliuisci domũ patris quomodo 130 p.2,19
Obliuio quid est 32 p.2,23
Oculus quare lucerna dicitur 51 p.2,24
Occidere videtur decipiens 10 p.1,2
Og 354 p.2,2
Olei vis 290 p.2,6
Omnis homo viuens, quid 114 p.1,6
Omnis spiritus laudet dominum quomodo 383 p.1,22
Onagri natura 289 p.2,31
Opera domini magnatin cõsilio rectè degentium 309 pagina 1,37
Opera nostra quomodo bona 286 p.1,28
Opera & mente coniuncta 70 p.1,9
Operari difficilius quàm cognoscere 369 p.1,16
Opinio sanctorum patrũ sequenda 193 p.2,22
Opisthotonos qd 389 p.1,26
Oportunũ tps quid 89 p.2,11
Opprobriũ nusquã in bonã partem

partē accipitur. 37 p.1,34
Orandus quomodo Deus 363 p.1,28
Oratio ipsi Moysi homini Dei quid 260 p.2,24
Oriens & mane Christus dictus 62 p.1,37
Ornatus sacerdotū 351 p.1,2
Ossa in scriptura quid 12 p.1 10.
Ossa Christi quid 64 p.2,10
Ossa inueterata quomodo 88 p.2,35
Ossa iustorum quomodo nō conterentur 98 p.1,16
Ossa pro membris 99 p.2,24
Ouium arietes qui 175 p.2,2
Oues pascuæ dei quæ 206 pag.2,22

P

PAlæstra quid 113 p.2,9
Palamnea quid 161 p.2,1
Palma seu palæstra quomodo conficitur 113 p.2,1
Palpebræ quid in scripturis 29 p.1,29
Passer infirmissimum animal 341 p.2,29
Parabola pro exemplo 126 pag.1,2
Participes qui dicuntur 129 pag.1,26
Parturitionis nomē quid designat in scriptura 17 pa. 1,9.
Partus & conceptio vnde 64 p.1,10
Pascua ouium Christi quid 206 p.2,23
Patientia Dauidis 164 p.1,15
Patris & filij communis operatio est 307 p,2,7
Patris beneplacitum 255 pa. 2,29
Patris vultus & facies Christus dicitur 62 p.1,5
Paupertas Christi 192 pag. 2,10.
Pauper quis 24 p.2,19. Itē 31 p.1,29
Pauperes Christiani veri sūt 66 p.1,38
Pax omnium bonorum caput 97 p.2,1
Peccare proprie quid est 146 pag.2,5
Peccatorum mos 269 p.2,21
Peccator quis propriè dicatur 1 p.2,9
Peccatores dicti dæmones 179 p.1,17
Peccatores in præsenti vita deum non laudant 316 pag.1,18.
Peccatores quomodo dicuntur elongari à deo 205 pa. 2,27
Peccatum accusat authorem suum 227 p.1,30
Peccatum neglectus est, & cōtemptus legis 88 p.2,21
Pecora saluare quid 103 pa. 1.28
Pecora campi quid 20 p.1,2
Pedem in sanguinem intingi quid 183 p.2.19
Pedes dei quid 349 pag.1,25
Pellicani natura 283 p.1,4

Per-

Percussio Israël in deserto 223 p.1,30
Perfecti hominis proprium 113 p.1.13
Peregrinus quis 36 p.2,12
Perire in futuro sæculo quid 240 p.2,39
Perire, quis dicitur 107, p.1,1
Peruersus quis 51 p.1,34.
Pes superbiæ quid 104 pag. 1,39
Pestilentię cathedra 1 p.2,21
Pestis quis dicitur 1 p.2,10
Petri, ac Pauli munus impositum 181 p.1,37
Pharao qui Ioseph recepit nō idem est atque is qui persecutus est filios Israël 294 p.2,19
Philosophia de trinitate 92. pag.1,20
Philistęi nunc Palęstini dicūtur 239 p.2,36
Phinees cuius filius 298 pa. 2.28
Piscatorum virtus 133 pag, 2.38
Pisces maris pro dæmonibus 20 p 2,9
Plagæ Aegyptiorum 225 p. 1.9
Platea vnde dicitur 53 p.2,38
Plangere quid 84 p.1,33
Plausus manuum quid denotet 134 p.2,15
Plenitudo maris quid 275 pag.1.7
Poculum & calix in scriptura quid 39 p.1.20
Pœnarum species 61 p.1.17
Pœnitentiæ signum 109 pa. 2,13. & 10 p.1,23
Portæ mortis quid 23 pag. 2,35
Portæ æternales quid 70 p. 2,15
Potestates & virtutes quare angeli dicantur 287 pag. 2.37
Potentia dei Christus dictus 61 p.2,19
Potētiæ & roboris anni quot sunt 262 p.1,29
Prædicatio euangelica nemi nem cogit 181 p.1,1
Pręstigiatores qui 161 p.1,36
Prætextus in peccatis 366 pag.1,1
Precatur Christus, sed vt homo 306 p.2,9
Primogenitus qs 257 p.1.30
Principes etiam mali reuerēdi 41 p.1,20
Principes portarum qui 70 pag.2.37
Principum malorum causæ 380.pag,1,38
Principum constitutio diuinæ sapientiæ cōstitutio est 380 pa.1,27
Principium verborū dei quid 335 p.2,36
Procella quid 143 p.1,18
Procellæ ppriū 240 p 2,27
Procreatio liberorū pergrata Iudæis 73 p.2,1
Pro dilecto, id est de dilecto 127 p.1.38

Prodigia

Prodigia quid 293 p.1,3
Profanum quid 156 p.1,7
Proficere Hebræi sæpe dicũt pro perficere 256 p.2,16
Profũdũ maris quid 183 p.2,7
De profũdis quid 346 p.2,30
Promptitudo apũ 320 p.2,23
Prophetæ opus 127 p.2.14
Prophetę Dauid erga Iudęos amor 209 p.1,29
Prophetæ dicuntur cataractę 122 p.2,8
Prophetę aëres dicti 48 p.2, 10.
Prophetæ futura veluti præsentia intuentur 56 p.1,31
Prophetæ quare obscurè sæpe locuti sunt 321 p.2,22
Prophetæ quare inanimatis rebus gaudium adscribunt 275 p.1,19
Prophetarũ mos 4 p.1,12
Prophetia de christianis 8 p. 1,9
Prophetia de reuersione Iudæorum 163 p.2,8
Prophetia de gentium fide 246 p.2,14
Propiciatorium vbi erat 75 p.2,4
Proselytus quis dicitur 270 p.1.11,& 374 p.2,9
Prosopopœia quid 143 p.1.28
Prosperitas impiorum breuis 106 p.1,3
Protegere quomodo quis aliũ dicitur 46 p.1,9
Proximi omnes mutuo sumus 37 p.1,19
Psallere & cantare quomodo differunt 77 p.2,5
Psalmi cãticũ qd 238 p.2,32
Psalm. 71. an sit Salomonis 197 p.2,38
Psal. cantici quid 82 p.2.4
Psalm. 38. an sit ipsius Dauid 112 p.2,6
Psalmi sine inscriptione 263 p.2,16
Psalmorũ liber os dicit ipsius Dauid 252 p 2,16
Psalmos omnes esse à Dauid cõpositos 201 p.2,32
Psalmus ad pusillanimes 202 p.1,5
Psal. cõgruẽs iis qui in tẽtationibus sunt 343 p.1,25
Psalmus cuilibet fideli in angustiis constituto cõgruens 251 p.2,25
Psalmi qui habent inscriptionem canticum ascensuum, quid continent 337 p.2.18
Psalmi qui habent inscriptionẽ alleluia 292 p.1,39
Puer proseruo 405 p.2,2
Pupillæ oculi custodia 42 p. 2.27
Puluis mortis qd 64 p.2,27

Q

QVemadmodum mors separat à corpore, ita pẽsens mũdus amatores suos separat à deo 68 p.1,20
Quid enim mihi est in cœlo &c. de eo egregia expositio 205 p.2,3
Quid per homines & iumẽta saluabis 103 p 2,1
Quod quisque animo cupit, hoc ore etiã ac labiis petit 60 p.1,29
Quoniam & quia, nõ semper causam reddunt 25 p.2, 28,& 262 p.1,17

R

RAab Cananæa fuit 248 p.1,23
Ratio quædam cuique homini innata 294 p,1.31
Reges & principes olim potẽtes dicebãtur 256 p 1.31
Reges olim vngebantur 129 p.1,29,& 406 p.1,15
Reges vnde sperare debeant salutem 370 p.2,24
Regina est, ecclesia Christianorum 130 p.1.23
Regum & principum constitutio diuinæ sapientiæ opus est 380 p.1,27
Regio viuorum 317 p.2.5
Regnare Christus quomodo hic dicitur 274 p.2,20
Regnũ Christi est voluntaria fidelium omnium subiectio & seruitus 259 p.1,11
Reliquiæ quomodo conseruantur 109 p.1,19
Reminisci quid 66 p.2,19
Renes in scripturis quid 40 pa.1,16
Renes concupiscentiam denotant 75 p.1,6
Renes libidinis appetitus sedes sunt 110 p.2,1
Requiescere quis dicitur 36 pa.2,23
Resurrect. modus 287 p.1,32
De resurrect. Dauid primus tradidit mãifestè 2 p.2,15
Rerum euentus patienter ferendi 104 p.2,21
Rhamnum quid 162 p.1,16
Roris nomine euangelium dictum 400 p.1,33

S

SAbbatũ Iudęi totã hebdomadã appellãt 136 p.1,13
Sabellius 231 p.1,9
Sacco indui quare solebãt Iudæi 84 p.1,39
Saccus pœnitẽtiæ signũ & humilitatis ibidem
Sacerdotes quales esse debeãt 69 p.2,25
Sacerdotes angeli dicti 358 pa.1,37
Sacerdotes vnde ornari debent 351 p.1,2
Sacrificia quare Iudæis concessa 144 p.1,4
Sacrificia brutorũ in lege reprobata 148 p.2,13
Sagittę & carbones quid 338 pa.1,33
Sagittæ pparatę & arcus itẽtus qd 28 p.2.20.& 30 p.1,18
Sagittæ dei 109 p.2,13
Salinarũ vallis 105 p 1,13
Saluare pecora qd 103 p.1,28
Saluare quõ accipiũt 103 p.1,28
Salutis cornu quid 46 p.1, 10.& 406 p.1.15
Salutem in medio terræ operatus est Christus quomodo 208

208 pagina 1,38
Salomon quomodo interpretatur 198 p.1,3
Sanctus quis 30 pa.2,3
Sanctus quis proprie dicitur 51 p.1,30
Sanctum nomen Christi est, ideo ora & linguas sancta esse oportet quæ illud laudatura sunt. 311 p.1,6
Sanctorum patrum opinionē sequendam 193 p.2,22
Sanctorum imagines vera habent argumēta 354 p.2,25
Sanctorum virorum in agendis gratiis deo formula 378 p.1,16
Sancti mōtes qui 247 p.2,31
Sanctuarium quid 274 pagina 1,14
Sāctus deus & homines, quomodo 197 p.2,15
Sanguines quid 148 p.1,30
Sanguinum viri 156 p.2,6
Sapientia quid 262 p.2,29
Saulis ingratitudo erga beatum Dauid 100 pa.1,10
Saulis prauitas 103 p.1,10
Scabellum pedū Christi quid 279 p.2,21
Scandalum quid 363 p.2,34
Scapulę dei quid 264 p.1,14
Scoria quid 77 p.2,34
Scribendi mos apud veteres 116 p.2,26
Scriptura ab humanis moribus sæpe diuinas actiones describit 90 p.1,18
A seculo & vsque in seculo tu es 260 p.2,36
Secunda fortuna iniustorum neminē debet mouere 105 pagina 2,20
Seculum præsens reuolutum ac completū septenario numero signatur 11 p.1,32
Sedere in throno, aut super thronum in deo quid 21, pagina 2,35
Sedes filij à dextris patris, æqualis eū esse honoris cū patre manifestat 307 p.1,23
Semen Abrahæ nouum quid 405 p.2,16
Semē Christi quid 67 p.1,22
Semen impiorū exterminandum fore 108 p.1,13
Senectº ī oleo qd 267 p.1,19
Senes in scripturis qui 331, pagina 1.30
Sēnacherib insania 151 p.1,26
Seon 354 p.2,1
Sepes sāctuarij dei 259 p.1,39
Septies pro pluries Hebræi ponere solent 31 p.2,30
Septies in die laudem dicere deo quid 336 p.1,31
Sermo de trinitate 182 pagina 2,39
Sermo via quædam est ad actiones 97 p.1,26
Serpentis natura 161 p.1,23
Seruire deo omnia quid 330 pagina 2,3
Serui Christi qui proprie 193 pagina 1,19
Seruitus dei duplex 319 pagina 1,15
Seruitutes Israëlitarum varię fuerunt 299 p.2,19
Si Adam non peccasset, nunquam oportuisset illū Euæ coniungi 147 p.1,10
Sicima ciuitas 165 pa.2,32
Signum, tam in bonum, quā in malum 247 p.1,32
Signum pœnitentiæ 109 pag.2,13
Signa & prodigia differūnt 224 pagina 2,38
Sion quid 213 pag.2,1
Sion quare mater dicta 248 pagina 2,10
Situs aquæ 69 p.1,38
Sodoma quo genere supplicij fuit euersa 29 pag.2,22
Sol cadet & cætera astra in cōsummatione seculi quomodo 201 pag.1,29
Sol cognouit occasum suum quomodo 290 p.2,35
Sola Dei voluntas sufficit ad coercendos opprimētes iustos 98 pag.2,33
De solis egressione & exitu 56 pagina 2,20
Solis nomine Luna etiā intelligitur, & è conuerso 19 pagina 1,30
Somni causa 33 pag.1,20
Somnus solet dissoluere vires 214 pag.1,22
Sortes quid 86 p.2,39
Sperandum, propter quid est 347 pag.1,30
Sperandum in Deo & nō in alio 13, pag.2,37
Sperare in Deo quis dicatur 243 pagina 1,27
Species animalium quę offerebantur in lege Moysi 144 pag.2,6
Spes minuit dolores 105 pagina 1,29
Spina cōfigi quid 89 p.1,14
Spina sæpe pro peccato 162 pagina 1,16
Spiritus indignationis quis 384 pag.2,11
Spiritus sancti & columbæ collatio 181 p.2,38
Stacte quid 129 p.2,17
Statera quid 169 pa.1,38
Stellarū multitudinē numerare quid 375 p.2,1
Sterilitatis causa 302 p.1,22
Subiicientur omnes Christo sed diuersimodè, 307 p.2,9
Subsannare quid 125 p.2,37
Superbus quis 363 p.2,25
Superbiæ nomine omne vicium intelligitur 104 p.2,2
Superuacue quid 85 p.2,13
Surrectionem in Deo quomodo 179 pag.1,1
Sus in scriptura quid 44 pagina 2,15
Sus immundus apud Iudęos quare, ibidem.

T

Tabernaculum domus Dei 348 p.2,34
Tabernaculorum vallis 165 pagina 2,35
Tanis Aegypti ciuitas 221 pagina 1,1

Taurorum filij dicti 388 pag.1,3
Tempus opportunum quid 89 p.2,11
Tempora synaxeum 155p. 2,5
Templum & tabernaculum diuinitatis quid 185 p.1,12
Templum nõdum ædificatũ erat tempore Dauid 36 pag.2,6
Tempus afflictionis quid 50 pag.1,23
Tenebræ & lux apud Deum 361 pag.1,13
Tenebræ peccati infernus est 83 pa.1,10
Tenebrę pro vniuersis homi nibus 179 pag.2,11
Tentationes Deus non dat 156 pag.1,35
Tentationes nomine aquæ dictæ 89 p.2,24
Tentationes ne incurreret Christus,cur rogabat vt ho mo 190 pag.2,17
Termini montium & maris quid 289 pag.2,18
Terra pro habitatoribus terræ 133 p.2,22
Terra quædam est cœlestis 106 pa.1,1
Terræ fideles qui 281 pag. 2,35
Terrenæ diuitię fallaces 96 pag.2,4
Terribilis Dei præsentia 143 pag.1,14
Terribilis quomodo deus est 176 pag.1,21
Terra, ex quo tempore effecta est Christi 69 pa.1,20
Terræ colũnę qd 211 p.1,21
Terræ peccatores qui 282 pag.1,14
Terribilia Dei 372 p.1,14
Testimoniũ quid 50 p.2,31
Tharsis loci nomen 137 p. 1,19
Thæman quid 394 p.1,34
Theologia de sancta Trinitate 104 pag.1,20
Thesauri dei quid 354 pag. 1,11
Thesauri abyssorum qui 92 pag.2,20
Thronus quid 129 p.1,9
Thronus gloriæ regni Dei quid 404 pa.1,17
Thronus iniquitatis 271 pag.1,25
Timere Deum nõ sat est 311 pagina 2,1
Timor domini quid 57 pa. 2,17
Tonitrua vnde veniunt 80 pagina 2,23
Torcular in scriptura quid 18 pa.1,15
Torrentes iniquitatis quid 46 pa.2,10
Tota die Hebræi ponũt pro toto tẽpore vitæ 72 p.1,7
Torrens delitiarũ quid 105 pag.2,34
Trãsgressor legis, ab exlege differt 9 pa.2,25
Tribus ephraim prę cæteris tribubus arcu vtebatur. 220 pag.1,36 & sequen.
Tria in auxiliũ potissimum proponenda 41 pag.2,2
Tribus Israël quando ascendebãt Hierusalẽ 340 p.1,7
Trinitatis mysteriũ apertum 178 pag.2,22
De trinitate sermo 182 pa. 2,39
Tympanũ ex mortui corporis pelle cõficit 184 p.1,37
Tyrus impiissima erat ciuitas 130 pag.2,35

V

VAllis lachrymarũ quid 242 pag.1,10
Vallis salinarum 165 p.1,13
Vallis tabernaculorum 165 pag.2,35
Vanum quid 169 pa.1,35
Verbi fidei vis 22 p.1,17
Verborũ copia nõ persuadet Deo,sed pura simplicis animæ affectio 6 pag.2,23
Verborũ repetitio frequẽtissima apud Hebræos 115 pag.1,35
Veritas & misericordia,quomodo dicũtur Deũ præcedere 255 pa.1,30
Veritas & misericordia Dei 168 pag.1,23
Veritas & salutare Dei euãgeliũ dicitur 117 p.1,26
Verus ac perfectus homo qs dici potest 140 p.1,23
Vermis vnde nascit 63 p.2,20
Vespertinũ sacrificium quid 365 p.1,36
Via Dei quid 52 pag.1,34
Via fortitudinis q̃ 285 p.1,1
Via iusta quid 5 pa.1,22
Viæ & semitæ dei sunt oĩa q̃ ei placent 71 p.2,18
Vinum vuæ sanguis dicitur 388 pa.1,17
Vini proprium 290 pa.2,3
Vir lĩguosus quis 364 p.2,6
Virga multa significat apud scripturam 307 p.2,15
Virga directionis & regni quid 129 pag.1,13
Virga ferrea quid 4 p.2,19
Virga et baculus qd 68 p.1,23
Virgo Maria, mons vmbrosus & dẽsus est 394 p.2,2
Virginis Mariæ humilitas 405 pa.1,14
Viri diuitiarũ qui 214 p.1,13
Virtus xpianorũ 255 p.2,25
Virtutes & potestates quare angeli dicũtur 287 p.2,37
Virtutes iustorum permansuras 2 pagina.2,33
Virtutes humanæ inualidæ ad salutem 12 pagi.1,33
Virtus vnde dicit 242 p.1,30
Visitatio diuina quid 124 pag.2,35
Vitę ratio diuersa 73 p.1,29
Vita præsens quare nox dicitur 216 pag.1,14
Vita pro sanguine 15 p.1,7
Vitę hominũ dies certi 285 pag.1,14
Vituli nomine plebeios intellectos 64 p.1,39

Viuere qui propriè dicuntur 251 pagina 1,6
Viuere quodammodo non videntur qui dormiunt 102 p.1,14
Viuentium regio quid 317 pagina 2,5
Viri sanguinum qui 156 pagina 2,6
Item 163 pag.1,10
Virtutum Deus quomodo 163 pagina 1,36
Viuificari propter mandatorũ obseruantiam aliquãdo petiit Dauid, aliquãdo verò propter misericordiam Dei 335 pag.2,28
Vmbra mortis peccatũ 407 pagina 1,12
Vmbra alarum Dei, quid 159 pagina 1,38
Vnctio Dauid 256 pag.2,7
Vngulæ & cornua emortuæ partes sunt 192 pag.2,30
Vnicornium filius Christus dictus 81 pa.1,31
Vnitatem seruandam 352 pagina 1,1
Voces aquarum quid 268 pagina 2,34
Vociferatio quid 91 p. 1,39
Volucres cœli pro angelis 20 pagina 2,8
Voluntas patris & filij vna 63 pag.1,32
Vultus & facies patris dicitur Christus 62 pa.1,5
Vultus seu facies domini qd 30 pagina 1,4

Z

Zelus & concitatio in Deo quomodo 388 pag.2,6
Zorobabel Christi tenuit figuram 168 pag.1,3
Zorobabel regnante, templum domini effloruit 350 pagina 2,14
Ziphæorũ amicitia ficta 152 p.1,12

ἅγιος quid 30 pa.2,5
ἀδολεσχία quid 215 pa.2,9
ἀνομία quid 9 pa.1,38
γνώμη quid 239 p.1,20
εὐδοκία quid 243 pa.2,19
λόγος quid 294 pag.1,27
ὅσιος quid 30 p.2,4
τέλος quid 36 pagina 1,38

FINIS.

PSALMORVM OMNIVM ELENchus, ordine literario.

A

AD dominum cum tribularer Psal. 119
Ad te domine clamabo Psal. 27
Ad te domine leuaui animã meam Psal 24
Ad te leuaui oculos meos 122
Afferte domino filij Dei Psal.28
Attendite populus meus 77
Audite hæc omnes. psal. 48
Auribus percipe 54

B

BEati immaculati in via 118
Beati omnes qui timent dominum 127
Beati quorum remissæ sunt iniquitates Psal 31
Beatus vir qui intelligit super inopem Psal. 40
Beatus vir qui nõ abijt in cõsilio impiorum Psal. 1
Beatus vir qui timet dominum. 111
Benedic anima mea domino 102
Benedic anima mea domino, bis 103
Benedicã dominum Psal.33
Benedictus dominus Deus meus. 143
Benedixisti domine 84
Bonum est confiteri 91

C

CAntate domino 95
Cantate domino bis. 97
Cantate domino. ter 149
Cœli enarrant gloriam Dei Psal. 18
Confitebimur tibi Deus 74
Confitebor tibi domine Psal. 9
Confitebor tibi domine. 137
Confitebor tibi domine. bis 110
Confitemini domino 104
Confitemini domino, bis 106
Cõfitemini domino quoniã bonus 105
Cõfitemini domino quoniã bonus, bis 117
Confitemini domino quoniã bonus, ter. 135
Cõserua me domine Psal. 15
Credidi propter 115
Cum conuerteret dominus 125
Cum inuocarẽ exaudisti me Psal. 4

D

DE profundis cla. 129
Deus auribus nostris audiuimus Psal. 43
Deus Deus meus 62

Deus Deus meus respice in me Psal.21
Deus in adiutorium 69
Deus in nomine tuo 53
Deus iudicium tuum 71
Deus deorum loquutus est Psal. 49
Deus laudem meam 108
Deus misereatur nostri 66
Deus noster refugium & virtus Psal.45
Deus repulisti nos 59
Deus stetit in Synagoga 81
Deus venerunt gentes 78.
Deus vltionum dominus 93
Dicit iniquus delinquere in seipso Psal.35
Dilexit quoniam exaudiet 114
Diligam te domine, Psal.17
Dixi custodiam vias meas Psal.38
Dixit dominus domino meo 109
Dixit insipiens in corde suo Psal.13
Dixit insipiens 52
Domine Deus meus in te speraui Psal,7
Domine domĩe clamaui 140
Domine dominus nõ Psal.8
Domine Deus salutis meę 87
Domine exaudi orationem meam 101
Domine exaudi orationem meam 142
Domine in potẽtia tua psal. 20
Domine ne in furore tuo arguas me Psal. 6
Domine ne in furore tuo, bis 37
Domine non exaltatum est cor meum 130
Domine probasti me 138
Domine quid multiplicati sunt Psal.3
Domine quis in tabernaculo tuo Psal.14
Domine quis similis erit tibi 82
Domine refugium 89
Domini est terra Psal.23
Dominus illuminatio mea Psal.26
Dominus pascit me Psal.22
Dominus regnauit, exultet terra 96
Dominus regnauit 98
Dominus regnauit 92

E

ECce sanè benedicite dominum 133
Ecce sanè quid bonum 132
Eripe me 58
Eripe me domine 139
Eructauit cor meum verbũ bonum Psal.44
Exaltabo te deus meus 144
Exaltabo te domine Psal.29
Exaudiat te dominus Psal. 19
Exaudi domine iustitiã meã Psal,16
Exaudi Deus vocem meã 63
Exaudi Deus 60
Expectans expectaui dominum psal.39
Exultate deo 80
Exultate iusti i domino psal. 32.
Exurgat Deus 67

F

Fundamenta eius 86

I

In domino confido psal.10
In exitu Israël 113
Inclina domine 85
In te domine speraui 70
In te domine speraui psal.30
Iudica domine iniuriãtes mihi psal.34
Iubilate deo 65
Iubilate deo omnis terra 99
Iudica mihi domine psal,25
Iudica mihi deus psal.42

L

LAEtatus sum 121
Lauda anima mea dominum 145
Lauda Hierusalem dominum 147
Laudate dominum de cœlis 148
Laudate dominum in sanctis 150
Laudate dominum omnes gẽtes 116
Laudate dominum quoniam bonum est 146
Laudate nomen domini psa. 134
Laudate pueri dominũ psal. 112
Leuaui oculos meos 120

M

MAgnus dominus psal. 47
Memento domine Dauid psal. 131
Miserere mei deus 50
Miserere mei Deus 55
Miserere mei Deus 56
Misericordiam tuam 100
Misericordias tuas 88

N

NE æmuleris in malignantibus 36
Nisi dominus ędificauerit domum 126
Nisi quia dominus 123
Nonne deo 61
Notus in Iudæa Deus 75

O

OMnes gẽtes plaudite manibus psal,46

P

PAratum cor meum psal. 107

Q

QVam bonus Deus psal. 72
Quam dilecta tabernacula 83.
Quare insurrexerunt gentes psal 2.
Quemadmódũ desiderat cerua ad fontes aquarum psal. 41
Qui confidunt in domino 124

Quid gloriaris 51
Qui habitat in adiutorio 90
Qui pascis Israël 79
S
Saepe oppugnauerunt me 128.
Saluum me fac Psal. 11.
Saluum me fac Deus. 68
Si vere vtique 57
Sup flumina Babylonis 136
T
Te decet 64
V
Venite exultemus 94
Verba mea auribus percipe domine, psal. 5
Voce mea ad dominum. 76
Voce mea 141
Vsque quo domine, psal. 12
Vt quid Deus repulisti 73.

CANTICORVM elenchus.

Attende cœlum 2
Benedicite omnia opera domini domino. 8
Benedictus es domine deus 7.
Benedictus dominus Deus Israël. 10
Cantemus domino 1
Clamaui in tribulatione 6
De nocte consurgit spiritus meus 5
Domine audiui auditum tuum. 4.
Firmatum est cor meum 3
Magnificat anima mea dominum 9

FINIS INDICIS.

Euthymii monachi Zigaboni *interpretatio in Psalterium.*

Laudatoria in Dauid, & præfatio in totum opus.

HIVS QVIDEM LIBRI autor (vt planè quod summũ est dicam) & dei filius fuit (protegam enim inquit dominus ciuitatem hãc propter me, et propter Dauid filium meũ) & pater dei. Liber enim, inquit, generationis IESV CHRISTI filij Dauid. Cætera verò (vt paucis complectar) qui post Habraam solus fuit gentium pater, qui noster Orpheus, qui primus elegans conscriptor virtutum, & primus trium personarum vniúsque diuinitatis prẽco: qui pastor vnà, & inuictissimus miles, propheta & rex: qui & primi regis cor, lingua fuit & calamus: cui à deo testimonium est præstitum: quíque omnes eas sibi parauit virtutes, quæcunque hominem faciunt deum, & homini ascribi possunt. Hic Iesse quidem filius, & fratrum iunior, exilis aspectu corporis, animo formosissimus: omnium prophetarum, imperatorum, legislatorum, regum fuit excellentissimus: & innumeris, præ cæteris omnibus, charismatum donis refertus: mitissimus quidem spiritu, & natura etiam modestissimus: virili præditus mente, & corpore etiam robustissimus: principem vnà atque æqualem omnibus se præbebat: magnanimus simul & comis: simpliciissimus pariter ac prudẽtissimus: moribus dulcis, & acer sermone: intellectu multus, & diuino numine planè adflatus: dum in eorũ quæ sunt, seu potius

potius in eius qui verè est, contemplatione versatur, à seipso edoctus, & doctus à deo: qui totus etiam, ac toto semper erat cum spiritu. His tamen omnibus prætermissis, seu potius breuiter in vnũ collectis: duas tantum nũc illius virtutes persequar, sapientiam scilicet & fortitudinem. & de sapientia quidem prius disseremus. Ait quodam in loco profundius, magis quàm obscurius, Manus meæ fecerunt organum: & digiti mei cõcinnauerunt psalteriũ. Sapientia enim nihil aliud est, quàm harmonia quædã, & cõcinnitas dictorum, ac factorũ. Præterea inter rationales scientias, Musice optima est, & summa sapientiæ pars. quæ seipsam vnà, & omnes philosophiæ partes, atq; ornamẽta & sibiipsi, & aliis mutuo per se adcõmodat, & coaptat: symphoniaq; & cõcentus quidã cęteris omnibus est, & proportio. Qui igitur hanc musicen cõfessus fuerit fuisse in Dauid, vniuersas ei etiam, rerũ omnium scientias breui adscribet. obseruãdum verò est, qua ratione beatus Dauid, organo quidem manus, & faciẽdi virtutem simpliciter adscripsit: psalterio verò digitos, cõcinnitatemq; atque harmoniam. Quia scilicet organũ simplicius instrumentum est, ac magis vulgare: Psalterium verò, & ad sublimiorem scientiam pertinet, & arte indiget diligentiori. Iuxta anagogem, Manus accipiũtur, pro virtute factiua, quę vitam ac conuersationem nostram, quasi organum, sibiipsi consonã, ac bene dispositã reddat. digiti verò, considerationes ac contẽplationes sublimiores intelligẽdæ sunt: quæ intellectuale rationis iudiciũ, quasi psalterium quoddam cõcinnant: ita vt supernè inspiretur pulseturq;, & ab alio maiori moueatur. item alibi in psalmis ait: incerta & occulta sapiẽtiæ tuę manifestasti mihi. O admirandũ dei opus. neq; enim solam visibilium cognitionẽ, sed etiam arcanorum dei scientiã edoctus est: q̃ scilicet vnitas sit, & trinitas, & quęcunque alia ad dei incarnationẽ pertinent. & rursus alio in loco dixit: super omnes docuisti me mandatũ tuũ: de eo loquẽs mãdato quod ad actiones pertinet, in quo virtutis genere pariter primatũ obtinuit. De fortitudine verò idem ipse narrat dicẽs: exiui obuiã Philistęo, & maledixit mihi in idolis suis, ego autem exerto eius gladio, decollaui eum, & abstuli opprobriũ à filiis Israel. Tu modo considera hic, non fortitudinem tantũ, sed & multo magis animi moderationẽ. quippe cum

cùm multa & magna tunc, recensere posset, inimicorum scilicet copias, audaciam, arma, bellicas artes, & studia: ipsius etiam gigantis, aut potius elephantis illius arrogantiam, peritiam, vires, magnitudinem: Iudæorũ præterea timorẽ, sollicitudinem, ipsiusq; Saul regis anxietatem: & quomodo ob vnicũ etiam Philistæum omnes erãt perterriti: dux, milites, iuuenes, senes: quomodo ipse Dauid adolescens erat & pusillus, inermis, belli ignarus: & tamen ausus sit aduersus Barbarum illum decertare: vnde interfecta tanta illa ac tali fera, facilem regi victoriam præstitit: quippe qui illius capite à reliquo corpore auulso, atque hoc ipsiusmet gigantis gladio timorem omnem dissoluit: cædes anteà fieri solitas repressit: exercitum, ducẽ, patriam, maiorum sepulchra, leges patrias, templa, parentes ipsos, & omnem deniq; ætatẽ seruauit: ipse tamen in his, nihil gloriatus est, sed singulare certamen, quod sibi fuit cum ipso Goliath, tantum modestissime narrauit. Veruntamen hic noster tantus, ac talis Dauid, ne omnia per singula persequar, negligitur à patre (qui initio exteriora tantum spectabat) & ad greges mittitur, & ad armenta: quinimmo horum etiam fœtas oues sequebatur. & pater quidẽ in terra eum abiiciebat, Deus verò desuper adoptabat, eumq; veluti regium puerum, regali, hoc est pastorali scientiæ primum vacare, inter irrationalia pręparauit: vigilare scilicet, certare pro grege, periculis se opponere, contendere aduersus feras, latrones, fures, famẽ, & frigora: præire etiam & aduocare ad pascua, ad vmbras, ad fontes, ad flumina: reuocare item, & in vnum adducere, virga, voce, cantu, & fistula, delectare etiam, ac perterrere: viuendi normam præbere, & mederi. quorum omnium is est finis, vt non pinguem modo, sed vt moderatissimum etiam, & castigatissimũ gregem ostenderet. Sed quid pluribus opus est? venit paulo post vnctor: vngendus perquiritur. procedit copiosus ille, pulcher, & clarus filiorum chorus: imponitur cornu, superponitur deus: & quẽadmodũ antea pater, ipsum Dauid, sic & deus omnes alios reprobauit. Cogitur pater qui neglexerat, neglectum adducere: adducitur itaque, & vngitur ad vtrunq;: ad regnum nimirum, & ad prophetiam, cornu siquidẽ, & spiritu. Figura erant hęc saluatoris nostri Iesu Christi: qui in regẽ vngendus erat, & in deum. Quid igitur

post

post hæc?bellum adest à Philistæis,bellum inquam grande: quinimmo immẽsum,& insuperabile. omnia tã regis,quàm vniuersæ gentis negocia in summo erant discrimine: ipse autem liberator aduenit propheta,miles pariter & Rex. Negligitur rursus atque abiicitur: & rursus ipse, patientia sua fratres, responso Saul, fortitudine Goliath, & omnes insuper,qui tunc temporis,& antea,ac postmodum fuerunt,immensa hac Gigantea pugna superauit: vnusque pro omnibus,contra omnes,supra omnes,seruauit omnes. Sed quid deinceps? Simul regnat,simul exercitum ducit,simul dirigit atque administrat? immo verò quæ reliqua sunt, ipse vnus moderatur: & exteros quidẽ inimicos, armis,suos vero, hoc est ipsius Saul malignos spiritus,melodia simul,ac spiritu,superat. Coronatur itaq; & laudatur ab omnibus,& supra omnes,in cantúmque ipsis etiam effectus est mulieribus: Percussit Saul mille,& Dauid decẽ millia. inuidetur rursus,persecutionem patitur,fugit,occultatur,circundatur,& ipse circundantem circundat,nec tamen occasionẽ arripit,nec belli solutionem attendit,non vlciscitur inimicum: quinimmo illum adiuuat fugiens,ac timens,non vt ipse male quippiam pateretur,sed potius,ne aduersus Saulem,aliquid eorum faceret,quæ sibi ab illo intẽtabantur. adeò enim contraria hęc vna temperauit,mansuetudinem scilicet,& fortitudinem,vt fortitudo in eo, maior quàm in cæteris: & mansuetudo ipsa etiam fortitudine maior conspiceretur. Quid tum? regnat: prophetias prædicit: fatetur,atque adtestatur deum, & testimonium illi perhibetur à Deo,promittiturq; ei,quòd æternam sedem habiturus sit,& hæreditate totum orbem consecuturus: ipsasque stellas,multitudine,ac pulchritudine filiorum,superaturus. Deinde (ô calamitatem, ô celerem mutationem) qui antea electus erat, repẽte efficitur adulter: qui propheta,amens: qui deo adflatus erat, insanus: qui verax, dolosus: qui pastor,latro: qui seruator,homicida. hinc consilij mutatio,& tam grandes ausus: illinc musices cessatio,& contractio spiritus: hinc & vitæ immutatio, & plurimorum malorũ mare: hinc qui numine erat instinctus,nõ modo priuatur inspiratiõe illa superna: sed & qui pater erat, orbatur liberis Et filiorum, alij quidem scelesti, & sororum corruptores: alij his etiam sceleſtiores, fratricidæ scilicet ac patricidæ

cidæ fiunt: & qui rex erat,errabundus fit: qui pugnator optimus,fugitiuus: qui pastor,montiuagus. omnis denique prę-clara illa domus,ac sedes,in terram collabitur. Hinc etiam, & fames,& tabefactio,& grauis peccatorũ pœnitentia: hinc triplex illud,& perpetuum sacrificium, oculorum videlicet nocturni fluxus ac latices: cordis contritio, & gemitus: linguæque assiduæ preces, & constans confessio. illa quidem vulnera, ista autem medicamina,adustiones,incisiones. Sed me interea hæc narrantem, penè quod inceperam, fugit,orationis propositũ,dum pluribus, quæ sese offerunt,semper detineor. Adstat rursus post peccatũ propheta prophetę,veluti medicus medico,ægrotanti, ac dubitanti: & quẽadmodum antea, vnctor adstiterat, ita & nunc non modo dignitatem,sed spiritum etiam ablaturus, si in aliquo deliquisset, quod ad propriam sanationem pertineret: si vulnus celasset, si reprehendi neglexisset. Adstabat pariter, vindictæ huius minister,sicut antea custos,& adiutor validus, ita & nũc vindex terribilis Angelus, exerto gladio, & ictum inferre paratissimus, nisi ille contra se, suffragium tulisset, ac propria sententia diuinam soluisset sententiam. Et hinc quidem aderant: ille iudicij & causæ conflctor Natham, & vindex Angelus: illinc autem ipse iudex Dauid, personarum non acceptor: & qui aduersus se tulit sententiam,qua iaculum citius euulsit, quàm susceptisset: & Deus pariter, qui cicatricem vulneri non tantum induxit,sed ipsum etiam vulnus, prorsus deleuit. neque enim tantummodo pepercit: sed & abstulit peccatum. Rursus itaque diuina gratia, & rursus spiritus: rursus soni, ac cantus: rursus supra omnes potestas: rursus promissa & pacta,tam de eius adoptione,quàm quòd de eius etiam stirpe nasci deberet Deus. Hic igitur qui multa passus est, & plura etiam, propria virtute administrauit, atque in varias incidit status sui mutationes, omnem de se historiam, omnes vitæ suæ varietates, in hoc conscripsit volumine.

Et primum quidem propositum, & primus operis scopus est,de propriis ęrumnis,ac laboribus tractare: deinde de antiquitatibus nõ Iudaicis modò,sed vetustioribus. in multis enim psalmis edisserit generationẽ,& gesta Patriarcharum, peregrinationes,migrationes,descẽsum in Aegyptũ,seruitutem,exitum

tem, exitum ex Aegypto, legem datam, tabernaculum, sacerdotium, Numeros, Deuteronomium, Iesum Naue, distributionē promissæ terræ, Iudices, Reges, & siquid aliud est his consequens. Tertio naturalium rerum rationem tradit: de cœlo, & cœlestibus: de terra, & terrestribus: de animalibus, de elementis: & generaliter de vniuerso dei opificio. Quarto prophetia de crucis dispensatione, in hoc opere, cæteris omnibus se manifestiorem ostendit: & quæcunque ad partū virginis, ad incarnationem, ad Magorum dona, ad fugam in Aegyptum, & illinc regressum, ad Christi doctrinam, ad miracula, & ad Synagogam pertinent: inuidiæ item & proditiones, insidiæ, captura, flagella, illusiones, Crux, manuum ac pedum cōfossiones, diuisio, & sortitio indumētorū, amara potio, expiratio, sepultura, resurrectio, ascensio, sedes à dextris patris: & supra omnia, victoria & regnum, quod in cœlo, atq; in terra, sibi Christus parauit, clarissimè hîc cōspiciuntur. Quinto prophetia earum rerum, quæ post prædicta omnia contigerunt: gentium videlicet aduocatio, discipulorū Christi gloria, miracula, prędicatio, orbis terręsubiectio, Ecclesiæ stabilitas, atque incremētum, Romanorum victoria, Iudæorum captiuitas, & quæcunque etiam ad secundum, & horrendum Christi aduentum, ad resurrectionē, ad iudicium, & ad vniuscuiusque retributionem pertinent. Sexto Theologia, de patre & filio & spiritu sancto. Septimo quęcunq; traduntur, de intellectualibus creaturis, de Angelis, Dæmonibus, de intellectu & anima, & de animæ motibus, & potentiis. Octauo, quæ ad morum disciplinam & ad institutionem pertinent. Nono de cogitationibus, de Dæmonum insidiis, & circuitionibus: de sanatione, & cura passionum: de pugna & certamine aduersus huiusmodi passiones. Decimo mandatorum ratio adeò hic diligenter traditur, vt parum, aut nihil, ab Euangelicis præceptis abesse, videatur. Hęc igitur sunt argumenta psalmorū, redacta in decem capita: quanquam & alia sint magis priuata, quæ in eis habeantur. sunt nanq; & psalmi qui laudem & gloriam dei canunt: qui gratias agunt, qui orationes fundunt & vota. sunt & consolatorij & exhortatorij. Ad hæc omnia, sunt & qui viam ad virtutem tradunt: quiq; non tantum admonēt, hoc facere, aut illud euitare, sed & modum docent, & tēpus.

In summa

In summa hic liber, cōmune est quoddam medicinæ promptuarium, & passionū omnium certissimū remedium: illiusq; verba (quod etiā valde admirandum est, & huius operis proprium) omnibus cōgruunt atq; aptātur hominibus. Nulla est igitur inter homines actio, nulla ratio, nulla cogitatio, cuius medicinā, hic inuenire non possis. cumulus enim & acer uus quidam rerū est, omni plenus vitæ conuersatione: omni contēplatione: ac veluti penu quoddam doctrinæ publicū, vnicuiq; apta & conueniētia distribuit. nam & antiqua purgat vulnera, & nuper illatis celerem liberationē prēstat. Insuper quod integrum est, sanum, syncerúmq; conseruat: multitudinem verò ipsam prorsus allicit, ac suadet suaui quadā cum delectatione, & honesta voluptate: adeò vt per blandā, & lenem illam vocem, vtilitatem & commodum latenter etiam reportemus, iuxta prudentum medicorum præcepta: qui in austerioribus pharmacis, poculū inungi iubent melle: ita & nos apparēter quidem, dulce ac suaue melos canimus: re ipsa verò animas erudimus, & diuinorum eloquiorū memoriam indelebilem conseruamus.

Psalmus, sermo & conuersatio est cum deo: Angelorum allectio: alacer animæ ordo, ac status: diurni laboris quies, nocturni timoris propulsatio: iuuenum, & nuper introductorum regula: proficientium adiumentum: perfectorum solidatio: clypeus insuperabilis: ornamentum decentissimum, regibus, priuatis, principibus, populis, militib. & belli ignaris, sapientibus & rudibus, monachis & ciuibus, sacerdotibus & plebibus, habitatoribus continentis atque insulanis, agricolis, nautis, artificibus & artium ignaris, viris, mulieribus, senibus, adulescentibus: omni denique naturæ, ætati, fortunæ, proposito, & cōmuniter, & priuatim & semper, tā domi, quàm in foro, in ecclesiis, in agris, in solitudinibus, in itineribus, & omnibus in locis: & est denique sicuti aëris spiratio, aut lucis effusio, aut vsus ignis, aut quodcunque aliud eorum, quæ valde communia sunt, & vtilia. Quódque admiratione maxime dignum est, psalmorum cantus, nō interrumpit neque distrahit ab operibus: quimmo operantibus, ipsa suauitate, ac melodia, austeritatem lenit laborum. quorū omnium vnus est finis, vt scilicet huiusmodi discipulus, bonus, sapiēs, efficiatur & deus. Abundè igitur diximus

quænam

quænam & quot sint huius operis intentiones, & quanta ex his commoda consequamur, & quis finis. Restat nunc vt disseramus, an proprius sit hic liber beati Dauid, & ab eo solo confectus, an etiam ab aliis: quam appellationem habeat, quid sit Psalterium, quid Psaltus: quid Psalmus, quid Psalmodus, quid Diapsalma, quid Canticū, quid Hymnus, quid Laus, quid Confessio, quid Oratio, quid Votum, quid Canticum Psalmi, quid Psalmus cantici, quot sint Psalmi & quare tot sint: & à quo nam fuerint collecti: quot cantores, seu canendi principes: quot chori, & ex quibus, & quare tot sint chori: & ex tot, quæ nam sit differentia Psalterij ad alia musica instrumenta: quis psalmorum ordo: quæ nam sit in multis psalmis obscuritatis ratio: quot translationes sint de Hebraïca lingua, in Græcam: & à quibus fuerint factæ: quare sit inuentus cantus: quare cùm diuinus spiritus vnus sit, aliquādo singulari effertur sermone, & aliquādo plurali. & primò quidem de priori capite tractabimus.

Aiunt quidam psalmos non solius esse Dauid, sed quosdam Idithum: alios filiorum Core: alios item Asaph, Etham & Emam, Israëlitæ: vnum Moysi, & alios Salomonis. quod manifestum esse asserunt ex inscriptionibus. eosque post captiuitatem dicunt ab Esdra fuisse in vnum collectos. multi etiam psalmi pro inscriptione habent tantum Alleluia: & alij inscriptionem sine authore: alij etiam omni prorsus carent inscriptione. quam ob causam, totum hoc opus, non psalmos Dauid, sed indefinite librum psalmorum appellari aiunt: vt in actibus Apostolorum legimus: atque indicari, quòd totus psalmorū liber soli Dauid adscribendus non sit. nam quòd Psalterium appellamus hanc psalmorum collectionem, improprie id dicimus: quia psalterium proprie organi quoddam genus est: quod apud Hebræos dicitur Naula, à psallendo sic dictū: quemadmodum oratorium ab orando: sed huiusmodi appellatio, ad psalmorum librum post modum translata est. qui tamē vel ea etiam ratione denominationem hanc sortitus est, quia psalmos continet. Alij verò (quibus ego consentio) asserunt psalmos omnes, à Dauid fuisse compositos: & quemadmodum octogesimumoctauū psalmum, qui Moysi inscribitur, dicunt Moysi non esse: quia si eius esset, ob illius antiquitatem, primus in ordine legeretur:

retur: aut saltem haberetur inter libros Moysi, sicuti habentur eius cantica: quorum vnum in Exodo, alterum in canticis, tertium in Deuteronomio reperitur: ita etiā existimandum esse asserunt, de aliis psalmis, qui aliorum inscriptiones præ se ferre vidētur: quòd scilicet ab alio cōpositi non sint, quàm à beato Dauid. eadem etiam dicunt de duobus psalmis, qui Salomonis inscriptionem habēt: quòd scilicet si essent Salomonis, aut extremo in ordine collocari debuerant, aut in libris Regum, aut Paralipomenon interseri: aut saltem alicubi de eis memoria haberi, eo modo quo cæterorum omnium eius operum ratio habita est. Erant enim, inquit, illi, cantica quinquies mille, parabolæ ter mille: psalmorum verò eius, scriptura non meminit. Cæterum inscriptiones, Idithum, filiorum Core, Asaph, Emam, & Etham, hoc tantum volunt significare: quòd his viris, quos beatus Dauid elegerat ex tribu Leui, in duces, ac principes chororum: quosque instituerat, vt variis organis Deum laudarēt: & quorum organorum genera, apertè postremus omniū psalmus cōnumerat: quod his inquam viris vnusquisq; psalmorum, iuxta nominum inscriptionem, priuatim ad psallendum sit traditus: cum alij psalmi ab vniuersis cantoribus, atque in commune canerentur. illi igitur psalmi, qui priuatim ab aliquo eorum decantati sunt, cantoris sui inscriptionem retulerunt. quod etiam manifestius fit, ex his quæ in libro Paralipomenon legimus. Cecinit, inquit, canticum hoc in manu Asaph. quin etiam ab inscriptione psalmi XXXVIII. quæ huiusmodi est. In finem Idithum canticum ipsi Dauid. Compositum quippe fuit id canticum à beato Dauid, & ab eo traditum Idithum, vt illud caneret. Psalmus etiam XLIII. sic inscribitur. In finem filiis Core, psalmus ipsi Dauid. Præterea psalmi omnes, qui aliorū inscriptiones habēt, non per genitiuum casum, sed per datiuum inscribuntur: quæ res abundè indicat, psalmos quidem à beato Dauid fuisse cōscriptos; sed illis cantoribus, priuatim traditos ad canendū. Quòd si quis contrà, illud dicat: plures etiam esse psalmos, qui in inscriptione habent nomen Dauid, in tertio casu: vi-

delicet Psalmus ipsi Dauid: replicabimus multos esse etiã qui per secundum casum inscripti sunt: videlicet Psalmus ipsius Dauid: quod tamen in aliis nominibus non reperitur, vt sciamus quòd ab ipso quidem Dauid conscripti sunt, non ei dati aut oblati. hoc enim differentiam introduxit. Ille autẽ Psalmus qui Moysi inscribitur, huiusmodi habet inscriptionem. oratio ipsi Moysi homini Dei. quæ inscriptio docere videtur, quòd ille Psalmus, iis congruat, qui per diuinam aquam, hoc est per salutare lauacrum baptismatis, homines Dei effecti sunt. Moyses quippe interpretatur, assumptus ex aqua. ex aqua verò assumuntur omnes qui baptizantur. vnde etiam Dei homines merito cognominantur. Eos verò Psalmos, qui Salomonis dicuntur, in Christum fuisse compositos reputamus. Salomon nãque interpretatur pacificus. verùm quis nam alius, tam fuit pacificus, quàm Christus, qui natura ipsa pacem habet? pacem enim inquit, meam do vobis, pacem meã relinquo vobis. De Psalmis qui sine inscriptione sunt, illud imprimis sciendũ est, quòd multa Hebræorum exemplaria, coniunctum habent secũdum Psalmum cum primo: cum apud eos non sit numerus in Psalmis. secundus autem sine cõtradictione, conscriptus fuit à beato Dauid. cuius rei testes habemus apostolos, in Actibus dicentes ad Deum. Tu qui per os Dauid pueri tui, dixisti. Quare insurrexerunt gentes &c. Vnde etiam demonstratur, primum Psalmũ pari modo ipsius esse Dauid. Quòd si primum & secundum Psalmum, qui carent inscriptione dicimus esse Dauid, consequenter alij omnes, qui sine inscriptione sunt, eiusdem erunt: sicuti inter cæteros esse scimus Psalmum nonagesimumquartum: vt attestatur apostolus in epistola sua ad Hebræos, dicens. Iterum quandam determinat diem hodie, in Dauid, dicens post tantum tempus: hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Psalmi quoque qui sunt sine nomine eidem adscribendi sunt, vt docet beatus Stephanus protomartyr, in actibus dicens ad Iudæos: vsque ad dies Dauid, qui inuenit gratiam coram Deo, & petiit, vt inueniret tabernaculum Deo Iacob. quod dictum manifestè

stè sumptum est, ex Psalmo CXXXI. qui authoris caret nomine. Simili modo etiam Psalmi, qui loco inscriptionis habent Alleluia, ipsius Dauid reputandi sunt. siquidem eorum primus qui est CIIII. manifestè ab eo fuit compositus, vt legimus in libro Paralipomenõ. ratio autem quare psalmorum aliqui carent inscriptione, videtur ea esse: quia non in vnius tantum gentis nomine, vnusquisque eorum dictus est. quòd verò sint sine nomine, ea videtur esse ratio: quia in ipsum dominũ dicti sunt. quòd habent Alleluia, ratio est, quia gratiarum actiones, & laudes in Deum continent. verùm de his hæc dicta sufficiant: tempus est, vt de cæteris etiam tractemus. Psaltus quidem Deus est qui canitur. Psalmus verò poëma, & carmen quod de eo canimus: Psalmodus, poëta est qui hæc conficit carmina: & Psaltodus, chorus canentium Psalmos: Diapsalma, mutationem sententiæ, aut cantus significat: aut pausam, seu interiectionem quandam pulsationis, vel fulgorem, atque illuminationem diuini spiritus, quæ tunc canentibus apparebat. scribebantur enim omnia hæc ab eis diligenter. Psalmus proprie est illud carmen, quod simul cum Psalterij instrumento suaui voce profertur. Ode seu Canticum, vox quædam est musica cum harmonia, solo ore prolata. quanquam improprie ipsum etiam canticum sæpenumero Psalmus dicatur. est autem Canticũ Psalmo antiquius. Moyses quippe Cantici author fuit, illiúsque vsus vsque ad beati Dauid tempora perseuerauit: qui primus omnium cœpit Psalmos conscribere. nam & si antea Psalterij instrumẽto vterẽtur, illius vsus, & sine arte vlla erat, & admodũ vulgaris. ad solos enim greges mulcendos pulsabatur. Dauid igitur huiusmodi instrumentum sapientius coaptauit, & illius vsum ad Deum transtulit. Hymnus verò est diuinæ gloriæ, extensior atque amplior quædam laus. nam cum laudis nomeñ simpliciter dicimus, vulgariores ac breuiores laudes significamus. Confessio etiam amplum quoddam testimonium est, & fides, qua aut bona quæ recepimus fatemur, aut mala quæ commisimus. Porrò oratio preces significat, & vorum promissionem,

omniáque ad Deũ pertinent. Quid itaque ſit Pſalmus, & quid Canticum, abundè diximus. Canticum autẽ pſalmi tunc eſt, quando muſice per organicũ inſtrumentũ prius diſponitur, & deinde conſequitur vox ore emiſſa, quæ ſecundum occupat locum. Pſalmus verò cantici tunc dicitur, quando eius quod nunc diximus cõtrarium fit. Iuxta Anagogem, ac moralem ſenſum, pſalmum tunc canimus, quãdo corpus noſtrũ quaſi Pſalterij inſtrumentum intendimus, & per bona opera quodãmodo ipſum palpantes, bonas ac concinnas actiones perficimus, quanquã ad altiores cõtemplationes nondum aſcenderimus. Oden verò aut canticum canere tunc dici poſſumus, quando abſq; vllis operationibus veritatis tãtũ myſteria cõtemplamur, effecti iam in ea re admodum exercitati: & cãticũ pſalmi quando præcedentibus bonis actionibus, in contemplationem deuenimus: iuxta quod dicitur, cõcupiſti ſapientiam: ſerua mandata, & dominus tibi eã miniſtrabit. Pſalmũ etiã cãtici tunc verè canimus, quãdo cõtemplatione, occulta quædã quæ ad mores pertinent, nobis reuelante, nos in eorũ operationẽ procedimus. Hac ratione fortaſſis Pſalmi primo loco, & deinde cantica collocata ſunt: cũ deceat vt per actiones ad cõtemplationẽ accedamus. multa enim Cantica habentur circa finem libri: verùm vbi gradus eſt, ſeu aſcenſus, illic nuſquam eſt Pſalmus, neque etiam coniunctus cum cantico. ſancti enim viri in aſcenſionibus contemplationi tantum intenti ſunt.

Sunt qui Eſdram, & alij qui Ezechiã dicant, pſalmos in vnum collegiſſe, qui centenario & quinquagenario numero continentur. In quo numero & quinquagenarius numerus Pentecoſtes dictus, atq; ab Hebræis veneratus, cernitur per hebdomadas hebdomadarũ perfectus. i. ſeptenario multiplicatus. & trinitatis pariter contemplari poteſt myſteriũ, addita videlicet vnitate propter vnã quę eſt in tribus perſonis vnitatem. Cantorum quatuor erant principes quatuor choris præfecti, ob totidem mũdi Climata, ad quæ Pſalmorum voces peruenturæ erant, vnuſquiſque autem chorus, ex duobus & ſeptuaginta cãtoribus conſtabat: vt quidam retulerunt ſe apud Hebræos

bræos legiſſe, iuxta proportionem ac numerum linguarum quæ in Babylonicæ turris ædificatione, confuſæ ſeu potius diuiſæ fuerũt. futurum enim erat, vt omnis lingua huiuſmodi pſalmos decantaret. Et alij quidem cantorum tuba, tympano, organo, cymbalis, lyra, aut cithara, dulce ac ſuauiter canebant: Dauid verò regium Pſalterij inſtrumentum tenebat. tubæ, ſyringæ, ac fiſtulæ inflantur: lyra & cythara intenduntur: cymbala & tympana pulſantur, & alia quæcunque ſonum potius habent quãm vocem: Pſalterium verò (quod etiam alicubi Cynniram & citharam & lyram appellant) ad id genus inſtrumentorum pertinet, quæ intenduntur. Eſt tamen inſtrumentum hoc rectum, & ſupernè cauſas habet vnde emittat voces: ea nimirum ratione, vt addiſcamus & nos, recti conſiſtere, ſupernáque ac cœleſtia meditari: atque vt hoc pacto efficiamur ſpirituale Pſalterium, conſentiente intra nos in vnum, anima & corpore: ipſoque ſancto ſpiritu, veluti peritiſſimo quodam artifice, pulſante nos, ac percutiente. decem verò claui in ipſius Pſalterij brachio circumuoluti intendebant chordas, eáſque remittebant ad ipſius modulantis arbitrium, ac concentum. Et dextera quidem manus plectrum tenebat, ſiniſtra verò deſuper contrectans & circunferens clauos, grauem, aut acutam, ſeu etiam mixtam vocem reddebat. decem præterea chordas, vocibus ſibi inuicem contrariis habebat. ex quo docemur, oportere nos, ex decem ſibi mutuò aduerſantibus chordis, ex quinque nimirum animæ potentiis, & ex quinque corporis ſenſibus, harmoniacum & concinnũ cantum in hac vita Deo præludere.

Pſalmorum ordo ille amplius non eſt, qui à principio fuit, quando fuere conſcripti: nec tamen caſu, aut fortuito huiuſmodi ordo datus eſt: ſed potius ex diſpenſatione diuina: quæ conſequentiæ temporum nullam habuit rationem. nam quemadmodum in artibus, tam factiuis, quàm rationalibus, alia eſt inſtrumentorum & canonum inuentio & ordo, atque alius etiam eorum vſus, iuxta ipſa tempora nimirum aut varias rerum rationes, (alius enim fortaſſis medicus primum incidit, alius pharmacum

præstat, & vngit: alius, similiter hic primum perterret, ille consolatur: quippe cum artifici ordo curæ non sit, sed illud primũ ab eo iudicetur, quod vi ac virtute sua, nouit esse præcipuum, & vulneri cui applicatur conferre: quam rem, ordinẽ absque ordine solemus appellare) sic & summo huic nostro artifici sancto scilicet spiritui, curæ fuit, non quod ad historiam, sed quod ad legentium vtilitatem pertineret: atque vt hæc animæ nostræ imago (vt ita dicam) aut statua, ad mores sculperetur, ad pulchritudinem expoliretur, ac tandem formaretur in Deum: ob hãc causam propheta, in primo quidem psalmo ab impietate primum nos separat, & à peccatis: in secundo autem subdemonstrat, cuius hæreditas simus, cuique adhærere, & adiungi nos oporteat: in tertio prædicit insidias, & congressus inimici, aduersus eos qui Deo coniuncti sunt: deinde sanationes, & curas passionũ, quæ in nobis insunt & calamitatũ subiicit. est & alia præterea huius ordinis ratio. Iudæis enim Deum olim negligentibus, omnes patrij mores, prorsus penè obliuioni dati sunt. vnde quamplurimi sacræ scripturæ libri, eorum ignauia perierunt. Cũque Esdras seu Ezechias, quisquis eorum fuerit, vtilitatis publicæ certe studiosus, huiusmodi psalmos, non tamen vna omnes, sed singulares ac dispersos reperisset, collectos posteà, & in vnum compositos, eo ordine quo reperti sunt, ita in publicum edidit, habita temporis ratione, non quo confecti sunt, sed quo inuenti. Illud etiam dici potest quòd Psalmi, non iuxta tempora, sed iuxta dies, quibus primum compositi sunt, ita posteà in vnum ordinati fuere. Quod dicimus, manifestius fiet ex his quę subiiciam. Christi conceptio, tempore primum fuit: postmodum natiuitas: deinde impositio nominis, & circuncisio: post hæc adductio in tẽplũ & hypantesis, hoc est obuiatio quá latini purificationẽ virginis appellant. demum post triginta annos, baptismus & manifestatio domini: deinde doctrina, miracula, passiones: & postremo resurrectio. verũm apud nos festiuitates istæ, alio ordine, atque alio interuallo celebrãtur. Primo enim cõceptionem ac deinde statim resurrectionẽ celebramus. Vides quãta sit tẽporis festiuita-

festiuitatum distantia, & dierũ coniunctio. rursus Assumptio, transfiguratio, natiuitas: & deinde postrema omniũ apparitio ac manifestatio celebratur. vides quanta sit rerum diuersitas. ordo quippe dierum in mensibus seruatus est, rerum autem valde disiunctus: & factus est ordo quidam, quasi sine ordine.

Sed tempus est vt iam deinceps doceamus, quænam sit obscuritatis ratio, quę in multis psalmis reperitur: & quot translationes sint, ex Hebraica lingua in Græcã: & à quibus factæ. Quòd igitur tam multa in veteri scriptura obscura inueniantur, in causa sunt figuræ, quæcunque Christum, illiúsque actiones, & nouam gratiam præsignabant. Omnia quippe hæc quæ ad gentium vocationem pertinere videbantur, prophetæ de industria obscure admodum pertractarunt: ne si inuidentissima illa Iudæorum gens, futuram primogeniti Israëlis ruinam, & gentium adoptionem cognouisset, sacros libros vbi hæc prædicta sunt, omnes igni tradere atque eorum memoriam obliterare studeret. neque enim aliquando sustinuissent tanta aduersus se ferri testimonia. vnde non mediocre damnũ posteris illatum fuisset. quod Dei consilium quodam in loco vnus prophetarũ nobis indicauit, dicens ex persona Dei ad Iudæorum gentẽ. neque credidisti, neq; à principio aperui tibi aures. nouerã enim quòd inobediẽs non pareres. Præterea obscuritatis alia etiam est ratio, Idioma scilicet Hebraicæ linguæ diuersum à Græca. variis enim ac multiplicibus loquendi modis prophetæ sępenumero vsi sunt, (quãquam non sic semper) adumbrate etiam multa dixere, ob incredulitatẽ, & duritiem auditorum: quæ tamẽ paucioribus, ac sanctis viris reuelata sunt, quæque à solo rerum exitu ac fine rectè iudicantur. Postremo etiã illa addatur ratio, quòd de prima ac propria Hebraica lingua in aliam, antiqua omnia legimus translata. omnis autem lingua, in aliam cõuersa, vt plurimum, difficultatem atque obscuritatem generat.

Translatio ista facta est, tẽpore quo Ptolemæus Philadelphus, regnum Aegypti administrabat. septem enim fuere translationes veteris testamenti. Prima à LXX. vi-

ris facta qui Hebræi erant & electi fuerunt, iuxta numerum septuaginta seniorum quos elegit Moyses. Hi igitur, commemorati regis hortatu, ad hanc prouinciam designati, in vnam per omnia interpretationẽ conuenere. Secunda Aquilæ Synopensis. Hic Græcus fuit, atque è Ponto, & Hierosolymis baptizatus: deinde cùm offensus inimicúsque effectus esset quibusdam Christianis, spreto baptismate, Iudæis se adiunxit, & scripturam transtulit sub Hadriano Imperatore eo qui lepram passus est. CCC. & XXX. annis post translationem LXX. Hic itaque iratus Christianis, multa peruertit. Tertiam fecit Symmachus, patria Samaritanus: qui cum apud suos, quantum honoris optabat non assequeretur, Iudæos adiit, & rursum circũcisus, in Samaritanorũ offensam, sacram interpretatus est scripturam, sub Seuero Imperatore. Qui etiam vt Iudæis placeret, quæcunque ad Christum pertinebant, non sanè transtulit: annis sex & quinquaginta post editionem Aquilæ. Quarta fuit Theodotionis Ephesij: qui cum ex Marcionis hæresi esset: aliquãdo offensus suis cohæreticis, propriam interpretationem edidit, sub imperatore Commodo. Quinta certum non habet authorem, inuenta est autem in Hiericho, dolio operta, sub Caracalla imperatore. Sexta sine authoris nomine reperta est Nicopoli, apud Actium, sub Alexandro Mamea imperatore. Septima prodiit à Luciano magno eremita & martyre: qui omnibus his editionibus visis, & cum Hebraica veritate diligentissime, & magno cum labore collatis, propriam editionẽ nihil mancum, & nihil habẽtem superfluum Christianis tradidit: quæ apud Nicomediam, manu eius cõscripta, reperta est, in turre quadam apud Iudæos calce illita, post ipsius Luciani certamen, & post persecutionem quæ à Diocletiano & Maximino facta est, sub magno Imperatore Constantino. hæc cum LXX. Interpretum editione consentit, & quæ ab aliis deprauata fuerãt, reprobauit. Illud autẽ omnibus manifestum est, quod quẽadmodũ greges fistula, sic etiam multi hominum aguntur, & mulcentur carminibus. inter homines autẽ multomagis fœmina quàm vir: nec minus etiam

etiam is qui immaturæ est ætatis, quàm qui senio confectus: aut qui ferocior est, quàm qui mitior: aut docto indoctior, & in ipso quidem homine, alia est rationalis: animæ pars, & alia irrationalis ac ferina: quas omnes tamen, voluptas vincit, ac superat. hac igitur de causa psalmorum cantus introductus est, per quem vtilitas, quę ab ipsis psalmis prouenit, humanis animis veluti per fibulam quandam adnectitur & coniungitur: ipso scilicet cantu, quasi melle quodam, alterante, ac moderante, spiritualis medicinæ austeritatem, & vtilia dulcibus condiente. nam quod gratum est, id iucundius recipitur, & constantius retinetur. Hæc est igitur prima cantus ratio. Secunda verò illa est, quia inani, ac falsa voluptate Dæmon hominem perdiderat, cogitauit Deus per eãdem artificiosẽ dispositã, illum rursus saluare. Tertio cantus ad mutuam concordiam, & dilectionem inuentus est: vtpote qui possit, vt canentium voces, ita & eorum animos, in vnum cõponere. quid enim est quod ita inimicitias generet, vt cantus amicitiam & amorem conciliat? ille videlicet cantus, qui à singulis, atque ab omnibus, pro singulis, & pro omnibus, communiter offertur Deo. aut quisnam adeò est immitis, & ferox, qui illum possit inimicum ducere, quem sciat Deum pro se placasse? Multam præterea vim harmonia habet & cantus, vt possint & bonos mores parare, & labantes aut perditos dirigere, atq; in melius componere. Legimus etiã apud antiquos authores, varia fuisse cantuum genera, ita vt alij casti essent & temperati: alij amatorij: alij etiam bellici: sic & pacifici, & mœsti ac lugubres: alij denique robur, & alij hebetudinem præstantes. Aiunt enim Pythagorã, adulescentis immodice amantis, mutatis tibiæ modis, amorem simul mutasse: & alium gladio insilientem pari modo molliisse ac compescuisse: & Timotheum in cœna, atque inter voluptates, dum cantum quendam caneret, qui orthius dicebatur, animum ferunt Macedonis excitasse, atque effecisse, vt arrepta armatura protinus exiliret. adeò enim humana natura cantibus familiaris est, eísque delectatur, vt vagientes etiam infantes, his solis compescantur. canunt quippe illis nutri

ces

ces pueriles Nænias, quibus eorum oculi sopiuntur. Viatores prę terea, sæpius de media die fatigati, itineris laborem, cantu ac carmine consolantur. omnes etiam artifices operādo cātant: quasi operantis animus carmine mulceatur, & canendo facilius molestias omnes perferat ac labores. Sed quid opus est rationales homines percēsere, quando irrationalia ipsa, equi nimirum, tuba ad prælium parentur? & oues fistulam sequantur? ac tunc magis gaudeant, & pinguescant? & feris multis cantus & carmina, solatio sint? multis etiam ea satis sint pro plagis, aut laqueis? ipse siquidem Vnicornis pulchritudine ac cantu superatur.

Verùm ij qui diuina, doctius ac sublimius interpretati sunt, aiunt per cantum organicum concinnitatem animæ significari. animæ autem concinnitas est consonantia quædam, & concentus illarum partium, & potentiarum quæ intra animam sunt: de qua latius dicemus. Consonantia enim est harmonia rerum differentium quidem per seſe, sed in vnam postea consentientiū & conuenientium melodiam. hoc autem videre licebit, quando præcipuè consonantiarum rationes, interioribus animæ partibus congruerint: & aliud quidem in primo sit ordine, & tantummodo imperet, nunquam seruiat (rationalem partem dico) aliud autem (pars scilicet Irascibilis) medium locum habeat, & regatur à primo: ipsum autē posteriori imperet: quòd verò extremum teneat locum, pars sit Concupiscibilis, quæ tantum pareat, nunquam imperet. tunc siquidem animæ consonantia inueniri poterit: Rationalis dico partis ad Irascibilē: vt eius chordæ, quæ Hypatæ dicitur, ad Mesem. hanc enim supremam & grauissimam vocem appellant, quæ seruat consonantiam Diatessaron. similiter & Irascibilis ad Concupiscibilem: vt Mesæ chordæ, ad eā quæ dicitur Nete: hanc autē altissimā atque acutissimam vocem nominant, quæ est Diapente. eodem modo etiam Irascibilis ad Cōcupiscibilem, vt chordæ illius, quam Hypatem diximus ad Netem. hanc siquidem vocē, quæ de grauissima, acutissimaq; cōficitur, Diapason appellant. Quod si par est, non loca, aut nomina attendere, sed vim

vim potius ipsam sequi, & rerū efficaciā: Rationalis pars sanè potius Mese appellanda est: eo quod ad Irascibilem, quasi ad chordam Netem (hæc enim acutissima est & concitatissima animæ pars) eam rationē consonantiæ habeat, quæ est Diapente: & ad concupiscibilem, vt ad Hypatem (hęc enim laxior est & mollior) rationē eam seruat quæ est Diatessaron: intensionemque illius, & huius remissionem coaptat atque concinnat: qua mixtura, optimā harmoniam perficit.

His itaq; sic præmissis, restat vt dicamus, quomodo diuinus spiritus vnus cum sit, aliquando singulari numero, dicatur: vt illud, spiritus domini super me: propterea vnxit me. item spiritū sanctum tuum ne auferas à me: item & spiritu oris eius omnis virtus eorū: & aliquando plurali, spiritus inquit prophetarū prophetis subiecti sunt: itē requiescent super eum septē spiritus. manifestum est autem spiritum quidem vnum esse, quemadmodum & vnum artificem, instrumenta autem plura. Organa enim artificis fuerunt prophetæ. vnde & variæ sunt organorum voces ac soni. nec tantum in variis instrumētis varia hęc esse reperiuntur, sed in vno atque eodem multiplicia ac diuersa: artifice scilicet hęc laxante, illa intendente, alia immutante, alia etiam miscente ac temperante. Omnia verò & singula spiritus organa definiri nō possunt: cum nulla sit indiuiduorum cognitio: possunt tamen eorum diuersa genera & species secundum qualitatem & quantitatem definiri: atque ideo non plus quàm septem esse dicuntur. cæterum de prophetiæ modis dicamus. Alius enim præterita narrat: alius præsentia, & alius futura prædicit: & hic quidem aliquid dicēs, ille verò aliquid faciens: alius item manifestè, alius verò obscurè atque ænigmatice. horum etiam modorum, rursus alij sunt modi. hic per visionem, ille per auditum, alius per odoratum, alius per gustum, & per tactum alius: omnia tamen secundum intellectum. totidem enim sensus, intellectus habet, quot corpus: verùm omnes hi modi, visiones etiam appellātur: vel quia generalior sit visionis modus, vel quia dignior. Vidit quidem Ezechiel. & vidi, inquit, & ascendebant carnes,

& exten

& extendebatur cutis. verùm & alibi audiuit: cũ ait tu filĩ hominis, audi eum qui loquitur ad te. alibi etiã gustauit dicens: & cibauit me illo volumine, & dixit ad me: fili hominis. os tuum comedet, venter tuus implebitur hoc volumine, summam illam nimirum, efficacissimámque ac principem partem intellectus, quæ diuinos cibos primum gustat, os: secundam verò & capaciorem admodum, mẽtem dico, ventrẽ appellans: quam volumine implendam esse dixit: quasi ex minimis spiritus sancti seminibus, multis impleri deberet diuinis eloquiis. Videt etiam & audit Esaias: quis inquit accedet ad hunc populum? & dixi, ecce ego domine. nunc igitur audiuit. alibi verò vidit. & vidi inquit, donec positæ sunt sedes, & qui antiquus erat dierum, sedit. horum autem duorum prophetarum, vt vides, alter resurrectionem, & alter iudicium, sibi partiti sunt. multa alia sunt, auditus, visus, & gustus exempla. tactus exemplum habes apud Naum: qui iuxta translationem LXX. quod alij interpretes onus Niniue reddiderunt, assumptionem Niniue appellauit: assumptionem quandam diuinam, principalioris animæ partis intelligens, non secus ac si à sancto spiritu, manibus quibusdam contrectata fuisset & formata. Verùm vt breuiter sermonem expediamus, cum cæterorum prophetarum, alij per varia acti sint tempora, & modos: atque hi quidem pauci & rarò. quippe cum per duo tantum tempora, vel modos, ad summum tres, agi eis contigerit, solus hic noster, Dei & prophetarum etiam pater, omnia percurrit tempora, & modos: & nunc quidẽ præterita dicit, nunc præsentia, modò etiam futura: & modò videt. vidit inquit David dominum, aut ea quæ domini sunt: modo audit. Dixit enim inquit dominus ad Dauid: Nunc tangit. Lingua mea inquit calamus scribæ velociter scribẽtis: linguã inquam non hanc exteriorem intelligẽs: quippe cum loqui eam potius, quàm scribere par fuisset: sed interiorem intellectus linguam: quæ nouo, atque ineffabili quodam modo, ipsum spiritum tãgebat, palpabatque: eo nimirum modo, quo à scriptore tangitur, calamus: per quem, ea quę illi reuelata erant, eleganter scribebat: neque id tantum, sed &

sed & velociter id agebat. vnde & manifestationem prophetiæ indicat, & vehementem etiam, ac validam spiritus concitationem dum velocissimo scribæ eam cõparat. Alibi gustum sibi adesse attestatur dicens: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. ipsius etenim intellectus os ac fauces delectabantur, cum diuina oraculorum eloquia deglutiret, ac rursus reuocaret. maximam enim propheta, tum deglutiendo ea, tum reuocando percipiebat voluptatem. alio etiam in loco eructasse dicit cor suum verbum bonum: vim quandam intellectus profundissimam, & vt ita dicam, omnium capacissimam sic appellans, veluti quæ omnibus sancti spiritus cibis ad summum plena esset. Rarior in eo fuit odoratus figura: sed cæteris omnibus multò molestior. nam quod legimus: Myrrha & Stacte & Cassia à vestimentis tuis: id ab eo dictum est, cum aduersus putredinem & corruptionem cicatricũ suarum, bonum ac suauem Christi odorem præsensisset. hoc pacto per omnia intellectus sensoria, scientias ac virtutes omnes spirituales adeptus est. Conditionem autem, atque habitum Prophetæ, oratione, atque sermone suo clarum facit: cùm nihil differat apud eum, præsentia dicere, aut futura. sæpenumero enim ordinem immutat, & aliquid vt iam factum narrat quod futurum est: contra etiam aliquãdo futura pro iam factis: cuiusmodi illud est. Quare insurrexerunt gentes, & populi meditati sunt inania? astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum &c. pro eo quod est, insurgent, meditabuntur, astabunt, conuenient. item illud: in flumine pertransibunt pede: hoc est pertransierunt. est etenim hoc diuini spiritus peculiare, vt nihil præteritum ducat, aut futurũ: cum illi omnia præsentia sint.

His omnibus cõsideratis, accedamus ad particularem vniuscuiusque psalmi interpretationem, vno tantum necessario & generali dicto adhuc præmisso: quòd non omnia dicta, vno modo interpretabimur: videlicet secundum historiam, aut secundum prophetiam, aut secundum allegoriam, aut secundum moralem sensum: sed vnum, atque idem dictum, sæpenumero variis sensibus subiiciemus,

mus. nam quemadmodum in arboribus & seminibus, plura ac varia sunt germina & vires. siquidem in arbore, & radix est, & truncus: item rami, cortex, folia, & medulla: & in seminibus, herba, stipula, aristæ, squammulæ, & fructus pro vno innumerabiles: sic etiam & multò magis in his quæ sunt spiritus: nec accusabis authorem de inuentis, sed ignoscès potius in omissis. quis enim quod satis ac iustum est, digne dixerit?

In vniuersum illud etiam sit dictũ, quòd possumus nobis ipsis omnes psalmos accommodare: pro inimicis Christi, Dæmones Christianorum inimicos: pro Saule etiam & Absalone, aut siquis alius est huiusce modi tyrannus, Dæmonem pari modo, intelligentes: quos omnes in figura signatos esse intelligimus, per beati Dauid persecutorum, atque insidiatorum personas. quæ verò ipsi beato Dauid, & vncto & regi conueniunt, ea vnicuiq; nostrum accommodabimus. nam quemadmodum ille regio oleo in regem vnctus est, ita & nos oleo baptismatis ad regnum cœlorum. quæcunque autem rectè nobis congruere non possunt, ea simpliciter quasi sancti spiritus voces efferemus, huiusmodi verbis nosmetipsos sanctificantes qualia sunt quę in secundo sunt Psalmo, & in aliis similibus.

INCIPIT EXPOSITIO Euthymij monachi Zigaboni in Psalmos, de Græco in Latinum per R.D. Philippum Saulum Episcopum Brugnatensem conuersa.

PRimus Psalmus quemadmodum apud Hebræos sine inscriptione habetur, ita ab omnibus interpretibus est dimissus. Est autē, non moralis tantum, sed dogmatis etiam refertus. neque enim tantum admonet, ut diuinis insistamus eloquiis, sed impiorum, & aliorum delinquentium accusationem continet & supplicia.

PSALMVS. 1.

BEatus uir, qui non abiit in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stetit, & in cathedra pestilētiæ non sedit. Beatus propriè Deus est, vt inquit Paulus de eo dicens: quòd beatus est, & solus potens: & tamen appellationem hanc nobis indulsit, quemadmodum & illam dei. (Ego enim, inquit, dixi: Dij estis & filij excelsi omnes.) & multa alia huiusmodi nomina nobis largitus est: hoc autem beatitudinis nomē, fructus est illius perfectiōis, quæ virtute cōstat: & iuxta Græci nominis etymologiā immortalitatē significat. Et quanq̄ sub masculina voce propheticus sermo prolatus sit, fœminam tamen comprehendit: veluti totum à parte. nam secundum Apostolum mulieris caput est vir: cōiunguntur autem capiti cætera corporis membra: & quibus

Μακάριος πλεονάσαντος τοῦ μ. ὡς ἄνευ κηρός.

communis est humanitas, iis etiam opera communia sunt, & præmia. Rerum verò naturam secutus beatus Dauid, congruum quendam ordinem tradidit dictis suis. consiliũ enim quod in corde residet, radix est operationũ corporis: quemadmodum & dominus docet, intus esse, inquiens, ea quæ coinquinant hominem. vnde primo consulimus: deinde consilium firmamus: ac demum obfirmato consilio insistimus. quia etiam impius is dicitur, qui vel deum non colit, vel plures colit: & peccator ille est, qui licet fidelis sit, prauis tamen ac perditis est moribus: & pestis merito is dici potest, qui non ipse tantum peccat, sed morbo suo alios inficit. iccirco propheta beatos eos appellat, qui tria hæc vitia prorsus vitauerint: qui videlicet impiis cõsiliis (quæ aduersus religionem in deum sunt) nõ communicauerint, ne obiter quidem atque in transitu. (ita enim puto significare dictionẽ, abiit,) quique cum peccatoribus in prauo aliquo opere diu nõ constiterint: tametsi modicum quid propria infirmitate aliquãdo ad id rapti sint: & postremo, qui cum pestilentibus hominibus non perseuerauerint: cum his inquam qui in cõcupiscentiis ac vitiis suis, constantiores sunt ac stabiliores: & qui per cathedram à propheta subsignari videtur. Vel aliter: cõsilium impiorum pro concilio & conuentu intelligendum, (quemadmodum Aquila & Theodotion interpretati sunt,) viam verò peccatorum, dæmonem. nam qui in dæmone nõ steterit, ad Christum veniet, qui dixit: ego sum via: qua nimirum homines ad virtutem perueniunt. Item cathedrã pestilentiæ pro doctrina non sana. sed quoniam ad perfectionem virtutis consequẽdam, non satis est fugere à malo, (declina enim inquit à malo & fac bonum. Et Esaias: cessate ab iniquitatibus vestris, & discite bona facere.) idcirco valde consequenter adiunxit.

Sed in lege domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Beatus, inquit, ille qui non modo commemoratis vitiis, non communicauit, sed legi etiam diuinæ suam coniunxit voluntatem, eadem volens quæ iubet lex. hoc vnum perpetuo meditatur, eaq; meditatione, vitam ac cõuersationem moderatur, & dirigit. hoc enim illud est quod per Moysem olim nobis deus mandauit dicens: & erunt verba huius legis semper in ore tuo, & meditaberis ea, sedẽs, surgens. & cubans:

bans: & habebis ea in manu tua, eruntque immobilia ante oculos tuos. Deinde qui fructus inde oriatur ostendit.

Et erit tanquam lignum quod plãtatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius nõ defluet, & omnia quæcunque faciet prosperabuntur. Qui ita se habet vt diximus, is instar arboris plantatus, iuxta fluenta eloquiorum dei, atque illorum doctrina perpetuo irrigatus germinabit, fructumque, (ipsas nempe virtutes) opportuno ferens tempore, folia non dimittet: hoc est humilitatem non deponet, quæ virtutes omnes, non secus ac proprios fructus, protegit atque conseruat. vel aliter, per fructum intelligere possumus, vniuersas illas diuitias quæ de spiritualibus laboribus congregantur: & per folia, virescentem spem salutis: quæ cum nunquam deficiat, omnium dolorum sensum tollit. Merito autem diuina eloquia aquis comparauit, cum non minus animæ illis irrigentur atque impinguentur, quàm aquis plantæ: vnde & Christus doctrinam suam, aquas appellauit dicens: Siquis sitit, veniat ad me & bibat: & qui credit in me, flumina viuentis aquæ fluent de ventre eius: & qui biberit de aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. huiusmodi igitur viro, deus cooperatur in omnibus. à domino enim gressus eius dirigentur, & viã eius volet valde. ipse etiã Apostolus, diligentibus deum, inquit, omnia cooperantur in bonum. Dictio etiam, omnia, hìc non ociose iacet. nam qui ad hunc vsque virtutis cumulum peruenerit, malum amplius aliquid facere nusquam sustinebit: qua ratione à deo in omnibus prosperabitur: verum cum per bona ad virtutem, in superioribus exhortatus sit, deinceps, quasi virtutis athletam oleo inungit, dum ex contrariis munit dicens.

Non sic impii non sic. Non ita florent impij, inquit, nec germinant, aut fructum ferunt, nec tantis fruuntur bonis, quantis vir ille quem beatum diximus: & dum negationem repetit, quod negatum est, magis confirmat. quomodo autem illis agendum sit, subiicit.

Sed tanquam puluis quem proiicit uentus à facie terræ. Quemadmodum irruentes venti, facile puluerem trãsferunt & dispergunt, ita & aduersarij dæmones, impios quosque facile dissipabunt. per faciem verò terræ, eius superficiem intellige: quam terræ humeros etiam appellant: eo quòd ferat ac

 susti-

ſuſtineat corpora omnia, quæ in ea ſunt: ſicuti & terræ ſinum eam partem dicunt, quæ in ea eſt magis profunda. Impios verò communicato nomine hic eos omnes appellat, quos ſuperius triplici ordine diſtingui à propheta docuim⁹. Poſſumus etiam per impios, Iudæos intelligere qui filiũ non adorant, & ſpiritu prædicationis ſanctorum Apoſtolorum per totum orbem diſperſi ſunt.

Ideo non reſurgent impii in iudicio. Vide exquiſitum ſancti ſpiritus loquendi modum: non ſimpliciter dixit: non reſurgent: ſed appoſuit, in iudicio. Reſurgent quippe & impij, non vt iudicentur, vtpote qui iam condemnati ſunt: Qui non credit in me, inquit, iam iudicatus eſt: ſed vt ſuppliciis plectantur. obſeruandum eſt autem, quòd cum Moyſes de reſurrectione nihil nobis manifeſte tradiderit, primus omnium Dauid eam apertius nos docere incepit.

Neque peccatores in conſilio iuſtorum. Peccatores hoc in loco, appellat eos, qui impij quidem non ſunt, ſed peruerſis moribus ſcatent: qui iudicabuntur ſoli, & condemnati procul à iuſtis relegabuntur. Cõſilium autem Aquila & Theodotion hìc, iuſtorum congregationem interpretati ſunt: verum iuſtos ſcriptura appellare ſolet, non eos tantum, qui in propria ac peculiari iuſtitiæ virtute exercitati ſunt, ſed omnes ſanctos generaliter, tanquam iuſtificatos à deo.

Quoniam nouit dominus uiam iuſtorum. Docet neminem poſſe deum latere. alibi etiam ait: Nouit dominus vias immaculatorũ: item alibi, Nouit dominus eos qui ſui ſunt: nam cum (vt alibi dixit) ipſe ſit via, neceſſe eſt, vt omnes videat qui per ipſum, id eſt per mandata eius, incedunt: peccatores verò quanquam non minus nouerit, quàm iuſtos, tamen veluti cognitione ſua indignos, ignorare ſimulat. hac ratione cum peccaſſet Adam, interrogauit vbi eſſet. quod obſeruauit etiam in Cain, & in multis aliis.

Et iter impiorum peribit. Virtutes iuſtorum permanent, veluti eorum diuitiæ quædam ac coronæ: peruerſa autem impiorum ſcelera atque actiones delebuntur atque inanes reddẽtur. actiones enim, itineris nomine, iterum expreſſit. Huic autem dicto illud Apoſtoli cõſimile eſt: Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur.

Secundus

Secundus etiam Pſalmus apud Hebræos inſcriptione prorſus caret & titulo: qui prædicit autem eorum inſidias, qui dominum occiderunt: uocationem etiam Gentium & Iudæorum perditionem.

PSALMVS. II.

QVare *inſurrexerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum?* Propheticis oculis furorem ac rabiem eorum perſpiciẽs beatus Dauid, cum lamentatiõe quadam ac fletu ſermonem inchoat: Heu me, inquit, cur tanto cum furore tumultuati ſunt? cur cuncta perturbarunt, ac tam grandia arrogãtes præſumpſerunt facinora? Ita enim ſignificare aiunt verbum, inſurrexerunt, ij, qui ex Hebraica in Græcam linguam conuerterunt: per gentes verò, Romanos milites intellige, qui cum Pilato erant: & per Populos, Iudæos, qui cum Anna & Caipha: per Reges & Principes, Herodem & Pilatum: vt actus Apoſtolorum declarant: quorum alter Rex erat, & alter Princeps. Quòd ſi plurali numero dictiones à Propheta prolatæ ſunt, iuxta Hebraicæ linguæ conſuetudinem id factum eſt: quæ plurali numero ſæpe vtitur pro ſingulari. vel iuxta altiorem quendam ſenſum, alia fortaſſis ratione: quia ſimul cum Herode Rege, aduerſus Chriſtum, alius peccati Rex diabolus armatus eſt: & cum Pilato Principe, multi Principes: dæmonum nimirum poteſtates: aduerſusquas (vt docet Apoſtolus) nobis lucta eſt & certamen. nam cum ex duplici conſtaret Chriſtus natura, viſibili ſcilicet & inuiſibili, duplex etiam certamen, inuiſibilium inquam & viſibilium inimicorum ſuſtinuit. Meditatos verò inania dicit, pro fruſtra conati ſunt, dum arbitrarentur poſſe ſe illum è medio tollere, qui reſurrexit & viuit in æternum. Poſſunt etiam hæc verba aduerſus ſolos dici Iudæos, qui ſacræ ſcripturæ ſtudiis incumbẽtes, in caſſum eam meditati ſunt: cum non intellexerint quanta in ea de Chriſto prædicantur.

Aduerſus dominum & aduerſus Chriſtum eius. Iuſurrexerunt, inquit, adſtiterunt, & cõgregati ſunt, nõ minus aduerſus patrem, quàm aduerſus filium: filium inquam, quem pater in gentium regem vnxerat. eas enim in hæreditatem illi dederat. bellum quippe, quod aduerſus filium ab illis geſtũ eſt, peruenit etiam ad patrem. pro domino igitur patrem, &

pro Christo filium,hoc in loco intelligamus. etenim pater ipse , diuina dispensationis ratione regem eum constituit. Quod si,vt in multis exemplaribus, in plurali nnmero legamus,aduersus Christum eorum,relatio illa extendenda erit, tam ad Iudæos omnes quàm ad gentes,& ad ipsos etiam dæmones . quoniam illi omne genu flectitur cœlestium terrestrium,& infernorum.

DIAPSALMA. Quid sit Diapsalma abunde diximus in proœmio.

Dirumpamus uincula eorũ & proiciamus à nobis iugum ipsorũ. Verba hęc dicta sunt veluti ex persona sancti spiritus, iubẽtis posteris fideliõ , vt ab idololatris Romanis, atq; ab imprudẽtibus Iudęis discedãt : & illorũ quidem seruitutis vincula dirũpant,quibus detinebãtur.horũ verò iugũ, quo propter legẽ grauabãtur excutiant,veluti onerosum ac mortiferum:& vice illius leue ac viuificum Christi iugum sumant. Quanquã & alio modo intelligi possunt , vt dicta videãtur, ex eorũ persona,qui Christum occiderunt : qui & re ipsa,& verbis,seruitutis vincula,ac subiectionis iugũ recusarũt:quibus ipso etiã iure naturæ,tam filio quàm patri,deuincti erãt.

Qui habitat in cœlis irridebit eos , & dominus subsannabit eos. Hi igitur qui à prædictis blasphemãtur,pater nimirũ,qui in cœlis habitat,& filius qui diuinitatis ratione,omniũ dominus dicitur,deridebunt & subsannabũt eos:cõuincentq; fatuos eos fuisse,q; inania atq; impossibilia conati sint: & sperauerint ipsum Dominũ,quinimmo vitam ipsam,morte afficere:quodque Romani, dæmonas potius, quàm deum, & Iudæi,vmbram potius,quàm veritatem elegerint.

Tunc loquetur ad eos in ira sua. Tũc intellige locutũ ad eos Dominũ fuisse , quãdo Iudæos palam redarguit,& peruentura in eos mala prædixit: quando inter cætera dixisse legimus: veh vobis Scribę & Pharisæi hypocritæ , quia auferetur à vobis regnum dei,&c.

Et in furore suo cõturbabit eos. Ob summã illorũ prauitatẽ propheta indignat⁹:futuras eis annũciat calamitates, perturbationẽq; & suspicionẽ eis plurimã imponit:redarguẽte ãũt eos domino quẽ prophetã arbitrabãtur,par est multos fuisse perterritos. Alij verò dicũt his verbis significari calamitates, quę ex futura Romanorũ obsidiõe eis impẽdebant . Possunt etiam

etiam de futuro iudicio intelligi, quando tanti criminis rei à Deo condemnati perpetuis pœnis subiicientur.Ira autem & furor (quem , vt Grecæ dictionis θυμὸς verior significatio postulat , indignationem , seu potius excandescentiam quis dixerit) aliquando pro eodem ponuntur, aliquando vt diuersa:ita vt excandescentia motus sit ad iram,& iuxta etymologiam,excitationem & motum significet:ira vero, iuxta eandem Græci nominis etymologiam vehementiorem,& concitatiorem ad vindictam denotet feruorem.

θυμὸς παρὰ τὸ θύειν καὶ ὁρμᾶν. ὀργὴ παρὰ τὸ ὀργᾶν καὶ σφύζειν.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo. Sermonem nunc facit ex Christi persona.prophetarum enim mos est , & materias, & personas variare: vtpote qui veluti organa quædam, atque instrumenta ab artifice suo moderata , ea loquebantur,quæ sanctus illis spiritus subministrabat . annunciat autem Christus regnũ,quod sibi,vt homini,à patre traditũ est. Data est enim, inquit,mihi oĩs potestas,in cœlo & in terra.

Super Syon monten sanctum eius, prædicans præceptum eius. A monte qui dicitur Syon totam Iudæam significauit : & sensus talis est.Ego rex constitutus sum vt doceam euangelica mandata , Præceptum domini appellans hæc mandata : vt vnam atque eandem esse sibi cum patre voluntatem ostenderet:à meipso enim,inquit, nihil locutus sum,sed quæcunque audio à patre meo.

Dominus dixit ad me filius meus es tu. Hæc verba propter æternam ac diuinam generationem dicta sunt.

Ego hodie genui te . Hæc propter carnis dispensationem . quod vero , ait , hodie , intellige vt ad distinctionem æternitatis sit dictum , vt tempus signaret : hoc est in his temporibus . genui autem posuit pro creaui . Pater nanque creaturarum omnium Deus dicitur vt earum formator & factor.

Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam . Cum Christus quod ad carnem eius pertinebat ex Iudæorum esset cognatione , & in propria ideo venisset , vt cognatos doceret,à suis non receptus, iure gentium nationes, vt suas sibi vendicauit,præcipue cum pater eum monuisset,vt illas peteret,& pollicitus fuisset petenti se eas traditurum.nam ex quo vt homo alia ratione factus erat filius Dei, consequenter aliqua illi deberi videbatur hæreditas.

Et possessionem tuam terminos terræ. Et potestatem, inquit, hæreditatis tuæ quæ ad terræ vsque fines pertingit. In omnem enim terram & in omnes fines orbis terræ Euangelicus sermo penetrauit. & ipse quidem pater, à propheta introducitur, monere atque instare vt filius hæreditatem hanc petat: vt ostendat quàm cuperet pater humani generis instaurationem: filius vero non immerito etiam postulare id dicitur, quando quidem & humanitatem sumpserit, & dei atq; hominũ mediator effectus sit. Erubescant igitur & cõfundantur Iudæi neminem habentes cui verba hæc accommodari possint. Quis enim alius præter Christum tantam sibi possessionem parauit.

Pasces eos in uirga ferrea. Simile est illud prophetę dicentis: eos qui sermones tuos non susceperint castigabis flagello ferreo: & significare mihi videtur his verbis propheta, Romanorum Imperium. Etenim cum Christi regnum negassent Iudæi, sub Imperio Cæsaris se esse affirmantes, Cæsaris merito potentiam sustinuerunt: à qua prorsus pene perditi sunt. Ferream vero eam dixit veluti validam ac fortem. nam & Daniel in visionibus suis ferreã eam etiã appellauit.

ΣΚΕΥΗ. *Tanquam uasa figuli confringes eos.* Hoc loquendi modo expressit propheta, q̃ facile Iudæi, & q̃ funditus à deo perderentur. Alij his verbis significari aiunt Gentium salutem: pasces eos, inquiunt, invalida ac forti potentia tua: & quemadmodũ figulus vbi reproba esse viderit vasa, quæ formauit, cõterit illa: ea nimirũ ratione vt rursus igni admoueat & reformet: ita & tu domine, harum Gentiũ cogitationes Euangelio tuo destrues, vt eas postmodũ lauacro regenerationis reformes, & diuino sancti spiritus igne fortiores reddas.

ΝΥΝ ΤΕΣ *Et nunc reges intelligite, erudimini omnes qui iudicatis terram.* Dictio nunc, hoc in loco rationem reddit: ac si dictum esset: & propterea vos, ô Romanorum & cæterarũ gentium Reges, vosq; ô Iudices qui in vniuersa estis terra, vel vos ò, qui terrenos homines iudicatis, ex quo addiscere potuistis, quantis calamitatibus oppressi fuerint ij, qui Christum hunc temere reprobarunt, & illud pariter nostis q̃ à Deo in hæreditatem electi estis: vos omnes inquam moneo, sapientes estote, & abiecta priori illa amentia, erudimini tum ab iis, tum à scripturis etiã diuinis. Verum dum Reges ac Principes admonentur

monentur à Propheta, ipsos etiam populos eis subiectos admoneri pariter arbitrantur.

Seruite domino in timore. Intelligentes, inquit, q̃ Christus, & deus est, & vindex, & terribilis, q̃ illius possessio & sors appellati atq; effecti estis, quod reliquum est, moderatis compositisq; moribus vestris seruite ei in timore, veluti domino. in timore autem ideo dico, quia vbi est timor dei, illic & mandatorum obseruatio.

Et exultate ei in tremore. Et seruientes, inquit, gaudete in eo, veluti in defensore ac saluatore vestro. Gaudete enim, inquit Apostolus, in domino semper gaudete: verum hoc vestrũ gaudiũ, tremore etiam commixtum sit, & non effusum. Exultate propter spem, sed contremiscite ob peccatũ. est enim diligentissimus omnium exquisitor, atque inuestigator deus, & nemo latere eum potest.

Apprehendite disciplinam. Maiorem his verbis intensionẽ idiungit ad id quod dixerat, ac si diceret: erudimini inquam non in superficie: sed summo studio contendite vt perfectam virtutem consequamini. Dictum est autem hoc ex metaphora eorum qui pugno aliquid constanter tenent.

° *Nequando irascatur dominus & pereatis de uia iusta.* Per viã iustam, iustorum hominum vitam; ac conuersationem intelligit. via enim apud Hebræos multa significat.

Cum exarserit in breui ira eius. Iudicij diẽ significat. quod vero ait in breui, vehementiam denotat & celeritatem. nam & si in præsentiarum sæpe irascatur deus, remissius tamen id facit, vt pœnitentiæ locum tribuat.

Beati omnes qui confidunt in eo. Qui terrena omnia contemnunt & spem in eo omnem collocant. Sunt qui hunc psalmũ cum superiori coniungendum dicant: atque illinc maxime probationis vires sumunt, quòd beatus Dauid à beatitudine exorsus, in beatitudinem desinat.

Psalmus ipsi Dauid cum fugeret à facie Absalon filii sui.

Inscriptio psalmi clara est, iis præcipue, qui Regũ historias legerint. Psalmus uero unicuiq; facile accommodari potest, qui uisibilium seu inuisibilium inimicorum pugnam sustineat.

Domine

PSALMVS III.

DOmine quid multiplicati sunt qui tribulãt me. Aegre ferens Propheta, huiusmodi se, & subditorum & amicorum insidiis affligi, ad solum deum animũ suum intendens, causam interrogat: cur multis in dies ad parricidã filiũ vndiq; accedentibus, multiplicarentur inimici atq; insidiatores sui, cum ipse in neminem eorum aliquando iniquus extitisset. Possunt etiam hæc verba intelligi vt dicta sint propter dæmonum insidias.

Multi insurgunt aduersum me. Apertius exprimit quod dixerat multiplicati sunt.

Multi dicunt animæ meæ non est salus illi in Deo eius. Multi eorum, inquit, qui insurrexerunt aduersum me mutuo se exhortantes, de anima mea, hoc est de me ipso, huiusmodi verba loquuntur: ꝙ is qui tam facile depelli potuit & fugari, merito existimandus sit ob propria peccata, à Deo derelictus: illiusq; opem atq; auxilium amisisse. vel multi id dicunt, eorũ scilicet qui calamitates meas vident. Quod vero ait, in Deo eius, idem sibi vult quod in illo Deo in quo ipse sperauit.

DIAPSALMA. In proœmio operis dictum est quid sit Diapsalma.

ἀντιλήπτωρ *Tu autem domine adiutor meus.* Illi dicant quod lubet, tu vero afflictorum omnium adiutor es, eorum præcipue qui ope tua digni sunt.

Gloria mea, & exaltans caput meum. Alij genus, fortunam, diuitias, aut aliud quid simile, magnum & præclarum putant: ego autem in te solo confido & glorior. nam si adiutor fueris, gloriam etiam præstabis: & caput meum frequentibus olim depressum calamitatibus extolles atq; exaltabis.

Voce mea ad dominum clamaui & exaudiuit me de monte sancto suo. Tantum, inquit, clamaui (seu oris, seu mentis clamorem intelligens) & statim exaudiuit me. Propè enim est dominus inuocantibus eum. per montem autem sanctum, Syon intelligit, vbi habitare credebatur Deus: probisque ac dignis Deo hominibus loqui. vel ipsum cœlum, quod Dei habitationem appellamus.

DIAPSALMA. *Ego dormiui.* Ego, inquit, graui afflictionum pondere depressus decidi admodum, atque inutilis effectus sum.

Et soporatus sum. Hoc est huiusmodi passione diu detẽtus.

ἀντιλήψεται *Et resurrexi, quia dominus adiuuabit me.* Prænoscens, vt propheta, ꝙ dominus opem mihi allaturus erat, penè mortuas vires atq; animum languidum suscitaui. Aliqui dicta hæc esse intelligunt de resurrectione, & tẽpus poni pro tempore: hoc est dormiam ego, & cum mortuus fuero sopore ac somno detinebor, corpore nimirum viribus defecto, ac deinde resurgam. vel tempore illo quando descendens ad inferos Christus suscitabit eos qui illic aderunt: vel in consummatione seculi quando mortui omnes resurgent.

Non timebo millia populorum, in circuitu irruentium contra me. Tuo, inquit, fretus auxilio non timebo. per irruentes autem contra se, iuxta historiam, Absalonem intelligit & complices, qui aduersus eum semper insidiarum aliquid moliebantur: vel dæmones iuxta Anagogen, qui in circuitu aggredi aliquem dicuntur: quoniam & ab anteriori parte insidias ponunt, spes nimirum prosperi exitus suggerentes: & à tergo inuadunt, quando antiquorum vitiorum memoria animam coinquinant: & à dextris quando ad virtutem nobis opem ferunt, vt ad inanem nos gloriam impellant: & à sinistris quãdo omni abiecto velamine manifestã nobis vim inferũt.

Exurge domine saluum me fac Deus meus. Tu domine, inquit, qui longanimitate hactenus vsus es, vt dormire quodãmodo videreris, exurge & commoueris aduersus inimicos meos. vel forte saluatoris Christi resurrectionem prædicit, ad humani generis salutem eum aduocans: ita vt humanæ naturæ personam, prophetam induisse dicamus.

Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa. Propheticis oculis inimicorum suorum perditionem præuidens beatus Dauid, gratias Deo agit, & collatum in se beneficium agnoscit.

Dentes peccatorum contriuisti. Per dentes, vires intelligit. transsiatum est autem hoc à feris, quæ in dentibus summum habent robur. peccatores vero, inimicos omnes appellat: peccare illos significans: quia ob solam morum peruersitatem, temere aduersus eum pugnabant.

Domini est salus. Atq; hoc ad gratiarum actionẽ pertinet, & significat ꝙ solus Deus, & nullus alius eum saluabit

Et super populum tuum benedictio tua. Et veniat, inquit, benedictio

benedictio tua super populum tuum, qui mecum pariter inimicorum iniurias perpessus est. vel omnem populum simpliciter, qui sub meo est imperio. vel super fidelium Christianorum populum. Per benedictionem verò intelligere debemus pacem & diuina beneficia, quę benedictionis sunt causa. Quippe cum & populus, & quicunque alij viderint, quale auxilium consecutus est à Deo beatus Dauid daturi omnes sint summam Deo gloriam.

Ἐν ὕμνοις τῷ Δαβίδ.

In finem in Hymnis psalmus ipsi Dauid.

Inscribitur in finem hic psalmus: quia ut inferius dicemus, resurrectionis prophetiam continet, & quæ ad futurum seculum pertinent, quod præsentis esse seculi nemo ambigit. uel quia quæ prædicuntur in hoc psalmo nouerat beatus Dauid ut propheta finem esse habitura. In hymnis uero, ideo appositũ est, quia mirabilia Dei opera continet: quibus effectum est, ut post præsentis psalmi decantationẽ, Absalonis tyrannidẽ superauerit. Congruit etiam hic psalmus cuicunque à periculis liberato.

PSALMVS IIII.

Ἐξήκουσας

Vm inuocarẽ exaudisti me Deus iustitiæ meæ. Cõtemplare celeritatem, cum adhuc inuocaret exauditus est: sicut alibi etiam ait: adhuc loquente te dicam, ecce adsum. neque enim verborum copia persuadet Deo, sed pura simplicis animę affectio. quod vero ait, Deus iustitiæ meæ, circunlocutus est pro, Deus mei Dauid: mei inquam qui Absaloni comparatus iustus videri possum, dum iustiorem causam foueo. neq; enim illum ego, sed ille me affecit iniuria. Et sæpenumero hoc loquendi modo vtitur Propheta, vt sanctum se aut iustum appellet, aut aliquid eiusmodi: non veluti iactabundus, sed aduersariorum se comparans prauitati.

Ἐν θλάσει ἐποίησάς με

In tribulatione dilatasti me. Gaudium dilatare solet & diffundere animum, afflictio autem angere atq; angustare. verum tu, inquit, in mœroris ac tristitiæ tempore, non pusillanimem, sed magnanimum potius me fecisti: ita vt ipsi etiam parricidæ filio parci mandauerim.

Miserere mei, & exaudi orationẽ meam. Adhuc Deum magis ad misericordiã allicit, rogatque, preces suas non despici, si quando in tentationes fortassis rursus inciderit.

Filii

Filii hominum usquequo graui corde. Sermonem ad notos sibi, atque ad amicos dirigit, qui inualescentibus calamitatibus studebant præsentibus ac temporalibus auxiliis ei opem ferre: aitque, vsquequo inter afflictiones cor vestrũ ad Deũ non tollitis? vsquequo animũ ac cor vestrum humanis rationibus grauabitis, & vanis distrahemini sollicitudinibus? Quodvero ait, filij hominum, periphrasis est & circunlocutio, pro eo quod est, homines: estq; idioma Hebraicę linguę.

Cur diligitis uanitatem & quæritis mẽdacium. Inutiles sunt humani conatus: & primo quidem aspectu, conceptæ animo spei videntur applaudere, sed postmodũ frustrantur. vel fortassis verba hæc ad illos dicta sunt, qui præsentibus rebus, tanquam perpetuis studeant, tametsi stabiles non sunt. videntur quidem esse propter id quod in superficie apparet, re vera tamen ob assiduas mutationes de illis aliter iudicandum non est, quàm si non essent. nam & ipse beatus Dauid rex erat, & tamen priuatam vitam agebat, & persecutionem sustinebat.

Et scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum. Coniunctio, &, superflua est hoc in loco quẽadmodum ex more Hebraici idiomatis sæpenumero alibi aliqua reperiũtur superuacanea. discite igitur, inquit, quòd celebrẽ me de⁹ ac cõspicuum reddidit: me inquam qui ei sanctificatus, hoc est oblatus ac dedicatus sum, quique in eo solo spes meas ratas esse constitui. vere autem celebris ac clarus fuit beatus Dauid, qui destructorem destruxit, qui fugitiuus persequentem vicit: qui parua militum manu, multas copias superauit.

Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum. Postquã Dei ope, tam celeriter à tanto periculo me liberatum perspexi, summam in me Dei misericordiam statim agnoui: atq; ideo confido, quòd rursus me clamantem atque in afflictionibus constitutum exaudiet.

Irascimini & nolite peccare. Irasci quidẽ vt homines non prohibet, sed admonet vt non peccemus, & ne sinam⁹ à passionis vehemẽtia nos pertrahi: ne supra modum irascamur: neu temere aliquem vlciscamur. nam qui irascitur vt illatas sibi iniurias vlciscatur, irascitur & peccat: qui verò tantum irascitur, vt alterum corrigat, irascitur quidem, sed non peccat. quemadmodum nec peccat pater, qui non obtemperãti

filio

filio irascitur.

Κατανύγητε *Quæ dicitis in cordibus uestris, in cubilibus uestris compungimini.* Perge, inquit, in tuum cubile, vbi maxima adest securitas: & illic amplo cum ocio ac quiete teipsum diiudica: & cogitationes discute, quas habuisti per diem, noctu præterea atq; in cubili tuo vt dixi doleas, & pœnitentiam tecum agas ob peccata quæ interdiu in animo tuo reuoluisti. mihi enim, inquit, beatus Dauid, sic facienti, vt te moneo, prospere cuncta succedunt. Sume itaque & tu experimentum, cum ex me didiceris huiusmodi vtilitatem percipere. hoc enim tibi vt facias suadeo. quòd si vt Propheta indicat, cogitationũ pœnas daturi sumus, quanto magis operationum? Considera etiam quomodo tam ad præseruandum, à peccatis, quàm ad castigandum peccatorem, aptissimis Propheta, vsus sit pharmacis. nam quod ait irascimini & nolite peccare, custodit & præseruat à peccato: & si fortassis in peccata quis inciderit, vicissim castigat & corrigit, dum ait: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Iustitiam vestram quasi fructum quendam Deo, inquit, afferte, nemi nem iniuria afficientes: & auxilium à Deo expectate, qui oppressis potissimum auxilio esse solet. Conuersationem præterea ac vitam futuræ ecclesiæ prænunciat, quæ vice animalium, spirituale virtutum sacrificium Deo erat oblatura. Iustitiam enim hic non particularem virtutem, sed generaliter pro omni virtute intelligit.

Δείξει *Multi dicunt quis ostendet nobis bona?* Cum sui exẽplo admonuerit atque exhortatus sit nos Propheta, vt in superioribus vidimus, modo obiectionem quandam à pusillanimibus fieri solitam apponit. Quidam enim, inquit, cum in calamitates inciderint, egreferentes, statim desperant, nec credunt Deum propè esse inuocantibus eum? Quinimmo omni spe destituti, talia etiam effundunt verba: quis adiutor deinceps erit nobis? quasi dicant nullus. Quæ verba extremæ omnino desperationis sunt. vel aliter: de iis hominibus sermo est, qui carnis sequuntur desideria: qui cum in ocio atque in deliciis summum bonum posuerint, eas totis velis insequuntur: afflictiones verò quæ diuina dispensatione nobis immittuntur valde oderunt. per illa etiam verba, quis ostendet

det nobis bona? animæ ardentis atque immodice appetentis affectum intellige demonstrari.

Signatum est super nos lumen vultus tui domine. Verum ego, inquit, longe aliter sentio. neque enim in me signatum esset lumen protectionis tuæ: quam lucem, illam esse, intelligendum est: quę mœroris tenebras dissoluit: queque in me quodam modo insculpta, notum me omnibus, ac conspicuum facit, his etiam qui procul sunt. Quidam aiunt contineri his verbis prophetiam de Christianis, quibus per hoc nomen, quo Christiani appellantur, signum atque indicium quoddam impositum est: Christus nimirum: qui patris lux est. per Christum enim patrem agnouimus. qui enim vidit me, inquit, vidit & patrem meum: qui etiam character & forma patris, ab Apostolo cognominatur. Cõiunxit autem seipsum Propheta Christianis, ob cognationem quandã ac familiaritatem virtutum.

Dedisti lætitiam in corde meo. Vel propter prædictũ auxilium, vel ob denominationem fidelium à Christo.

Ἀὐτῶν ἐπληθύνθησαν *A fructu frumenti uini & olei, eis multiplicati sunt.* De carnalibus hominibus iterum sermo est: quibus terrena tantum cogitantibus, abunde omnia Deum præ magna benignitate subministrasse attestatur Propheta: & bona eis collata connumerat dicens: quòd à fructu fruméti, vini, & olei, multiplicati sunt eis. hoc est, eis connumeratis bonis repleti, per quæ bona tanquã per magis necessaria, reliqua ciborum genera intellexit.

Ὑπνώσω *In pace in idipsum dormiam & soporabor.* Depositio timore, quo perturbabar, deinceps quiete dormiam, nec dormiã simpliciter, sed ad ipsam vsque satietatem. nam quod ait, in idipsum, idem sibi vult quod vna: ac si dicat, vtraque hæc faciam, dormiam & pariter soporabor. quo loquẽdi modo accubationis & quietis suæ intensionem expressit. vel his verbis propheta fortassis prædicit, quæ ad mortem suam pertinebant. quod scilicet non violẽta sed naturali morte ei moriendum erat. & quod dicit in idipsum, de anima & corpore intelligemus. Dormiam enim ego, inquit, in pace, corpore pariter & anima, corpore nimirum à visibilibus, & anima ab inuisibilibus inimicis liberata. quod verò ait, soporabor, longum resurrectionis tempus significare videtur.

Quoniam

Κατῴκισάς με

Quoniã tu domine singulariter in spe habitare fecisti me. Tu me, inquit, habitare fecisti seorsum à malignis atq; in spe salutis. Quidam verò hæc de resurrectione à mortuis prophetice dicta esse aiunt: quodque beatus Dauid, veluti ex corporis sui persona sermonem formauit, dicentis: tu domine habitare me fecisti in sepultura: & constituisti me singularem ac solitarium illic esse, à propriaque ac socia mihi anima disiunctum. verum hoc non simpliciter, sed in spe resurrectionis. quando quidem iterum animam susceptum sperem. illa autem dictio, quoniam, abundare videtur hoc in loco, quemadmodum & sæpe alibi, iuxta sacræ scripturæ, atque Hebraici idiomatis proprietatem: quanquam sæpenumero etiam hæc dictio apud Hebræos, idem significat quod vere, & ponitur pro aduerbio confirmandi.

In finem pro ea quæ hæreditatem consequitur.

Quid sibi uelit inscriptio in finem, superius dictum est: hoc autem in loco quidam per eam aiunt significari illos dies, quibus Christus homo factus est: quãdo umbra legis finem accepit: atque hoc ex subsequentibus comprobari. ex persona enim futuræ fidelium Ecclesiæ Propheta psalmum hunc composuit: quanquam & ipsius etiam beati Dauid negociis, ac rebus congruat. hanc igitur Ecclesiam, eam esse intelliges, quam propheta dicit hæreditatem consequi: ea nimirum ratione: quia per Baptismi regenerationem adoptata est, & adoptionis priuilegia consecuta. hæreditas uerò quæ ei debetur, illa est quam nec oculus uidit, nec auris audiuit, &c. De hac etiam ecclesia tanquam de sponsa Paulus dicebat: aptaui uirginem castam Christo cõstituere: & Ioannes, qui habet sponsam, spõsus est: & beatus Dauid alibi: Adstitit Regina à dextris tuis. In præsenti uerò tempore dixit, quæ hæreditatem consequitur, & non quæ consecuta est, aut quæ consequetur: quia Ecclesia semper hæres est, illius q; hæreditas finem ullum habitura nunquam est.

PSALMVS V.



Erba *mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum, intende uoci orationis meæ.* Eundem sensum aliis atque aliis verbis repetit idẽ æquialentibus, quemadmodũ mos est iis qui ex corde supplicãt. vel per verba, preces intellige. tanquam

quam sermones. clamorem verò ideo addidit, vt cum tono atque intensione spiritus preces se fudisse ostenderet: & vocem ea ratione, vt clare atque aperte se locutum fuisse significaret: cum alioquin clamor ignotam soleat vocem efficere. alia autem verba quæ his commixta sunt, in propria sua significatione sunt posita. Auribus enim percipe, inquit, non simpliciter: sed intellige, atque ipso intellectu percipe quid sibi volũt preces meæ: nec fortuito eas tibi fuisse oblatas puta, seu labiis, seu ipso tibi corde offerantur. est autem mos sacræ scripturæ, vt humanas sæpenumero operationes Deo ascribat: quemadmodum hoc in loco fieri videmus.

Rex meus & Deus meus. Te enim solum, inquit, habeo in Regem, veluti, qui mei solus prouidentiam & procurationem habes: te solum pari modo vt Deum colo, tanquam verum omnium creatorem. cætera enim idola omnia abieci.

Quoniam ad te orabo domine. Exaudi me, inquit, quoniam deinceps ad te solum, & non ad alium Deum vt antea preces meas effundam.

Mane exaudies uocẽ meã, mane adstabo tibi & uidebis me. Illo inquam mane, quo sol iustitiæ Christus hominibus orietur. Ego etenim tunc ex Iudæis, atque ex gentibus congregabor: & inuocabo te, ac laudando, appropinquationis conuersationem exhibebo. tunc igitur tibi me appropinquantẽ, atque assistentem videbis. oculi enim Domini, inquit, super iustos. quædam verò exemplaria habent, & videbor: hoc est manifestus fiam. quod si iuxta historiam psalmum exponamus de beato Dauid, mane pro matutino tempore accipiendum est: ac si diceret: Gratius mihi ac iucundius rebus omni bus fuerit matutino tempore ad te Deus, orationem ac preces meas proferre: quod & nos facere consueuimus statim vbi è lecto cõsurreximus: nec tamen hoc dico, quasi alio tẽpore orandum non sit: Benedicam, inquit, dominum in omni tempore. Ἐπόψεται μοι

Quoniam non Deus uolẽs iniquitatẽ tu es. Longe enim abes ab idolorum peruersitate, quæ iniquitates diligunt. Per iniquitatem verò omne peccati genus intelligit, quod extra æquitatis sit normam: seu vt significantius Græca dictio ἀνομία exprimit, quod omni careat legis ratione. ἄνομος quippe, vnde ἀνομία, quẽ latinus interpres assiduè iniquum appellat Ἀνομίαν

pellat,exlegem potius, quàm iniquum significat: sed vocabuli inopia ἀνομίαν iniquitatem appellamus.

Neque habitabit iuxta te malignus. Gentium dij, non tantũ ipsi sceleribus ac vitiis repleti sunt, quemadmodum ex profanis eorum libris docemur: sed homines quosque, similium vitiorum amatores, veluti suos ac proprios fouent, suaque illis profana aperiũt fana. Tuam vero, ô deus familiaritatem, aut tui appropinquationem (ita enim intelligere debemus quod ait: Neq; habitabit iuxta te malignus) homo nullus vnquam consequetur. prope est enim dominus iis qui contrito sunt corde. item: veruntamen prope timentes eum salutare ipsius. Malignum enim dicens Propheta omnifariam peccatorem subsignauit.

παράνομοι

Nec permanebunt transgressores legis ante oculos tuos. His verbis contineri dicunt prophetiam de Iudæis, qui donec legem seruauerũt, protectione & custodia dei digni esse visi sunt: verum vbi illius transgredi cœperunt mandata, iuste, ac merito ab eo expulsi sunt.

Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Hoc propter infideles gentes dictum est, quæ legẽ dei non receperũt: & quos iuxta Græci nominis veriorem significatum, vt diximus, exleges potius dicere possumus quàm iniquos. Differt autem transgressor legis ab exlege: quia alter, legem quidem nouit, sed non seruat: alter verò is dicitur, qui nullas omnino recipit leges. quanquam sæpenumero alterum loco alterius ponitur. quinimmo & latinus interpres vtranque dictionem passim pro iniquo exponit. Verum cum in vniuersum dixerit de peccatoribus, particulatim nunc tradit quæ sibi visa sunt præcipua peccatorum capita.

Perdes eos qui loquuntur mendaciũ. Hoc principaliter propter eos dictum est, qui non verum deum colebant: & propter Hæreticos: consequenter propter omnes alios mendaces, ac dęmonis ministros, qui pater dicitur mendacij. Quod vero ait, perdes: grauissima eorum tormenta denotauit. vel fortassis id à propheta dictum est, vt eos qui facilitate quadam proni ac labiles sunt ad mendacia, hoc pacto deterreret. qui non tantum seipsos lædunt sed multis etiam, perditionis causa existunt.

Virum sanguinum & dolosum abominabitur dominus. Vide quomodo

quomodo interfectori dolosum coniunxit. nam qui decipit, & in pericula aliquem coniicit, occidere etiam videtur.

Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam. Ego, inquit, ecclesia ob summam misericordiã tuam ab erroribus liberata, in domum tuam, quam olim imprudẽter destruebam, ingrediar. vel aliter: introibo in domum tuam, digna nimirum effecta huiusmodi fiducia apud te, non ob meas virtutes, sed ob tuam tantum misericordiam. Aliqui per domum dei conuersationem ac vitam intelligunt virtute præditam. requiescit enim deus atque habitat in iis qui virtutes sectantur, quemadmodum in Euangelio ait: Ego & pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Ingressa, inquit, multa cum reuerentia adorabo in timore. templum verò aut terrenum hoc intellige, aut cœleste in quo adoratura est. Gentes quippe deorum suorum delubris intemperanter abutebantur, atque inhoneste. cum autem hactenus ecclesia vitiorum genera quæ ad propositum à se sumptum pertinebant, narrauerit per capita: eaque deo esse ostenderit abominabilia, nunc ad se ipsam reuertitur, ac pollicetur vere se atque ingenue, & non pigre diuino cultu inseruituram: nec tamen id dicit, veluti quæ per seipsam iustificata sit, sed tanquam misericordiam consecuta: quamuis inclamãdo aduersus peccatores, & seipsam in templum dei inducendo, videatur quodammodo aliud significare.

Domine deduc me in iustitia tua. Deduc me domine p manum filij tui: qui, vt ait Apostolus, iustitia est, & sanctificatio, & redemptio: vel in lege tua quæ est humana iustitia.

Propter inimicos meos dirige in cõspectu tuo uiam meã. Propter visibiles atque inuisibiles inimicos meos, qui in semitis meis scandala seminant, & laqueos tendunt, explana quęso domine viam meam ad te. ita enim Symmachus reddidit. vel dirige me, ne declinem ad dexteram aut ad sinistrã propter inimicos meos, qui latẽter in insidiis me obseruãt. Cõgruere etiam possunt hæc verba ipsi beato Dauid.

Quoniam non est in ore eorum ueritas, cor eorũ uanum est. Et mentiuntur assidue vt fallaces: & inutilia semper ac vana cogitant vt maligni.

Sepulchrum patens est guttur eorum. Propter mortua illorum dogmata hoc dicit: & ob putidas Hęreticorum blasphemias, & inhonesta intemperâtiæ verba. vel iuxta historiam, ob turpes contumelias, & ob iurgia, quæ in Dauid dicta fuere ab inimicis. quorum guttur non tectæ atque opertæ sepulturæ comparauit, sed apertæ ac patenti, tetrumque odorem emittenti. nam si opertum esset sepulchrum, immundicias omnes & grauem illum spiritum cælaret.

Linguis suis dolose agebant. Dolosi omnes mendaces sunt, non quicunque mendax etiam dolosus. doli etenim vitium peruersus est. ait igitur, quòd insidias & dolos vna aduersus eam contexebant.

Iudica illos deus. Tu, inquit, qui huiusmodi homines, ac talia operantes odisti, eos etiam condemna.

Decidant à cogitationibus suis. Hoc est frustrentur propriis consiliis.

Secundum multitudinem impietatũ eorum expelle eos. Propter illorum impietatem eos, inquit, expelle, quia te non venerãtur. neq; enim ꝓpter me id expostulo: tametsi alioquin, sors atque hæreditas tua ego sum. vel aliter quanto illi impij magis sunt, tanto à tua beneuolentia longius abiiciãtur. Impius verò non ille tantum est, qui deum non colit, sed & is qui non, vt congruit, eum veneratur.

Quoniam exacerbauerunt te domine. Non adeo mihi curæ sunt quæ aduersum me operantur, quantum doleo ob ea quæ contra te agunt. exacerbarũt enim te in studiis, atque in cõuersationibus suis, quas superius commemorauimus. vel aliter: quia exacerbauerũt te dominum meum dum mihi mandata tua obseruanti molesti sunt.

Et lætentur omnes qui sperant in te. Quoties inimici Dei mœrore ac tristitia afficiuntur, fideles ac pij quicunque sunt ex aduerso gaudent: quòd solo freti Deo, tantos ac tales superent inimicos.

Εἰς αἰῶνα *In seculum exultabunt.* Hoc est semper & perpetuo, cum prope atque assidue consolationem tuam habituri sint.

Et habitabis in eis. Requiescens nimirum in pulchritudine atque elegantia animarum eorum. Inhabitabo enim alibi inquit, in eis, & inambulabo, & ero illorũ Deus, & ipsi erunt mihi populus.

Et gloria-

Et gloriabuntur in te, qui diligunt nomen tuum. Quia scilicet ipsi soli Deum verum intellexerunt, atque in hoc solo spem suam collocarunt. & aliter: Christiani viri diuinum Christi nomen adeo diligunt, vt ex illo tantum velint cognosci. in solo etenim Christo iuxta Apostolum gloriantur, dicẽtem: mihi autem absit vt glorier, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi: hoc est nisi in Christo ipso crucifixo.

Quoniam tu benedices iusto domine. Non tantum in præsenti seculo tu eis benedices, laudes eorum omnibus notas faciens: sed & in futuro, quando vocabis eos, dicens: Venite benedicti patris mei. Tu itaque benedices eis, tametsi maligni contra, eis maledicant. huiusmodi autem verbis eos consolatur qui propter virtutem blasphemiis ac maledictionibus impeti solent.

Vt scuto bonæ uoluntatis coronasti nos. Tu domine, inquit, muniisti nos valde, & circundedisti cruce tua: quæ scutum est bonæ voluntatis: hoc est scutum tibi gratum ac placitum. animaduertendum autem est esse hunc quendam loquendi modum apud sacram scripturam: quo filium potentiæ dicere solet, pro potentem: & virum sanguinum, pro sanguinarium: hominem etiam pacis hoc est pacificum: ita & hic, scutum bonæ voluntatis pro scutum placitum & bene gratũ. Ordo etiam fiat hoc modo. muniisti nos domine potentia tua quasi scuto quodã probato ac forti. corona enim circularis formæ est: & munitiones etiam per circulum atque in circuitu fieri solent.

In finem in Hymnis pro octaua Psalmus ipsi Dauid. Ἐν ὕμνοις

Quid significet in finem dictum est: præsenti uero Psalmo laudat ac magnificat Deum propheta: rogátque & preces fundit pro octaua, hoc est pro futuro seculo. præsens enim seculum reuolutum ac cõpletum, & quasi Hebdomadæ commensuratum, septenario signatur numero, & septimum dicitur: futurum uero seculum octauum appellatur, ueluti quod septimum sequitur. In persona autem non sua tantum Propheta, sed & omnium nostrum fundit preces ad deum, qui in futuro illo seculo omnes iudicaturus est, hunc autem psalmũ composuit beatus Dauid, postquam in angustias, atque in afflictiones decidit, quæ ei ob peccata eius obuenerant.

PSALMVS VI.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Sed quomodo legimus apud beatum Iob: Beatus homo quẽ redarguit dominus, in terra: & quomodo ipse etiam Dauid alibi dixit: Beatus homo quem tu corripueris domine. verum hoc in loco Propheta non reprehendi renuit aut castigari à Deo, sed quod poscit id tantum est, ne cum indignatione redarguatur aut cum ira. nam cum intolerabilẽ esse nouerit iram Dei, timet ne ab ea prorsus perdatur: modice tamen corripi optat, vt probatior effectus, futuri iudicij pœnas melius effugiat. consequenter etiam post redargutionem, correptionẽ subiunxit: & quanquam deus à furore & ira & ab omni prorsus passione liber sit, prophetæ tamen sæpenumero huiusmodi affectionem ei tribuerunt, persuadere studentes lectoribus, quòd omnium hominum Deus curam habet: quòd omnia videt & audit: quòd lætatur, & tristatur, & iudicat, & furit, & irascitur: & quæcunque alia huiusmodi eum facere dicunt: vt saltem hoc pacto timore correpti homines desisterent à vitiis. & aliter. ab humanis operationibus prophetæ diuina declarant: & quia qui loquuntur, & qui audiunt homines sunt, humana lingua exprimunt quod loquuntur. neque enim possibile est, vt alio modo loquantur, qui in corpore sunt, quàm corporaliter. nam & quotiens barbaros alloquimur, illorum lingua vtimur: & cum pueris aliquid dicere volumus, eorum more balbutimus: & quanquam valde sapientes simus, ad illorum tamen humilitatem condescendimus. hęc igitur tibi sit norma quędã vniuersalis. Quod igitur ait, ne in furore tuo arguas me, idem sibi vult, quòd nolis me iuxta mea merita condemnare, neque debitas à me pœnas exigere.

Miserere mei domine quoniam infirmus sum. Si intellectus, inquit, meus debilis non fuisset, passiones certe illum non superassent: vel quia infirmus sum aduersus inuisibilẽ inimicum, qui & palã & clam insidias disponit. vel quia assiduis afflictionibus debilitatus sum. Cõsidera igitur & tu deº debilitatem meam, & noli me penitus condẽnare, quasi sponte mea superatus sim. hac autem voce, miserere mei, omnes nos perpetuo ĩdigemº. nã & alibi ait: Si iniquitates obseruaueris domine,

domine, domine quis sustinebit? Itẽ alibi, non iustificabĩ in cõspectu tuo omnis viuens. Et rursus, ppheta alius: quis gloriabitur, inquit, mundum cor habere, aut quis confidet mundus esse à sordibus? omnes itaque indigemus diuina misericordia: tametsi non omnes illam consequamur, cum deus quærat tantum dignos se. Omnes etiam nos infirmi sumus: quia nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam: & nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

Sana me domine, quoniam cõturbata sunt ossa mea. Dolor qui summus mihi inest ab assiduis afflictionibus, ad vsq; ossa ipsa sensu carẽtia peruenit, atq; ea cõcussit. his autẽ verbis passionis suæ vehementiã demõstrauit. vel per ossa intelligere possumus vires ac potentias, quibus mens ipsa sustinetur.

Et anima mea turbata est ualde. Non sustinens scilicet dolorum vim. commodissime autem dicitur hic versiculus, quotiens quis ad iram aliquam irrationabilem, aut prauas concupiscẽtias fuerit stimulatus. tunc enim diabolus immodice spirans, animam solet & corpus perturbare, nõ secus ac validus ventus in mare irruens. miscentur enim vnà ambo atq; æstuant, nec propriũ aliquem locũ, aut ordinem seruãt.

Et tu domine usquequo. Verba hæc non accusantis sunt, sed hominis in doloribus constituti. diu, inquit, à te ego neglectus sum, cum tamen auxilio tuo indigerem. Deus enim iis qui propter propria peccata tentationes sustinent, non solet statim auxiliari: atq; hoc magna cum dispensatione agit. Tẽpore enim accepto, inquit, exaudiui te. iis verò qui ob dæmonis calumnias id patiũtur statim adest, adhuc enim inquit, loquente te dicam ecce adsum. Kal.

Conuertere domine eripe animam meam. Conuertere ad me, inquit, tametsi hactenus ob peccata mea auersus fueris à me: & eripe me ex afflictionibus.

Saluum me fac propter misericordiam tuã. Non ob virtutes meas, inquit, id peto. nullas enim habeo quibus id merear.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui. Per mortẽ, peccatum intelligit mortis ministrũ. ab initio enim peccatũ introduxit mortem. ait igitur, quòd qui peccatũ facit, non est tunc dei memor. est enim velut ebrius aut obcęcatus, qui peccat, vel mortem appellat tẽpus mortis. quia vbi quis mortuus

 fuerit,

fuerit,ablatũ ei est,vt possit amplius dei reminiſci,aut deum rogare.inutiles enim tunc essent omnes preces.

In inferno autem quis confitebitur tibi? Ante mortem pœnitere quem potest? post mortem verò retributionis tantummodo tempus est.

Laboraui in gemitu meo,lauabo per singulas noctes lectum meũ, lachrymis meis stratum meum rigabo. Non simpliciter laboraui,inquit,sed cum gemitibus.Quæ res intensionem denotat laboris.nec simpliciter etiam dixit effundam lachrymas, sed lauabo lectum meum: neque id semel tantum faciam, inquit,aut secundo, sed per singulas noctes. Et quia in die variæ me cogitationes distrahunt, faciam quietis tempus confessionis esse: nemine scilicet me tunc perturbante.cõmodissimum enim est ad pœnitentiam id tempus.Quod verò ait: lachrymis meis stratum meum rigabo: expositiue dictum est ad præcedentia, & ad clariorem sensum illorũ verborum: lauabo per singulas noctes lectum meũ. Audiamus verò nos homũculi,tanti regis pœnitentiã,eamq; imitemur. Protulit autem hæc verba beatus Dauid, ad excitandam in se misericordiam dei: vtque ad eam deum magis flecteret: ne aliquando fortassis grandis calamitatum cumulus, vires suas prosterneret,atque eum inutilem redderet.

Turbatus est à furore oculus meus. Oculus animæ scilicet: hoc est mens mea. Cõsiderans enim ego,inquit,furorem aduersus peccatores,in die iudicij,vehemẽter perturbatus sum. Cõgrue verò mentẽ ipsam oculũ appellauit, veluti qui itineribus omnibus dux est.nam & mens videt & audit. Aliqui etiã dicunt oculũ corporis beati Dauid perturbatũ fuisse, cũ iratus esset aduersus inimicos. proprium enim ac peculiare est iis,qui irascuntur,vt oculi eis turbentur.

Inueteratus sum inter omnes inimicos meos. Veterascentium vestimentorum instar neglectus sum ac vilipensus ab inimicis meis: qui tamen ante commissa à me delicta, timebant me.vel inueteratus sum: hoc est debilior effectus. Senes enim debiliores viribus effici solent.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Sentiens iam ac cognoscens diuinum sibi præsto esse auxilium, fiduciam ostendit: & inimicos perterrens,seu visibiles seu inuisibiles illi sint,aufugere eos iubet.

Quoniam

Quoniam exaudiuit dominus uocem fletus mei, exaudiuit dominus deprecationem meam,dominus orationẽ meam suscepit. Hæc omnia causam esse dicit fiduciæ suæ, timorisque pariter ac fugæ inimicorum.tria verò hæc in præsenti versiculo dicta, eundem habent sensum: vt alibi etiam diximus. Vel aliter: quia ob paupertatem,aut alias eiusmodi miserias,sepenumero multi deflere solent: supplicationis vocabulo, æquiuocationem fletus distinxit:qui ad coadiuuandam supplicationẽ interfuit:& ad hæc,orationis etiam nomen adiunxit, vt maiorem precum suarum intensionem denotaret.

Erubescant & cõturbentur omnes inimici mei. Rogat vt quæ sibi fuerunt significata quàm celerrimum finem consequantur.erubescant autem eius inimici, cernentes conceptas à se spes inanes fuisse. sperauerant enim posse se de facili in propria potestate habere beatum Dauid, veluti diuina priuatũ beneuolentia: quòd si erubuerint,& pudore confusi fuerint, quomodo non etiam timebunt?

Conuertantur & confundantur ualde uelociter. Illi sic sentiẽtes retro abeant.&(quod ait)confundantur,augmentum atqueintensionem significat pudoris.Dictio autem,valde velociter,omnibus his verbis adiungenda est.optat nanque atque imprecatur illos quàm citissime hæc omnia pati. Quidam verba hęc dicunt precum potius similitudinem habere, quàm imprecationis: & precari Prophetam pro inimicis,vt eos pudeat prauorum consiliorum: vt timeant deum qui ipsi prophetæ adiutor est: vt à propria prauitate discedant,atque hoc pacto meliores fiant. ἀποστραφήσαν, καταισχυνθήσαν.

Psalmus ipsi Dauid,quem cecinit domino pro uerbis Chusi filii Iemeni. Ἰεμενεί.

Præsens inscriptio uidetur ferè pugnantia continere iis, quæ in historia Regum habentur,& ubi gesta beati Dauid suo ordine cõscripta sunt.illic enim Chusi nõ Iemeni filiũ fuisse legimus, sed Arachi.ueruntamen recte conueniunt hæc,ut dicemus: uel quia duplex fuerit nomen patri Chusi: uel quia ipse postmodum huius cognominationem sortitus sit,ut Iemeni filius diceretur. hic etenim Chusi, Arachi filius,& socius beati Dauid,memor ueteris amicitiæ, cum Absalon filius beati Dauid, aduersus patrem insurrexisset, finxit se

deficere

deficere ab Rege & ad Absalonem transfugere, eo consilio, ut Achitophel ducis Absalon consilia dissolueret: quemadmodũ & perfecit. morando quippe & cunctando Absalonem, contra Achitophelis consilium, ita detinuit, ut occasionem & tempus præstiterit beato Dauid, & longius fugiendi, & maiores copias colligendi: ut in libris Regum latius scriptum reperitur. ab huiusmodi igitur strenuo opere, appellationem hanc Chusi consecutus est, ut Iemeni filius diceretur. Si quidem Iemeni dextera interpretatur. Mos uerò est scripturæ sacræ, ab exercitiis aliquibus seu studiis, tanquam à parentibus filios denominare, ueluti filium pacis, filium sapientiæ, & filium perditionis: ita etiam & filius dexteræ ille dicitur, qui dexter & commodus amico fuerit adiutor. illud etiam animaduertendum est, quòd inscriptio dicit, pro uerbis Chusi: & tamen in toto Psalmo Propheta nullã Chusi memoriã facit: unde alia oritur dubitatio: quomodo scilicet pertineat ad Psalmum inscriptio. Nos tamen quod cognouimus non celabimus. cum pœniteret prophetam, quòd spem aliquam posuisset in prudentia & consiliis Chusi, qui eũ suaserat decepturum se Absalonem, & dissipaturum consilia Achitophel, huiusmodi psalmum composuit & cecinit deo, non pro beneficiis quæ consecutus fuerat à prudentia & consilio Chusi: sed quia ipse amissa illa spe, quæ præcipue in deum habenda erat, magis fretus sit in uerbis Chusi, à se ad Absalonem missi. est igitur hic Psalmus propitiatorius, placátque & beneuolum reddit deum ob commissum errorem: illúmque in auxilium suum aduocat.

PSALMVS VII.

DOmine deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. Licet, inquit, ob prudentiam Chusi adiutus sim, & paululum respirauerim, tẽpusque acceperim ad congregandũ exercitum, nunc tamẽ in illo amplius non confido: & cum propediem pugnæ dies mihi instet, à te vno pendeo, in quem vnum omnes spes meas collocaui. alia enim omnia, amicos nimirũ, socios, ac milites, secundo, in loco reputo. Scriptũ est enim: maledictus homo qui spem ponit in homine. Item, beatus homo qui sperat in te: & quemadmodum alium colere quàm deum, nõ debemus, sic etiã in alio sperare nos non decet quàm in deo. Ille autem saluarĩ dicitur, qui in bello sine vulnere conseruatur: & eripi is, qui ab inuasione atq; impetu inimicorũ liberatur. ex omnibus autem

autem persequentibus me, dixit, propter eos qui parricidam filium sequebantur, & eius mortem appetebant. vel aliter: ille saluari dicitur qui infirmus est: eripi verò seu liberari ille, qui est captiuus. Salua me igitur vt infirmum: & libera me quasi captiuum. timeo enim ne ab inimicis comprehendar. vel salua me ab inimicis præsentis vitæ: & libera me ab inuisibilibus inimicis, qui post mortẽ meã, animæ meæ maculas omnes perscrutaturi sunt, si quo pacto fortasse eam potuerint comprehendere: duplexque erit iuxta hunc sensum petitio, pro præsenti scilicet vita, & pro futura.

Ne quando rapiat ut leo animam meam. Absalonem filium Leoni comparat, ob summam illius temeritatem, ferociam, atq; impudentes ausus. vel forte assis de dæmone sermo est, qui Leoni conuenienter cõparatur. quia sicuti Leoni os, ac fauces male olent, ita etiã os dæmonis eructans blasphemias male olet. figura etiam videntur hæc verba esse, eorum quæ à domino passionis tempore dicta sunt. nunc princeps huius mundi eiicietur foras, & in me non habebit quicquam. quòd si intelligimus psalmum de Absalone, animam, expone, id est vitam, quæ ab interfectore quodammodo auferri videretur. Est etenĩ anima vitæ causa: & sæpenumero causata ipsa causarum nominibus appellamus: quemadmodum & dominus, pax, dicitur & iustitia, & alia huiusmodi: quia pacis & iustitiæ author est. hac etiam ratione dæmon peccatum & perditio appellatur, veluti illorum causa. improprie autem posita est dictio rapiat, pro interimat. congruit etiam hic psalmus, omnibus his qui in tentationibus & periculis animæ constituti sunt, si per persequentes, dæmonum copias intellexeris, & per Leonem, ipsum dæmonum principem satanam: qui animas ad peccata, aut ad desperationem rapere solet: vel qui eas rapit vbi exiuerint è corpore.

Cum non sit qui redimat, neque qui saluum faciat. Congruehæc & suo ordine correspondent prædictis verbis, salua me & libera me. te, inquit, non adiuuante, nullus est qui saluet, aut qui redimat.

Domine deus meus si feci istud, si est iniustitia in manibus meis, si retribui retribuentibus mihi mala, decidã sanè ab inimicis meis inanis. Nõ aperit, ppheta peccati genus, filio ignoscẽs. neq; enim suo nomine illud declarauit, vicem filij quodãmodo

ἀδικία ἔρα.

erubescens:

erubescens: sed (quod videri potest magis laudandum) si feci hoc, ait, quod filius meus commisit aduersum me (scelestus quippe is fuerat & parricida) si iniuriam aliquando manibus, hoc est factis, intuli, tametsi illius sæpe scelera præsenserim: vel si læsi eos, qui aduersum me Absaloni in bello opem tulerunt: quique pro beneficiis à me in eos collatis, mala mihi nunc retribuunt: si horum quicquam, inquit, commisi, precor vt aduersus inimicos meos non prævaleam, sed re infecta, inanis decidam. verum aliqui, huiuscemodi quæstionem mouent: si non deciderit inanis Dauid, nec re infecta recesserit, sed aduersus inimicos prævaluerit, certe hoc pacto in illos commissorum scelerum pœnam inferet. quomodo igitur dicit se illis mala non reddere? dicere possumus, præterita illum tempora significare: quia quum in præteritum occasionem sæpe nactus iniuriam referre potuisset, abstinuit tamen: in præsentia autem, cum periculum ei vitæ immineret, ad defensionem sui accedebat, tanta iniquorum hominum scelera amplius non sustinens. vel aliter: decidam ab inimicis meis inanis id est frustratus omni spe. spes autem non vlcisscendi erat, sed repellendi inuadentes: vt saltem hoc pacto persequi eum desisterent. videre enim licet quemadmodum militibus suis iussit vt filio parcerent: & quomodo illius morte intellecta, in magnos decidit luctus. vel aliter: inuisibiles inimicos hoc hoc loco intelligere possumus, à quibus inanis quis decidisse dicetur & re infecta, si illos non superauerit, & virtutum suarum acie eos non confuderit. hæc autem verba non iactabundus dicit, sed potius sibi conciliaturus deum, cum in angustias incidisset. &, si ad alias personas referantur hæc verba: nõ affeci ego, inquit, hominum aliquem iniuria, nec Sauli qui mihi pro acceptis beneficiis manifeste mortem intentabat, iniurias retuli: tametsi in potestatem meam deuenerit: vt in historiis Regum continetur. Siue igitur Absaloni hæc aptaueris, & is qui cum eo erant: siue alteri: siue etiam ipsi Sauli, veritas nihil lædetur. Retributionis vero nomine hic, primo loco improprie vsus est, pro reddidi. nam qui bonum aut malum aliquod primus infert, is dare dicitur, reddere verò is qui datis parem vicem tribuit: retribuere autem, vel potius (vt Græca dictio ἀνταποδοῦναι significantius exprimit) contra retribuere is dicitur, qui secundam beneficiorum

neficiorum aut iniuriarum vicissitudinem reddit. huius autem verbi vsus frequens est apud scripturam, præcipue apud beatum Dauid.

Persequatur inimicus animam meam & comprehendat. Persequatur, inquit, Absalon animam meam: hoc est, meipsum (circumlocutio enim est) & comprehendat.

Et conculcet in terra uitam meam. Per vitam hoc in loco sanguinem intelligit, qui vitæ causa est, veluti præcipuum elementum inter cætera quæ in corpore sunt, & quæ illud coaptant.

Et gloriam meam in puluerem habitare faciat. Per gloriam, glorioſum ac nobile corpus suum intelligit: quod tum ob vires eius maximas, tum ob magnitudinem & gloriam, quæ ei ab imperio obuenerat apud omnes celebre erat & notum. in puluerem vero habitare idem est quod iacere, & in terram dissolui: possumus etiam sermonem hunc ad inuisibilem inimicum transferre, ita vt imprecetur, persecutionem se ab eo sustinere, & comprehendi, nec posse illius insidias euadere, quinimmo in terram hoc est in terrena negotia vitam suam immergi. hoc enim significant illa verba, & conculcet in terram vitam meam, adeò vt iacenti illi insurgat dæmon, ac turpiter insultet. neque hoc tantum, inquit, corpus conculcet, sed & gloriam: hoc est ipsum etiam intellectum, qui animæ honor est & gloria, in terram deferri imprecatur, & terrenis rebus applicari, ita vt contemplationis alis ad deum amplius extolli non possit. Κατάσκηνώσαι

Exurge domine in ira tua. Exurgere potest deus, & non in ira iuxta illud, Exurge domine saluum me fac: at nunc ad supplicia atque ad pœnas eum aduocat: intelligere autem debemus deum surgere non corporaliter, sicuti nec corporalem sedem intelligimus, quando sedere illum legimus: sed regiam eius dignitatem stabilitatemque & iudicandi authoritatem iudicari arbitramur. hoc pacto etiam cum exurgere deum dicimus, puniendi aut defendendi illius propositum denotamus. iram in deo pari modo non passionem esse intelligimus, sed castigationem & punitionem illorum qui diuina ira digni sunt.

Exaltare in finibus inimicorum tuorum. Cum altus sis & sublimis, ita etiam appare, atque ostende te hominibus: huiusmodi Ἐποῦ

modi autem apparebis in finibus, hoc est in morte inimicorum tuorum. Mors quippe vniuscuiusque finis est: meos vero inimicos, tibi etiam inimicos esse non ambigo, eum mandata tua transgrediantur.

Exurge domine deus meus in præcepto quod mandasti. Noli amplius esse sanguinis, sed vlciscere propter præceptum quod mandasti. quod videlicet tradidisti per Moysen iubens, parentes honorandos esse à filiis. verum in præsentia filius meus furore in patrem correptus est. possumus & aliter intelligere: quòd Propheta preces fundat pro resurrectionis mysterio. Dixit enim dominus ad Iudæos, vt apud Euangelistas legimus: soluite templum dei, & in tribus diebus ædificabo illud. Exurge igitur, inquit, iuxta illud mandatum, dixisti enim soluite & soluent.

Συναγωγὴ γενῶν. *Et congregatio populorum circundabit te.* Si enim mihi adiutor fueris, videbunt multi & timebunt, & conuertentur ad dominum. quod vero ait circundabit te, idem est quod circa mandata tua versabuntur, & nunquam ab eis recedent. nam alioquin deus immensus est, & comprehendi non potest. possumus etiam hoc intelligere de resurrectionis tempore. congregatio enim gentium, quasi corona quadam Christum cinxit, cum ab omnibus terræ finibus gentes ad eum accederent. vel circundabit te, hoc est canet & laudabit te. in choro enim ac cœtu, Hymnos ac laudes deo canere solemus. à forma igitur seu figura cœtus hominum, Deum laudantium, laudationem ipsam significauit.

Et propter hanc in altum regredere. Propter hanc inquam congregationem gentium, ascende tu ô mediator ad patrem, & regredere in altitudinem gloriæ tuæ: quam habebas priusquam mundus esset, & ineffabile mysterium perfice.

Κρινεῖ *Dominus iudicabit populos.* Non negliget dominus ea quæ aduersus me moliti sunt, sed disquiret omnia. vel iudicabit populos condemnans prauos, bonos vero statuens à dextris.

Κρῖνόν μοι κύριε κατὰ τὴν δικαιοσύνην μου καὶ κατὰ τὴν ἀκακίαν μου ἐπ' ἐμοί. *Iudica mihi domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam quæ in me est.* Postquam meminit iudicij, esto, inquit, & mihi iudex, disquirens iustitiam meam, quam seruaui aduersum parricidam filium, & complices. præterea etiam id peto, vt secundum simplicitatem meam quæ in me est,

me est, sic fiat mihi. Sed quomodo alibi dicit, & non intres in iudicium cum seruo tuo, cum hic iudicari cupiat? quia scilicet ibi iudicari refugit cum deo, & vitam suam cum illius beneficiis comparari: nunc autem se cum filio iudicari quærit, & cum his qui iniurias ei intulerant, atq; interimere eum cupiebant.

Consumatur nequitia peccatorũ, & dirriges iustum. Nam si aliquando eorum malignitas cessauerit, dirigentur iusti. hoc est absq; impedimento in recta virtutis via ambulabunt. Συντελεσθήτω

Scrutans corda & renes deus iuste. Tu deus, inquit, iuste inuestigas atq; exquiris renes & cor. hoc est omnia iræ atq; indignationis germina, quæ in corde versantur: & omnes cõcupiscentiæ radices, quæ in renibus inesse solent. ex his nanque iræ nimirum & concupiscentiæ affectibus, peccata omnia ortum habuere. & aliter: deus scrutatur cor & renes. dilectionem autem, iuste, sequentibus coniunge legens, iuste adiutorium meum à domino. δικαίως

Adiutorium meum à domino qui saluos facit rectos corde. Simplex & rectus corde cum sim, meq; ad rectum dirigam virtutis callem, auxilium expecto non humanum (inutile quippe illud est) sed à deo qui potens est vt saluet me.

Deus iudex iustus fortis & longanimis. Videntur hæc ad eos dicta esse, qui de dei prouidẽtia penè scandalizati fuerant, q̃ permisisset filium aduersus patrem insurgere. iustus igitur est, veluti qui vniuscuiusque operibus æquas vices rependit: fortis vero, velut is qui potest quæcunque vult: & longanimis, vt qui non statim infligit pœnas.

Et iram non afferens per singulos dies. Hoc ad probandam dei longanimitatem dictum est. Etenim cum assidue delinquamus, & ideo dignos nos suppliciis reddamus, ipse tamen tempus pœnitendi, vt longanimis tribuit. per iram igitur hic pœnas intellige. Mouent quidam dubitationem: si iustus est deus, & condignas tribuit pœnas, quomodo potest dici misericors? Ad quod dicendum est: iustum quidem deum esse, veluti qui vnicuique condignas reddit pœnas, sed misericordem esse etiam: quia non statim castigat, sed sustinet, & pœnitentiæ ac conuersioni tempus tribuit, nec dæmonem finit omnia perficere, quæ ille optat: & quia omni denique ex latere nostram sitit salutem. Καὶ μὴ ὀργὴν ἐπάγων καθ' ἑκάστην ἡμέραν

Nisi

Στιλβώσει

Nisi conuersi fueritis, gladium suum nitidabit, arcum suum tetendit & parauit illum. Sciens beatus Dauid vt propheta, quòd vniuersæ gentes eius psalmos in ore atque in manibus semper habituræ erant, disciplinam eis admiscet. nisi enim vos, inquit, qui à recto calle, declinastis in erroris vias, & conuersi estis ad materiales res, iterum ab his reuertamini ad deum, pœnas profecto non effugietis. per gladium autem, acerbitatem, & per arcum, celeritatem mortis indicat. Nitidare autem & tendere, pœnarum apparatum significant, longanimitatemque diuinam non perpetuam fore, sed ad tempus. parare vero dicere potes flagelli propinquitatem. vel aliter: per arcum, vehementiam pœnarum intellige: per arcus tensionem, appropinquationem pœnarum, & demum per eiusdem apparatum, quomodo peccatores deus omnino percussurus sit, nisi pœnitentiam egerint.

Σκεύη

Et in eo parauit instrumenta mortis. In eo nimirum supplicij genere, quod sub arcus figura denotauit. varia autem sunt mortis genera: gladius videlicet, ignis, aqua, terræmotus, hiatus terræ, ægritudo: quæ omnia mortis sunt instrumenta. per ea enim mors, finem suum consequitur. illud tamen animaduertendum est: quòd licet humano more verba sint prolata, omnia tamen digne deo intelligenda sunt. huiusmodi enim crassioribus verbis Propheta sæpe vti solet, auditorum hebetudini condescendens. hac ratione gladium Deum habere dicit, arcumque & sagittas, atque alia bellica instrumenta: nitidareque eum & tendere, vt auditoribus timorem augeret, & per nota eis nomina, lapideam eorum mentem concuteret: verum huiusmodi armis non indiget, qui aspectu solo facit terram tremere: in manu cuius est omnis spiritus: qui etiam montes dissoluit in fortitudine sua: omniaque alia facit, quæcunque de eius potentia diuini contemplatores tradiderunt.

Sagittas suas ardentibus effecit. Ex his verbis probos homines consolatur. pœnas enim, inquit, fecit deus propter eos, qui sceleſti sunt ac deo indigni. Ardentes enim appellauit eos, qui omni prorsus carent virtutis humore: qui adeò sicci sunt ad operandum aliquod bonum, vt facile ab igne pœnarum incendantur: qui etiam iam ardere dici possunt, ea ratione: quia pœna illa iam eos manet. & aliter ardentibus: igne

igne scilicet passionum, iræ, voluptatis, auaritiæ, & similium. Cum autem multiformem dei iram descripserit, eamq; prauis hominibus imminere tradiderit, erudit postmodum, & docet nos à præsentibus rebus: & sermonem ad Absalonem conuertit.

Ecce parturiit iniustitiam. Filius meus, inquit, factus est iniustitiæ grauidus, cum iniuste cogitauerit me de eo regno expellere, quod mihi à deo datum est. parturitionis autem nomine vsus est, volens ostendere quales & quàm acerbos dolores, ij patiantur, qui proximos suos iniuria afficere studeant. implentur siquidem indignatione, interrumpuntur ab ira, cogitationibus tabescunt, per innumeras ambulant vias, timore afficiuntur, in angustiis permanent. huiusmodi autem flagella sustinere omnino nequeunt, donec cogitationes suas in opus non deduxerint tametsi postea non liberentur, à sententia, atque à condemnatione propriæ conscientiæ. Quando igitur scriptura, intolerabilem aliquem dolorem vult exprimere, illum sub parturitionis nomine describit: quo nomine, Græci præcipue, frequentius vtuntur pro dolore, parturitionem, ὠδῖνα appellantes, à verbo οἰδαίνω idem proprie significante quod tumeo seu augesco. etenim cum infans in matris vtero perfectus est, & auctus, amplius ferri non potest. vnde maximos efficit dolores, cum ad exitum festinet. Per hęc autem ostenditur vitia in nobis naturaliter non esse complantata sed deforis insita esse, & graues postea dolores producere.

Concepit laborem & peperit iniquitatem. Atqui in aliis fœtibus primum conceptio est, & deinde parturitio consequitur, aucto ac perfecto infante: verum id sic se habet, quando de conceptione & parturitione illa loquimur, quæ in vno atque eodem fœtu contingit: nunc autem de diuersis fœtibus est sermo. primo enim Absalonem dicit parturisse iniustitiam, deinde cum ab ea male affectus esset, tum ob rationes iam dictas, tum etiam quia idoneum tempus ad patrandа scelera nondum inuenisset, concepisse eum narrat laborem, hoc est corporis dolorem. nam si animus solicitudinibus torqueatur, ipsæ etiam corporis vires deficiunt. non tantum igitur animi mœrore Absalon detinebatur, sed in corporis etiam dolores inciderat, donec iniquitatem peperit. Πόνον

Porrò illud iniquum fuit, inhonorare ac persequi patrem, & illius pellices violare. Quidam vero breuiorem expositionem secuti, parturisse exponunt pro cogitasse. per conceptionem vero constantiorem illam tyrannidis meditationem intelligunt. vel aliter: cum Absalon grauiter animo angeretur, & multa passus esset propter huiusmodi cogitationes, nec tamen adhuc quiesceret, concepit rursus alium dolorem eandem ob causam: qui alius ei fuit labor, & alius dolor, & secundus partus.

ὤρυξε, καὶ ἀνέσκαψεν

Lacum fodit & refodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Periculum, inquit, mihi præparauit, & eiusmodi periculum, vt ab eo vix possem liberari: quod latius similitudine denotauit. qui enim in lacum incidit, illinc amplius effugere non potest. præcipue si is lacus non fossus tantum sit, sed refossus, & bis euacuatus, ita vt profundior sit. huiusmodi aduersus me inquit, insidias filius meus molitus est, quæ vastæ fossæ instar quoddam in se vitiorum profundum habent, & mortiferum circuitum. verum ille in periculum ipsum mihi destinatum decidet, & comprehendetur in præmium eorum, quæ aduersus me moliri, nunquam cessauit.

πόνος

Conuertetur labor eius in caput eius. Vtraque hæc, re ipsa illi contigerunt. Ipse enim Absalon in periculum incidit, & eius studium tandem in ipsius caput reuolutum est. nam cum in aciem milites hortaturus festinaret, inter currẽdum equo præteruectus, cæsarie ramo arboris complicata suspensus remansit. quo pacto acerbam mortem sustinuit.

ἀδικία

Et in uerticem ipsius iniustitia eius descendet. In eum enim irruet iniustitia, quam in alios tendebat. Ab ea autem corporis parte quæ est magis lætalis, totum hominem significauit: veluti totum à parte. & sanè ita actum est. Nam cum bellum in patrem instrueret, ipse in eo fuit interemptus.

Confitebor domino secundum iustitiam eius. Ego, inquit, post huiusmodi belli exitum, gratias deo agam de iusto eius iudicio.

Et psallam nomini domini altissimi. Canam, inquit, nomini eius pro victoria: quia eius nomen inuocaui, & exauditus sum. Quod si illius nomen tantas habet vires, quis non ipsum dominum formidabit? Altissimi autem, id est, illius, qui est supra omnia, qui insuperabilis est, vel etiam supercœlestis, vt

stis, vt superius diximus. Hæc autem verba non gaudentis sunt aliorum cæde, nec filij potissimum, cum lugubrem egerit illum victoriæ diem: sed suscipientis sententiam dei, quæ iniustos illos coercuit. Aliqui vero verba illa lacum fodit, & quæ sequuntur, vsque ad illa, iniustitia eius descendet, breuiori expositione declarant, dicentes, ea verba per metaphoram significare, quòd Absalon ipse ea passurus erat, quæ aduersus patrem moliebatur. huiusmodi etiam verbis possumus & nos aduersus dæmonem imprecari.

In finem pro torcularibus Psalmus ipsi Dauid.

Quid sibi uelint uerba illa in finem, in superioribus dictum est. Torcularia appellat Ecclesias, quæ ubique terrarum sunt. Christus enim uitis est & Apostoli palmites: uua autem & racemus fidem significant, quæ in Ecclesiis compressa, disciplinæ Christianæ uinum tribuit, quo fidelium corda lætificantur. Ex persona igitur spiritualium horum torcularium, hoc est, Ecclesiarum, hic Psalmus à Propheta conscriptus est. olim quippe unicum tantum templum constructum erat, in una tantum ciuitate Hierusalem: quia uni tantum erat genti datum: de quo Esaias ait. Aedificaui turrim, & torcular fodi in ea. turrim templum appellans, & torcular altare. in fine autem seculorum, hoc est in fine legalis cultus, illa turris destructa est, & loco eius per uniuersum orbem erectæ sunt innumerabiles Ecclesiæ: quoniam omnes gentes in dei cognitionem uenerunt.

PSALMVS VIII.

Domine dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra. Infidelium quidem dominus, Christus dicitur, sed vna tantum creationis ratione: fidelium vero duplici, creationis scilicet & cognitionis. quam ob causam nomen domini hoc in loco etiam duplicatur. dicant itaque omnes fidelium Ecclesiæ: domine creator & opifex: qui nuper etiam per cognitionẽ nostri dominus factus es: quàm admirabile est nomen tuum in omni terra: cuius sola inuocatio dæmones fugat, mortuos suscitat, ægritudines pellit, elementa commutat, & omnia potest. Alibi vero terribile etiam appel-

 latur

latur seu timendum. Admirabile est igitur ob multa, quæ supra naturam operatur: & timendum ob ineffabilem eius potentiam. Sed vides quomodo beatus Dauid se nobis voluerit connumerare, communi nomine dominum nostrum appellans, præuidens nimirum mysterium & fidem, quæ ad ipsos mundi fines erat peruentura. quid igitur ad hoc dicent Iudæi? antea quippe dei omnipotentis nomen apud plurimas gentes despectui erat. nam, vt inquit Esaias: Propter vos nomen eius blasphematur inter gentes. vnde sine dubio de Christo hæc dicta esse conuincuntur.

Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. Magnificentiam hoc in loco dei humanationem appellat: quæ & magna est, & omnem exuperans intellectum. eleuata enim est, & transcendit illas etiam potestates quæ supra cœlos sunt: eo quòd ab eis etiam comprehendi non potest. vnde maxime eis est admirationi. neque enim homines tantum, sed ipsi etiam angeli ad hoc stupent mysterium. vel aliter: significare nobis volens Propheta immensam diuinæ naturæ potentiam, exaltata est, inquit, magnificentia tua super cœlos, cum terra eam non caperet, quod alius Propheta dixit: operuit cœlos virtus eius, & laudationis eius plena est terra.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Laudationem puerorum prædicit factam in templo. ex omnibus autem miraculis, huius tantum meminit Propheta, tanquam admiratione magis digni. nam & ante Christum leprosi sanati fuerant & dæmones expulsi: & mortui suscitati: infantes vero locutos esse, tunc primum legimus. neq; enim simpliciter pueri fuisse dicuntur, sed infantes & lactentes: quod maxima admiratione dignum est. perfeciſti autem, id est perfectam feciſti laudem illam, cum alioqui illorum lingua adhuc esset imperfecta.

Propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem. Edisserit etiam causam miraculi. factum est, inquit, id propter sceleſtos inimicos tuos Iudæos. in aliis enim miraculis suspicati sunt fortassis Iudæi quòd deciperet Christus & falleret eorum oculos, in infantium vero laudatione, qui apud eos versabantur, immo qui eorum erant filij omnis aberat suspitio. hæc autem ita dispensata sunt à deo: ad destructionem,

structionem, hoc est ad confusionem Iudaici populi, qui inimicus simul & vltor dei erat: inimicus quia eius filio aduersabatur: & vltor, velut is qui pro deo se id facere existimabat. possumus etiam dæmonem inimicum & vltorem dei dicere inimicum: quia eius mandatis aduersatur, & quia semper infensus est amicis dei: vltorem vere, quia is qui à deo proiecti sunt, improperare solet, quòd contemptores dei fuerint: atque ideo ad pœnam eos trahit, quòd diuina mandata transgressi sunt. ex ea quippe infantum laudatione ipse etiam dæmon confundi visus est & destrui. Futura autem Propheta narrat vt facta: veluti qui propheticis oculis ea viderat: vel ex persona Ecclesiarum, vt diximus, hæc prolata sunt: veluti quæ ab eis quandoque ita essent proferenda.

Quoniam uidebo cœlos opera digitorum tuorum. Olim gentes mundum à falsis eorum diis factum esse arbitrabantur: sed vbi claruit veritas, Ecclesia fidelium cecinit: videbo cœlos, qui digitorum tuorum opus sunt. Cœlos autem, cœlum ipsum appellauit, quod initio factum est, & firmamentum. vel plurali numero pro singulari Hebræorum more vsus est. Et dum cœlum dicit quo omnia complectuntur, cæteras creaturas quæ in mundo sunt, comprehendere etiam videtur. Dicunt quidam ideo dixisse opera digitorum tuorum, vt tanta ac talia elementa, à minima diuinæ potentiæ particula facta fuisse significaret. Ego vero Prophetam puto indifferenter vsum hoc loquendi modo, cum alibi etiã dicat: & opera manuum tuarum sunt cœli. Lunam & stellas, quæ tu fundasti: cum cœli meminerit, illius etiam addit ornamenta: te, inquit, cognoscam factorem stellarum. Solem vero prætermisisse non videtur, dum Lunam commemorat: quinimmo & Solis meminisse credendum est: Lunæ memoria quæ ab ipso sole illuminatur: cum vterque cognitioni hominum coniunctim inhæreat. Duo quippe sunt magna luminaria, quorum qui alterius meminit, alterum simul introducit. vnde alibi solis tantum meminit, quando ait: tu fabricatus es Auroram & solem: quasi per alterum vtrunque intelligatur. Sequitur, quæ tu fundasti: quæ astra nimirum, vel opera tu fundasti: id est, finxisti, stabilisti, ita vt decidere non valeant, aut dimoueri è loco, vbi per te collocata sunt:

ta sunt: tametsi ea appensa quodammodo esse videantur.

Quid est homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam uisitas eum? Hæc etiam propter incarnationem dicta sunt, prænoscens enim Propheta illius mysterium: quid, inquit, tanti est homo, vt cum rebellis à te factus sit, & imperium tuum detrectauerit, tu tamen illius miserearis? est autem hic sermo metaphoricus, atque ab eorum persona translatus, qui certo tempore cuiuspiam obliti sunt, & deinde compassione moti, eius reminiscuntur: nec tantum reminiscuntur, sed in illius auxilium & defensionem etiam mouentur. Et hæc est visitatio quam dicit. neque enim Angelus aliquis, aut legatus, sed ipsemet dominus per se veniens saluauit nos. Quid igitur? tanti est homo, vt propter illum hæc fieri debeant? & cum Angeli quidem cecidissent, tu nihil eiusmodi fecisti, in hominis autem ruina & casu, ad extremã hanc deiectionem descendisti. homo autem & filius hominis idem æque significant: circunloqui tamen sæpe sic solet scriptura, vt pro homine filium hominis dicat.

Βραχύτι *Minuisti eum modicum quid ab angelis.* Antiquorum beneficiorum meminit quæ in hominem collata sunt. creatus enim homo modicum quid ab angelis minoratus est, propter complicationem corporis, & alia quæ ad corpus pertinent. atque hoc sanè magna cum dispensatione: vt quoties propter intellectum extolleretur, toties deprimeretur atque humiliaretur propter terram. Nam si in præsentia cum corpore grauamur, adeò extollimur & gloriamur, quid existimandum est facturos fuisse, si absque corpore nobis viuendum esset?

Gloria & honore coronasti eum. Gloria, quia ad imaginem & similitudinem dei factus est: honore, quia omnia ei subiecta sunt animantia.

Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Elegisti eum in Regem totius creaturæ. crescite enim, inquit, & multiplicamini, & replete terram, & dominamini ei.

Τὰ *Omnia subiecisti sub pedibus eius, Oues & Boues uniuersas, insuper & pecora campi: uolucres cœli, & Pisces maris, quæ perambulant semitas maris.* Hoc etiam ex Genesi sumptum est. dominamini, inquit, Piscibus maris, & volucribus cœli, & omnibus pecoribus, & omni terræ: Cumq; Propheta hic omnia dixerit,

dixerit, postmodũ distinguit. & primo quidẽ mitiores oues, cõnumerauit: per pecora autem campi quadrupedia omnia comprehendit, quæ in campis habitant: & iuxta Græci nominis etymologiam animalia omnia intelliguntur: quę prona in terram aspiciunt. per pecora igitur, terrestria omnia animalia significauit, seu mitia sint, seu syluestria, & fera. omnia quippe in hominis ministerium data sunt: quibus omnibus ille etiam homo adhuc dominabitur, qui pristinam animæ suę seruauerit dignitatẽ. Cœli autẽ volucres dixit, pro aeris. Cœlũ enim sæpe, ponitur pro aere, qui cœli instar capiti nostro circunfusus est. Piscium etiam, cum innumerabilia sint genera, vno sermone omnia complexus est dicens: quam perambulant semitas maris. & à masculino genere ad neutrum transit, volens hoc pacto varia piscium genera denotare. verũ hæc de puro ac simplici homine intelleximus. Iuxta anagogem verò ad humanitatem Christi pertinent: quemadmodum Apostolus ad Hebræos declarat. quid enim inquit, tanti est humanitas illa assumpta à deo verbo, quòd illius memor es? dicens? hic est filius meus dilectus? filiũ autẽ hominis dixit, vt eos conuinceret qui Christi carnẽ superne descendisse asserunt: qua ratione ipse etiam dominus apud euangelistas sæpenumero filium hominis se appellat: significans quòd ex virginali vtero, atque ex purissimis illius sanguinibus ipse sibi templum constituerat. filius enim hominis is vere dicitur, qui mulieris est filius. nam & mulier vere homo est. visitauit autem illum deus, iuxta quòd alibi legimus: prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne cõmouear. quod vero ait: minuisti eum modicum quid ab angelis: ea ratione dictum est, quia & famem patiebatur Christus, & sitim, & reliquis omnibus corporis passionibus, atque affectibus subiacebat, qui reprehensibiles non sunt. Cõronasti autẽ eum hoc est ornasti, gloria quidem diuinitatis: honore autẽ, quem angeli ei præstabant. sæpe enim ministrabant ei. vel etiam quia vtrunque ab hominibus ei præstabatur, quia credentes in eum, deum appellabant, & religiosissime venerabantur. omnia præterea subiecit deus sub pedibus eius, veluti nouo Adam: qui imaginẽ & similitudinem dei vere seruauit: iuxta anagogem oues, ij dicendi sunt qui ex gentibus crediderũt: quos in collibus, &

montibus errantes Christus inuenit, & ad suum ouile congregauit. Boues verò Iudæi sunt, graue veteris legis iugum trahentes. & pecora campi ij, qui nec Moysi nec gratiæ legē susceperunt, sed idola colentes in campestri humilitate, ac terrena deiectione voluptatum præsentis vitæ ideo ambulant, quia in contemplationis sublimitatē suspicere nequeūt. sed iuxta eam quam diximus Græci nominis etymologiam, quasi pecora pronī in terram, inspiciunt. Volucres etiam cœli pro angelis accipi possunt: & pisces maris pro dæmonib⁹: qui inter fluctus præsentis vitæ subsiliunt, atque in amara prauarum actionum viuunt salsugine. Omnes enim Christo tandem subiicientur: quoniam illi omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorū. Possumus etiam non ingratam quorundam expositionem recensere: quòd scilicet illa verba minuisti eum modicum quid, non ad angelos referenda sint, sed ad gloriam dei patris: atque hoc pacto legēdum minuisti eum ô pater modicum quid, à tua nimirum dignitate propter carnis naturā. & quæ sequuntur per se legantur. sed quoniā quod latine legimus ab angelis, in Græco legitur παρ' ἀγγέλους: quæ verba vltra sensum iam redditum, idem etiam significant, quod supra angelos: intellige quòd gloria & honore eum deus supra angelos coronauit: hoc est plusquam angelorum aliquem. Nullus quippe angelorum, aut huiusmodi dei nomen cōsecutus est, aut tale sortitus ministerium. Veruntamen dicant nobis Iudei, quādo infantes & lactentes pueri laudem hanc dixerint, de qua nunc loquitur propheta: & quem nam inimicum huiusmodi laus destruxerit: quomodo etiam dixit beatus Dauid: videbo cœlos opera digitorum tuorum, cum iam Moyses de his docuisset: in principio enim, inquit, fecit deus cœlum & terram.

Domine dominus noster quàm admirabile est nomē tuum in uniuersa terra. Quoniam hic psalmus Christi prædicit mysterium, qui è cœlo descendit, & rursus in cœlum ad paternam gloriam ascendit, & circulari quodam motu illinc vnde venerat reuersus est, meriro etiā hic psalmus qui de Christo pertractat, circuli instar ibi finem accipit vnde initium sumpsit. incipiens quidem & definēs pari admiratione plenus est, dicens: Domine dominus noster, &c.

In finem

In finem pro occultis filii Psalmus ipsi Dauid.

Quid significet in finem in præcedentibus dictum est: & aliter mors per crucem, congrue dici potest, esse finis uitæ filii: uitæ inquam humanæ, cuius mortem propheta, occulta filii appellauit: quémadmodum ipsa etiam Hebraica lectio apertius explicat dicens, pro morte filii: & alibi mysterium esse legimus absconditum à seculo, ipsis etiam angelis ignotum. & Paulus absconditum fuisse dicit principibus huius seculi. nam si cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Pertinet igitur hic psalmus ad mortem domini, per quem inimici potentia omnis destructa est. Longior uero est, ita disponente sancti spiritus sapientia, quæ nec breues esse omnes psalmos uoluit, neque omnes in longum extendit, sed opus quoddam uarium reddidit, longitudine pigritiam excitans, & breuitate laborem mitigans.

PSALMVS IX.

Confitebor tibi domine in toto corde meo. Cōfessionis nomē duo significat, peccatorum reuelationem, item & gratiarum actionem: vt hic agam, inquit, tibi gratias pro acceptis beneficiis, nec simpliciter, sed ex toto corde meo.

Narrabo omnia mirabilia tua. Beneficia appellat mirabilia, veluti trophæa quædam de inimico admiranda.

Lætabor & exultabo in te. Lætabor, inquit, tāquam is qui experimentum accepi auxilij & potentiæ tuæ: memor enim alibi, inquit, fui dei & lætatus sum. Solus quippe deus hominibus verum est solamen: quemadmodum & solus ipse est qui homines saluat. exultatio vero, maior quædā est lætitiæ intensio: quę præ nimio gaudio subsilire valde atque eleuari cor facit. Ἀγαλλιᾶσθαι ὡς ἄγαν ἅλλεται

Psallam nomini tuo altissime. Mos erat iis qui amatorie in aliquem affecti essent, carmina & cantus in eum componere: atque hoc pacto animi desiderium lenire: huiusmodi metaphora propheta vsus, intensionē amoris sui in deum declarauit, dicens: psallam nomini tuo: quæ dictio musicū ac concinnum cantum denotat. Canam igitur, inquit, non naturæ tuæ, quando quidem illa percipi non potest, sed nomini tuo, decentes illi nectens ac complicans laudes. Ἐν τῷ ἐπιγράφῃναι τὸν ἐχθρόν μου

Cum conuersus fuerit inimicus meus retrorsum, infirmabuntur & peribunt à facie tua. Connumerare incipit beneficiorum genera,

genera,pro quibus deo gratias agit. Auſus eſt aliquando tyrannus dæmon ipſum etiam ſaluatorem, veluti nudum hominem inuadere: ſed ſimulac dici audiuit, vade poſt me ſatana & inexpugnabilem illius ſenſit potẽtiam,magna ſtatim cum ignominia retroceſſit:quo conuerſo ac profligato,omnes pariter poteſtates quæ ſub ipſo erant, debilitatæ ſunt, & perierũt,amiſſa illa nimirum tyrannide, veluti quadam eorum anima. Cum enim vixerit Ieſus ſine peccato: vnde & dæmonem deſtruxit,& nos pariter induit armis ſalutis: cum etiam ſacrum baptiſma,ac diuinorum mandatorum meditationem & cuſtodiam,propriamque vitam ac conuerſationẽ, pro via nobis reliquerit & ſemita,quæ ad cœlum ducit,conſequenter & cæteri dæmones illinc adeo deleti ſunt, vt nullam in nos amplius habeãt poteſtatem, niſi nos ignauia noſtra fortaſſis ita volentes,neglectis diuinis mandatis,ad noſmetipſos eos iterum traxerimus. Quod verò ait à facie tua, idem eſt,quod à timore tuo. ſtrenuorum enim ac potentum virorum facies horribilis inimicis videri ſolet ac timenda.

Quoniam tu feciſti iudicium meum & cauſam meam. Iudicaſti enim me credentem in te, qui antea ſub poteſtate atque amara tyrannide dæmonis ignorantia mea detinebar. Nam cum perſpexeris quòd malignus ille me creaturam tuam inuide in ſeruitutem redegerat, ex illius manibus ſubductum atque ab errore liberatum iuſtificaſti. Cauſam enim hoc in loco iuſtificationem appellat.

Sediſti ſuper thronum qui iudicas iuſtitiam. Propter ſaluatoris aſcenſionem hoc dictum eſt. Impleta enim carnis diſpenſatione ad iudiciale thronum ſuum rediit,id eſt,ad poteſtatẽ diuinitatis.quem thronum tamen,non reliquerat, quãdo arcanis atque ineffabilibus modis ad nos deſcẽdit. Aſſumptus enim eſt in cœlum, & ſedet ad dexteram patris, veluti qui poteſtatem omnem acceperit in cœlo & in terra,& propriæ creaturæ opem tulerit,pro qua immaculatam illam animam poſuerat. Hæc autem non humane ſed digne, deo intelligenda ſunt. Sedere enim in throno, aut ſuper thronum, in deo,& in verbo dei accipimus pro iudiciali poteſtate:quam & ſi antea habebat, ob carnis tamen diſpenſationem cælabat,vt omnia implerentur. Tu fuiſti,inquit, in iudiciali poteſtate,& iudicantis perſonam ſumpſiſti,qui ſolus iuſtus es iudex,

dex, quique nulla ignorantia aut affectu impediris, quominus ſemper in æquitate perſeueres.

Increpaſti gentes & periit impius. Obiurgaſti,inquit,gentes, improperaſti eis errorem eorum, & fugit ab eis ſatanas, veritatem non ſuſtinens. Apoſtoli etiam aliquando acerbe Gentiles reprehendebant, veluti Paulus qui inſenſatos Galatas appellabat:quod illi ſentientes, ab idolorum cultu recedebant. Deſtructo autem idolorum cultu, ſimul etiam abibat eorum præſul dæmon: adeo vel ſola poterat ſanctorum increpatio.

Nomen eius deleſti in ſeculum & in ſeculũ ſeculi. Cum honorem deo debitũ,ſibi dæmones rapuiſſent,homines in eorũ ſeruitutẽ redacti nomina eis dederunt:quẽadmodum Heſiodus in nugaci illo opere de natiuitate deorum tradit. atque (vt cætera alia omittam) exempli gratia tantum dicam: Iouis,Martis,Appollinis,Mercurij,Dianæ,Veneris,& copioſe illius deorum multitudinis nomina, ſimulac fidei verbũ diſſeminatum eſt,ſtatim euanuiſſe, non ſolum in hoc præſenti ſeculo,ſed etiam in futuro:quod ſeculum ſeculi eſſe intelligendum eſt:& quod proprie ſeculũ dicitur.quia iuxta Græcę dictionis vim, αἰὼν ſempiternitatem denotat. Eſt autem mos ſacræ ſcripturæ per huiuſmodi loquẽdi modum,honoratiora ſemper ſignificare:vt cum ait,Sancta ſanctorũ,Cantica canticorum, Sabbata ſabbatorũ, & alia huiuſmodi. vel aliter dicere potes: quòd ea verba in ſeculum ſeculi intenſionem ſignificant:pro eo quod eſt, in perpetuum. In obliuionem enim penitus data ſunt dæmonum illorum feſta, ac celebritates: eorumque nomina deleta quodammodo ſunt, & extincta.

Εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος

Αἰὼν ὡς αἰεὶ ὤν

Inimici defecerunt frameæ uſque in finem, & ciuitates deſtruxiſti. Frameæ,hoc eſt gladij, ſeu arma inimici, intelligendæ ſunt,ignominioſæ illę paſſiones atque affectus,quib⁹ humana aĩa nõ ſecus ac gladio percuſſa,& penitus ad virtutẽ mortua iacebat olim in corpore quaſi ĩ ſepulchro. Deſtructa autẽ gentiũ impietate & edificata pietate,deſtructæ ſunt ciuitates.vel ciuitates ipſos hoĩes intellige,in quib⁹ antea habitabãt & quieſcebãt dæmones. Quanquã extraneũ etiã non fuerint per ciuitates,obſcœna idolorum delubra intelligere.

Periit memoria eius cũ ſonitu, Nemo enim ampli⁹ ei ſacrificium,

Αὐτῆς

cium offerre nouit, aut omnino eum inuocare. quod verò ait cum sonitu, idem est, quod cum clamore. clamantia enim dæmonia à domino fugiebant. vel cũ sonitu, id est cum iactãtia illa, ac superbia: aut cum clamoribus illis & cantibus sacrificiorum. singulari autem sermone in dæmonem inuehitur, impium eum atque inimicum appellans: ipsum hoc pacto aliorum dæmonum præsidem magis obiurgans, veluti qui rebellionis causa illis extitit, tametsi per eum cęteros nihilominus etiam carpat.

Et dominus in seculum permanet. Dominum verò, inquit, fideles ex gentibus vsque ad consummationem permansurum credunt. his enim verbis, semel receptæ fidei stabilitas, atque ipsius ecclesiæ incommutabilitas denotatur.

Parauit in iudicio thronum suum. Cum paulo superius de saluatoris dixerit assumptione, quæ in præsenti vita facta est, nunc de futura tradit: de vltimo nimirum & terribili eius aduentu, quando vnicuique iuxta propria opera retribuet. Quod verò ait parauit, humanum in morem condescendens locutus est.

ἐν εὐθύτητι. *Et ipse iudicabit orbem terræ in iustitia, iudicabit populos in rectitudine.* Per orbem terræ, seu potius vt in Græco habetur, per habitabilem, fideles intelligit, apud quos habitare deus creditur in omnibus ecclesiis. populos verò cęteros homines appellat, apud quos densæ sunt affectuum ac passionum syluæ, in quorum latebris dæmones, ferarum instar commorãtur. aliter enim illos dominus, atque aliter istos iudicabit, potentes nimirum potenter exquirens, iuxta illorum fidem, atque infidelitatẽ. vel dum populos dicit, magis declarat quod dixerat orbem terrę, ponens quod continet pro eo quo contentum est. Iudicio autem iustitiam & rectitudinem complicans, iudicantis integritatem prædicat.

Et factus est dominus refugium pauperi. Pauper olim erat populus gentilis, virtute nimirum & religione: cui post acceptam fidem dominus factus est refugiũ. diuitiæ enim quæ in pecuniis consistunt, quia incertæ atque instabiles sunt, diuitiæ veræ censeri nõ debent. vel hoc nobis forte voluit propheta significare quòd apud deum nulla est acceptio personarum, quodque pauperem æque ac diuitem ad se fugientem suscipit.

Adiutor

Adiutor in prosperitatibus, in tribulatione. Confugientes ad se deus adiuuat, siue in prosperitatibus, hoc est fœlicitatis tempore confugiant, siue in tribulatione. vnum quodque enim per se absolute legendum est. neque enim ij solum auxilio indigent qui in calamitatibus sunt, sed illi etiam qui in prosperitatibus, vt fœlicitatem suam conseruent, & ne in ignauiam calamitatum matrem decidant. aliqui etiam legũt in opportunitatibus, cum Græca dictio εὐκαίρια non prosperitatem tantum, sed opportunitatem etiam significet. Intelligẽtes quòd dominus opportune in tribulatiõib⁹ nos adiuuit, hoc est illo tẽpore quo eius auxilio vere indigebamus. ἐν εὐκαιρίαις.

Et sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quia non dereliquisti exquirentes te domine. Deinceps, inquit, sperabunt in te, veluti in eo qui solus potest saluare: illi inquam sperabunt, qui nomen tuum, hoc est teipsum nouerunt: ac si dicat, ij qui credunt in te. Quidam etiam pro verbis illis sperẽt in te, ex Hebræo interpretati sunt: sperabunt in te: futuro vsi tempore pro modo imperatiuo. Sed propheta fortassis imperatiuo vsus est pręceptoris ac docentis more ea fieri iubens, quę probe ac firmiter nouit. Præterea etiam recte dixit, qui nouerũt nomen tuum. naturam enim dei nullus nouit. & demum causam apposuit spei suæ dicens: quoniam non dereliquisti exquirentes te domine. nec dixit quærentes sed exquirentes: vt inuestigationem quandam ex tota anima faciendam esse denotaret. ἐκζητοῦντας.

Psallite domino qui habitat in Sion. Talis itaque cum sit dominus vt superius demonstrauimus, psallite hoc est canite ei. habitanti verò in Sion dixit non quia deus loco concludatur: sed vt quandam dei beneuolentiam erga illum locum demonstraret. habitare etiam dicitur deus in fidelibus, non quòd ab illis complectatur, sed veluti beneuolentia ac familiaritate quadam illis coniunctus. exhortatur igitur propheta ad canendas dei laudes vel Hebræos, qui tunc erant, vel fideles qui nunc sunt ex gentibus, quorum erat futurus deus, qui habitat in Sion: hoc est qui responsa atque oracula dat in Sion: vbi viros se dignos alloquitur. vel Sion Ecclesiam de gentibus congregatam intellige, quam postea dominus habitauit.

Annunciate inter gentes studia eius. Hæc ad Apostolos dicta sunt, ἐπιτηδεύματα.

cta sunt, qui circumeuntes vniuersas gentes docuerũt. quod verò LXX hic studia seu exercitia dixerunt, Symmachus artes exposuit, & Aquila immutationes. exercitia igitur, & studia eius annunciate: hoc est ipsius gesta: vel eius artes, hoc est admirandam eius sapientiam: vel eius immutationes, quæ nimirum aliorum loco successerunt. Nam qui de longe erant, facti sunt propè: & qui in tenebris erroris, venerunt ad lumẽ veritatis: qui in obliuione erant, habiti sunt in memoria: & qui antea abiecti fuerant, tandem assumpti sunt: deusque homo, & homo deus factus est.

ὅτι ὁ ἐκζητῶν. *Quoniam qui exquirit sanguinem, eorum recordatus est.* Hæc deus ita dispensans ordinauit, postquam eorũ meminit. Antea enim non meminerat ob eorum infidelitatem. Meminit autem non ferens amplius eorum sanguinem effundi in sacrificia. Sacrificabant quippe proprios filios, & filias dæmoniis: quinimmo de effundentium manibus sanguinem illũ exquisiuit, quem ipsi non imposuerant. vel vltionem indicat mutuarum cædium, quas iussu dæmonum faciebant: vt manifestum fiat, ꝙ omnis homicida luet pœnas: vt etiam in Genesi legimus: sanguinem enim vestrum, inquit, exquiram.

Non est oblitus clamorem pauperum. Humana etenim natura sub inuisibilium dæmonũ tyrãnide detenta, clamare quodammodo videbatur ad creatorem, ob causam tantæ calamitatis & miseriæ. Vel illud fortassis significãt hęc verba, quòd prophetæ olim, diuinæ incarnationis prospiciẽtes mysteriũ, clamabant, incarnandum deum in huiusmodi incarnationis auxilium aduocantes. Qui prophetæ pauperes conuenientissime dicuntur, propter eam quam colebant frugalitatis virtutem: atq; ideo clamoris eorum oblitus non est.

ἐκ τῶν ἐχθρῶν μου. *Miserere mei domine, uide humilitatem meam ab inimicis meis.* Hæc verba ex cuiusque Christiani persona dicta sunt: vide, inquit, depressionẽ, & deiectionem à visibilibus mihi atque ab inuisibilibus inimicis inflictam. Studebant enim vniuersum Christianorum genus prorsus tollere.

Qui exaltas me de portis mortis. Portas mortis varia martyrum supplicia appellauit. quas portas qui superabant, clariores atque illustriores à Saluatore effici videbãtur. per supplicia enim introducitur quis ad mortem. Possunt etiã hæc intelligi de beato Dauid, qui sæpenumero ab inimicis depressus,

pressus, mirandũ in modum à morte liberatus est, ita vt per opem quę ei præstabatur à deo, præclarior etiam euaderet.

Vt annũciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Hæc est causa quare fuerit liberatus à morte, vel quare misericordiam dei perquisiuerit: vt annunciem, inquit, omnes laudationes tuas: creationis nimirum, prouidentiæ, sapientię, iustitiæ, atque incarnationis. pro quarum singulis laudari mereris. Per Sion verò hoc in loco sanctorum ecclesiam intelligit, quæ in cœlis est: & per illius portas singulares ecclesias, quæ in orbe sunt: per quas qui incedit, in cœlestem ecclesiam Sion ascendit. Nam ij qui propter Christum passi sunt, per huiusmodi ecclesias incedebant, diuina annunciantes miracula, & fideles alios confirmantes. ipse etiã Dauid hoc psalmorum libro omnes laudationes dei annunciat: supernam præterea Sion, filiam appellauit, quasi dilectam & constitutam à deo.

Exultabimus in salutari tuo. Per salutare incarnationẽ domini intelligit, atque eius mortem, quæ salutis humanæ causa extitit. vnde & beatus Symeon postea cecinit: quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Infixæ sunt gentes in interitu quẽ fecerunt. Per gẽtes hoc in loco Iudęi intelligẽdi sũt, veluti malitia atq; inuidia ipsis gẽtibus similes facti: & per interitũ ipsa mors. studẽtes enĩ Iudæi vitę principẽ mori tradere, ipsi à Romanis prorsus perditi sunt: & cũ Christo mortẽ parassent, ipsi cõtra ab illa detenti fuerunt. fortassis etiam verba hęc dicta sunt ob eos qui Christianos persequebãtur, qui potius deleti sunt, cum alios extinguere tentarẽt. Nec ab re fuerit hęc de dæmonib⁹ intelligere, qui Christi potẽtiã cohibere ac cõpescere studuerũt: qua tamẽ omnes ipsorum potius extinctæ sunt vires.

In laqueo isto quem absconderunt comprehensus est pes eorum. Alia similitudine eandem rursus repetit sententiam, quandam quodammodo pompam agens aut triumphum de inimicorum destructione. per laqueum verò insidiarum cogitationes intelligit. in occulto etenim loco tendi solent insidiæ, quemadmodum & laquei: tametsi mortem postmodum in lucem educant.

Cognoscetur dominus iudicia faciẽs. Iudicia hoc in loco vltiones appellat, retribuit enim dominus condigna vnicuique

que pro meritis.

In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Hoc etiam superioribus est simile. ponitur enim causa quare cognoscatur dominus iudicia facere: quia scilicet ex hoc potissimum iustus videri potest, dum facit, vt qui aliis insidias parant, ipsi maxime in eas incidant: & quòd doli in suos potissimum authores conuertantur. Peccatorem etiam hic intellige, vno ex tribus modis iam prædictis: vel generaliter accipe pro quocunque doloso. DIAPSALMA.

Conuertantur peccatores in infernum. Per peccatores hoc in loco infideles intelligit, & per infernum supplicia. conuertantur itaque à præsenti nimirum vita, & illuc sub terrã deferantur, vbi dicuntur esse pœnarum loca. Vel aliter ij qui de terra nati sunt in eadem versentur, nihil aliud valentes cogitare quàm terrena. & quónam intelligat per peccatores, ex his quæ sequuntur declarat dicens.

Omnes gentes quæ obliuiscuntur deum. Obliuiscuntur, voluntaria scilicet obliuione.

Ἐπιλησθήσεται ὁ πτωχὸς

Quoniam non in finem obliuioni erit pauper. Hæc, inquit, huiusmodi gentibus euenient: quia fidelis vir in obliuionem omnino non erit. Pauperem verò eum dicit, qui temporalibus quidem diuitiis est pauper, sed virtutum opibus sit diues. vel pauperem dicit populum ex gentibus, veluti qui animæ dignitatẽ amiserat, pietatisque ac virtutũ peculio inops erat.

Ὑπομονὴ

Expectatio pauperum non peribit in finem. Pauperes hic gẽtiles dicit, quorum expectatio vsque in finem inanis non erit. Expectatio verò gentium Christus est. de quo alibi scriptum est, ipse erit expectatio gentium: & ad quas alibi per alium prophetam clamat dicens. Expectate me in tempore resurrectionis meæ.

Μὴ κραταιούσθω

Exurge domine non præualeat homo. Alius interpres reddidit, non temere agat homo. hoc autem dicit propheta ob mutuas inter sese hominum insurrectiones atque insolẽtias. Veris quippe ac sanis carentes præceptoribus, atque ideo terram se ac limum esse ignorantes, supra propriam naturam sese extollentes temere multa agebant: & omnia audentes, inter deos etiam se adscribebãt. Exi itaque tu deus, inquit, & tantam eorum eleuationem compesce. Illud etiam dici potest quòd ea ratione, qua ad imaginem & similitudinem dei homo

homo factus est, deus dicitur: ea verò qua terrenis affectibus ac passionibus detinetur, homo merito appellatur. Cum itaque hæ passiones in hominibus prẽualerent, hortatur deum propheta vt exurgat à morte, & vt per sanctos Apostolos doceat quomodo passiones supra animã se extollere non debẽt, neque puluis supra intellectum. vel aliter, post resurrectionẽ domini diuulgato euangelio in vniuersum orbem, mutuę illę gentium insurrectiones atque insolentiæ quieuerunt.

Iudicentur gẽtes in conspectu tuo. Hoc est protectione & custodia tua digne efficiantur. nã qui iudicat, ad eum qui iudicatur aspicere solet. Iudicium verò illud intellige quod cõtra dæmonem faciẽdum erat: de quo per Esaiam dicit deus: Ecce puer meus quem elegi, electus meus in quo complacuit anima mea, iudicium efferet gentibus.

Constitue domine legislatorem super eos. Per legislatorem hic Christum intelligit, (iuxta illud: ego autem constitutus sum rex ab eo,) qui legislator nouam eis legem tulit: sanctũ scilicet euangelium.

γνώτωσαν ἔθνη ὅτι ἄνθρωποί ἐσι

Cognoscant gentes quòd homines sunt. Sero saltem aliquando addiscant viuere vt homines, & nõ vt feræ. vel aliter: doceantur, inquit, quòd corruptibiles sunt, quodq; longè sunt à diis: quæ propria eos gloriatio ac superbia de seipsis suadet cogitare.

Vt quid domine recessisti longe? Incipit tractare de diuina prouidentia: ac veluti prauorum hominum res bene ac fœliciter succederent: contra autem, iusti ac boni viri infœliciter degerent, ex persona iustorum in afflictionibus existentium sermonem facit, & rationem quodammodo exquirit à deo, dicẽs: quare permittis homines temere ac casu ferri quo sors iubet, nec vllam eorum curam habes? quod ex metaphora illorum sumptum est, qui procul abierunt, & relictorum nullam curam habent.

ἐμβλέπεις ἐν θλίψεσι

Despicis in prosperitatibus in tribulatione? Despicere est dissimulare, nõ videre, ac quasi deorsum aspicere, & nõ ad rem illam, quæ ante oculos posita est. Quid igitur, inquit, tu qui omnibus præsens es tanta tua loganimitate ac patientia abesse videris? & cum omnia videas, simulas non videre, vt reb⁹ nostris auxilium non feras? atq; hoc eo potissimũ tempore, quando protectione tua potissimum indigemus? nunc

scilicet cum in tribulationibus constituti sumus. Hæc autem non accusans aut culpans deũ propheta, sed rogans dicit & exhortans. nã alioquin respõdere ei deus potuisset, id quod alibi scriptũ est: Peccata vestra diuidunt inter me & vos.

Dum superbit impius, incẽditur pauper. Quando, inquit, aliquis extollitur, quando bene illi cuncta succedunt, tunc, si quis fidelium est, qui frequentibus vigeatur calamitatibus, is zelo quodam atque æmulatione opinionis ac boni nominis penè accenditur, atq; ex proprio ore gemitus quosdam fumi instar emittit, deplorans, ꝙ cũ ipse eiusmodi sit, obscurus tamen est, atq; ignotus. vel aliter etiam intellige, quòd extollente se impio dæmone aduersus humanum genus, ille qui virtutibus est pauper, nimia accenditur passione.

Συλλαμβάνονται *Coadiuuantur in consiliis quæ cogitant.* Hoc de impiis etiam dictũ est. Coadiuuantur, inquit, in his quę consulunt. Coadiutoriũ verò hoc prosperitatem intellige. vel coadiuuãtur à suis similibus. obseruandũ est autem ꝙ propheta sæpenumero tam de prauis, quàm de probis hominibus loquens, singulari aliquãdo, & aliquando plurali vtitur sermone: quia numero quidẽ multi sunt sed virtute aut vitio vnũ. vel aliter: quia Græca dictio συλλαμβάνονται non tantũ significat coadiuuantur, sed etiã comprehendũtur, dicere possumus, prophetam hic loqui, de illis fidelibus, qui in propriis cogitationibus cõprehenduntur, quas de impiis, & de illorum prosperitate cogitant: ac si diceret, ꝙ ob propriam infirmitatẽ laburtur, nõ valentes percipere aut cõsiderare iudicia dei.

ὁ ἀδικῶν *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniustus benedicitur.* Obseruandũ est quòd dictio, quoniã, seu quia, apud Hebræos non semper causam reddit, sed aliquãdo aduerbium est confirmandi: aliquando etiam abundat iuxta idiomatis vsum. Adeò, inquit, propheta, inter eos vitiũ pręualuit, vt & peccatores de delictis laudentur, quæ carni ac propriæ libidini obtemperantes committunt: & ij pariter qui iniuria quempiam afficiunt, à sui similibus maiorem inde sceleris gloriam consequantur.

παροξύνε ἐκζήτησεν *Iritauit dominum peccator.* Ad vltionem deum commouit, suis eum vrgens atque incitans delictis.

Secundum multitudinem iræ suæ nõ exquiret. Nõ exiget, inquit, deus pœnas, iræ suæ cõdignas, iuxta illud: Si iniquitates obser-

tes obseruaueris domine, domine quis sustinebit? Iram enim dei, iustam pœnam & condignum supplicium appellat. Misericors, inquit, deus est, summas ac meritas pœnas nõ inflliget. Alij legunt iritauit dominum peccator secundum multitudinem iræ suæ: hoc est condigne, & prout exigebat diuina ira, quæ ab ipso peccatore propriis sceleribus instigata fuerat & accensa, & quod sequitur, non exquiret, legendum dicunt per interrogationem, vel etiam absolute: & tunc sit sensus: quòd deus per pœnitentiam illum non exquiret, qui ita eum iritauit.

Non est deus in cõspectu eius. Putat peccator ꝙ eum deus peccata cõmittentem non videat. vel aliter: deus qui vbique præsens est, à peccatoris oculis non percipitur.

Inquinatæ sunt uiæ illius in omni tempore. Cum peccator sua videri non putat delicta, peruersiores semper atque inquinatiores fiunt eius mores.

Auferuntur iudicia tua à facie eius. Iudicia, inquit, tua ab eius intellectu auferuntur. ipse siquidem intellectus oculos etiam suos habet: verum huiusmodi delinquens tantæ cæcitatis est, vt iudicia, quæ à te proferuntur, non videat, non cõsideret, non animaduertat, te iustum, fortem & longanimem iudicem esse.

Omnium inimicorꝝ suorum dominabitur. Vlciscetur oẽs qui aduersus eũ insurrexerunt, deo, lõganimitate sua, permittẽte illum sæpius in bello inimicos suos superare.

Dixit enim in corde suo, nõ mouebor. Putauit fœlicitatem suã diu esse permansurã. moueri enim hic, intellige pro mutari, à priori nimirum potentia atq; à propriis viribus.

A generatione in generationẽ sine malo. Subintellige verbũ ero, vel pertrãsibo. cogitauit enim peccator ille & credidit, se à generatione in generationẽ: hoc est per totam vitã, futurũ absq; afflictione aliqua. generationẽ enim hic posuit pro vita: quasi dicat, ab eius vita ad eam quæ erit post eius mortẽ.

Cuius maledictione os eius plenum est, & amaritudine & dolo. Verba illa os eius, more Hebraici idiomatis posita sunt, quẽadmodũ multis in locis reperitur. Solent enim Hebræi pronomina articulis cõiungere: cuiusmodi & illud est, Beatus cuius deus Iacob adiutor eius. Item illud, Beatus vir cui est auxilium ei abs te. est autem maledictione plenum os,

cum omnibus maledicat: & amaritudine, cũ iracũde ad oẽs loquatur. dolo etiã plenũ dicitur, cum nõ ex corde sermonẽ proferat, sed alia dicat, & alia in secreto animi habeat.

Sub lingua eius labor & dolor. Ea, inquit, loquitur, quę laborem & dolorem iis pariũt, quibus insidias tendit: vel quia in eius doctrina labor est & dolor, quorum erunt participes qui ei obtemperant, dum nullam in eius doctrina requiem inuenient: vel in labore & dolore erat lingua eius: laboris nimirum & doloris verba aduersus eos proferens quos impugnabat. huiusmodi autem loquendi modo loquacitatẽ illius ac maledicentiam indicauit.

Sedet in insidiis cum diuitibus. Per insidias occultum insidiarum locum intelligit, vnde insidiatores latenter solẽt impetum facere, connumerat autem Propheta hic multiplicia prauorum hominum vitia, dolos videlicet, insidias, rapinas, cædes, atque alia huiusmodi. Abscondet enim, inquit, se in insidiis, simul cũ iis, qui vitiis ditiores sunt, hoc est qui preclariores & celebriores sunt in delictis: quos veluti eadem secum sentientes socios sibi habebit. deinde insidias declarans, insidiarum etiam causam addit.

In occultis ut interficiat innocentem. Vt morti, inquit, sine causa eum tradat, qui nulla eum affecit iniuria.

Oculi eius in pauperem respiciunt. Assiduam ac perpetuam huius insidiatoris attentionem narrat: qui cum pertranseuntem aliquem viderit, summa animi sollicitudine considerat, quomodo eum comprehendat.

Insidiatur in abscondito quasi Leo in spelunca sua. Tandẽ repetit sententiã, vario quodãmodo, propalans, & in publicum traducens eorũ scelera actu ac malitia vndecũq; plena: feraſque quodãmodo illos fieri demonstrat. nam quemadmodum leo ex propria cauerna aut latebra infirmioribus animalibus insidiatur, quæ nihil tale timentia secura pertrãseunt: ita etiam iste fecit occultis vsus latebrarum insidiis.

τῷ ἁρπάσαι πτωχὸν ἁρπάσαι πτωχόν

Insidiatur, ut rapiat pauperem, ut rapiat pauperem dum attrahit eum. Cum leoni eum ob insidias, & cædium cupiditatem comparauerit, perstat adhuc in cõparatione, docens cõgruete ei leonis opera. Irruit, inquit, vt leo vt prædam rapiat, vt ad latebras trahat. Neque enim insidiatur vt feram aliquam pernicioſam aut inimicã capiat, sed vt pauperẽ, pauperẽ inquam, &

quam, & bonis & viribus humanis. Et dum attrahere eum dicit, magis declarat rapinæ modum. repetitione verò illa, vt rapiat: summam huius hominis impietatem denotat. vel ideo fortassis sermonem ingeminauit, vt exaggeratiõe quadam deum magis excitaret ad vindictam.

In laqueo suo humiliabit eum. Hoc est dolo, & calliditate sua ei dominabitur: vel occisum in terram proiiciet. humilis enim est qui humi prostratus iacet.

Inclamabitur, & cadet cum dominatus fuerit pauperũ. Vbi potens iste pauperum dominatus fuerit, tunc & ipse humiliatus inclinabitur, & peribit. Nam qui cadunt, prius inclinantur. hæc autẽ omnia fient, vt & immedicabile eius vitium pateat, & dei pariter longanimitas, & pauperum oppressorum patientia, & eorundem demum vindicta.

Κύψει καὶ πεσεῖται

Dixit enim in corde suo, oblitus est deus, auertit faciem suam ne uideat in finem. Is cui permissum esse diximus animæ suæ concupiscentias explere, in valde absurdas decidit opiniones, dum intra se ipsum reputat, quòd deus proprię prouidẽtiæ oblitus sit, qua mundũ gubernat: quodq; custodiã, & protectionem suã ita auerterit, vt prorsus nõ videat quæ fiant. quod verò ait in finem, alibi pro vsquequaq; accipitur: alibi verò pro omnino: vtrũq; tamen ad idem tendit recte considerati: verum prædicta omnia intelligi possunt de populo Iudæorum, & de Christo. Quippe cum populus simul cum principibus innocentem Christum, & peccato omni prorsus carentem, & pauperem propter nos effectum, insidiose obseruarint vt caperent, omniaque alia fecerint, quæ superiusdicta sunt: & tandem postquam eum occiderunt, Apostolos etiam persecuti sint: ipsique postremo à Romanis funditus fuerint deleti.

Exurge domine deus meus, exaltetur manus tua. Cõmouearis, inquit, ad vindictam. quod verò ait exaltetur manus tua, per metaphoram dictum est. Solent enim qui aliquem castigant, manum erigere, vt plagas ac verbera inferant. vel aliter: cum potentia tua excelsa semper sit, & sublimis, nũc prędicipue quæso, inquit, ita omnibus appareat per manum enim dei, eius potentiam intelligere debemus.

τῶν πενήτων σου εἰς τέλος

Ne obliuiscaris pauperum tuorum in finem. In finem, hoc est in perpetuum.

Propter quid iritauit impius deum? Aegre ferens propheta tam grandes prauorum hominum ausus, per modum interrogationis sermonem format: & deinceps dubitationem respondendo soluit, dicens.

ἐκζήτει *Dixit enim in corde suo, non exquiret.* Est, inquit, tantorum scelerum causa, quòd existimant deum flagitia eorum non disquirere.

πόνον καὶ θυμὸν σὺ *Vides: quoniam tu laborem, & furorem considéras, ut tradas eos in manus tuas.* Quod ait, vides: per se legêdum est, ac statim postea sistendum: vt sit sensus, licet millies, prauus ita existimet, ob tuam nimirum patiêtiam ita in arrogantiam lapsus, tu tamen ô deus vides omnia, quocunque penetrans, & in omnes partes perueniens. ideoque tu summa diligentia hominum omnium iniuria affectorum laboré perspicis, iramque & furorem eorum qui iniuriam inferunt. Considerare autem, est subtiliter discernere. magno, inquit, cum examine tu perspicis vt in futurũ illos pœnis tradas. Ita enim hoc in loco manus significant, iuxta illud Apostoli: horribile ac val de timendum est incidere in manus dei viuentis.

ἐγκατα λέλειπται. *Tibi relictus est pauper.* Omnes à paupere auersi sunt, vnde tuo tantum auxilio relictus est.

Orphano tu eris adiutor. Tanquam eius creator, & dominus. hæc tamen non tantum de pauperibus & orphanis intelliguntur, sed de gentium populo qui dictam ob causam pauper erat: & orphanus, quia patrem ac factorem suum non nouerat.

Contere brachium peccatoris & maligni. Per brachium potentiam ac vires intelligit. in brachio etenim robur hominis consistit. peccator autem ille est, qui concupiscentiæ dominanti inseruit, malignus verò is qui proposito ac voluntate propria prauus est & scelestus. pro peccatore etiam & maligno ipsum potes dæmonem intelligere.

Quæretur peccatũ illius & non inuenietur. Quia si deus peccatum illius exquisierit, & longanimis erga eum non fuerit, statim peribit iudicatus morte dignus. intelligi etiam possunt hæc verba de Christo, ita vt prænuncient ea quæ Pilatus erat dicturus, quãdo ait, Nullã causam inuenio in homine. itẽ & quod ipse Christus dixit: Nũc princeps huius mundi eiicietur foras, & in me non inueniet quicquã. neq; enim

Pilatus

Pilatus peccatum aliquod inuenit propter quod occidi Iesus deberet, neque ipse etiam dæmon, tempore quo immaculata illa Christi anima ab eius corpore separata est, vel tantillum potuit inuenire peccatum, tametsi in hoc multum incubuerit.

Dominus rex est in seculum, & in seculum seculi. Verba hæc ad eos dicta sunt, qui scandalizantur, & praui homines non statim puniantur. Regnum, inquit, & iudicium dei, non est ad tempus, sed perpetuum. Vnde licet nullas nunc dent pœnas, aliquando tamen eas dabunt. vel Christi regnum prænunciat, quod olim quidem semper habuit vt deus, sed post resurrectionem etiam denuo accepit vt homo. Data est enim mihi, inquit omnis potestas in cœlo & in terra: ita vt non in præsenti tantum seculo sed in futuro etiam regnatus sit.

Peribitis gentes ex terra illius. Per gentes eos intelligit hoc in loco qui Euangelicam legem non susceperunt. Gentes siquidem sine lege sunt. Per terram autem illius, totum orbem intelligit, cum dictũ sit: Domini est terra & plenitudo eius, à qua hos exterminandos esse prædicit, fide nimirum diuulgata. Vel per terram domini, regnũ eius intelligit, à quo omnes decident, qui male vixerint.

Desiderium pauperum exaudisti domine, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Desiderium, inquit, pauperum, & præparationem cordis eorum, clamantia quodammodo ad te, & iniustorũ destructionem optantia, tu exaudisti. Erant enim hi pauperes præparati & recti corde ac nullo vitio impediti. vel fortassis eo pertinent hæc verba, vt prophetarum iudicent desiderium, qui incarnationem domini optabant, & prompti erant ad susceptionem fidei: ij nimirum qui postea eam susceperunt. ἐισήκουσας

Vt iudices pupillo & humili. Exaudisti, inquit, & attendisti vt iudex fieres orphano, & humili, & vindictam eorum faceres. κρῖναι ὀρφανῷ καὶ ταπεινῷ τοῦ μὴ προσθέσαι ἔτι μεγαλύνεσθαι ἄνθρωπον ἐπὶ τῆς γῆς κρῖναι

Vt non apponat ultra magnificare se homo super terram. Vt omnis homo oppressorum cernens vindictam, audaciam ac temeritatem deponat, nec glorietur quis amplius aut extollatur super inferiores se: quod vero ait super terram, idem significat quod inter homines.

In finem

In finem Psalmus ipsi Dauid.

Psalmum hunc cecinit beatus Dauid cũ persequeretur eum Saul: & in finem inscribitur: quia continet Prophetiam uindictæ, quam deus eius gratia in Saulem illaturus erat.

PSALMVS X.

Εἰς τὸ τέλος

IN *domino confido: quomodo dicitis animæ meæ transmigra in montes sicut passer?* Cum fugeret beatus Dauid in desertum, suadebant ei beneuoli ipsius vt ad montes potius pertransiret, tutiorem illic eum futurum esse asseuerantes. Huiusmodi igitur amicos tanquã non recte suadẽtes, accusat præsenti Psalmo. ego, inquit, confido in domino, & omne aliud auxilium respui. quare igitur dicitis animæ meæ, hoc est mihi ipsi, vt passeris instar pertranseam ad montes? & veluti timida auis illic permaneam? Illud obseruandum est quòd Propheta sæpenumero circunloquendo per animam suam seipsum intelligit: vt in tertio etiam Psalmo diximus: ibi, multi dicunt animæ meæ.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra. Per intentum arcum, & per sagittas præparatas quæ erant in pharetra, totum belli apparatum significauit: vel quia his telis contra fugientes vtebantur. hæc autem verba fiduciæ ipsius Dauid causam ostendunt. hac enim, inquit, de causa ego confido, quia peccatores sunt qui pugnant aduersum me. peccant etenim dum temere me insequuntur, & morte me afficere volunt, qui ei salutis causa fui, quando occidi Goliath, & quando à Saule suffocantem eieci dæmonem.

Vt sagittent in obscuro rectos corde. Præparati sunt, vt nos insontes perdant, qui in corde nihil non rectum gerimus. vt sagittent vero ex insidiis, quod Græca dictione σκοτομήνη significantius exprimitur, quæ noctem significat quando luna obscurata est, & quam latine vnico vocabulo dicere possumus obscurilunium. Nam siquis eo tempore percussus fuerit, inimicũ videre nõ poterit. vel aliter: subintellige hic aduerbium quasi: vt sit sensus, q̃ inimici summa inuidia, quasi obscurilunio quodam obtenebrati, non cognoscunt, nec vident, quis nam is sit quem sagittare contendunt: quodq; aduersus amicum & benefactorem dirigunt tela.

Quoniam

Quoniam quæ perfeciſti destruxerunt. Hæc est etiam alia fiducia causa. Confido, inquit, ea etiam de causa, quoniam illi eum destruxerunt quem tu in Regem vnxisti. perficere vero hic posuit pro facere, & destruere pro deiicere: quod metaphorice tractum est ab ædificiis, quæ euertuntur. Cumque talia audeant, te inimicũ habent: quem tamen non sustinebunt, quia leges eas euerterunt quas tu posuisti. mandasti enim neminẽ iniuria esse afficiendũ: mandasti etiã innocentes occidi nõ debere: quæ præcepta ab eis prorsus negligũtur. ὅτι οἱ σὺ

Iustus autem quid fecit? Quid fecit, inquit, iustus, vt huiusmodi persecutionem sustinere deberet? quod de seipso Propheta dicit, veluti qui iniuria eos minime affecerit, qui sibi adeò fuerant inimici. vel de superna dei custodia & protectione loqui intendit, dicens: Deus qui proprie ac vere iustus dicitur, qui omnem semper odit iniustitiam, qui solus recte iudicat, quid fecit? post tanta nimirum scelera quæ ab illis patrata sunt? nũquid fortassis despiciet aut non videbit? minime.

Dominus in templo sancto suo, dominus in cælo sedes eius. Est, inquit, dominus in templo Hierusalem: est etiam dominus sedens in cœlo. quasi dicat, vbique adest Deus, & omnes prospicit qui iniuria afficiuntur: quod ex sequentibus magis etiam declarat dicens.

Oculi eius in pauperem prospiciunt, palpebræ eius exquirunt filios hominum. Non dixit aspiciunt, sed prospiciunt, protectionem illam nimirum significans, quam ex alto habet. ouius autem dei intelligendi sunt, exquisita illa scientia & cognitio rerum omnium quæ fiunt: palpebræ vero huius, eius cognitionis velamen. Palpebræ siquidem tegmina oculorum sunt. per palpebras igitur significare voluit, quòd si quando videtur deus non aspicere, sed in absconditis animi ac mentis morari, tunc tamen nihilo minus videt: vel quòd omnia prospicit, veluti qui non oculis tantum, sed ipsis etiam palpebris intueatur, & ex omni parte omnia cognoscat. Exquirere etiã idem est quod cognoscere. Filios autem hominũ pro hominibus simpliciter posuit. pauper vero dupliciter, dicitur, patrimonij scilicet possessione, & virtutum: verum illud manifestum est quòd pecuniis pauperem, qui virtute dignes sit, respiciat dominus, quodque contra, virtutibus pauperem, Ἐπιβλέπουσιν ἐξετάζει

perem abominatur, quanquam pecuniis sit dives. Primum igitur pauperē dominus respicit, qui rebus iis abūdat, quibus secundus indiget: à secundo autem auertitur, qui iis caret, quibus abundat primus.

ἐξετάζει *Dominus exquirit iustū & impium.* Per hoc declaratur quid significent illa verba, filios hominum: iustos nimirum & iniustos, quos impios etiam appellat, quia deum negligūt, dum illius præcepta obseruare contemnunt.

ἀδικίαν *Qui autem diligit iniustitiam, odit animam suam.* Hæc est autem causa quare confidat Propheta: documentum præterea continent hæc verba, q̄ iniustus quisq; vitę propriæ mortem operatur, dum animæ suæ inimicus effectus est. prauis etenim ac sceleſtis actionibus suis, deum semper magis iritat ac prouocat aduersus animam suam.

Pluet super peccatores laqueos. Adducet, inquit, dominus supplicia super peccatores, quibus detenti à pristino impetu compescentur. Hac autem pluuiæ metaphora, summam supplicium abundantiam ac perpetuitatem denotauit.

καταιγίδος *Ignis & sulphur & spiritus procellæ pars calicis eius.* Ignis quidem efficacissimus est: sulphur vero pinguis & crassa illius esca. Hoc enim fomitis genere, ignis valde nutritur. Spiritus etiam seu ventus pari modo flammam excitat. hoc autē supplicij genere Sodomam olim euersam fuisse legimus. Sensus itaque est, quòd pars calicis, hoc est pars supplicij à deo infligendi, ignis est & sulphur & spiritus. Hoc est ventus conuertens, quòd si vel sola huius calicis pars adeò intolerabilis est, quid dicendum est de reliquis suppliciorum partibus? hoc est de aliis suppliciorum generibus? sæpenumero enim apud scripturam poculum & calicem pro pœna positum inuenire licet, vt illud Esaiæ: Exurge Hierusalem quæ bibis poculum ruinæ, & calicem furoris, & quæ sequuntur.

Quoniam iustus dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Quemadmodum deus sanctus est & requiescit in sanctis, ita etiā iustus est & iustitias diligit: vnde iniustos omnes, & eos qui iniuria aliquem afficiunt, punire solet. qua de causa beatus Dauid sibi magis confidendum esse dicit. Hæc etenim ratio est & conclusio quare fiduciam habeat, de qua in principio Psalmi dictum est. Quod vero ait, æquitatem vidit

vidit vultus eius, seu (vt in Græco verius habetur) rectitudines: idem significat, quod iustitiā dilexit. Nam quem quis amat, eundem etiam libenter intuetur, quemadmodum cōtra, ab illo quem quis odit statim auertitur. Per vultum verò seu faciem domini, intelligimus potentiam videndi quæ est in deo. Et hæc quidem interpretatio dicta est prout congruit historiæ beati Dauid. Conuenit etiam hic Psalmus cuilibet oppresso atque oppugnato à visibilibus seu etiam inuisibilibus inimicis. Et tunc ea verba: quomodo dicitis animæ meæ? dicta esse intelligantur aduersus cogitationes, quæ suadent transeundum esse ad spinosa quodammodo & præcipitantia consilia, quæ fidelibus inaccessibilia sunt, & non tuta: cuiusmodi illa sunt, quòd fortūna omnia ac casu regantur, quòd non sit deus qui scelera vlciscatur: & quæcunque alia huiusmodi. Quinimmo & aduersus dæmones, dicta esse intelligi possunt, qui conantur in huiusmodi nos sententias atque hæreses inducere: per peccatores enim intelligi possunt tam iniusti homines quàm praui dæmones: & per arcum & sagittas vel hæreticorum instrumenta intellige, vel cogitationum absurdarum impetus: & quæ sequuntur in Psalmo iuxta huiusmodi analogiam intellige.

In finem pro octaua Psalmus ipsi Dauid.

Hic Psalmus eandem habet inscriptionem cum sexto, vbi eam abunde sumus interpretati: & prophetiam pariter continet tam de Christi resurrectione quàm de fidelium oppressorum vindicta. Et aliter: Christi humanitas finem præsentis vitæ suscepit per mortem: & octaua, hoc est dominica die resurrexit: quæ dies, & prima dicitur, tanquam dierum omnium principium, & octaua, quia rursus post septimam diem, hoc est post sabbatum, redit. Pro octaua etiam, & non de octaua inscriptum est. Neque enim docet Psalmus, quid sit octaua, sed rogat diem illum cito aduentare: ut homines miserui nt, qui sub sæua dæmonum opprimuntur tyrannide, atque idolis seruiunt, tanto citius seruitutis iugo liberentur: & dæmones commissorum in deum criminum pœnas luant maiores.

Psalmus

PSALMVS XI.

SAluum me fac domine quoniam defecit sanctus. Iustus is dicitur qui humanis in negociis, ab eo quod honestum est, non declinat: sanctus verò, cum apud Græcos duplici dicatur nomine, ὅσιος, nimirum vt hic, & ἅγιος (vtraq; enim dictio sanctum significat) consequẽter & in duplici sumi potest significatione. Ille autem proprie ὅσιος dicitur, qui pietatem & religionem colit, quæ ad deum pertinet: ἅγιος verò ille, qui per semitam virtutum, diuinitatis efficitur particeps. Hæc autem virtutum nomina, scalæ quodammodo cõparari possunt, per quam qui gradiuntur, perueniunt ad deum. alibi etiam diximus quòd apud scripturam, iustus sæpenumero is dicitur, qui non solum iustitia sed omni virtutũ genere ornatus est: sed de huiusmodi iusto nunc non est sermo. Rogat igitur propheta saluari se à malignis hominibus, qui præualuerant, cum sancti omnes qui olim fuerant erga deum, partim morte, partim etiam tyrannorum persecutionibus prorsus defecissent: tametsi fortassis aliqui adhuc essent, qui humana hac iustitia atque (vt ita dicam) ex parte iusti esse viderentur. Sermonem autem suum propheta ex eorum habet persona, qui euangelium erant susceperturi. Tunc enim maxime sancti defecerant, quando Christus in carne ad nos aduenit.

Quoniam diminutæ sunt ueritates à filiis hominum. Sancti quidem penitus defecerunt, veritates verò paucæ admodum relictæ sunt: quando quidem in rebus maioris momenti, mentiri solent, qui in paruis fuerant veraces.

ἐλάλησεν — *Vana locutus est unusquisque ad proximum suum.* Vana hoc est deceptoria. nec alienos tantum decipiebant, sed familiares etiã & domesticos. proximũ enim non loco, sed familiaritate atque amicitia, aut alio coniunctionis vinculo, propinquum vocat.

καρδίᾳ — *Labia dolosa in corde, & corde locutus est mala.* Per dolosa labia, dolosum ipsum intelligit (veluti à parte totum,) qui in duplicitate cordis & mentis suæ, mala ac noxia locutus est, aliam intra animum sententiam seruans, & aliam verbis exprimens.

Disperdet dominus uniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.

quam. Apud scripturã sacram sæpenumero optatiuum modum formari reperimus in futurum indicatiui, veluti nunc. optat enim propheta vt dolosi penitus perdantur, & ij pariter qui aduersus infirmiores quosque gloriari ac iactare se solent, & de seipsis magna prædicare. Vel eorum futurã exterminationem prædicit: & docens qui nam ij sint, qui suam magnificant linguam.

Quẽ dixerunt linguam nostram magnificabimus. Eos, inquit, qui intra se cogitarunt dicentes, magnificabimus linguã nostram: hoc est magna & iactabũda quædam præparabimus, quæ nostra loquatur lingua.

παρ' ἡμῖν — *Labia nostra apud nos sunt, quis noster dominus est?* Qui & illud dixerunt: nos labiorum nostrorum potestatem habemus, & quém nam deinceps timebim⁹, vt ista non dicamus? & quis erit qui sermones nostros compescat?

Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgã dicit dominus. Dictio nunc pro tunc accipienda est, hoc est cum opportunum tempus fuerit, vt sit sensus. Tunc, inquit, Christus, resurgam è sepultura propter eorum miseriam, qui ignorãter in errorem captiuati sunt. Miseria autem illa clamoris loco eis fuit & gemitus: iuxta ea quæ superius dixim⁹ in psalmo 11. ibi: Non est oblitus clamorẽ pauperum. Dici verò hæc à domino audiebat beatus Dauid propheticis auribus suis. Inops iuxta Græci nominis etymologiam is dicitur, qui à statu suo decidit, quem & nos dicimus quasi sine opibus, iuxta illud: inopes facti sunt diuites: pauper verò iuxta eandem Græci nominis etymologiam is dici potest, qui proprio labore necessarium sibi victum parat, cuiusmodi fuere omnes qui primi fidem susceperuri erant: quippe qui bonis omnibus priuati, propriis manibus necessaria sibi omnia parauerunt: tametsi sæpenumero promiscue alterum pro altero accipiatur. Possum⁹ & aliter dicere. Deus propter afflictorum gemitus & miseriam dixit: nunc mouebor, seu vlciscar: hoc est, cito ac statim id faciam. Decenter tamen ac digne deo intellige verba illa: mouebor & vindictã sumam, tametsi humano quodam more dicta sint.

πτωχὸς, ὡς πενης παρὰ τὸ πένεσθαι, ἢ πονεῖν

Θήσομαι παῤῥησιάσομαι — *Ponar in salutari, libere agam in eo.* Cum de resurrectione meminerit, meminit & sepulturæ. sermonẽ faciens de morte quam in cruce sustinuit. Ex Christi enim persona hęc etiam dicta

dicta sunt. Ponar, inquit, hoc est infigar, in cruce: quam salutare illud esse credimus, de quo nunc loquitur: quippe cum hoc crucis iaculo, Christus tyrannum dæmonem transfixerit: vnde & saluauit nos, & libertatem nobis erroribus liberam ac salutarē donauit: & cum antea infirmi essemus, fortes contra dæmones reddidit. Quod verò ait: libere agam in eo, idem sibi vult ac si diceret, quòd in ipsa cruce publicabit ac libere propalabit occultam antea, atque ignotam potentiam suam. Nam & velum templi tunc scissum est, & sol obtenebratus, & terra commota, & petræ discissæ, & admiranda alia contigerunt. vel aliter. quia Græcū verbum θήσομαι, vt futurum medium, tam actiuam quàm passiuam significationem habet, legere potes alio modo: ponā in salutari: hoc est ponam eos in salute: hoc est faciam eos salute dignos: in huiusmodi etiam salute libere agam: hoc est libere loquar, & palam omnibus declarabo vires meas.

Eloquia domini eloquia casta. Cum dominū narrauerit hęc atque illa dixisse, nunc de veritate sermonum eius testimonium reddit, dicēs, quòd munda ac pura sunt ab omni mendacio.

Argentum igne examinatum probatum terræ. Adeo munda ac nitida sunt eloquia dei, ab omni dolo, & ab omni deceptione, vt argento conflato, quod viliori omni carere solet materia, puritate, ac munditia sua possint comparari. Probatum verò terrę dixit, pro in terra. Fabri etenim cōflatum argentum fundunt in terram. vel probatum terræ, hoc est ex terra. Deinde hanc eloquiorum dei munditiam adhuc magis extollens, addit.

Purgatum septuplum. Septuplum hoc est sæpius. Solent enim Hebręi septies ponere pro pluries. Argentum autē quod sæpius conflatum est, mundius omnino ac purius esse solet. Sunt igitur eloquia dei vera & nitida, ac similia argento sæpius conflato.

Tu domine custodies nos, & conseruabis nos à generatione hac in seculum. Tu nos domine custodies ab exterioribus inimicis, & cōseruabis ab iis, qui interius insidias parāt. vel custodes quidem à præsenti generatione, & seruabis ab iis, qui postea in seculū futuri sunt: hoc est semper & perpetuo proteges nos. Nam & fides eorū qui euangeliū susceperunt, ab illa

illa generatione stabilis permansit: & in seculum adeo manebit inuicta, vt neque Gentiles, qui aperte eam oppugnāt, neque hæretici, qui intra nos clam contra eam insidias disponunt, prævalere possint.

In circuitu impii ambulant. Vndique, inquit, nos circundant, obsidere certantes fidem nostram. & hoc si de Gentilibus intelligas. quòd si loqui prophetam intelligas de hæreticis, dicatur: ambulāt in circuitu: hoc est non recte, sed obliquе: cum sacram omnem scripturā peruersē interpretentur.

Secundum altitudinem tuam magnipendisti filios hominū. Tu, inquit, in cruce exaltatus summā de hominibus curam habere dignatus es: quā ob causam mortē etiam subiisti. & quod ait magnipendisti, Græce habetur ὑπολυώρησας: & quemadmodum apud Græcos ὀλιγωρία vilipensio dicitur & neglectio, ita πολυωρία eius contrarium. vel aliter tu ad cœlos vsq; exaltatus, assumptionis nimirū tuę tēpore, magna in humanam naturā contulisti beneficia, missō ad eam spiritu paracleto, qui apostolos illuminauit, atq; in euangelij prędicationem direxit. Potest etiam hic psalmus iuxta historiæ sensum accommodari beato Dauid, illo potissimum tempore, quando eum fugientē à facie Saul, quidā se ei amicos fingētes, tentauerūt, vt in persecutoris manus eum traderēt. Quorum infidelitatem, simulationem, dolos, & scelera hoc psalmo reprehēdit, vnicum ad propriam salutē deum inuocans: quasi nulla iam amplius ei spes supereſſet in auxilio amicorum, qui sese hostibus adiunxissent, & quorū interitum hic prædicit: ipsius etiā Saul ac sociorū iactantiam euertendam esse prænunciās. Pro octaua verò inscriptus est propter illa verba: nunc resurgā: quæ tamen resurrectioni saluatoris cōgruere magis vidētur. Nam siquis trahere velit sensum verborū ad beatū Dauid, tanquā ipse audiuerit deū promittentem se ei, insidiarum tempore in auxilium aduēturum, & ad eius vindictam: & posiurum insuper pauperes omnes atque inopes in salute: & demum libere se acturum. hoc est, fortem ac iustum se conspiciendum esse, propter illorum salutem: siquis, inquam, sensum psalmi illuc trahere voluerit, non videbuntur verba psalmi inscriptioni. pro octaua, conuenire. Sciendum est etiam, quòd salutare hic neutrum nomen substantiuum est, & ponitur pro salute.

ὑπολυώρησας

In finem

In finem Psalmus ipsi Dauid.

Post adulterium Bersabeæ & post cædem Vriæ, cum in uarias incidisset calamitates beatus Dauid: quippe cum & filia eius Thamar ab Ammon fratre fuisset corrupta: & Ammon à fratre Absalone interemptus: unde non mediocris confusio in regia illa domo orta est: præcipue cum ipse Absalon postremo tyrannidem etiam affectauerit, & patrem regno expulerit, & crescente in immensum furore, copias etiam collegerit, & persecutus sit patrem, & interimere etiam eum conatus sit: cum igitur in has omnes calamitates incidisset beatus Dauid, atque animo eas semper reuolueret, existimauit se ob commissum adulterii & cædis crimen tantis opprimi malis: & quanquam olim sibi remissum fuisset peccatum, ueritus tamen se à deo fuisse derelictum, hunc psalmum conscripsit post tertium, quando Chusi fregit consilium Achitophel, ut iam prædiximus. Hoc autē psalmo, & Absalonis filii cogitationes explicauit, & quæ euentura erant prædixit: atque ideo in finem inscriptus est: quia profligationem Absalonis prædicit, quæ uerum finem erat consecutura. Exultabit, inquit, cor meum in salutari tuo.

PSALMVS XII.

VSquequo *domine obliuisceris me in finem?* Obliuio est memoriæ deperditio. Deo verò omnia præsentia sunt: nec tantū actiones nostræ, sed ipsius etiam mentis cogitationes ac motus. Obliuisci verò dicimus deum alicuius, quando ob illius delicta eum deus derelinquit, tentarique permittit atque affligi, vt flagello erudiatur. in finem autem posuit pro, diu.

Vsquequo auertis faciem tuam à me? Facies dei potentia illa in deo est, qua aspicit nos, ac custodit, & beneficiis donat. Auersio verò dei contraria operatio est: quādo nimirum indignos quosque à custodia & protectione sua auertit, tanquam ea operentur, quæ in ipsius conspectu abominabilia videri possint: verum humanis loquēdi modis propheta diuinas nobis actiones exprimit. Nam qui aliquem derelinquunt, illius pariter memoriam perdunt: & qui aliquos auertunt, amplius eos non vident, à quibus auersi sunt.

ἕως τίνος

Vsquequo ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo die & nocte? Sollicitus, inquit, ac cogitabundus, quo pacto valeam à calamitatibus liberari, & viam nullam inueniens, assiduis

assiduis doloribus premor.

Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Parricida, inquit, filius Absalon, qui iam diu furit contra me, (ex eo sanè tempore quo Ammon fratrem interemit.) vsquequo exaltabitur? hoc est vsquequo prospere ei omnia succedent aduersum me? extollere enim se solent atque erigere caput, omnes qui læti sunt, & quibus ex animi voto cuncta contingunt: cōtra verò humiles ac demissi, qui mœsti sunt ac tristes. Possumus & inimicum dæmonem intelligere qui tentationum nobis ac calamitatum est causa, dum afflictis insultat: quinimmo & grauius eos etiam affligit, qui diuino auxilio destituti sunt.

Respice exaudi me domine deus meus. Verbo auertis conuenienter apposuit verbum respice: dignum me efficito, inquit, beneuolentia: respice me grauiter afflictū: & misertus, eum exaudi, qui te aduocat in auxilium.

Illumina oculos meos ne unquam obdormiā in morte. Est enim super me circunfusa tristis calamitatum nox, detentiq; sunt oculi mei à mœroris sopore. Solent enim qui mœsti sunt facile in somnum deferri. Dolore scilicet cordis grauedinem quandam ac tenebras in corporis oculos immittēte. Tu igitur eos illumina: hoc est concedito vt recte ac pure videant: & gaudium instilla cordi meo, ita vt exultans, somnum ab oculis expellat, ne aliquando fortassis huiusmodi somnus ob doloris mei vastitatē, desineret in mortem, vel oculos ipsius animæ intelligit, mentem ipsam nimirum, seu intellectum. Illumina, inquit, intellectum meum peccati caligine obscuratum, & libera me ab huiusmodi tenebris, ne aliquādo mori me contingat morte peccati, quę hominē virtutibus mortuum reddit: vel ne morte desperationis moriar, extincta ac mortua omni spe quam in te habebam.

Ne quando dicat inimicus meus prævalui adversus eum. Nam siquid huiusmodi acciderit, meam inimicus mortē sue ascribet potētię: & quemadmodū ab initio ille mihi calamitatum omnium causa fuit, ita & interitus nunc fuisse gaudebit. Inimicum verò & visibilem & inuisibilem potes intelligere.

Qui tribulāt me exultabunt si motus fuero. Si fluctuauero, inquit, ab illa securitate quā in te habeo, inimici mei lætabuntur, sperantes me deinceps facillime in præceps delatum iri,

veluti qui nullam baſem aut fundamentum habeam ſalutis.

Ego autem in miſericordia tua ſperaui. Poſtquam, inquit, ob ſcelera quæ commiſi, fiduciam omnem abieci quam antea de virtute habebam, quod reliquum eſt, modo in tua tantum ſpero miſericordia: tametſi abundantiſſimum hoc mihi remedium eſſe nouerim atque inexhauſtum.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo. Præuidens propheticis oculis inimici profligationem beatus Dauid, lętabor ego, inquit, de ſalute mihi à te præſtita.

Cantabo domino qui bona tribuit mihi & pſallam nomini altiſſimi. Cantabo ore, pſallam vero pſalterio: vel oblectabo te, inquit, contemplationis ſtudio & vitæ meæ actionibus. Accommodari etiam poteſt hic pſalmus oppreſſis omnibus & iniuria affectis.

In finem pſalmus ipſi Dauid.

Finem rerum pollicetur hic pſalmus quæ in eo prænunciantur. Alii dicunt prædici hic, ea quæ Ezechiæ regis tempore euentura erant in Hieruſalem, quando ciuitas obſeſſa eſt à Sennacherib Syro. Alii uerò ea quæ ad tempora incarnationis Chriſti pertinent. Nos utranque expoſitionem referemus.

PSALMVS XIII.

DIxit *inſipiens in corde ſuo, non eſt deus.* Inſipiens Sennacherib, dixit in corde ſuo deum non eſſe: deum inquam Iudęorum. quòd ſi ſapiens fuiſſet, in huiuſmodi errorem non eſſet prolapſus, præcipue cum audiret aſſidue, quãta deus Iſrael aduerſus eos operatus ſit, qui Iudæorum gentẽ oppugnare conati fuerant. Cum autem hoc pacto in corde ſuo deum iam neglexiſſet, addidit & aliud facinus: vt verbis proprio ore prolatis ei palam malediceret: quando principem exercitus ſui Rampſacem miſit, qui ad mœnia ciuitatis ea populo annunciauit, quæ hiſtoriam illam legentibus in libris Regum licet inſpicere.

Corrupti

Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. Sennacherib nimirum & qui cum eo erant, corrupti ſunt: quãdo à recta opinione deciderunt: inſuper & abominabiles facti ob nefandas eorum actiones. Iurgiis quippe deum impetebant, infirmitatem ei atque impotentiam improperantes, quaſi deus non eſſet. Præterea & populo dei internecionem minitabãtur: cumque adeo iactabũdi eſſent, ebrietatibus, inſuper ac libidinibus immerſi erant & coinquinati. Conſtrui etiam poteſt, hic verſiculus per figuram hyperbaton, hoc modo: corrupti ſunt in ſtudiis, & abominabiles facti ſunt.

Non eſt qui faciat bonum. Nullus, inquit, inter eos bonus eſt, ſed omnes ſunt praui.

Dominus de cœlo proſpexit ad filios hominum, vt uideret, ſi eſt qui intelligat, aut qui requirat deum. Ad filios hominum, hoc eſt, ad illos homines, qui ita diſpoſiti ſunt, vt dixim⁹. De cœlo verò ideo dixit, quia opinio quædam eſſe videtur, deum illic habitare: iuxta quòd alibi dictũ eſt: qui habitat in cœlis irridebit eos. Proſpexit autem vt videret, ſiquis inter eos eſſet, qui ex miraculis & prodigiis deum intelligeret, aut ſaltem qui exquireret eum: hoc eſt qui inuocaret: iuxta illud: exquiſiui dominum & exaudiuit me. Et licet in aliquibus quidam eum intellexerint, peiora tamen ſectantur. Humano autem more expreſſit, deum, propheta, quaſi ex alto cœnaculo procumbere & ſpectare: cum tamen & vbique ſit deus, & omnia exactiſſime nouerit. Obſeruandum etiam quòd huiuſmodi loquendi modus ſępe apud ſcripturam reperitur. & aliter his verbis ſignificare videtur quomodo deus omnia videt & ſpectat: quaſi qui ex cœlo proſpiciat in terram, & cognoſcat omnia, & nullo ei impedimento tantum ſit interuallum.

Ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων τοῦ ἰδεῖν

Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum non eſt uſque ad unum. Declinauerunt quidem iam connumerata ſtudia atque exercitia: inutiles verò facti ſunt, cum adeo abominabiles eſſent, vt inter ipſos neq; vnus etiam reperiretur, qui bonus appellari poſſet.

Nónne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem? Per interrogationem hoc legendũ eſt, vt huiuſmodi efficiatur ſenſus: ij qui deum Iſrael dixerunt verum deum non eſſe, qui & lingua ſua, & omnibus aliis voluptatibus adeo intẽperantes

 ſunt,

sunt, nonne aliquando cognoscent quòd Iudæorum deus, verus deus est? certe aliquando id cognoscent: quando nimirum centum octoginta quinque millia eorum interempta erunt ab angelo dei. Ipse etiam Sennacherib turpiter fugiés tunc cognoscet, quis nam fuerit qui in hoc populo triumphum erexit. Nec tantum, inquit, Assyrij, sed omnes etiam gentes, vbi tantam illorum stragem didicerint, cognoscent Iudæorum deum, qui ita eos perdidit.

Οἱ ἐσθίον τες τὸν λαόν μου ἐν βρώσει

Qui comedunt populum meum in cibo panis, dominum non inuocauerũt. Hic versiculus ex persona dei proferẽdus est. Illi, inquit, qui instar cibi panis, populũ meum consumunt, ore nimirum obsidionis, famis & minarum, ij inquam me omnium deum non inuocauerunt: hoc est deum non appellauerunt. Possunt & populi omnes Iudæorum, qui obsidente Sennacherib erãt in Hierusalẽ, dici popul⁹ beati Dauid, veluti qui ab illius regno descenderunt: atque hoc pacto ex ipsius prophetæ persona verba versiculi etiam poterũt proferri: & dominum, tunc, non se ipsum propheta, sed deum intelligit.

Illic trepidauerunt timore ubi non erat timor. Ezechias tunc & qui cum eo erant in Hierusalem timuerunt potentiã Sennacherib, qui timendus non erat. Neque enim decebat, vt Iudæi Assyrium hunc timerent, qui cum deum sibi aduersantem haberet, iure eos perterrere non poterat. quod ex sequentibus magis declaratur. Illud tamen aduertẽdum, quòd aliqui legunt: cuius non erat timor. cuius lectionis diuersitas, ex vicinitate prouenit Græcarum vocum.

Δικαίων

Quoniam dominus in generatione iustorũ est. Per iustos hic fideles intelligit ac pios in deum. Talis erat Ezechias rex, qui magna cum pietate ac religione in deum, subiectos sibi populos regebat. Generationem autem singulari numero dixit, quia Israelitæ omnes ex vna sunt radice. vel aliter: illic trepidauerunt, Sennacherib nimirum, & qui cum eo erant, timore dei, cuius dei, antequam experimentum hoc sumerẽt, nullus apud eos fuerat timor. Et causa quare postmodum timuerint, hoc versiculo declarat propheta: quia scilicet deus in Iudæorum obsessorum generatione aderat, & pro eis pugnabat. vel aliter: trepidauerunt Assyrij, timore Ezechiæ regis, cuius nõ erat timor: hoc est qui timeri non debebat, cum ipse potius ab eis maxime formidaret, expectaretque se vnà cum

cum vniuerso populo, sequenti die interimendum esse. Nam cum occiderentur Assyrij, existimarunt se à Iudæorum rege occidi. Ex his itaque cognouerunt, quemadmodum deus Iudæorum, verus deus est, cum tantam populo opem tulerit.

Consilium inopis confudistis, dominus autem spes eius est. Ad Assyrios sermonem dirigit. Vos, inquit, ô Assyrij Ezechiæ regis vniuerso belli apparatu inopis consilium neglexistis ac vilipendistis, quando omni alia prorsus salute desperata, in sacco & cinere confugit ad dominum. Id enim intelligés Sennacherib cœpit huiusmodi consilium veluti inane atque inutile deridere: verum Ezechias in deo recte spem suã collocauerat, ab eo tantum auxilium postulans, qui vere illud poterat præstare.

Ὁ δὲ κύριος

Quis dabit ex Sion salutare Israel? Quis nam eorum, inquit, qui habitant in Sion, infirmo ac debilitato populo Israel salutem dabit? quis eum eripiet ex manu hostis Sennacherib? nullus hominum profecto, sed solus deus, in quo sperauerunt, & qui in templo Sion, hoc est in Hierusalem habitare videbatur.

Cum conuerterit dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israel. Captiuitatem aliquam non dicit quę iam extitisset, sed ad eam quam tunc ob immensum timorem omnes incumbere arbitrabantur, & qualis nunquam antea imminere visa fuerat. Circundati enim Iudæi ac circumuallati inimicorũ armis, detineri ab eis, ac captiui quodãmodo esse videbantur. Per Iacob verò & per Israel ipsum Iudæorum populum intelligit ex illorum radice descendentem. Et sensus est: quòd cum dominus eos ex hac, quam diximus quodammodo captiuitate liberauerit, exultabũt tunc & lætabuntur: corpore quidem exultabunt, animo verò ac spiritu lætabuntur: & alterum quidem ob alimentorum copiam, alterum verò ob studia ac meditationes eloquiorum dei: quibus omnibus carebant quando ciuitas obsessa erat. Et hæc quidem interpretatio est iuxta sensum, quo psalmum intelligimus de Ezechia & de Sennacherib. Alia etiam datur expositio, vt prophetia in eo sit tradita, quæ contineat illorum temporum gesta, quibus dominus incarnatus est. Insipiens Iudæorum populus, & prophetias de Christo non

Ἐν τῷ ἐπιστρέψαι

intelligens, dixit dominum Iesum, qui magna alioquin inter eos & diuina miracula ac signa operatus fuerat, deũ non esse: cumque primum hoc dixisset, ac cogitasset intra se, postmodũ palam etiam, ac manifeste eundẽ accusauit, quasi qui dei nomen indebite sibi vsurparet. Quæ sequuntur iuxta priorem expositionem intelligenda sunt. Non est qui faciat bonum inter eos, scilicet, qui Christi doctrinam non susceperunt. Dominus de cœlo prospexit, hoc est filius, de cœlo hominum miseriam prospiciens ad eos in terram descendit, & per carnẽ cum eis conuersatus est: qui sensus ex Græco verbo παρέκυψε manifestior redditur: quod aspectum quendã ex altiori loco significat cum inclinatione quadã & deflectione. Et quæ sequuntur, iuxta prædictam interpretationẽ exponantur. Quod verò ait, vsque ad vnum: intellige: hoc est, nisi vnus Christus. Vnicus quippe erat inter eos qui bonum faceret. & quia Græca dictio οὐχὶ non solum pro interrogatiua dictione sumitur, nónne, sed negatiue aliquando determinat. ita vt hoc in loco legere etiam possimus: non cognoscent omnes qui operantur iniquitatem: dic, quòd Iudei noluerunt Christum cognoscere, & quòd ob eorum iniquitatem ἀνομίαν merito iniqui, seu potius (vt verior Græci nominis significatio postulat) exleges appellantur: eo quod exlegũ gentium instar, & inuidia tabescebãt, & maligna operabãtur. Et quod ait, qui comedunt populum meum, ex Christi persona aduersus ingratos Iudæos legẽdum est, qui Christi discipulos, instar cibi panis in ore gladij ac persecutionis deuorabant: qui etiam dominum suum dei filium, deum non appellauerunt. Et qui illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Timebant enim fateri quod Christus deus esset, atque hoc ne legem transgrederentur, dicentem: non erit tibi alius deus: & rursus tunc timuerũt quãdo non erat timor. Suspẽso enim Christo in cruce arbitrati sunt se esse liberatos, veluti eo extincto, quẽ verebãtur: verũtamen tunc maxime timuerunt, cũ terræmotũ videret & alia quæ cõsecuta sunt signa. Preterea etiã timẽtes ne nocte venirẽt discipuli, & furto tollerent corpus eius, statuerũt milites in sepulchri custodiam. Illic igitur timuerunt timore, vbi non erat timor. Neq; enim discipulis vnquã tale quid in mentẽ venit, cum eis dominus prædixisset, se post triduum propria potestate resurrecturũ.

ἀνομία ἄνομοι

Quod

Quod verò ait: Dominus in generatione iustorum est: idem est quod in congregatione fidelium, qui ex gentibus crediderunt. nam ex quo Iudæi eum non receperunt, ad gentes cõuersus est. Illud etiam quòd ait, Consilium inopis confudistis, intelligi debet, vt dictum sit, ad Iudæos, propter populũ ex gentibus, qui olim pauper fuit, substantia nimirum atque opibus cognitionis dei: & à qua cognitione deciderat, quãdo ad idolorum cœpit cultum prolabi. Qui etiam postmodum propter Christum temporalibus bonis pauper effectus est. Harum igitur gentium consilium neglexerunt ac deriserunt Iudei, tanquam inane. erat autem id consilium vt Christi fidem susciperent. Sequitur: quis dabit ex Sion salutare Israel? Quis est, inquit, qui mõtem amplius illum ascendet, qui dicitur Sion, & est in circuitu Hierusalem? Et quis est qui leget populo salutare? hoc est leges: quemadmodum certis quibusdam ac statutis diebus facere mos erat. Quæ verba prophetiam videntur continere destructionis Hierusalẽ: quasi indicet propheta quòd ea vrbe à Romanis deleta, & Euangelio in finibus terræ prædicato, mos ille amplius seruandus non esset. Sequitur: cum auerterit dominus captiuitatem plebis suæ, (dabo enim, inquit, tibi gentes hæreditatẽ tuam, quam dæmon antea erroris iaculo captiuauerat.) exultabit Iacob & lætabitur Israel. Prophetæ nimirum qui de Iacob atque Israel stirpe nati sunt, quique hæc antea prænunciauerunt. Exultabunt etenim, & lætabũtur videntes adimpleta esse, quæ prædixerant. Vel per Iacob & Israel fideles intellige: quasi Iudæorum loco introductos: quorũ progenitor fuit Iacob. Illud etiã, cum conuerterit, idem sibi vult ac si dixisset: cum ad proprias domos eos reuerti fecerit: intelligendo captiuitatem: hoc est ipsos captiuos.

In finem Psalmus ipsi Dauid.

In finem ideo inscribitur hic Psalmus, quia perfectissime ac consummatissime describit qualem esse oporteat virum virtute prædictum. Græca enim dictio τέλος non tantum finem, sed perfectionem etiam significat.

PSALMVS. XIIII.

παροικήσει.

DOmine *quis incolet tabernaculum tuũ, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Vbi audit Iudæus tabernaculum aut montem sanctum, animo statim ad tẽplum percurrit quod erat in Hierusalem, & ad victum illi montem Sion: sciendum est tamen quòd tempore beati Dauid, templum nondum ædificatum erat, nec mons Sion adhuc sanctificatus. hæc enim omnia post illius mortẽ facta sunt. Restat igitur vt per Anagogen intelligantur hæc dicta. Format itaque beatus Dauid sermonem suum per interrogationem, quærens, quis nã hoc aut illud factur⁹ sit. Domine, inquit, quis tabernaculi tui incola futurus est? incola autem seu peregrinus is dicitur, qui aliena in domo aut regione ad tempus moratur: animæ autem tabernaculum corpus est, in quo habitat. Interrogat igitur propheta veluti edoceri cupiens, quis nam sit, qui vitam hanc in humano corpore, incolatum aut peregrinationem esse putet tẽporalem: quiq; hoc corpore quasi aliena re vtatur, & modicam illius habeat curam. tuo autem dixit tabernaculo ad deum sermonem faciens, iudicans ab eo illud creatum esse, & ad animæ habitationem destinatum: vel quòd aliquando deus ipse illud habitaturus erat, factus nimirum homo propter nos. Aut quis requiescet in monte sancto tuo? Requiescere is dicitur qui ex longo itinere fessus requiem capit. Per mõtem sanctum supercœlestem locum intelligere debemus, supra humiles ac mundanos homines eleuatum. Accessistis enim, inquit Apostolus, ad montem Sion, & ciuitatem dei viuentis Hierusalem cœlestem. & quis nam igitur, inquit propheta, à curriculo præsentis vitæ recto cursu veniet, & requiescet in cœlestibus atq; in æternis tẽtoriis?

Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam. Hæc est enim interrogationis factæ responsio. Ille, inquit, incolet & requiescet, qui ea possidebit, quæ dicẽda sunt. describit autẽ ac ferè pingit his verbis hominẽ summa virtute præstantẽ. Ille, inquit, qui sine macula, seu potius, vt Græca dictio verius significat, qui irreprehẽsibilis ambulauerit, & iustitiam fecerit. irreprehensibilis etiam hoc in loco dici potest ille, qui comtemplando, perfectionem assecutus est. Contemplatione quippe mens in cœlum ascendens ingreditur: & iustus,

stus, seu iustitiam operans ille qui per actiones & mõralem virtutem præstantior euasit. operatio quippe ad actiones pertinet. præsenti etiam tempore propheta in vtroque vsus est: quasi nunquam oporteat ab huiusmodi contemplatione, aut à bonis actionibus desistere. & cum vita actiua multiplex sit, & in plures partes diuisa, solo iustitiæ nomine eam appellauit: eo quòd hæc virtus supra cæteras omnes vehitur. vera enim tunc iustitia dicitur, quando vnusquisque facit quod suum est, & quod ad se pertinet. cumque in vniuersum iustitiam posuerit, singulas partes deinceps sigillatim prosequitur.

Qui loquitur ueritatem in corde suo. Qui vera nimirũ dogmata in animo sentit & ore profert.

Nec egit dolum in lingua sua. Et rursum qui vera dicit & non dolosa: hoc est qui vera in seipso cogitat & aliis dicit. nam quod ait, in corde suo, sanum ac rectum atque intus bene dispositum sermonem denotat: similiter & eum qui ore profertur, dum dicit, in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum. Proximi quidem omnes mutuo sumus, vel communicatione humanitatis, vel fidei vnitate, vel ratione cognationis. Per malum verò hic læsionem intelligit. consequenter autem primo cordis meminit, & postmodum linguæ, & postremo actionum. primo enim quis cogitat, deinde loquitur cogitata, & demum operatur quæ antea locutus est. τῷ πλησίον.

Et opprobrium non accepit aduersus uicinos suos. Idem hoc in loco sibi vult vicini nomen quòd proximi. & qui, inquit, opprobrium quasi telum aliquod non accepit, contra proximos. hoc est qui delinquentem proximum, aut membro mutilatum, aut alio quouis infortunio oppressum, non opprobrio afficit aut contumelia. opprobrium ad derisionem tendit, reprehensio verò ad emendationem delicti. vnde reprehensionem in bonam partem accipimus, opprobrium verò nusquam: quinimmo vt reprehensioni quid valde contrarium. Ἐπὶ τοῖς ἐγγισα

Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem dominum glorificat. Vnicuique condigna, vt decet, distribuit. nam & malignum nihili æstimandum putat, tametsi ille diuitiis fortasse aut nobilitate glorietur, aut alio splẽdo-

splendore clarus videatur: & timentes dominum magnipendit, licet aduersa detineantur fortuna. Beati enim omnes qui timent dominum.

Οὐκ ἀθετεῖ τὸν πλησίον

Qui iurat proximo suo & non spernit. Antiqui confirmationem sermonis iuramentum appellabant. iuramentum enim nihil aliud est quàm dictorum confirmatio, in qua testem assumimus deum. Et lege quidem antiqua iuramentum concessum erat, in quo dei nomen ad confirmandam veritatem proferebatur: ne per idola fortassis iurantes seducerentur: verum euangelij lex, quæ perfectioribus perfectiora mandauit, iuramentum penitus abscidit: tametsi loquendi modi quidam sunt, qui iuramenti formam præ se ferre videantur, & iuramenta vere non sunt, sed in reuerentiam aut obsequium audientium sic prolati: vt illud, per sanitatem Pharaõis: item illud Pauli ad Corinthios: per gloriationem vestram. Formam verò iuramenti diuus Paulus Christianis reliquit dicens: Testis est mihi deus quem colo. Et rursus: Testem deum inuoco.

Τὸ ἀργύριον

Argentum suum non dedit ad usuram. Apud antiquos vsura summo in dedecore erat atque exprobratione. Nam qui misericors est, & opportuno tempore mutuum præstat, dignum ducit, id tãtum recipere quod dedit. Et aliter intelligi potest, de eo qui diuina eloquia, quę argentũ igne examinatum ac terræ probatum appellantur, eo prętextu apud aliquẽ nõ deposuit, vt illinc bonum aliquod externum reportaret: quinimmo gratis ac sine mercede omnes docuit.

Et munera super innocentem non accepit. Qui propter innocentem nullum munus recepit: vt eos videlicet læderet qui insontes sunt.

Σαλευθήσεται

Qui facit hæc, non commouebitur in seculum. Cum descripserit propheta virum summa virtute prædituin, sermoni suo condignum finem apposuit: qui facit, inquit, ea quæ dicta sunt, veluti ex omni parte perfectus, nunquam à soliditate illa commouebitur, aut stabilitate, quam in deo habet. & quod ait: in seculum, idem significat quod nunquam. vel etiam non commouebitur in præsenti seculo, hoc est in præsenti vita: quòd si in præsenti seculo non commouebitur, multo minus in futuro.

Titulũ

Tituli inscriptio ipsi Dauid.

Apud Græcos, pro tituli inscriptione στηλογραφίαν legimus: quæ dictio statuæ seu columnæ potius inscriptionem significat quàm tituli. Mos autem erat antiquis, ut columnas, imagines, aut statuas, strenue militantibus uiris in perpetuam ponerent memoriam. loco igitur huiusmodi columnæ aut statuæ præsens psalmus uictori Christo cõscriptus est: qui uti strenuus miles crucis iaculo, & mortem ipsam, & mortis pariter imperium obtinentem diabolum destruxit, dum ex eo quòd peccatum non fecit, anima eius in inferno relicta non est: quinimmo infernum potius spoliauit: nec etiam eius caro uidit corruptionem, cum tertia mortis die resurrexerit: de qua Christi resurrectione Petrus Apostolus, in libro actionum differens, præsenti hoc psalmo authoritatem ac robur dictis suis addere arbitratus est. in rebus itaque à se præclare gestis saluator, statuam seu columnam hanc per linguam beati Dauid sibi erexit: sancto nimirum spiritu, prophetam inspirante & labia eius aperiente. Describit autem, non tantum uictoriæ genus, sed & quæcunque ante uictoriæ finem gesta sunt.

PSALMVS XV.

Conserua me domine quoniam speraui in te. Huius psalmi verba humano omnino more dicta sunt, & homini magis q̃ deo videtur cõuenire. Neq; enī vt deus, sed vt homo dęmonẽ deuicit, eruditus nos q̃p & facillime dæmon à prudẽtibus superari põt: & artẽ pariter tradẽs qua ipse eũ debellauit, seq; nobis, vt fidelissimũ archetypũ, imitandũ ꝓposuit. fundit igitur velut homo preces ad deũ: quod etiã apud euãgelistas sępenumero feciſſe eũ legimus: oratq; seruari se ab oibus tam manifestis q̃ occultis insidiis. tu domine, inquit, serua me, quoniam in te solo speraui. neq; enim alia in re cõfisus sum, quoniam te saluare omnes noui, qui in te sperant.

Dixi domino deus meus es tu. Dixi ego patri & omniũ domino: tu pater, es etiã meus dominus: atq; ideo mei custodiã habeto. vt ab homine enim diximus dici hæc verba, non vt à deo. nã vt homo diuina & ipse indigebat custodia. subiectus enim, inquit, fui domino & orani eum.

Quia bonorũ meorum non eges. Ad hæc, illud etiã amplius dixi, quòd tu donis meis, quæ in sacrificiũ offerri solent non indiges. neq; enim eges vt tibi sacrificẽ, atq; hoc pacto te placatũ mihi adiutorẽ reddã. Licet enī grate recipiat deꝰ quę ei

pie ac re-

pie ac religioſe à nobis offeruntur, verum non vt is qui indigeat, ſed vt illa gratitudinis ac beneuolentiæ noſtræ erga eũ, indicium habeat: atque in prætextum & occaſionem retributionis maiorum donorum.

Ἐθαυμάσωσεν ὁ κύριος

Sanctis qui ſunt in terra eius mirabilia fecit dominus. Bonæ, inquit, ſum ſpei, ſciens quòd dominus quædam fecit mirabilia, ac præter omnium opinionem, ſanctis hominibus qui in terra eius ſunt. Sanctus autem ille eſt, qui deum ſyncere amat, & in eo confidit: qualis erat qui præſentis pſalmi verba protulit. Et ſanctos, de quibus nunc loquitur, omnes intellige, quicunque ante Chriſti aduentum deo placuerunt. Per terram vero aut hanc intellige, de qua alibi cõſonè ſcriptum eſt, Domini eſt terra: aut ſupernam Hieruſalem, in qua conuerſabantur, tametſi adhuc in terra eſſent, & in qua poſt mortem habitare exiſtimantur. vel per ſanctos intelligere poſſumus Apoſtolos, & fideles, qui per illos crediderunt, qui à multiplici morte, & à grauibus periculis liberati fuerũt à domino, & per terram, Eccleſiá in qua verſantur. Deinde cauſam ponit, propter quam fecit eis deus hæc mirabilia.

πάντα τὰ θελήματα αὐτοῦ ἐν αὐτοῖς

Omnes uoluntates eius in eis. Vbi enim fit dei voluntas, illic deus ſemper manet, dirigens & conuerſans.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt. Per infirmitates, labores atque afflictiones eorum intelligit, quæ ſic diſpenſante ac permittente deo erant multiplicatæ, & quæ poſtmodum eodem annuente cito pertranſi erunt. Multæ enim, inquit, tribulationes iuſtorũ, & de omnibus his liberauit eos dominus. Vel aliter: Infirmitates, id eſt peccata eorum ſcilicet qui in Chriſtum crediderunt: prius multiplicatæ ſunt. Nam vbi anima infirma eſt, peccatum oritur. Prædicato vero poſtmodum Euangelio, acceleraverunt in religionem ac pietatem. Quæ ſequuntur non vt ab homine, ſed tanquam à deo proferenda ſunt.

Συναγωγὰς

Non congregabo congregationes eorum de ſanguinibus. Hoc de Iudæis dictum eſt, qui dominum occiderunt, & quorum maximam partem Romanorum manibus perdendam, negat ſe deus de ea ſtrage congregaturum.

Nec memor ero nominum eorum per labia mea. Appellabatur autem populus ille, populus dei, & populus peculiaris, & vinea, & pars, & hæreditas, & funiculus domini, atque alia huiuſmodi.

iuſmodi. Non amplius, inquit, huiuſmodi nominibus, vt antea, eos appellabo: quinimmo filios reprehenſibiles, generationem prauam ac peruerſam, generationem viperarum, ſemen malum, aut quid aliud ſimile. Vel vtrunque dictum intelligamus de iis qui ex Gentibus crediderunt. Non ædificabo, inquit, Eccleſias eorum ex ſanguinolentis ſacrificiis, ſed ex ſyncera fide, ex ſpirituali hoſtia: neque memor ero nominum, quibus olim per Prophetas eos appellabam, ſed quos olim inimicos dicebam, amicos vocabo, & quos infideles, fideles, & quæcunque alia his congruentia ſunt. Labia autem dei intelligi poſſunt eius verba, cum labia verborum ſint inſtrumẽta. Et aliter: Saluator noſter Iudæos & fideles ex Gentibus, contrariis nominibus appellauit, quàm antea appellarentur, vt iam declaratum eſt.

Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Non ſum ſactus homo, inquit, præter patris mei ſententiam. Ipſe enim pater clementia ac bona voluntate ſua, particeps factus eſt populi, qui ex gentibus credidit. Hunc enim populum hæreditatem appellat, quemadmodum in ſecundo pſalmo dictum eſt: quinimmo & particeps factus eſt mortis. Calicem enim & poculum (vt alibi diximus) multis in locis apud ſcripturam pro morte poſitum legimus: vnde in Euangeliis, Calicem quem ego bibo, vos non poteſtis bibere, & rurſum: Pater mi, ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte. Cõſenſit quippe pater tam in Gentium vocationem quàm in filij mortẽ. Vel quod ait pars hæreditatis meæ, diuitias potes intelligere, vt ſit ſenſus: Deus pater, theſaurus eſt & diuitiæ, hæreditatis meæ ex Gentibus: inſuper, & theſaurus doctrinæ meæ: vnde in Euangelio Chriſtus vbique patrem commemorat. Hoc itaque patris ſeu portionis nomen, pro diuitiis ſumitur iuxta illud: portio, ſeu pars mea dominus in terra viuentium. Vnde in filiis paternam diuidentibus ſubſtantiam, ſingulæ portiones vt cuique obueniunt loco diuitiarum ſunt. Quo circa rectè conuenit, vt eadem res, & portio dicatur, & diuitiæ, & hæreditas: ea nimirum ratione, quia & diuiditur, & quia diuitem reddit, & quia relinquitur à patre. Calix etiam pro doctrina accipi poteſt, quæ vino merito comparatur, & quia lætificat, & quia Chriſtus vinea appellatus eſt.

Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Gentes quæ olim à

lim à patre atq; à filio creatę fuerãt,&dei figmentũ dicebantur,diſceſſerãt ab eo,& cõuerſæ ad idololatrias, poſtremo ei per fidem iterũ reſtitutæ ſunt: hanc autẽ reſtitutionis gratiã filius,in patrem tanquam in principium refert Aptiſſime vero hic verſiculus ad præcedentem interpretationem conſequitur. Hac,inquit,de cauſa tu es particeps hæreditatis meæ & calicis mei,quoniam tu mihi eam reſtituiſti. Et hæreditatem poſuit priuſquam calicem,quoniam hęreditas mortis illi cauſa fuit: nec tacenda nobis eſt quædam non inelegans de prædictis ſpeculatio. Hominem ad imaginem & ſimilitudinem dei factum & plaſmatum, atq; ideo hæreditatem creatoris dictum,ſub propriam redegerat dæmon tyrannidem,& alienum mancipium ſibi vſurpauerat: ad quem, dei filius & hæres, literas miſit, ſcribens ei per Prophetas, hæreditatem illam repetens, qua fuerat fraudatus. & quia dæmon continue magis reſiſtebat, & rapinam reddere negabat, hæres accepto patris ſui teſtamento,ad raptorem deſcendit. Inter eos autem iudex fuit pater: qui condemnato raptore,filio hæreditatem reſtituit. Huius rei gratia,filius nunc participem illum tam præclari operis appellauit.

Ἐν τοῖς κρείσσοις μου. *Funes ceciderunt mihi in optimis meis.* Ij,qui terram diuidũt, funibus,eam metiendo deſignantes,determinãt. Et ſenſus eſt: reſtituta mihi hæreditate mea, funes multi mihi ceciderunt, hoc eſt,obuenerunt,& ſorte quaſi mihi contigerunt. Per funes autem credentium multitudinem intelligit. Hoc etiam loquendi modo,denotare videtur q̃ hæreditas hæc ſua deſignata eſſet ac determinata, & q̃ omnibus notiſſima eſſe debebat. Quòd vero per optimos, ſuam hæreditatem ſignificet, in ſequentibus magis declarat,dicens.

κρατίσῃ *Etenim hæreditas mea optima eſt mihi.* Supra plurali numero optimos dixit propter fideles qui variis ſunt in locis,nunc vero ſingulariter optimam appellauit, quia fidelium omniũ, qui in diuerſis ſunt mundi partibus,vna eſt congregatio, vna Eccleſia,vna opinio ac fides. Optimam vero appellat, quaſi præcipuam ac dilectam. Vel, iuxta aliam Græcæ dictionis κρατίσῃ ſignificationem, non optimam tantum ſed fortiſſimam ac potentiſſimam appellat. Cum aduerſarium ac potentem dæmonem ſuperauerit, funes etiam intelligi poſſunt pro vinculis quæ Chriſto ceciderunt, hoc eſt obtigerunt, à Iudæis

dæis nimirum,quando ad Pilatum ductus eſt. Obtigerunt autem ei,propter optimos, hoc eſt propter fideles, pro quibus pati voluit. Olim Iudæorum populus hæreditas dei dicebatur. Facta eſt enim, inquit, pars domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Iſrael: verum populo Iudæorum abiecto aliam loco illius ſuſcepit hæreditatẽ: reginam videlicet ex Gentibus Eccleſiam, quam & optimam appellat & fortiſſimam,veluti quæ antiqua illa ac repudiata hæreditate, excellentior ſit.

Benedicam dominum qui tribuit mihi intellectum. Hęc,& quę ſequuntur, vt homo loquitur. De humanitate etiam Chriſti loquebatur Euangeliſta,quando conſona his, verba illa dicebat: puer autem creſcebat,& ſpiritu inualeſcebat,& implebatur ſapientia & gratia apud deum & homines. Gratias agit igitur de ſapientiæ theſauro ſibi à deo præſtito.

Ἐπαίδευσάν με *Inſuper uſque ad noctem erudierunt me renes mei.* Per renes partem illam animę intellige, quam concupiſcibilem dicimus. Concupiſcentia enim in renibus iacet, & per noctem, ipſam domini mortem. Concupiſcentia mea, inquit, nulla nimirum appetens terrena, ſed diuinis tantum eloquiis, ac piis operationibus intenta, erudiuit me, & ad ipſam vſque mortem,vitam meam direxit. Vel,per mortem, occulta myſteria intellige: vt ſit ſenſus,quòd concupiſcentia mea erudiuit,ac prouexit me,vſque ad occulta ipſa myſteria,& pleriſq; hominum ignota.

προωρώμην *Præuidebam dominum in conſpectu meo ſemper.* Ante omnes alios ego ſemper videbam deum: qui mihi in oculis animæ meæ,quaſi in conſpectu ipſo apparebat.

Quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Videbam autem eum in conſpectu meo, quoniam in dextris actionibus meis ſemper adeſt,in eis requieſcens. Appropinquat enim deus omnibus iis, qui per virtutem ei appropinquant. A dextris vero meis adeſt vt adiuuet me, ne à recta vnquam via,commouear ad non rectam. Cuſtodit enim deus omnes qui eum diligunt.

Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea. Cor meum lætitia impletum eſt, quia hæreditatem recepi, quia inimicum deuici, quia talem mecum adiutorem habui: vnde lingua mea potita atq; oblectata tanto gaudio, Hymnum

num & laudes victoriæ canit, & magnalia dei commemorat.

Insuper & caro mea requiescet in spe. Hoc de sepultura dominici corporis dictum est, quod in sepultura iacebat: in spe tamen celeris resurrectionis. Sciens enim id dominus prædixerat sæpe discipulis se post triduum resurrecturum.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Huius etiam spei causam apponit. Tu enim, inquit, non derelinques animam meam in inferno, vbi cæterorum mortuorum animæ detinentur. Infernus quippe locus est sub terra animabus mortuorum designatus. Vbi igitur sunt Apollinaris nugæ, qui assumptam Christi carnem sine anima, sine intellectu & sine mente esse dicebat: sed ô quàm ipse potius sine mente fuisse conuincitur.

Nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Hoc de corpore domini similiter dictum est tu, inquit, cui ob partas virtutes, oblatus, dedicatus, & sanctificatus sum, non me permittes corruptionem corporis sustinere: quinimmo illud tanquam quod omni caruit peccato, in suis partibus indissolutum conseruabis, vt anima in incorruptum corpus remeante, cito resurgam. Illud etiam annotandum est, quod interitus in mortuis disiunctio est ac separatio animæ à corpore: corruptio vero, est membrorum atque aliarũ partium in terram & in puluerem resolutio.

Notas mihi fecisti uias uitæ. Docuisti me, inquit, virtutes quæ ad immortalem vitam hominem dirigunt, per quas & incederem ipse, & discipulis meis incedẽdum esse traderem. Vel aliter: Reuelasti tu mihi, inquit, vias vitæ, hoc est, resurrectionis meæ: atque iteratæ vitæ modos: per quas vias docens discipulos ingressus sum.

Adimplebis me lætitia cum uultu tuo. Filius, vultus est & facies patris. Qui enim, inquit, vidit me, vidit & patrem meũ. nam & character etiam eius dicitur & imago. Post resurrectionem, inquit, lætificabis me, me inquam assumptum hominem, & assumenti coniunctum diuinitati. Ante resurrectionem enim mœstus erat ac tristis, lachrymabaturque, & sollicitudinibus erat plenus, lege nimirum humanæ naturæ. Vel aliter: Cum vultu tuo, circunloquendo dixit: id est tecũ. Ipsum enim Christi corpus filio vnitum erat, & filius patri: vnde communis erat eorum lætitia propter humanam salutem, quam mors per crucem operata est.

Delectatio in dextera tua usque in finem. Dextera patris, filius dicitur, quemadmodum & brachium eius, & potentia & delectatio. Ait igitur, ℣ perpetua exultatio erit filio dei, quia secum eos exurgere fecit, qui olim ob peccatum deciderant: & quia hæreditatem suam recepit. τὸ δεξιόν· τῆς

Oratio ipsi Dauid.

Persecutionem sustinens à Saule beatus Dauid, & multis impetitus iniurijs, Psalmum hunc conscripsit, quo deum in auxilium aduocat. Qui tamen unicuiq; uiro uirtute prædito atq; oppresso ab inimicis accommodari potest.

PSALMVS XVI.

EXaudi domine iustitiam meam. Exaudi, inquit, iustitiam meam, hoc est affectum atque amorem meum erga iustitiam, qui actionibus atque operationibus suis, quasi lingua quadã ad te clamat. Nam cum potuerim sępenumero inimicissimum mihi Saulem occidere, abstinui tamen iustitiæ huius amore, quia à te constitutus est rex: quinimmo nec verbis illum obiurgare ausus sum. cum sit populi caput, & ab illius iniuria abstinere semper æquum sit. Scriptum est enim, principi populi tui non maledices. vel per iustitiam, hoc in loco iustificationem suam, & iuris sui rationes intelligit, quibus causa sua iustificatur, & quas in progressu ponit. Atque hoc pacto à iactantiæ suspitione Prophetã vindicabimus, quando magna eum cum ratione sic petere perspecturi simus.

Intende deprecationi meæ. Deprecationem accipit, pro figura & forma precum suarum, quæ miseranda erat: mœrore nimirum plena ac contritione & humilitate: quæque vel solo intuitu conciliare sibi poterat deum.

Auribus percipe orationẽ meam, non in labijs dolosis. Hoc per figuram Hyperbaton legẽdum est, vt sit sensus: Suscipe orationem meam, oblatam tibi non dolosis labiis. Munda quippe sunt labia mea ab omni mendacio & dolo. Neque enim mihi conscius sum, ℣ Sauli dolosa aliquando locutus sim: quinimmo amorem & dilectionem meam in eum palam cõ

fessus,integram adhuc confessionem conseruo:tametsi is pacta mecum inita confregerit,& mentitus sit. Tria vero in auxilium suum proponit, iustitiam, supplicationis formam, & orationem à non dolosis labiis prouenientem:vt per hæc tria nimirum,in auxilium suum deum magis commoueret.

De vultu tuo iudicium meum prodeat. Vtinam,inquit, tu nobis iudex sis,qui nostra omnia exactissime nosti, & solus iustus iudex es,& potens,qui ad exitum propriam deducas sententiam. De vultu tuo,circunloquendo dixit, hoc est,à te ipso,vel coram te. Iudicium autem meum, hoc est, sententia, quæ de me ferenda est: hoc inquam iudicium opto, vt feratur à te. Iniustum enim reputo, vt in propria mihi causa iudex sim,& à meipso punire illum debeam, qui ad meum festinat interitum.

Oculi mei uideant æquitates. Vtinam ego, inquit, suffragia videam & æquas de nobis proferendas à te sententias.

Probasti cor meum & uisitasti nocte. Non tantum, inquit, ab iniustis ego actionibus abstinui, sed à prauis etiam cogitationibus. Tu enim qui scrutator es cordium inuestigasti me,nec vllam in corde meo iniquã aduersus Saul, cogitationem inuenisti. Tu mẽtem meam rectam semper fuisse nosti, nec in secunda id tantum fortuna, sed & in ipsa etiam tentationum atque afflictionum nocte: quæ mentes hominum obtenebrare solet,& occasiones præstare, vt veluti errabundus à recto calle quis deuiet. Nam vt verbis etiam vtar beati Iob,in lumine tuo ambulabam in tenebris: quoniam lex tua lucerna erat pedibus meis,& lumẽ semitis meis. Vel noctem fortassis illam dicit, qua in potestate sua Saulem habuit in spelunca,& tamen occidere eum noluit.

Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Examinasti me,inquit,igne tentationum, non secus ac cum artifices igne aurum examinant, vt cognoscant an mundum id sit & purum. Et cum auri instar fusus sim & probatus, nulla tamen in me inuenta est iniustitia, quam patrauerim aduersus Saul. Neque enim inter angustias malum aliquod aduersus eum vt pusillanimis,aut consultaui vnquam,aut decreui.

Vt non loquatur os meũ opera hominum. Hic versiculus consequentia non caret ad præcedentia, vt aliqui existimarunt: quinimmo cõmodissime eis adiungitur,& causam continet, quare

quare examinatus fuerit & afflictus beatus Dauid. Hac,inquit,de causa,tu me tentationibus examinari permisisti,ne si maior fuissem quàm qui tentari aut affligi possem,extollerer fortassis: neue accusarem Saul, aut illius iniustitias superbe deriderem atq; exprobrarem. Vel aliter:tu ideo me examinasti,vt ego cõuersus ad te,nõ humana opera,sed tua cõmemorare beneficia,& quomodo tu omnia in melius semp dirigis. Solemus enim in afflictionibus,tui semper magis meminisse.

Propter uerba labiorum tuorum ego custodiui uias duras. Per verba labiorum dei, mandata legis intelligit, quæ per Moysen data sunt. Labiorum autem dei, improprie dicit, quasi à deo prolata sint ea mandata. Propter hæc itaque mandata, ego,inquit,custodiui,hoc est,ego ambulaui vias duras: virtutum nimirum vias quæ asperę sunt & laboriosæ, & omni corporis delectatione prorsus carentes. Custodire etiam apud scripturam sæpissime positum reperimus, pro operari: vt illud,custodiui mandata tua,hoc est adimpleui.

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non commoueantur gressus mei. Bis gressuum meminit, & per eos,priori loco mentis motus intelligit,secundo vero motus corporis. Ait igitur, tu domine perfectas ac rectas facito cogitationes meas, in mandatis tuis, quæ gradientes per ea homines ferunt ad te. Nam si hæ mentis cogitationes perfectiores reddantur, cæterę etiam operationes corporis non titubabunt: quinimmo tutiores erunt. Vel perfice gressus meos,hoc est,omnes actiones meas, dum ambulo per vias tuas, quas in mandatis tuis esse statuisti iis, qui festinant venire ad te:ne si forte commorati gressus mei nullam à te perfectionem acceperint,deuient aliquando ab honesto,& sequantur quę deteriora sunt. Tu enim es qui doces hominem scientiam.

Διαβήματα τα διαβήματα

Ego clamaui quoniam exaudisti me deus. Non frustra, inquit,fundo preces ad te, nam & alias cum ad te orarem exauditus sum.

Inclina aurem tuam mihi & exaudi uerba mea. Atqui aures in nobis inclinari non possunt: sed cum inclinato capite erga illum quem audituri sumus, condescendimus, videntur etiam aures in nobis inclinari. In superioribus iam diximus quemadmodum Propheta sæpenumero ab humanis operationibus diuinas exprimit,imbecillitati ac crassitudini

auditorum condescendens. Solent itaque ij caput inclinare, qui exilis hominem vocis, audire diligentius cupiunt : vnde & cum capite aures pariter inclinare videntur. Inclina igitur & tu deus aurem tuam, tanquam excelsus ad humilem, tanquam medicus ad infirmum. Et visus quidem in deo est simplicior quædam rerum cognitio, auditus verò exactior & perfectior scientia. Nam quæ visibilia sunt, propter materiam quæ visibilibus rebus inest, crassiora sunt, quàm quæ audiri queunt. Superius igitur atque inferius supplicans beatus Dauid, huiusmodi verbis vsus est, quæ maiorem Dei cognitionem ac maiorem attentionem desiderent. Exaudi enim, inquit, intende, auribus percipe, & alia huiusmodi: quæ verba etiam sæpius replicauit in maiorem nimirum emphasim, ac maiorem significationem summæ affectionis suæ, ex tota cupientis anima petitionem à se oblatam impleri.

Mirifica misericordias tuas qui saluos facis sperãtes in te. Fac, inquit, vt misericordiæ tuæ admiratione dignæ videantur. Misericordias autem dei hic diuinum auxiliũ appellat. Omnes enim qui beatum Dauid adiutum, à deo & seruatum à tantis viderunt periculis, admirati sunt tam celere ac validũ auxilium : quinimmo & illud, ꝙ non tantum iustis deus sed ꝙ peccatoribus etiam opem præstat.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me domine ut pupillam oculi. Custodi me domine ab insidiis Saul & complicum eius, qui electioni per te factæ resistunt. Tu etenim per Prophetam, à quo inunctus sum, me in regem elegisti : isti vero non suscipientes quod feciſti, mihi necem parant. Admiranda est autem quàm maxime custodia illa, quàm oculus pupillæ præstat. Siquidem tunica super tunicam, & alia quædam tegumenta eam muniunt : quorum alia tenuia ac transparentia sunt, ne pupillæ quæ suapte natura humida est & mollis, asperitatem inferant : alia vero exterius crassiora : vt palpebrarum tunica, quæ duobus est semicirculis distincta, vt pulueris & aeris læsionem, & paruula quæque animantia, repellat, & pilis etiam quibusdam vallata, vt sudorem prope fluentem prohibeat. Acutus enim sudor est atque admodum molestus. Superius præterea supercilij vallis formata est. Ipsum autem supercilium, veluti tectum quoddam firmum ac validum iacet: quod pilis etiam multis ac condensis ornatum ac munitum

munitum est, ne sudor desuper fluens in pupillæ habitaculũ irruat. Illinc enim repulsus, in ipsa deuoluitur tempora. Cum tantam igitur præstet oculus pupillæ custodiam, non mirandum si parem sibi à deo Propheta præstari optat.

In protectione alarum tuarum proteges me à facie impiorum, qui me afflixerunt. Adinuenta alia custodiæ similitudine, pulli in morem rogat Propheta se protegi. Per alas autem diuinæ prouidentiæ vires intelligit: quibus continere conseruareque omnia deus solet & fouere. Quod ex metaphora auium sumptum est, quæ proprios pullos alis tuentur ac protegunt. Quod vero ait, proteges, futurum pro optatiuo positum intelige: vt sæpe apud scripturam positum reperimus. Vel quia prædicit beatus Dauid, vt Propheta, auxilium quod sibi à deo præstandum erat. Faciem etiam impiorum pro ipsis impiis intellige. Improprie autem Saulem & socios, impios seu potius, vt sæpe alibi diximus, iuxta Græcę dictionis ἀνόμους veriorem significationem, exleges appellauit: eo quòd Gentium more, exleges viuerent in peccatis: & quia innocentem occidere studebant, nec electionem illam verebantur, quam eis deus significauerat se feciſſe de Dauid, dum immodice eum affligerent, & in causa essent vt exul ac profugus omne calamitatum genus sustineret. ἐν σκέπῃ τῶν σκεπάσεις

Inimici mei animam meam circundederunt. Per animã suam seipsum intelligit, totum exprimens à parte. Circundederunt autem, insidiis nimirum vndique dispositis.

Adipem suum concluserunt. Per adipem, cor intelligit & viscera : quoniam circum hæc multa solet inesse pinguedo. Ait igitur, omnem eos à corde atque à visceribus misericordiam intra seipsos clausisse. Misericordia enim à corde atque à visceribus dicitur descendere. Alij adipem exponunt pro bona habitudine ac felicitate, quam illos clausisse dicit Propheta, atque in seipsis continuisse, veluti nunquam amplius recessuram, sed cum eis perpetuo futuram.

Os eorum locutum est superbiam. Iactabant enim illi cito se comprehensuros beatum Dauid, nec posse illum ab eorum manibus euadere: quasi ex nullo latere expectandum illi amplius esset auxilium.

Eiicientes me nunc circundederunt me. Expulerunt me, inquit, ex omnibus bonis meis: nec satis hoc eis fuit, sed rursus ἐκβάλλοντες

etiam circundederunt, morti me tradere festinantes.

Oculos suos statuerunt declinare in terram. Decreuerunt, inquit, declinare oculos suos à te nimirum, qui in cœlis habitas: atque à mandatis tuis, quibus mandasti ne insontem quis lædat, atque hoc vt illos in terram conuerterent, hoc est, ad terrenas concupiscentias. Quod nihil aliud est, quàm absque vlla ratione quicquid libido postulat explere. Vel aliter literam lege. Oculos suos statuerunt vt declinent in terram. Et tunc expone statuerunt, hoc est, stabiliuerunt & firmauerunt obseruantes nimirum vt illum inclinent & demittant in terram, quem olim morti tradere contendunt. Oratio enim græca vtrunque sensum recipit.

ὡσεὶ *Susceperunt me quasi Leo paratus ad prædam, & quasi catulus Leonis habitans in abditis.* Quantũ ad eorum spem attinet, ipsi me ita susceperunt, quasi dicat, illi sperabant accedere ad me, & suscipere me, hoc est sursũ accipere, atq; extollere à terra, & discerptũ efferre. Differentiã inter Leonẽ & Leonis catulum, quidã huiusmodi tradiderunt dicẽtes, quòd Leo proprio fretus robore manifeste ac palã rapit, & ꝙ catulus tanta carẽs cõfidentia, clam atq; occulte se accingit ad prædã: vnde abditus cõsidere dicitur. Hoc pacto etiã inimicorũ beati Dauid, alij aperto Marte suis freti viribus in eum irruebãt, alij autem veluti timidiores sibiipsis nõ adeò fidẽtes, clam insidias struebant: tametsi nihil impedit quin vtrunq; idem sibi velit atq; idẽ significet. Solet enim Propheta sæpenumero in huiusmodi locis affectu plenis, easdẽ sententias varia oratione repetere: vt aucto affectu ad maiorem deum misericordiã trahat.

Exurge domine. Quippe cum ob longanimitatẽ dormire quodãmodo videaris. Exurge igitur & mouearis ad vindictã.

Αὐτοὺς *Præueni eos.* Tu, inquit, eos præoccupa priusquam ea quę meditati sunt effectum aliquem sortiantur.

Αὐτοὺς *Et supplanta eos.* Esto illis impedimẽto dum currunt & festinant aduersum me. Quòd ex eorũ metaphora dictũ est, qui dũ currentẽ impedire volũt, tibiã aut pedem transeunti subiiciunt, vt huiusmodi offendiculo eos in terrã prosternant.

Ῥομφαίᾳ *Eripe animam meam ab impio framea tua, ab inimicis manus tuæ.* Tua, inquit, framea hoc est tuo telo, libera animam meam ab impio Saul atque eius sociis, qui electioni tuæ de me factæ tanquam inimici aduersantur. Vel eripe me ab iis qui inimici

mici sunt, manus ac potentiæ tuæ: hoc est ab inimicis tuis. Nam qui me oppugnant, qui à te electus sum, tecum etiam pugnare videntur. Saulem verò cur impium appellet, superius dictum est. Illa autem verba: libera animam meam: congrue dicta sunt, vt prioribus verbis respondeant, dum dixit, inimici mei animam meam circundederunt. Dubitant quidam quomodo beatus Dauid, qui in spelunca inimico Sauli pepercit, nunc precetur occidi eum gladio dei. Et dicẽdum, quòd ipse quidem regis sui noluit occisor esse, vt circa principium psalmi diximus, & tamen deum ad vindictam aduocat, veluti qui omni erat calamitatum genere afflictus. Neque enim si occidere regem, iniustum dicimus, ita etiam iniustum dicimus, aduocare deum ad vindictam. Vel aliter: libera me, inquit, framea tua, non vt occidas, sed vt ea tantum inimicos perterreas, & repellas. Hoc etiam humano more dictum est. Nam cum quis socium ab inimicis detẽtum eripere voluerit, euaginato gladio in eos ruit. Quod autem non petat beatus Dauid Saulem & socios interimi, sed disiungi tantum ac dissolui, manifestum fit ex sequentibus.

Domine à paucis de terra diuide eos in uita eorum. Adhuc viuentes eos, inquit, diuide ac distingue à probis hominibus, ne cum eis cõuersentur: quod aliis verbis alibi dicit: & cum iustis non scribantur. Nam si disiungantur, condignas aliquando pœnas dabunt. Solet etiam sæpenumero scriptura per paucos, probos homines significare: quia & praui homines plures sunt, & peiora, numero semper vincunt. Pauci enim sunt, inquit, qui saluantur, & pauci etiam qui electi. Et postquam dixit à paucis, addidit de terra: denotãs quòd pauci illi qui boni sunt, de terra sunt, quodque hoc eis nihil impedimento fuit ad virtutem. & constructio sic se habet: diuide eos à paucis qui sunt de terra.

Et de absconditis tuis impletus est uenter eorum. Per abscõdita quidam aurum atque argentum intelligunt, & alia huiusmodi metalla, quæ occultis terrę lateribus abscondita, fodiuntur ab iis qui illic ea perquirunt: quibus bonis illorum ventrem impletum esse ait, à parte totum significans: hoc est quibus repleti sunt, quippe cum eorum cellæ atque apothecæ, huiusmodi bonis, instar ventris, plenæ ac refertæ sint. Vel eorum ventres impletos esse obsoniis intellige, qui-

bus abunde vescentes exsaturati sunt. Multi etiam dicũt, per abscondita, pœnas intelligendas esse, quæ apud deum veluti in thesauri loco reconditæ sunt, cum & Moyses in Deuteronomio de vario suppliciorum loquẽs genere, ex persona dei dixerit: nonne hæc cõgregata sunt apud me, & sigillata in thesauris meis? hæc igitur verba prophetiã continent & prędicunt: inimicorum illorum vêtrem, hoc est inimicos ipsos, abditis atque occultis apud deum suppliciis implendos esse: vnde & aduersus tantam eorum insatiabilitatem atque ingluuiem commodissime ventris nomen apposuit. Futuro etiam tempore pro præsenti vsus est, quia propheticis oculis prospiciens, vt præsentia esse indicauit.

ΧΟΙΡΟΙΣ *Saturati sunt porcis.* Suem Hebræi vt immundum habebant, eo quòd inter cætera animalia quæ vngulam scindunt non ruminat. Præterea etiam quia in luto atque in immundiciis versatur. Per suem igitur hoc in loco eorũ voluit immundiciam subnotare. Saturati enim sunt, inquit, immundiciis, consumpto nimirum patrimonio, ac bonis omnibus, in varias voluptates. Multi etiam & doctissimi interpretes aliter exponentes legunt: saturati sunt filiis, non autem porcis, dicentes in Hebræo haberi dictionem banion, quæ filios non sues significat: & errorem huius variæ lectionis ortum esse scriptorum vitio: cum Græcę dictiones, porcis & ΧΟΙΡΟΙΣ filiis, maximam habeant literarum similitudinem. Sensum ΥΙΟΙΣ igitur esse dicunt, quòd illi inimici ita saturati sunt filiis, sicut & diuitiis, multorum videlicet filiorum effecti patres. Vel iuxta duplicem proxime præcedentis versiculi interpretationem, saturati sunt pecuniis, seu pœnis, simul cum propriis filiis, ita vt subaudiatur præpositio cum, & sit sensus: quòd non solum ipsi patres, sed quod ipsi etiam eorum filij diuitiis satiati sunt, seu suppliciis.

ΑΥΤΩΝ *Et diuiserunt reliquias paruulis eorum.* Eo quòd tantę fuerunt reliquiæ, vt posteris filiorum sufficerent. Nam quòd ait paruulis eorum, expone paruulis filiorum: adeo vt illę diuitiæ seu pœnæ in omnem generationem se extenderint. Et si pœnas intelligis, prophetia erit malorum, quæ inimicis beati Dauid euentura erant. Si vero diuitias, exaggeratio hæc quędam erit in illorum accusationem, quòd tantis repleti bonis, praue tamen atque inique vixerint, longanimitatem

tatem dei summam contemnentes.

Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo. Propter iustitiam meam, inquit, de qua in principio psalmi diximus, fac me dignum tua protectione, & apparebo coram te in vltimi iudicij tempore, quando vnicuique pro factis condigna reddes præmia vel supplicia.

Satiabor cũ apparuerit mihi gloria tua. Cum videro, inquit, gloriam tuam, tunc desiderium meum implebitur, vt videar à te, vtque vicissim tuam ego conspiciam gloriam. Peccatores enim faciem dei non videbunt: & dominus in euangelio, beati qui esuriũt & sitiunt iustitiã, quoniã ipsi saturabuntur, æternis nimirũ & optatis bonis. Cõgruit etiam hic psalmus cuilibet viro virtute prædito, qui insidiis & persecutionibus ab inimicis impetatur: qui dolos nõ diligat, & postulet cum inimicis iudicari: hic Saulem inimicum suum esse reputabit, visibilem fortasse seu inuisibilem: hic etiam verba labiorum dei, mandata esse euangelica intelliget: & eos qui dexteræ dei resistunt, dæmones putabit, quasi aduersarios apostatas ac rebelles: quos etiam impios atque inimicos appellabit, qui à protectione dei, atque à paradiso eum eiecerunt. & quæ sequuntur consequenter his exponet. Rogabit præterea, disperdi ac diuidi dæmones à probis viris, donec in præsenti vita sunt. Post mortẽ enim ab eis nihil amplius verendum est. Præterea & quæ de diuitiis seu etiam pœnis & suppliciis dicta sunt, dæmonibus applicabit, tanquam mundi principibus, quorum filios ac posteros eos esse intelliget, quos dæmonum discipulos ac ministros appellamus: prauos nimirum homines, quorum omnium diabolus pater est.

In finem puero domini Dauid, quæ locutus est domino uerba cantici huius, in die qua liberauit eum dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul, & dixit. ΤΟΥ ΔΑΥΙΔ ΛΗΣΤΟΥ

In finem inscriptus est hic psalmus, quia prophetias continet quæ ad finem erant peruenturæ. De Christo enim & de uocatione Gentium tractat. Vel quia propheta in consummatione ac dissolutione inimicorum suorum eum deo obtulit in gratiarum actionem, pro beneficiis omnibus quæ ab eo receperat. uel quia in fine uitæ suæ eum cõposuit. Puero autẽ domini Dauid, & non regi, aut prophetæ, dixit: quia

quia quòd rex esset aut propheta, donum dei erat, non ita dei donum quòd puer. Puer enim domini quis dicitur uel ob animi gratitudinẽ tanquam fidelis seruus, uel quia deo placeat, tãquam filius dilectus. Beatus igitur Dauid utraque ratione utrãque huius nominis significationem sortitus est: appellatus uimirum & seruus dei & filius: quæq; maior illi fuit gloriatio, proprio studio ac labore hæc sibi nomina comparauit. Vnde hoc pueri nomine magis sibi placet quàm regis aut prophetæ. Sequitur quæ locutus est domino. subintellige pronomen hæc: ut sit hæc quæ locutus est domino uerba cantici huius. Cantici uero dixit & non psalmi: quia non musico aliquo cum instrumento, sed ipso tantum ore uerba hæc cecinit, cum iam consenuisset, ut in Regum libris traditur. Nos autem improprie cantica psalmos appellamus. In die qua eripuit eum dominus de manu inimicorum suorum: hoc est in die quando ab omnibus inimicis quos eatenus habuerat, tam alienigenis uidelicet quàm cognatis, ereptum se ac liberatum putauit. Priuatim tamen Saulem à ceteris distinguens inimicis, ultimo eum loco, ac nominatim commemorauit, uel tanquàm omnium inimicissimum, uel forte quia & regem & socerum, & de se aliquando benemeritum simul cum aliis coniungendũ non duxit.

PSALMVS XVII.

Diligam te domine fortitudo mea. Cum multa, inquit, & magna beneficia à te receperim, & respondere illis nequeam, (quid enim retribuã domino pro omnibus quæ retribuit mihi?) quod solum valeo id faciam: diligam te non quòd antea non amarem, sed quasi magis imposterum amaturus. Hoc enim inter mandata omnia primum ac præcipuum est: diliges enim, inquit, dominum deum tuum ex totis viribus tuis, & ex toto corde tuo. Fortitudinem vero deum appellauit, veluti eum qui ipsius beati Dauid infirmitatem, aduersus tot ac tales inimicos fortem ac validam reddebat.

Dominus firmamentum meum, & refugium meum & liberator meus. Firmamentum quidem appellat deum, quasi qui eum stabiliat, confirmet, & aduersum tentationum impetum immobilem reddat. Refugium verò tanquàm qui eum pericula fugientem, in suam protectionem & custodiam receperit. & qui muro ac septo diuini auxilij eum conseruet. Liberatorem etiam, quòd eum eripuerit, ab iis qui obsidere & captiuum facere eum sperabant.

Deus

Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum. Deus meus solus est, qui semper mihi opem ferat: atque ideo in eo solo spẽ ponam, non formidans quæ mihi contingere possunt: neque etiam de salute desperans.

Protector meus, & cornu salutis meæ, & adiutor meus. Qui in bello protectionem suam ad defensionem meam posuit. Solent enim qui in bello alicui periclitanti opem ferre volunt, clypeum attollere ante eum, quem defendũt, quo ictus & iacula ab eo vndique auertãt: & hoc pacto protegere quis alium dicitur. Cornu autem salutis: id est salutare propugnaculũ. Cornuta enim animalia in pugna validissime cornibus certant. Et quoniam armorum alia ad defensionem sunt, alia ad offensionem, vtrunque, inquit, deus factus est mihi. Nam & ab inimicis me protegit & pariter eos perdit. Adiutor autem quia in mœstitiam deductum me adiuuat, & inter afflictiones refouet. ἀντιλήπτωρ

Laudans inuocabo dominum, & ab inimicis meis saluus ero. Cum tam variis ac multiplicibus diuini auxilij nominibus, deum laudauerit, veluti eum qui plurimis ac diuersis modis sibi opem tulerit, postea subintulit dicens: non ego tantorum ac talium nominum auxiliorum dei catalogum ea tantum recensui ratione, vt de receptis ab eo beneficiis, gratias agerem, tanquàm qui illius auxilio indigere amplius non deberem, sed per ea pro collatis in me donis ita laudaui deum, & magnificaui, & gratitudinem animi mei ostendi, vt toto tempore vitæ meæ illum inuocandum mihi esse cognoscam, & in eo spes meæ omnes collocandæ sint. Propterea sperabo, inquit, in eum, & ab inimicis meis saluus ero. Nam & si ab inimicis quos hactenus habui liberatus sum, attamen verisimile est, si diutius vixero, & alios in me rursum esse insurrecturos. His dictis sermonem cõuertit, & varia connumerat pericula, & multiplices dei defensiones. Allegorica verò narratione vtitur ad maiorem rerum emphasim, & ad maiorem sermonis sui efficaciam.

Circumdederunt me dolores mortis. Quod latine dolores legimus, in Græco ὠδῖνες habetur: quæ dictio proprie parturientis dolores significat. Huiusmodi itaq; dolores in hominibus intelligi possunt labores & molestiæ, quæ de afflictionibus atque angustiis proueniunt, ad dolorum illorum ὠδῖνες

similitudinẽ

similitudinem qui in mulierum parturitionibus ob angustiã & compressionem meatuũ, molestissimi oriuntur. verum in muliere dolores vitæ potius, quàm mortis dicendi sunt: cum ad huius vitæ lucem hominem producant: hic verò diuersum omnino accidit. Dolores enim mortis dicũtur, eo quòd ad mortis tenebras deducant quem comprehenderint. Dicit itaque intolerandis se detentum fuisse doloribus. illa enim dictione, quam in Græco haberi retulimus, maximam dolorum grauitatem expressit.

Et torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Per torrẽtes iniquitatis, subitas temporarias, atque impetuosas impiarũ gentium incursiones intelligit, huiuscemodi enĩ naturæ torrentes sunt, qui in hyeme fluunt, statimq; ac cum impetu. maligne enim illi & iniquo animo agebant quærẽtes eum interimere. commodissime etiam apposuit verbum conturbauerunt. deuoluunt enim torrentes ac perturbãt omnia in quęcunque inciderint. Ait igitur propheta se etiam circumquaque volutatum fuisse, & vertiginem quasi passum ob tam repentinũ nouarum atque insperatarum rerum motum.

Dolores inferni circundederunt me. Hic versiculus idem significat, quod superior ille. circundederunt me dolores mortis: seu (vt verius illic habet Græca lectio,) continuerũt me. circundare enim & continere ac cõplecti idem significãt. similiter & mors, & infernus. Infernus autẽ iuxta Græci nominis etymologiã insuauẽ & iniucundũ significat mortuorũ locũ, qui sub terra est. quia igitur, vt diximus, accidere solẽt dolores in partu atq; in generãdo, circũdederunt me, inquit, dolores qui mortem generant, mortem inquam inferni ministram. Mors enim animam diuidit à corpore: vnde infernus assumens eam continet. vel dolores inferni eos intellige. qui in infernum deducunt: vel qui ministri sunt inferni.

ἅδης ὡς ἀνδὴς

Præoccupauerunt me laquei mortis. Præuenerũt me, inquit, insidiæ, quæ mortem operantur. nam quod venatoribus laquei aduersus feras operantur, hoc insidiæ hostibus contra hostes præstant.

Et in tribulatione mea inuocaui dominum. In auxiliũ scilicet.

Et ad deum meum clamaui. In angustiis constitutus vocem ad deum meum leuaui clamans.

Audiuit de templo sancto suo uocem meam. Templum sanctũ, cœlum

cœlum est, vt superius diximus, aut testimonij tabernaculũ, Templum enim in Hierusalem nullum adhuc erat, sed à Salomone postmodum constructum est. audisse autem deum intellige, non humano more, sed decenter deo: tametsi nos, qui dei vires ac potentias, quibus totum continet orbem, nec comprehendere animo possumus, nec lingua exprimere: ad sensibilium rerum similitudines eas deducimus, per quas ea quæ vere sunt comprehendimus.

Et clamor meus in conspectu eius. Clamor meus semper in conspectu eius est, quia in angustiis constitutus ad ipsum solum clamo.

Introibit in aures eius. In tempore etiam opportuno exaudiet me. his autem verbis vti & nos solemus cũ gratias agimus, & cum dæmonum pariter insultationes narramus. εἰσελθὺσεται.

Cõmota est & contremuit terra. Nunc tradere incipit prophetiam de Christo, & futura narrat tanquã præterita prophetarum more. Beato enim Dauid nihil simile legimus cõtigisse: & quòd LXX. interpretes dixerunt: commota est, seu potius, fluctuauit & contremuit terra: Aquila dixit, mota est & concussa. Per terram autem, homines in ea habitantes intellige. docente enĩ Christo Iudæi & gentes perturbati sunt propter opinionem & famam quæ de eo increbruerat. Fluctuarunt igitur: hoc est, perturbati sunt. fluctuare enim idẽ est quod perturbari. Et timuerunt: videntes nimirum signa ac prodigia quæ faciebat. tremere enim posuit pro timere, eo quòd timidi homines tremore corripi soleant. Et aliter, Commoti sunt, ad Christum nimirum confluentes ob famam quæ de eo erat, & tumultuantes propriis consiliis concussi sunt.

Fundamenta montium conturbata sunt, commota sunt, quoniam iratus est eis dominus. Per mõtes dæmones intellige ob summam eorum elationem ac superbiam, & per fundamenta, profundas eorum cogitationes. Conspicientes enim dæmones inexpugnabilem dei potentiam, propriis cogitationibus confundebantur, dubitantes quis nã esset, & reputantes qualia ipsi pati deberent. Illorum igitur cogitationes sic perturbatæ sunt. & ipsi etiam pariter ab illa potentia commoti: in qua dum vigerent, validiores erant ac fortiores. Hoc autem ideo accidit, quia iratus est illis deus quòd tantam exercerẽt in homi-

in homines tyrannidem. possunt etiam hæc intelligi, de his quæ acciderunt tempore passionis domini, quando terra cõmota est, & petræ scissæ sunt: quę omnia diuina permissione contigerunt, quia iratus erat dominus Iudæis.

Ascendit fumus in ira eius. Creatore irato ob creaturæ suę interitum, præcessit vindictæ fumus, qui tyrannum dæmonem ex parte coercuit. Nam & fideles ab illius erroribus abstraxit, & ab iis qui dęmoniaci erant, spiritus expulit immũdos. hoc autem initium fuit postremæ ac maioris vindictæ: quandoquidem igni fumus solet esse præuius. clamabant enim exeuntia dæmonia, quid nobis & tibi fili dei? venisti ante tempus torquere nos.

Κατα-φλεγή-σεται

Et ignis à facie eius exardescet. Si præcessit fumus, sequetur etiam ignis: hoc est perfectior vindicta, & omnimoda dæmonis impotentia. à facie verò eius, id est ab ipso deo, qui in tribus personis vnam habet diuinitatis faciem. vel à facie eius, id est coram eo. Ignis enim, inquit, in conspectu eius præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Exardescet verò, id est accendetur.

Carbones succensi sunt ab eo. Quia deus ignis consumens est, omnem nimirum malignam potentiam. ipsius quoque discipuli, huiusmodi efficaciæ ac virtutis participes effecti sũt, & ab hoc ipso igne, deo, accẽsi sunt carbones: qui ignes propriæ fidei omnem inimici potentiam comburerent. Ecce enim, inquit, dedi vobis potestatem conculcandi serpentes & scorpiones & omnem inimici potentiam.

Et inclinauit cœlos & descendit. Volẽs nobis propheta abditum diuinæ incarnationis mysterium significare, ait, quòd inclinauit cœlos vsque ad terram, & quòd sine strepitu descendit. occulte enim ac latenter insciis nimirum omnibus potestatibus habitauit in virginis vtero. Propheta verò corporalius ac sensibilius factum hoc describit, vt ex sequentibus etiam magis patebit. ait enim.

Et caligo sub pedibus eius. Per caliginem tenebras intellige, & per pedes viam. obscura enim fuit via humanationis atque incarnationis domini, & illius modus incomprehensibilis. Vel aliter: quemadmodum terreni homines, vel qui terram habitant, apud scripturam sæpenumero terra appellantur, sic & cœlestes angeli qui in cœlo commorantur, cœlum etiam

lum etiam dici possunt: quos angelos inclinauit dominus in terram, illuc nimirum descendentes ad eius ministerium. Scriptum est enim in euangelio, quòd angeli ministrabant ei. descensum autem dei non corporalem intellige. incircunscriptus est enim deus, & omnia implet, tametsi supra quàm à nobis comprehendi possit & ineffabiliter.

Ἐπὶ πτέ-ρύγων

Et ascendit super cherubin & uolauit, uolauit super alas uentorũ. Hæc est prophetia de Christi assumptione. quòd autem ascendens dominus susceptus fuerit à Cherubin, Ezechiel visione sua declarauit dicens: & extulerunt Cherubin alas suas, & rotæ illis adiunctę, & dominus Israel in ipsis, & desuper ipsa: & ascendit gloria domini de media ciuitate. Quæ verba sine contradictione de ascensione domini dicta sunt. Nam & Paulus ipsum dominum, splendorem glorię appellauit. volauit autem super alas Cherubin: quę & ventos etiã appellauit ob motus celeritatem. & re vera quidem vectus est in cœlum dominus super Cherubin, quę diuinitati proximiora sunt: licet Apostolis vehi ventorum alis visus sit: hoc est ab ipsis ventis, quos alatos esse propheta introduxit, propter velocissimum eorum in aere motũ. alata enim sunt omnia quę per aerem incedunt. Et quia de Christi ascensione scriptum legimus, quòd nubes susceperit eum ab oculis eorum, intellige quòd nubes illa à ventis ferebatur, quemadmodum alię omnes semper ferri solent.

Et posuit tenebras latibulum suum. Per tenebras significat q videri non posset. inuisibilitas enim erat quę illum tegebat. hanc igitur inuisibilitatem sibi circumposuit in latibulum: quia in cœlum assumptus eorum oculos latebat. vel per tenebras carnem domini intellige, quæ diuinitatem intra se occultabat: seu incomprehensibilitatem quæ illius diuinitatem celabat. obtenebrãtur enim & cæcutiunt ij qui diuinę profundum scientiæ exacte nimis cupiunt penetrare.

In circuitu eius tabernaculum eius. Tabernaculũ hic, assumptam carnem appellat, quam & ipse dominus templũ suum nominauit, dicens: Soluite templum hoc, & in tribus diebus ædificabo illud. In circuitu vero eius dixit: quia intra ipsam carnem habitabat deus, non tamen vt circunscriptus, sed vt omnipotẽs, ineffabili quodãmodò illic permanens. hoc autẽ dixit vt ostenderet Christum simul cum carne in cœlum assumptum

ſumptum eſſe, quodque illuc aſcenſurus eam non depoſuit, quemadmodum aliqui inſipientes poſtea dixerunt. Vel per tabernaculum, diuinum illum ſplendorem intelligit, ad quē nemo poteſt appropinquare: quoniam lucem inhabitare inacceſſibilem dicitur, quæ in circuitu diuinitatis exiſtens, illam obtegit, & oculos volentium illam intueri, potenter auertit.

ἀέρων,

Tenebroſa aqua in nubibus aeris. Per aquam hic occultum de Chriſto ſacramentum intelligit, & per aerem, ſeu (vt verius habet Græca lectio in plurali numero,) per aeres, prophetas: & ſenſus eſt, quòd prophetia eorum quæ ad Chriſtum pertinent, tenebroſa eſt, & obſcura in ſcripturis prophetarum. Ante aduētum enim perdifficile cognoſcebatur. Aquam verò appellat quaſi refrigerantem: eos nimirum, qui inter errores animo defeciſſent. Prophetias etiā nubes ideo vocat, quia occultum habeant id quod ſignificant. Prophetas autem aeres dixit propter puritatem ac ſubtilitatem intellectus. quod autem ſcriptura ſæpenumero per nubes prophetas intelligat, Eſaias docet: qui cum domum Iſrael, vineam appellaſſet, introduxit mandatum fuiſſe nubibus, ne pluerent ſuper vineam. hoc eſt ne prophetę populo Iſrael amplius prophetarent.

Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt. A claritate, inquit, diuinæ præſentiæ, quæ non tantum proximis lucem præſtat, ſed & iis qui procul ſunt, tenebroſæ atque obſcuræ prophetiæ pertranſierunt: hoc eſt diſſolutæ ſunt: vnde illarum deſtructa obſcuritate, quod occultum ac velatum erat apparuit. oriente enim ſole, caligo nubium diſſoluitur, & pars illa quæ olim nubibus tegebatur, apparet & cōſpicitur. vel per nubes, tenebras obſcuræ legis intellige. Nam illucęſcente Chriſto, velum ænigmatum ac figurarum quę in lege erant, diſſolutum eſt: vnde manifeſta apparuerunt quęcunque in ea ſignificabant aut prefigurabant Chriſtū. his autem expoſitionibus ſic traditis, coniunge verba illa: in conſpectu eius, hoc eſt à ſummo Chriſti fulgore, vel à fulgore preſentiæ eius, nubes tranſierunt. Alio etiam modo diſtinguere potes & legere: pre fulgore: & ſiſtendo ibi, quod ſequitur ſuperioribus applicabis: vt huiuſmodi ſententiam efficias: quod domino reſplendente, & per conuerſationem ac vitam ſuam in carne

in carne nos illuſtrāte, in cōſpectu eius, ſeu à facie eius, hoc eſt ipſo domino ſic apparente, Apoſtoli per totum orbem tranſierunt: euangelicæ nimirum prædicationis verbum inſtillantes, atque inſtar nubium, animarū arua ac campos irrigantes, & ad virtutum fructificationem excitantes.

Grando & carbones ignis. Hoc ad primam expoſitionem coaptabimus. grandini enim prophetiæ comparantur, propter earum duritiem ac difficultatem: hoc eſt propter obſcuritatem: & igni, quia inſtar ignis infidelium argumenta, & contradictiones cōſumunt. Nubium igitur, & grandinis, atque ignis nominibus, eadem res: prophetia nimirum nobis hoc in loco ſignificatur: nec minus tamen vltimæ expoſitioni conueniunt huius verba verſiculi, ſi Apoſtolos ipſos pro grandine atque igne intelligamus: quia & inſtar grandinis, errorem omnē diſſipant ac contundunt, & velut ignis, impietatem abſumunt.

Et intonuit de cœlo dominus, & altiſſimus dedit uocem ſuam. Dominus & altiſſimus deus eſt. intonuit autem ac dedit vocem ſuam, quando filius ad patrē clamauit dicens: Pater glorifica nomen tuū. venit enim tunc (inquit euangeliſta) vox de cœlo dicens: & glorificaui & iterum glorificabo. turba autem quæ aderat, hoc audito dicebat tonitruum factum eſſe. & quod hic dicitur, intonuit, intellige, habito reſpectu ad audientium opinionem. Quod verò ait: dedit vocem ſuam, ipſam reſpicit veritatem. vox enim erat & tonitruum viſa eſt. admirari autem non debemus, quando prophetiæ ordinem, aut conſequentiam rerum nō ſeruant. ex hoc enim demonſtratur, quòd prophetæ non ea prædicebant quæ ipſi volebant, ſed quæ ſanctus eos ſpiritus docebat.

Miſit ſagittas & diſſipauit eos. Per ſagittas diſcipulos intelligit in vniuerſum orbē miſſos, quibus dæmones diſſipauit. eos nanq; dum dicit, dęmones intelligit. apertius autē eorum nomen nō expreſſit propheta, cum nō illi, ſed eorum etiam nomina, ſancto ſpiritui ſoleant eſſe inuiſa.

Et fulgura multiplicauit & conturbauit eos. Eoſdem diſcipulos & ſagittas eſſe intellige & fulgura: alterum quaſi ſagittantes atque euertentes dæmonum errorem, alterum verò veluti illorum impietatem ac lucos eis dicatos comburentes. Diſcipulorum enim orationibus victi, & inhabitantis in

eis ſpiritus fulgorem non ſuſtinentes, conturbabantur, mentisque ac conſilij inopes reddebantur.

Et apparuerunt fontes aquarum. Per aquarum fontes, Apoſtoli rurſus intelligendi ſunt: veluti primi Chriſtianæ fidei doctores à domino electi. per aquam enim, euangelicæ prędicationis doctrina ſæpenumero apud ſcripturam ſignatur. fontes igitur primi illius aquæductus, ſeu potius primæ ſcaturigines intelligendę ſunt: Apoſtoli nimirum vt diximus, qui omnibus apparuerunt, eo quòd ad omnes miſſi ſunt.

Et reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum. Iidem ipſi fundamenta orbis terrarum dicendi ſunt: eo quòd primi credentes fuere, qui fidei ſedem ac ſtabilitatem firmam atque inconcuſſam poſuerunt: in qua omnes ædificant. reuelatæ autem ſunt ob vitæ ſplendorē, & miraculorum claritatē. Et aliorum quidem ædificiorum fundamenta latent in terra, fidei autem fundamenta è contrario, præclariſſimis tam dictis quàm factis relucentia, omnibus patefacta, ab omnibus videri poſſunt.

Ab increpatione tua domine. Hæc autem facta ſunt, quoniā tu increpaſti dæmones, & timore eos maximo percuſſiſti.

Ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ. Ira igni ſimilis eſt. accenſa ſiquidem atque excitata, vaporem quaſi fumum, emittit, & per irati hominis nares in aerem ſpirat. vnde & ſpiritus iræ dicitur, & eos qui valde irati ſunt iram ſpirare aiunt. hac igitur ſimilitudine motū iræ ſignificauit propheta, humano more loquens. Adeo, inquit, tu domine iratus eras, vt ſpiratio (vt ita dicam) ſpiritus iræ tuæ in aere eſſet, & inimicos diſſiparet.

Miſit de ſummo & accepit me. Quæ ſequuntur de ſe ipſo propheta loquitur, ad ſermonis ſui ſeriem reuerſus. miſit enim, inquit, dominus de cœlo auxilium & eripuit me.

Aſſumpſit me de aquis multis. Aquę apud ſcripturā pro purgatione quādoq; aut refrigeratione accipiuntur: quēadmodum cum aquas pro doctrina accipimus, quę & refrigerat & purgat: quandoq; pro demerſione ac perditione, vt hic: hæc eſt enim aquarū natura, vt & abluat & refrigeret, & ſuffocet: præcipue ſi multa aqua ſit & profūda. per multas itaq; aquas calamitatū aut inimicorum multitudinē intellige. aſſumpſit autē me, hoc eſt, ad ſe me eduxit. nam qui aliquem adiuuans è periculo

è periculo educit, ad ſe trahere illum ſolet.

Eripiet me de inimicis meis potentibus. Pontentes inimici hic dæmones intelligendi ſunt, qui palam & clam, die, noctuque, ac per omnes ſenſus nos oppugnant: veluti qui potentem atque indefeſſam in pugnando naturam habent. ſpiritus enim ſunt. Ille igitur, inquit, dominus, qui me à ſenſibilibus ac mundanis hoſtibus olim liberauit, liberabit etiam ab intellectualibus atque inuiſibilibus inimicis: qui ad perdendum atque ad malignandum potentes ſunt. ῥύσεται δυναστ

Et de his qui oderunt me, quoniā confirmati ſunt ſuper me. Ipſi enim dæmones qui vniuerſos oderunt homines, oderunt & me: eo maxime quòd à deo adiutus ſum. Dominus autem ea me ratione ab eis liberabit, quoniā vnà inſidiati ſunt aduerſum me, & ſimul iunctiſimmo verò (vt melius dicā) quia fortiores facti ſunt, & prævaluerunt ſuper me: cum ego virtutum armis, vt oportuiſſet, munitus non eſſem, ſed mollis potius eſſem ac debilis. vel, quia dæmones naturam habent omni carentē materia, & illum facillime vident, quem ferire volunt: ego verò qui naturam materiæ ac corpori admixtam habeo, ferientes me illos non video. ἐστερεώθησαν

Præuenerunt me in die afflictionis meæ. Verbum præuenire, non ſemper ſignificat præoccupare, ſed aliquando occupare ſimpliciter, atque adoriri. In tempore autē afflictionis meæ. hoc eſt, in tempore infirmitatis, & quando bellica arma nondum preparaueram, quibus aduerſus viſibiles aut inuiſibiles inimicos pugnarem. tunc enim illi præcipue adorti ſunt, cum me infirmum viderunt.

Et factus eſt dominus firmamentum meum. Cum futurum eſſet vt caderē, ſuſtinens ac ſuffulciens me dominus, factus eſt infirmitati meæ firmamentum, & quaſi baculus quidam cui inniterer. ἀντιλήμπτωρ

Et eduxit me in latitudinem. Afflictionum anguſtia preſſum, in lętitiæ latitudinem, hoc eſt in effuſam exultationem emiſit: iuxta quod alibi legimus: In tribulatione dilataſti me. vel quia ab inimicis prius obſeſſus, qui eum omni præcluſo aditu in anguſtias coniecerant, & atrocibus minis vrgebant, in arctum quodammodo locum cogi videbatur: nūc è tantis eductus difficultatibus, latos ac ſpatioſos campos ſibi excurrere videtur.

ῥύσεται

Eripiet me quoniam uoluit me. Deus qui tanta me cura ac ſtudio ſuo dignũ fecit, in futurum etiã ab omnibus irruẽtib⁹ in me malis liberabit. voluit enim me, hoc eſt elegit me.

Et retribuet mihi dominus ſecundum iuſtitiam meam. Inſidiatores meos nulla vnquam iniuria affeci, atque ideo eis comparatus iuſtus videbor: vnde & retributionem etiam ſuſcipiam à domino. hanc enim ob cauſam, ſuum mihi auxilium in poſterum tanquam debitum præſtabit.

Et ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Dum manuum puritatem dicit, qualis ſua ſit iuſtitia exponit. Non enim, inquit, rapui, non aliquem circumueni non inſidiatus ſum iis qui inſidiabantur mihi. vnde ſi inimicorum manibus manus meæ comparentur, puriſſimas ego eas ab omni inquinatione conſeruo. vel per manus, actiones atque operationes ſuas ſignificauit: eo quòd per eas opera fieri ſoleant.

Quia cuſtodiui uias domini, nec impie geſſi à deo meo. Hoc ponit, vt cauſam puritatis manuum ſuarum. mundæ enim erant, inquit, quia cuſtodiui vias domini: hoc eſt eius mandata. neq; enim impiorũ more ab eis vnquã receſſi. Qui verò diuina obſeruat præcepta, ac per ea graditur, neceſſario etiam mundus eſt.

δικαιώματα αὐτοῦ οὐκ ἀπέστησαν ἀπ' ἐμοῦ.

Quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo, & iuſtificationes eius non receſſerunt à me. Aliud eſt lex, aliud mandatum, aliud teſtimonium, aliud iudicium, & aliud iuſtificatio. lex enim illa dicitur, quæ omnia in vniuerſum continet mãdata, quæque vitam ac conuerſationem optimã ordinat ac moderatur: quemadmodum eſt lex per Moyſem data. Mandatũ verò illud, quod, quæ agenda ſunt, domini ac regis in morẽ, aut aliud quid particulatim iubet: vt illud, non occides, non furtum facies, & quæcunque alia hoc pacto in ſpecie iubentur. Teſtimonium verò eſt, quod peccatores conteſtatur, & tranſgreſſionum pœnas docet, quodque legiſlator quadam cum atteſtatione ac confirmatione audientibus mandabat: veluti cum Moyſes dicebat: ſi hæc aut illa feceritis, teſtor vobis cœlum & terram, quòd morte moriemini. Iudiciũ autem id eſt, quod ſententiam dei demonſtrat, ac docet quę nã bona is cõſecuturus ſit, qui mãdata dei obſeruauerit: & ſimiliter quę pœna tranſgreſſores maneat: vt ſunt quęcunque iudicata fuiſſe traduntur à deo: quale eſt, quod de blaſphemante timendum

timendum dei nomen ſcriptum legimus, quando Moyſes iudicium in deum retulit, & deus iuſſit lapidari: quod iudicium pro certa lege poſtmodum contra omnes alios blaſphemantes ſuſceptum ac determinatum eſt. Iuſtificationes verò illę dicuntur, quæ docent quod iuſtum eſt, & quod iniuſtum eſt prohibent: & eos qui ſecundum virtutem viuunt, iuſtos eſſe declarant, vt illud eſt: ſiquis puerum Hebræum acquiſierit, ſex annis ei ſeruiat: & alia huiuſmodi, quæ ſumma iuſtitia plena ſunt. Et diſtinctio quidem horum nominũ talis eſt, ſæpenumero tamẽ promiſcue vnũ pro altero accipitur: & maxime in centeſimo decimo octauo pſalmo. hoc autem in loco, iudiciorũ & iuſtificationum nomine, omnia mãdata comprehendit, quaſi totum à parte, omnia enim, inquit, mandata eius in conſpectu meo. ea ſiquidem ſæpius lego ac reuoluo, nec vnquam à me procul ea eſſe permitto.

Et ero immaculatus cum eo. Hoc eſt per eum, vel cum eo exiſtens.

Et cuſtodiã me ab iniquitate mea. Cuſtodire hic poſuit pro abſtinere, & iniquitatẽ pro peccato. mea aũt ideo dixit, quia peccatũ proprie eſt ipſius carnis. vel quia ſeipſum etiã peccatorem fatetur. inter homines enim nullus eſt abſq; peccato.

Et retribuet mihi dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum eius. Quod ſi in præteritum talis fui, & ita etiam deinceps fuero, retributionem omnino conſequar, vt prædiximus. puritatem autem manuũ ſuarum eam dicit, quæ erit in conſpectu domini, vt doceat, non ad oſtentationem aliquam ſe id facere, neque vt ab hominibus videatur, ſed vt placeat deo.

Cum ſancto ſanctus eris, & cum uiro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo cõuertes. Sanctus proprie is dicitur, qui pius ac religioſus eſt, in iis quæ ad deum pertinent. Innocens verò, qui circa humanã conuerſationẽ eſt inculpabilis. & electus is, qui virtutib⁹ perfectus eſt. Peruerſus etiã ille eſt, qui nõ rectis, ſed obliquis, ac quaſi tortuoſis eſt moribus & malignis. eſt autẽ ſermo hic documẽtis plenus, & in vniuerſum ad omnes pertinet: & ſenſus eſt: ꝙ qualis quiſq; ille fuerit, cum quo tu habitas, talis & tu efficieris: in illius nimirũ habitũ & naturã immutatus. Quod verò ait, conuertes: idem eſt ꝙ rectus eris: vel cõuertes prauã nimirũ

διαστρέφεις

 ſenten-

sententiam in bonam. Possunt hæc tamen referri etiam ad deum, vt sit sensus: condigna tu domine omnibus pro meritis rependes, iustissimus cum sis, & sanctum quidem sanctificabis, & innocentē facies innocentē: electum etiam eliges: & peruersum vertes, in bonum sanè, & impediendo eum in malis. & est hic quidam loquendi modus figuratus, in quo verbale nomen poni solet pro participio verbi: veluti sanctus pro sanctificans, & electus pro eligens: quæ figura sermonis in Græca lectione clarius percipitur quàm in Latina.

Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis. Humilem inquam virtute. per oculos vero superborum, ipsos superbos intelligit, veluti totum à parte: vel quia superbi ex oculis potissimum dignosci soleant, dum supercilia tollunt, quæ supra oculos sunt: quemadmodum etymologia Græci nominis recte declarat. Hos itaque superborum oculos, tu facies, vt in terram spectent: per afflictiones nimirum, quas in eos immites. vel per populum humilem, gentilem populum intellige: qui peccatorum pondere depressus, terram aspicere pronus cogebatur: per superbos verò, Iudæos gloriantes, & iactantes seipsos, tam de lege dei, quàm de propriis progenitoribus.

φωτιεῖς *Quoniam tu illuminabis lucernam meam Domine, deus meus illuminabis tenebras meas.* Intellectus in nobis, est quidam animæ oculus: oculus autem non immerito lucerna dici potest, cum veluti dux in tenebris viam demonstret: per animæ verò tenebras, iram & concupiscentiam intelligimus. tu domine, inquit, intellectum ac mentem meam diuina luce ac splendore illuminabis: quod faciens illuminabis pariter & tenebras meas. nam simul cum intellectu, cæteræ animæ partes ac potentiæ proficient. & hoc est quod saluator in euangelio dicebat: si lumen, quod in te est, tenebræ fiant, tenebræ quantæ erunt? hoc est, si intellectus obtenebratus sit, multomagis & reliquæ animæ partes tenebris inuoluētur. Dicere etiam possumus, ipsum intellectum, lucem esse pariter & tenebras. nam si ad naturam materialium rerum comparetur, lux erit, si verò ad deum, tenebræ: eo ꝙ ab eo deus cōspici nō possit, neq; illius lux. vel per lucernā hic Mosaicam legē intellige, quę lectorem ad rectū dirigit callem: per tenebras vero, velum ipsi legi superimpositū, quod obscuritatem

obscuritatem generat: cuius occulta beatus Dauid nunc illuminanda esse prædicit & reuelanda: incarnato nimirum deo. Vel lucerna, Euangelij est prædicatio, clare ac lucide omnibus tradita, & à domino declarata: tenebræ vero idolorum error, ac rectæ fidei ignoratio. Vel lucerna quidem, intellectus est, qui hominē dirigit: tenebræ ipsum corpus, quod quodammodo ante oculos intellectus consistit, & crassitudine sua vmbram quasi generat ac tenebras: vtrunque autem illuminabitur, intellectus nimirum, diuinis splendoribus, corpus vero purificatione & munditia. Quidam verò per lucernam dominum Iesum intelligunt, natum de semine Dauid, qui à verbo dei illuminatus est: illa nimirum diuina vnione, quæ illi præbuit vt splendoris radios quocunque emitteret: vnde de seipso dicebat: Ego sum lux mundi, per tenebras vero carnem tantum assumptam, quam Christus illuminauit, ac diuinam reddidit.

Quoniam in te eripiar à tentatione. In te, hoc est per te. A tentatione autem tam hominum quàm dæmonum.

Et in deo meo transgrediar murum. Deo meo, inquit, mihi adiutore, ego peccata omnia, viam mihi ad deum, veluti sepe quadam obstruentia, transiliam. in illis quippe vires suas antea Satanas habebat, ac per ea aditum mihi ad cœlum quasi muro quodam præcluserat. Vel tētatio pro vita hominis intelligenda est, in qua multa esca, & multæ sunt voluptatum illecebræ, multi mortis laquei, & multæ etiam visibilium & inuisibilium inimicorum insidiæ: murus vero pro corpore, quod positum ante animam veluti muro quodā eam circundat, atq; obstruit, & prohibet à diuina luce. Vel per muros, ipsos dæmones intellige versantes in aëre, qui animam ad deū pertransire cupientem, muri instar impediunt.

Deus meus impolluta uia eius. Hic est etiam quædam figura loquendi apud sacram scripturā vsitatior. Pro eo enim quod dicendum erat, Dei mei impolluta via est, dixit: Deus meus impolluta via eius. Via autem dei virtus est, quæ ad deum ducit. Oportet igitur irreprehensibiles illos esse, qui per viam istam incessuri sunt. Vel de saluatore nostro est sermo, qui per viam hanc ambulans peccatum non fecit.

Eloquia domini igne examinata. Vera scilicet pura ac mūda ab omni macula, auri instar quod fusum sit. Alibi etiā dixit,

eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum.

Protector est omnium sperantium in se. Cum pollicitus sit se auxilium præstaturum, minime mentietur.

Quoniam quis deus præter dominum? Dictio, quoniam, abundat, hoc in loco. Vel quoniam quis alius natura ipsa deus est, præter dominum? hoc est extra deum patrem.

Aut quis deus præter deum nostrum? Deum hoc in loco filium appellauit. Deum autem nostrum dicens Propheta, seipsum nobis fidelibus coniunxit.

Δυνάμιν *Deus qui præcinxit me potentia.* Hoc de spiritu sancto dictum est. Quòd si quis etiam hos tres versiculos idem significare dixerit, absonum non erit. Præcinxit autem me potentia: in bello scilicet.

Ἄμωμον *Et posuit irreprehensibilem uiam meam.* Vitæ meæ conuersationem composuit ac direxit dominus mandatis suis. Vel de saluatore est sermo ex persona Ecclesiæ fidelium, dicentis: Saluatorem gressibus suis viam ei explanasse atq; irreprehensibilem reddidisse.

Κατωρθι ζόμενος ὡσεὶ ἐλάφου *Qui perficit pedes meos quasi Cerui.* Perficit, hoc est præparat vel perfectos facit ad cursum, in tempore scilicet fugæ.

Et super excelsa statuit me. Qui in montibus seruat me, atq; illic sistere facit, & cessare à cursu, more fugientium Ceruorum: qui vbi montes ascenderunt & liberati sunt à timore, consistere incipiunt & respirare. Vel, qui me cursu promptissimum fecit, ita vt perquirentes me Dæmones effugerem: vnde & ad virtutum culmen me peruexit.

Qui docet manus meas ad prælium, Hic præterea bellicæ artis peritiam me docuit, ita vt non tantum aduersus visibiles hostes, sed etiam aduersus inuisibiles contendere valeam, scuto nimirum fidei armatus & gladio spiritus: quinimmo non tantum cum illis contendere, sed ipsis manibus, hoc est, virtutibus illis, quæ ad actiones pertinent, me eos etiam docuit superare. Illud præterea dici potest quòd extendere manus ad deum, aduersus inimicos, validissimum est genus certaminis.

Et posuisti arcum æreum brachia mea. Subintellige dictionem quasi, vt sit sensus: Posuit brachia mea quasi arcum æreũ hoc est validissimos mihi dedit lacertos, qui crebra sagittarum missione non fatigarentur.

Et dedisti

Et dedisti mihi protectionem salutis. Auxilium mihi præstitisti non inutile: quinimmo salutare.

Et dextera tua adiuuit me. Solent enim qui alicui opem ferunt vti dextera: quippe quæ & potentior est aptiorque atq; agilior quàm sit leua. Vel quia dictio Græca ἀντελάβετο nõ tantum, adiuuit, significat, sed suscepit, per dexteram creatorem humanatum intellige, qui naturam nostram assumpsit. ἀντελάβετό μου

Et disciplina tua direxit me in finem. Per disciplinam hic legem intellige, qua eruditus est, & instructus ad virtutem: vel calamitates ac tentationes, in quas permisit eum deus incidere, disciplinæ atque eruditionis gratia: ex vtroque, inquit, latere, tu vtilia mihi operatus es, dum videlicet, & opem tulisti in periculis, & dum affligi atque erudiri permisisti tentationibus. ἀνώρθωσε

Et disciplina tua ipsa me docebit. Et adhuc me docebis atq; erudies vt filium. In tribulatione enim, inquit, modica disciplina tua nobis. Inter fœlicitates quippe negligentes sumus: sed cum propter fidem in calamitates incidimus, tunc excitamur, erigimur, & moderatiores efficimur.

Dilatasti gressus meos subtus me. Dissipatis nimirum laqueis ac decipulis, per quas cum mihi pertranseundum esset, quasi angustiis quibusdam detinebar: nunc autem fugato omni timore, securus iter facio, cum nullæ amplius aduersum me dispositæ sint insidiæ.

Et non sunt infirmata uestigia mea. Nam cum antea inimicos meos fugerem, in superficie quodammodo ac leuiter terram premebam: ita vt incerta penè ac non apparentia essent vestigia mea. Studiose autem id agebam, ne per ea indicarer iis, qui persequebantur me, & per ea me insequerentur: at nunc firmiter ac valide incedo nihil amplius timens. Potest etiam sermo accipi ex persona Ecclesiæ deo gratias agentis: ꝙ eius via dilatetur, multis assidue per eam incedentibus: quodque vestigia, hoc est, characteres atque impressiones Euangelicæ conuersationis, non solum non delentur, nec obscuriores fiunt, sed quòd potius assiduitate & frequentia fidelium semper augescunt, & clariores redduntur.

Persequar inimicos meos & comprehendam illos. Ex prioribus admirandis dei operibus Propheta, certior redditus, de futuris,

futuris, ait: Si rursum in me insurrexerint inimici, rursus & ego eos persequar. Neq; enim mihi resistere poterunt, aut à manibus meis effugere.

Ἕως αὖ ἐκλείπωσι

Et non conuertar donec defecerint. Comprehensis vero inimicis non statim, inquit, discedam, negligens eos, & dimittens vt iam penitus superatos: quinimmo funditus omnes eos perdam.

Conuertam illos nec poterunt stare. Dixit se persecuturum inimicum, nunc modum etiam addit. Vrgebo enim eos, inquit, & cõprimam ex omni parte, ita vt in acie aduersum me consistere non possint.

Cadent subtus pedes meos. Comprehensi autem in loco, vnde fuga eis nulla dabitur, supplicantes procident coram me.

Δυνάμιν

Et præcinxisti me potentia ad bellum. Rursum præstita sibi à deo beneficia commemorat.

Supplantasti omnes insurgentes in me subtus me. Impedisti enim eos & destruxisti.

Et inimicos meos dedisti mihi dorsum. Fecisti enim eos, inquit, terga mihi dare, hoc est fugere. Nam qui fugiunt terga dant, & dorsum ostendunt. Vel dedisti eos mihi dorsum, hoc est in dorsum: vt scilicet securius, & certiori ictu eos ferirem.

Ἐξωλόθρευσας

Et odientes me exterminasti. Hoc est è terra penitus derasisti.

Clamauerunt, & non erat qui saluos faceret ad dominum, & non exaudiuit eos. Dixit eos clamasse, & addit ad quem, tametsi propter eorum peccata exauditi non sint.

Λεπτυνῶ

Et attenuabo eos ut puluerem ante faciem uenti. Delebo eos, inquit, vt puluerem in conspectu venti attenuatum. Ventus quidem statim irruens puluerem à terra aufert, vt leuissimum quid ac tenuissimum.

Λειανῶ

Vt lutum platearum comminuam eos. Comminuam, hoc est, conculcabo. Lutũ quippe qđ in viis iacet, cõculcatione comminuitur. Ex sequentibus enim denotauit præcedentia. platea lata via est & ampla, ac quasi regia, per quam populus incedit. Sũt & quædã aliæ viæ, ἁμάξιτοὶ dictæ, per quas currus transeunt. Dicitur autem platea quasi lata. Græca enim dictio est platea, & latum significat. Lata autem est ad comparationem vici, aut callis, qui angustiores sunt.

Eripies

Eripies me de contradictione populi. Superiorem me facies à contradictione populi mihi subiecti, ita vt me veluti Regem suum vereatur, & mandatis meis aduersari non audeat.

Ἐξ αὐτιλογίας

Constitues me in caput gentium. Non solum subditorum mihi Iudæorum contradictionem auferes à me, sed & Gentes etiam mihi subiicies. Verum hæc Christo magis, quàm beato Dauid, videntur conuenire, ita vt ex illius humanitate dictum sit ad patrem, tu constitues me in caput Gentium: iuxta illud, dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. Nam cum Iudæorum populus, qui antea populus peculiaris domini dicebatur, Christum non susceperit, quinimmo cum inobediens ei etiam fuerit, & contradixerit, ac tandem eum occiderit, liberatus ab eis fuisse dicitur, & ereptus ea ratione: quia à morte quæ illis permissa fuerat, resurrexit, atque à custodum manibus sepulchro adsistentium euasit, & consequenter super Gentes regnauit: voluntariamque eorum subiectionem susceperit.

Populus quem non cognoui seruiuit mihi. Populus nimirum ex Gentibus qui mihi antea ignotus erat: veluti qui me antea ignorabat. Cognoscere enim illos tantum dicitur deus, qui eum cognoscunt.

In auditum auris obediuit mihi. Hoc est in auditu auris suæ meum susceperit Euangelium.

Filii alieni mentiti sunt mihi. Hunc versiculum prolatum esse intelligimus ex prophetæ persona carpentis Iudæos: quòd patrium genus mentiti sint: quippe qui inscriberent habuisse se parentes Habraam & Dauid, & tamen contraria illi studia sint sectati. Et filios quidem eos appellat, cum ab ipso descenderent: alienos vero, propter morum ac studiorum dissimilitudinem.

Filii alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Pauci ac nullius precij æstimati sunt, atque inutiles effecti, vasorum veterum instar. Hoc autem illorum scelere effectum est. Claudicauerunt enim, hoc est peruerse auersi sunt à via mandatorum dei, qua gradiendum eis esse dominus præceperat. Claudorum enim gressus obliqui sunt ob cõpaginum obliquitatem.

Viuit dominus. Hæc est prophetia de resurrectione domini, quã prædixit beatus Dauid ad Iudæorũ illorũ instructionem,

nem,qui Christum mortuum adhuc esse credebant,clamans dominum viuere,eo quòd resurrexit.

Et *benedictus deus.* Dignus est siquidem benedici & laudari.

Et *exaltetur deus salutis meæ.* Oratione ac votis suis propheta Christum ad Ascensionem accelerat, vt Paracletum ad apostolos mittat,qui in euangelij prædicationem ituri erant. Verum olim filius, creationis tantum erat seu formationis deus,nunc autem & reformationis deus est: id est salutis. Apposuit etiam propheta pronomen meæ,vt sibi communia faceret quæ nostra sunt. Possumus & aliter ex persona prophetæ intelligere: viuit dominus: hoc est: sempiternus est,nec principium habens, nec finem, sed semper existens. Admiscet nanque propheta sæpenumero dogmata sermonibus suis ad legentium vtilitatem. Benedictus autem propter illa admiranda quæ fecit. Exaltetur verò,id est magnus à nobis existimetur.

ὁ διδοὺς *Deus qui dat uindictas mihi, & subiecit populos sub me.* Vindictas de inimicis nimirum. Populos autē quos subiecit, intellige Iudæos,qui simul cum Saule aduersum ipsum pugnabant: qui tandem vel inuiti ei succubuerunt vt regi. Quod si de Christo intelligas, per vindictas ea intellige, quæ Iudæis acciderunt à Romanis: & per subiectionem populorū, conuersionem Gentium ad fidem.

Liberator meus de inimicis meis iracundis. Hæc omnia ad deum dicta sunt in gratiarum actionem: quæ licet per rectū prolata sint, vim tamen habent quinti casus: hoc est vocatiui. Per inimicos autem iracūdos,Saulem intelligit, qui iram nunquam remittebat,donec superasset: vel ipsos dæmones.

Et *ab insurgentibus in me exaltabis me.* Eadem repetit, quæ superius dixit,gaudens ea sæpius reuoluere atque ingeminare,quæ sibi lætitiam adduxerant.

A uiro iniquo eripies me. Si aliqui in me insurrexerint, vt olim Saulis milites ac socij fecerunt, tu superiorem me illis facies: & siquis instar Saulis iniustus, insidias mihi tetenderit,tu etiam ab huiusmodi homine me eripies.

Propterea confitebor tibi in nationibus domine. Quoniam tu talis es,qualem sermone meo laudaui,gratias agam tibi in omnibus gentibus. Quod sanè optime perfecit hoc psalmorū libro,

libro,qui in omnibus gentibus legitur.

Et *psallam nomini tuo.* Hoc est tibi: iuxta illud: psallam tibi in cithara. Ψαλῶ

Magnificans salutes regis. Subaudiendum est, ô domine: vt sit sensus: tu ô domine magnas facis salutes meas. Per regem enim seipsum intelligit.

Et *faciens misericordiam Christo suo.* Christo, hoc est vncto,à te nimirum,hoc est iussu tuo. Αὐτῷ

Dauid,& semini eius usque in seculum. Cum regē & Christum dixerit,postremo addit & nomē Dauid. Qui igitur misericordiam se à deo consecutū esse dicit,posteris beati Dauid recte accommodari potest. Quòd verò ait vsque in seculum,improprie dictum est. Nam post reditum è captiuitate solus Zorobabel regnauit, nullis in regno successoribus relictis. Superest igitur vt Christum de semine Dauid hoc in loco intelligamus, cuius mater fuit ex progenie Dauid, & cuius regni non erit finis. Hac de causa etiam Euangelista dixit: liber generationis Iesu Christi filij Dauid. Ille autem qui huic semini Christo misericordiam fecit verbum deus est,ipsi semini vnitum ac deum illud faciens.

In finem Psalmus ipsi Dauid.

Hic psalmus etiam in finem inscribitur, quia senex erat beatus Dauid,& ad finem uitæ suæ aspiciebat, quando eum conscripsit. uel quia finem consecutura erant, quæ in eo prædicuntur. Futurā enim quorumdam impietatem reprobat, qui dicturi erant, casu ac fortuitò omnia fuisse facta.

PSALMVS XVIII.

Coeli *enarrant gloriam dei.* Ipsi,inquit,cœli vbiq; dei magnificentiam prædicāt,proprióque aspectu ad id vtūtur pro voce. A magnitudine enim ac pulchritudine creatarū rerum, quasi proportione quadam,earum artifex cōsideratur. Nam qui cœli magnitudinem spectat, & pulchritudinem, & formam,& situm, & cætera huiusmodi, visúque veluti doctore quodam vtitur, hic facillime summam dei potentiam,& dignoscet, & credet. Per cœlos verò, ipsum cœlum intelligit, quod est supra firmamētū,plurali numero vsus Hebræorum more,

more,qui vt pleraque alia plurali numero aliquando,& aliquando singulari ipsum cœlum appellant: quod tametsi latet,ex ipso tamen firmamento dignoscitur: vel fortassis solum ipsum firmamentum, cœlos appellauit: cum solum ipsum sit,quod videatur:iuxta quem sensum subsequens versiculus,præsentis erit interpretatio.

Et opera manuum eius annunciat firmamẽtum. Si hunc versiculum prioris expositionem esse intelligas, quod illic cœlos dixit,hic firmamentum vocat:& quod illic enarrant,hic annunciat:quodque illic gloriam,hic opera manuum: & ad summam sensus est, quòd cœlum istud tantum quod videtur, sufficiens est atque idoneus doctor, ad demonstrandam factoris sui magnificentiam: quam & gloriam dei, & opera manuum eius appellauit.

Dies diei eructat uerbũ. Si casu,inquit, ac spõte sua mundus regeretur,dies noctésque,suos certos terminos non seruarent:verum tanta vbique patet in toto orbe ipsius dei prouidentia, vt ex tam exacto ac diligenti rerum ordine, prior dies videatur subsequentem se diem docere determinationẽ illius ordinis qui ei obuenturus est. Videtur enim quodammodo ipsa dies eructare:hoc est,significare verbum:hoc est, mandatum dei:quod de huiusmodi nimirum ordine ab eo constitutum est.

ἀναγγέλλει

Et nox nocti annunciat scientiam. Hoc etiã in noctibus, inquit,videre licet. Scientiam autem, hoc est doctrinã de constitutione nimirum huiusmodi ordinis, qui tanta cum regula moderatus est,vt noctes ac dies mutuo non lædãtur:quinimmo tam recte omnia disposita sunt, vt certis vicibus modo diem nox,modo noctẽ dies, longitudine superet: & modo æquis etiam partibus contenta sint, & in omnibus tamen maximam concinnitatem & conuenientiam demonstrent. Vel,eructat verbum & annunciat scientiam, de prouidentia dei. Ipse enim ordo,prouidentiam dei esse nos docet. vel aliter,dies dici potest,pater,& dies, filius, per cõmunem vtriq; diuinitatis splendorem. Eructat igitur:hoc est dicit pater filio,verbum,iuxta illud: ego à me ipso locutus sum nihil, sed qui misit me pater,ille mihi mandatum dedit, quid faciam, & quid loquar. Et rursus nox Christus est,secundum humanitatem,si diuinitati comparetur,quæ nox annunciat nocti,

hoc

hoc est aliis hominibus, scientiam, & cognitionem de deo.

Non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiuntur voces eorum? Cum interrogatione legẽdum est: quasi dicat, nunquid non sunt loquelæ, neque sermones earum rerum, quæ anima carent,& quarũ voces non audiuntur? Nam cum nulla earũ audiatur vox:quia scilicet nullam habent: credere etiam quis potuisset quòd nec loquela nec sermo earũ audiri possit. Sunt autẽ loquela & sermo,vocis partes: cumq; dubitationẽ mouerit subiungit solutionem. Est etiam Hebraicũ idioma,antepositio illa pronominũ,quorum eorum. Verum ordo sic fiat,cum interrogatione vt dixim⁹.non sunt loquelę neque sermones eorum,quorum non audiuntur voces?

Οὐχὶ οὐκ ἀκούονται

In omnem terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ uerba eorum. Profecto,inquit, tanti sunt, vt omnis terra illorum voce plena sit,declarando vt diximus. Et idem sibi volunt verba quæ sequuntur: & in fines orbis terræ verba eorum. Ad maiorem enim emphasim aliis verbis replicauit, quod iam dixerat,vt sæpe solent prophetæ,& præcipue beatus Dauid. vel aliter:cum docuerit propheta creaturas superius commemoratas,vocem quodammodo emittere,ac fateri prouidentiam dei, qua vniuersa reguntur, ac continẽtur, tametsi & anima, & articulata careant voce: modo prædicens,quomodo in omni generatione semper erũt aliqui, qui huiusmodi creaturarum vocem intelligant, subdit: non esse loquelas aut sermones alicuius idiomatis, per quos non audiantur: hoc est non annuncientur, mutæ illæ creaturarum voces,de quibus dictum est. Quæ prophetia iam impleta est, quoniam vbique Gentium sunt, qui intelligunt & annunciant prouidentiam dei. In hac vltima tamen expositione: verbum, audiuntur, accipi debet pro audientur, vt sit tempus pro tempore. Vel ideo fortassis præsenti tẽpore vsus est, quia prophetæ futura veluti præsentia intuentur.

In sole posuit tabernaculum illic. Huius versiculi sensus talis est:quòd deus habitationem soli posuit in cœlo. Ait enim Moyses de duobus magnis luminaribus,quòd posuit ea de⁹ in firmamento cœli,vt lucerent super terram. Aliquibus etiam visum est, versiculum hunc recte cõstrui non posse:nos autem post dictionem, tabernaculum, virgulam ponentes, & dictionẽ quæ græce αὐτ habetur,non pro relatiuo, sed p

Αὐτ

aduerbio

aduerbio loci intelligentes, commodissime ordinem reddimus: posuit deus ac determinauit soli habitationem illic, id est in firmamento cœli: ita tamen vt superflua sit prępositio, in, quemadmodum multis in locis obseruauimus. Nam cum Græci sexto casu careant, & illius loco tertio vtãtur, dictio, sole, hoc pacto, soli, apud eos est, & ordo traditus recte fieri potest, vt diximus. Sol itaque qui constitutum sibi in cœlo habitaculum nunquam reliquit, diuinæ glorię ac prouidentiæ perpetuus est præco.

Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Subintellige verbum est. Pulcher est, inquit, sol, & decorus, radiorum fulgentium splendore, instar sponsi exeuntis à thalamo.

Exultabit ut gigas ad currendam uiam. Hoc in loco etiam tempus positum est pro tempore, futurum scilicet pro præsenti. Gaudet quippe ac lætatur sol cõstitutum sibi iter percurrens, ac quasi gigas propriis viribus fretus: ac si dicat, indefessus semper est sol, tametsi iam tot annis mandato dei inseruiat.

Τοῦ οὐρανοῦ

A summo cœlo egressio eius, & occursus eius usque ad summum cœli. Egressio seu exitus solis, est oriens, secundũ quem matutinum atque orientalem Horizontem ascendit. Per occursum verò, occasum eius intelligimus, secundũ quem vespertinum Horizontem subit, vnico die dimidium sphærę percurrens: quinimmo & totam sphæram integro nimirum die ac nocte.

Nec est qui abscondat se à calore eius. Non est homo aliquis, inquit, aut locus: ita vt per locum elementa, per hominem animantia omnia comprehendantur. Hoc etenim maxima admiratione dignum est, quòd tanto à nobis sol distãs interuallo, illuminet & calefaciat. Ignis quippe iste inferior, procul quidem illuminat, sed non calefacit, nisi ad illum accesseris. Solis præterea pulchritudinem, robur, cursum, & vtilitatem laudãs propheta, magnificam ac liberalem dei potentiam omnibus manifestat. Quidam verò allegoricè hæc exponentes dicunt per cœlos quidem cœlestes atque incorporeos ordines intelligi, qui deum assidue laudant: vt Esaias & Ezechiel tradunt: qui audisse se illos referunt: vel homines illos, qui terrena transcendentes, prophetiæque ac contemplationi dei incumbentes in cœlum tendunt: & per firmamentũ

mamentum eos homines qui circa mundi actiones stabiles ac constantes sunt, & ad omnes calamitatum impetus infracti: & per diem rursus, præclaras illas cœlestes atque incorporeas potestates, quæ secunda dicuntur lumina: quæque diuina mandata sibiipsis mutuo deferunt, & renunciãt: per noctem verò, hominem ipsum, ob carnalis nimirum crassitudinis caliginem, quæ animã circundat. Et quæ sequuntur consequenter prædictis exponunt. Verba autem illa: in omnem terram exiuit sonus eorum: magnus Paulus in epistola ad Hebrẽos congrue ad euangelistas atque ad apostolos transtulit, atque eis accommodauit. Illa verò: In sole posuit tabernaculum illic: hoc pacto per eosdem exponuntur, dicentes: quòd Christus in homine habitat: in eo inquã homine, qui virtutum radiis coruscauerit. Ego enim, inquit, & pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Vel Christi tabernaculum, est assumpta humanitas: quam cum illic habitaret, posuit in luce, degẽs sub sole: hoc est in aperto ac palam viuens. & ipse tanquã sponsus. Speciosus enim, inquit, forma præ filiis hominum: illustratus nimirum virtutum radiis ac multiplicibus charismatum donis: qui etiam exultauit vt pro nobis curreret viam ad mortẽ: atque à summo cœlo descendens in illud rursum reuersus est. Præterea etiam nemo se absondet à calore sermonum eius: quia alij quidem vere calefient, alij verò vel illud saltem addiscent, quòd ei omne genu flectitur cœlestium terrestrium & inferiorum, vt dixit Apostolus.

Lex domini irreprehensibilis, conuertens animas. Sufficeret, inquit, ad præstandam nobis cognitionem de deo, ipsa lex naturæ, quæ magnitudinem, pulchritudinem & ordinem rerum quæ creatæ sunt, omnes homines docuit: verum hoc deo satis non fuit, sed scriptam etiam legem nobis tradidit, per quam de diuina prouidentia ac sapientia etiam doceremur: variis autem nominibus legem vocat. Nam & legem appellat, veluti quę conuersationem vitæ concinnat & constituit: & testimonium, quia peccatores contestatur: & iustificationem, quia quod iustum est docet: & mandatum, quia quæ agenda sunt præcipit: & timorem, veluti inexorabilem: & iudicium, quasi sententiam ferat & suffragium: quemadmodum latius diximus in psalmo XVII. Lex itaq; domini

irrepræhensibilis,& conuertés animas. Quid enim in ea est, quod accusari possit, cum & ad animarum conuersionem sit posita,& ex paruis maiora doceat?

Testimonium domini fidele, sapiẽtiam præstans paruulis. Fide digna sunt hęc testimonia,quia à domino sũt. Paruulos autẽ vel ætate dicit, quemadmodũ videmus accidisse in Daniel: cui puero adhuc data est sapientia : aut ob humanæ sapiẽtiæ ignorantiam,aut etiam ob summam simplicitatem. Omnibus enim his modis paruulus quis dici potest.

δικαιώματα *Iustificationes domini rectæ,lætificantes corda.* Nihil tortuosum aut obliquum habent: quinimmo summa hominem lætitia afficiũt,dum causas docẽt. Vel rectas appellat iustificationes domini, quasi quæ rectitudinẽ in omnibus operãtur.

Præceptum domini lucidum , illuminans oculos. Animæ oculos intellige per quos corporis etiam oculos illuminabit:ita vt per prauas vias non incedant.

ἁγνὸς *Timor domini mundus,permanens in seculum seculi.* Mundus veluti qui accusari nõ possit,aut vituperari. Humanus enim timor accusari solet & pusillanimitas appellatur. Timorem autem hic eum intelligit propheta qui perfectiorem hominem reddit,quique purus est ac mundus : quem quoties quis habet,à beneuolentia dei nunquam excidit . Initialis autem timor mũdus non est,quia ex propriis nascitur peccatis. Vel mundus ideo dicitur hic timor, quia munditiæ est causa , & mundos homines reddit . Præterea alia est huius timoris ad alios differẽtia: humanus timor, aut ille quem initialem diximus,tempore sæpe extinguuntur, nec perpetuo permanẽt: non sic timor iste perfectior, quem laudat propheta, qui per totam vitam hominis extenditur: vt denotant illa verba: In seculum seculi. Vel ideo mundus dicitur , quia post animæ purgationem innascitur: & permanens , quia timor ille qui ad munditiam peruenit, eiicitur à dilectione. Dilectio enim inquit,foras pellit timorem.hic autem timor, qui mũditiam subsequitur,permanet in æternum.

Iudicia domini uera. Ea enim sola proprie omni prorsus errore carent . Nam humana iudicia si ad summam & exactam diuinorum iudiciorum disquisitionem comparentur, erronea etiam esse apparebũt , propter humani nimirum intellectus infirmitatem.

Iustificata

Iustificata in idipsũ. Hoc est quæ vera pariter sunt & iusta. Nam quod proprie verum fuerit,illud etiam iustum erit. ἐπὶ τὸ αὐτὸ

Desiderabilia super aurum & lapidem precio sum multum. Hoc est supra omnia huius mundi bona, quæ precioſa ab hominibus reputãtur: qui verò ab huiusmodi materialium rerum desyderio procul fuerit,ille diuina iudicia:hoc est,legẽ dei, quasi famelicus,semper appetet,eisque nunquam satiabitur.

Et dulciora super mel & fauum. Mellitis etenim fauis , qui & visu iucundi sunt, & gustu suaues , dulciora sunt eloquia dei. Per precioſissimas autẽ materias & per cibũ suauissimũ, desyderiũ & dulcedinẽ diuinorũ iudiciorum demõstrauit.

Etenim seruus tuus custodit ea. De seipso propheta hoc dicit. Vel in vniuersum quòd omnis qui seruus dei est , atq; ita per virtutẽ affectus,necessario omnia obseruat quæ superius dicta sunt. Custodit enim posuit pro eo quod est,amat atque operatur.

In custodiendis illis retributio multa. Non in futura tantum vita,sed etiam in præsenti.

Delicta quis intelliget. Quia prędictorũ obseruatio,è peccatorum abstinentia proficiscitur, quod difficilium est, merito dubitat propheta quis nam futurus sit adeo sapiẽs ad discernendũ peccata,vt in ea non incidat: cum aliqua peccata sint maxime latentia:ea præcipue quæ in animo consistunt. τίς συνήσει

Ab occultis meis munda me. Occulta appellat peccata, quæ clam cõmissa sunt:vel turpes cogitationes,quę in animo versantur,p quibꝰ ardẽter supplicat. Nam quãto magis latent, tãto difficilius expelli ac superari possũt. Quippe cũ summa securitate animũ nostrũ inquinent. Manifesta enim peccata facilius superãtur,nisi quis perditis prorsus sit moribꝰ. Vel p occulta,peccata ea intellige,quæ p ignorantiã cõmittuntur.

Et ab alienis parce seruo tuo. In alienis,inquit,peccatis parce mihi, cum nouerim reges, pontifices, parentes, & dominos,obnoxios esse subditorum, plebium, filiorum, & seruorum peccatis:quando nimirum ob illorum negligẽtiam deliquerint. Vel ab alienis : hoc est , à peccatis quæ fortuito ac casu commissa sunt & non electione:vel,ab alienis, hoc est, ab inimicis,tam visibilibus quàm inuisibilibus. Ἐὰν μὴ μου καταυρευσωσι

Si mei dominata non fuerint,tunc irrepræhẽsibilis ero. Si hęc, inquit, peccata me non vicerint , tunc perfectionẽ assequar.

In præsentia enim tametsi legem obseruo, timeo tamen à peccatis.

ἄμωμος Μεγάλης

Et emundabor à delicto magno. Per magnum peccatum, ea intelligit quæ superius dicta sunt: licet fortassis quibusdam contemptibilia videantur. Mentis etenim inquinatio spiritum fugat, & neglectio eorũ delictorum quæ à subditis cõmittuntur, eandẽ condẽnationem, vel maiorẽ etiã meretur.

Et erunt ut placeant eloquia oris mei. Tunc, inquit, preces meæ erunt tibi gratæ, atque eas susscipies: quando scilicet à prædictis omnibus mundatus fuero.

Et cogitatio cordis mei in conspectu tuo semper. Subintellige verbum, erit. Nisi enim dedisscat cor meum turpia cogitare, tua certe, & ea quibus tu delectaris, nunquam considerabit.

Domine adiutor meus & redẽptor meus. Tu enim mihi adiutor eris vt redimar, & redimes me à prędictis peccatis. vel, tu ô domine adiuuas me, in iis omnibus quę per virtutẽ ago, & liberas me de omnibus periculis, in quæ incido. Illud etiã aduertendum est, quòd verba illa, ab occultis meis munda me, & quę sequuntur, omnib⁹ possunt fidelibus accõmodari.

In finem psalmus ipsi Dauid.

In finẽ etiam hic psalmus inscribitur, quia futura prædicit, & quæ finem habitura erant tempore Ezechiæ regis. Nam cum Sennacherib Assyriorum rex blasphema illa uerba populo annunciari iussisset, dolens atque id ægreferens Ezechias, cucurrit ad templum dei, ut in libris Regũ legimus: & omnia deo annuncians quæ acta erãt, aduocauit eum in auxilium. Omnes autem regis familiares, inter quos erat etiam Esaias propheta, animæ illius contritionem uidentes, quædam ad eum tunc uerba in sententiam ac tenorem præsentis psalmi locuti sunt, orantes supplicationem regis exaudiri. Illud autem considera quomodo diuina gratia prophetæ nostro non tantũ ea reuelauerit, quæ futuris fieri debebãt temporibus, sed ipsa etiam uerba, quæ uerisimile erat, illius regis domesticos dicturos esse.

PSALMVS XIX.

Exaudiat te dominus in die tribulationis. Nam cum Ezechias misisset nuncios ad Esaiam, hoc pacto ei locuti sunt, dicentes: dies tribulationis atque improperij.

Protegat te nomen dei Iacob. Quod neglectum modo

modo est, & blasphematũ ab Assyriis. Meminit autẽ patriarchæ Iacob, quia & ille in magnis calamitatibus versatus est & periculis, & ab omnibus tandem dei auxilio liberatus.

Emittet tibi auxilium de sancto. Sanctum, templum appellabant antiqui, quòd aduentare illuc deum credebant. Ἐξαποστελεῖ

Et de Sion tueatur te. Mons Sion dedicatus erat domino: & sensus est. Deus qui habitat in Sion, illinc veniet in auxilium tuum.

Memor sit omnis sacrificii tui. Quodcunque scilicet in pacis tempore vt pius ac religiosus ei obtulisti.

Et holocaustum tuum pingue fiat. Per holocaustũ victimam intelligit, quã totam atq; integrã erat oblaturus. Hæc, inquit, victima pinguescat. Fiet autẽ pinguis, si libera ei pascua dimittantur, quod erit, dissoluta obsidione. Per victũ itaq; pinguedinẽ, obsidionis etiam dissolutionẽ fieri optat. Vel, pinguefiat: hoc est, pingue reputetur & acceptũ. Holocaustum græca dictio est, ex nominis etymologia sic dictum, quòd totum comburatur. Sacrificiorum enim alia in totũ, alia autẽ in parte comburebantur: veluti omentum, renes, adeps, & alia huiusmodi, vt habetur in Leuitico.

Tribuat tibi dominus secundum cor tuum. Vt cor tuum optat. Cor autẽ propheta sæpe ponit pro anima, eo quòd præ cęteris aliis membris cor ab anima inspiretur. Sic etiam alibi accipitur: cor meum & caro mea exultauerunt in deũ viuẽtem.

Et omne consilium tuum impleat. Quodcunque scilicet rectum ac iustum fuerit.

Lætabimur in salutari tuo. Speramus, inquit, quòd deus ob tuam probitatẽ, præstaturus tibi sit salutẽ, teque insuperabilem redditurus: quo beneficio, & nos tecũ pariter fruemur.

Et in nomine dei nostri magnificabimur. Nam si inimicos deus conterit, formidabilis etiam erit gentibus, hoc solo nomine, deus Israel, inuocatus: per quod nomen, & nos magnificabimur, veluti exaudita inuocatione nostra.

Impleat dominus omnes petitiones tuas. Orationi insistunt & precibus, ob diuturnam ac constantem contritionem, atq; humilitatem regis.

Nunc cognoui quoniã saluũ fecit dominus Christum suum. Hæc quasi ab vnoquoque eorum tunc pariter comprecantium dicta sunt, certitudine quadam salutis habita à sancto spiritu.

Christum autem regem appellat vt vnctum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo. In cœlo habitabat, & in templo obumbrabat: atque ideo aliquando è templo, aliquando verò è cœlo illum aduocabant. Sanctum verò cœlũ appellat quasi sanctificatum deo ac dedicatum.

In potentatibus salus dexteræ eius. Salus illa, quæ obuenit à gratia dei, fundata est in abũdãtia quadã atq; excessu diuinę potẽtię atq; ideo nos confidere oportet, & inimicorũ apparatũ nõ timere, q̃q̃ immẽsus admodũ atq; intolerãd⁹ videatur.

Hi in curribus & hi in equis. Hi qui circundãt nos, in curribus & in equis sunt, in quibus cõfidunt. Eosdem enim inimicos vtrobique intelligit, tametsi repetat articulum: estque hoc etiam Hebraicæ linguę idioma.

Nos autem in nomine dei nostri inuocabimus. Nos autem, inquit, illud dei nomen, quod ab inimicis exprobratum ac cõtumelia affectum est, in auxilium nostrum inuocabimus: vel propter nomen domini, quod ab illis spretum est inuocabimus dominum adiutorem.

Ipsi obligati sunt & ceciderunt, nos autem surreximus & recti sumus. Superiora verba, lamentationis ac planctus tempore prolata fuerunt: quæ sequuntur post inuisibilem Assyriorum cædem dicta sunt: obsidione scilicet dissoluta, omnibus gaudentibus, & deum glorificantibus, atque huiusmodi verba dicentibus. Obligati enim sunt & impediti potentia dei, atque in lætalem ruinam præcipites delati: nos autẽ qui in multo eramus timore, surreximus, animumq; & fiduciam recepimus.

Ἐν ᾗ ἂν ἡ μέρᾳ *Domine saluum fac regem, & exaudi nos in quacunque die inuocauerimus te.* Quemadmodum nunc de manu inimicorũ regem saluasti, sic & in futurũ saluato, cum ob proprias virtutes dignus sit, qui à te salutem consequatur: & nos rursum etiam exaudi, quotiens te inuocauerimus, quemadmodum nunc exaudisti. His itaque sic dictis, præsentis psalmi expositionem de Ezechia perfecimus. Quidam cõgruere eum dicunt beato Dauid, cum in acie aduersus inimicos consisteret, & conscriptum ab eo esse ex sociorum persona, qui cum eo aderant. Congruit etiam vnicuique fideli aduersus dęmones decertanti, ipso nimirũ corpore, pro anima preces porrigente. Nam & dęmones nomen dei contẽpsere. Per sanctum autem,

autem, & per Sion, cœlum intelliges, vt sæpe dictum est. per Christum verò, & Regem, quemlibet Christianum, vt alibi prædiximus. in curribus autem & in equis dæmones incedere dicuntur, ob eorum velocitatem, & ob summum belli apparatum. Dici etiam potest hic psalmus aduersus inimicos nostros Barbaros, & pro regibus nostris fidelibus.

In finem Psalmus ipsi Dauid.

Hic Psalmus similiter in finem inscribitur, ueluti qui prophetiam continet, quæ Ezechiæ regis tempore finẽ accepit. Aiunt enim quòd post eam ægritudinem qua de illius uita desperatum est, addito ei postmodum XV. annorum uitæ spacio, ut in libris regum traditur, familiares ac domestici eius gratias deo egerunt: quorum uerba ac uoces præsens Psalmus imitatur ac fingit. uitam enim, inquit, petiit à te, & tribuisti ei. uel aliter: beatus Dauid futura ea esse prænoscens, præsentem Psalmum pro Ezechia rege deo obtulit.

PSALMVS. XX.

Domine in potentia tua lætabitur rex. In illa nimirum potentia, quæ ei hactenus adiumento fuit, & in futurum lætabitur. ita enim credimus, ob recepta à te in præteritum beneficia. Δυνάμιν

Et in salutari tuo exultabit uehementer. Hoc est in salute, quam à te est consecutus. καὶ ἐπὶ τῷ

Desiderium animæ eius tribuisti ei. Vel victoriam de hostibus, vel vitæ diuturnitatem, vel omne deniq; eius votum.

Et uoluntate labiorum eius nõ priuasti eum. Quod superius dictum est, iterum repetit, quasi oblectans se in gratiarum actione. nam quod quisque animo cupit, hoc ore etiam ac labiis petit. per voluntatem autem hic petitionẽ intellige. Οὐκ ἐστέρησας

Quoniam præuenisti eum in benedictionibus bonitatis. Quoniam eum præuenisti, & præoccupasti sæpius beneficiis tuis antequam ipse aliquid peteret à te. benedictionem hic pro beneficiis accipere debemus, quæ à dei bonitate proficiscũtur: & ideo dicit in benedictionibus bonitatis. Χρηστότητος

Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Beneficia ei præstita commemorat: & in primis, donasti illum, inquit, corona regia.

Vitam petiit à te & tribuisti ei. Vt neque ab inimicis inter-

emptus sit, neque morbo confectus. vtrunque enim hoc sermone intelligere debemus.

εἰς αἰῶνα αἰῶνος

Longitudinem dierum in seculum seculi. Non solum vitam dedisti ei, sed eam etiam longam præstitisti. Quod verò ait, in seculum seculi, Propheta proprie his verbis vti solet, quãdo futurum atque indefinens seculum designat: tametsi aliquando aut longum aliquod temporis spacium, aut firmam atque immutabilem deliberationem eodem sermone demõstret, vt hoc in loco: tu dedisti, inquit, ei vitam, vitam inquã longam, & longitudinem dierum firmam ac stabilem. Nec tamen ab re fuerit, si verba hæc, propter æternam vitam dicta fuisse credantur.

Magna est gloria eius in salutari tuo. Post diuinum hoc auxilium & beneficium à deo acceptum: magnus, celeber, & conspicuus apud omnes effectus est, ita vt legationes multæ ab aliis regibus ad illum venirent, & dona ei plurima essent allata: quæ omnia ob huiuscemodi diuinam protectionem illi acciderunt.

Gloriam & magnum decorem impones super eum. Ampliori adhuc, inquit, gloria illum donabis, & maiora efficies, cum ob perspectam in te animi eius voluntatem, pergratus tibi ac charissimus sit.

ὅτι δώσεις αὐτῷ εὐλογίαν.

Quoniam dabis benedictionem in seculum seculi. Benedictio aliquando laudem significat, vt illud: benedic anima mea domino: aliquando gratiam seu beneficium, vt illud: Præueneisti eum in benedictionibus bonitatis: aliquando participationem sanctificationis, vt hic: aliquando blasphemiam ac maledictionem vt apud Iob: Nisi in faciem benedixerit tibi: ad hæc, & salutationem significat, vt in quarto Regum, quando Hæliseus dixit ad Giezi, si inueneris hominem, non benedices ei, & si benedixerit tibi vir, non respondebis ei.

Lætificabis eum in gaudio cum uultu tuo. Symmachus à vultu tuo, hoc est à protectiõe & custodia tua. aspicies enim in eum, & gaudio replebitur, vel non simpliciter lætitiam habebit: sed simul cum beneuolentia tua: & causam adiunxit: quia synceram scilicet habet in te spem.

Quoniam rex sperat in domino, & in misericordia altissimi non commouebitur. Non in exercitu amplius aut in diuitiis cõfidit, neque in aliis humanis viribus, sed in solo adiutore deo: atque ideo

atque ideo non commouebitur nec fluctuabit.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis. Manus dei diuina est potentia, in quam incidere omnes eos optat, qui deo maledicunt: inueniatur, inquit, ab illis ad supplicia & ad pœnas.

Dextera tua inueniat omnes qui te oderunt. Inueniat, hoc est, comprehendat.

Quoniam pones eos ut clibanum ignis in tempore uultus tui. ὅτι Combures, inquit, eos igne iræ tuæ. per clibanum ignis, furnum intelligit, in quo coqui solet panis. in tempore autem vultus tui, hoc est, in tempore visitationis tuæ, quando nimirum in eos seuere ac torue aspicies. vultus enim, inquit, domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.

Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis, fructus eorũ à terra perdes, & semen eorum à filiis hominum. Perditionem inimicorum futuram prædicit, & pœnarum species connumerat: quòd scilicet ab ira dei molestati conturbabuntur, dubitantes ex omni latere: quodque igne etiam cremabuntur, & fructus agrorum ipsorum etiam corrumpentur, & quòd tota denique eorum generatio peribit: vt satis indicant illa verba. Et semen eorum à filiis hominum. per filios autem hominum humanam generationem significat.

Quoniam declinauerunt in te mala. Omnia verò hæc patientur, quia mouerunt mala aduersum te, & quia nomen tuum blasphemant, & seruis tuis insidias tendunt, multisque eos damnis ac malis afficiunt.

Cogitauerunt consilia in quibus sistere non potuerunt. Licet multa, inquit, aduersus te ac seruos tuos cogitauerint, huiusmodi tamen cogitationibus immorari atque insistere nõ potuerunt: destruentur enim eorum consilia.

Αἷς οὐμὴ δύνωνται στῆναι

Quoniam pones eos dorsum. Dorsum poni dicitur qui fugit ac terga dat. nihil enim aliud corporis eius tunc, quàm dorsum, hoc est, quàm tergum videri potest.

In reliquiis tuum præparabis uultum eorum. Hoc per hyperbaton figuram construendum est, si sententiæ tenorem seruare voluerimus, hoc pacto: in reliquiis eorum præparabis vultum tuum: ac si dicat, quòd neque etiam ij saluabuntur qui relicti

qui relicti sunt & superfuerunt à strage belli, & qui in fugam cõuersi sunt, sed contra eos etiã visitationem tuã præparabis, adeo vt non possint euadere: & hic quidem erit sensus si legas, in reliquiis tuum, &c. verum quia dictio Græca σοῦ potest intelligi, vt referatur ad præcedentia, ita vt sit lectio: in reliquiis tuis, &c. Iuxta hanc lectionem, paulopost secundam psalmi expositionem tractabimus.

ΔΩΣΕΙΣ *Exaltare domine in potentia tua.* In psalmo VII. declarauimus quid significet verbum hoc, exaltare. eundem enim sensum habet hic versiculus, quem ibi ille: & exaltare in finibus inimicorum tuorum.

ΔΩΣΕΙΣ *Cantabimus & psallemus potẽtatus tuos.* In fine psalmi XII. declarauimus quid significent hæc verba cantare, & psallere. Aliqui hunc psalmum congruere asserunt ipsi beato Dauid, dicentes, quòd pro seipso illum cecinit. quod si susceperimus, (nihil enim impedit,) exponi poterit, vt subiiciemus. Quod igitur in principio psalmi ait: In potentia tua lætabitur, & in salutari tuo exultabit: intelligem⁹ dicta fuisse propter Christum qui & potentia dei est, & dicitur, iuxta Apostolum, & Saluator. ipse enim, vt ait euãgelista, Saluabit populum suum. ad patrem itaq; dicit propheta: Domine in potentia tua, & ad filium, In salutari tuo: hoc est in ea salute, quæ per te humano generi data est. hoc pacto etiã in sequẽtibus alia ad patrem, & alia ad filium referri debent. vere autem beatus Dauid, post mortẽ suã lætatus est, atq; exultauit, cernens ac contemplans diuinę incarnationis mysterium. nam si dum adhuc tenebris humanę carnis indutus erat, animæ tamen ac mentis oculis futura prospiciebat, multo magis huiusmodi corporis tenebris depositis, credendum est, eum purius ac perlucidius omnia speculatum esse. & consequẽter ad prædicta, per cordis desiderium, intelligemus desyderium videndi incarnationẽ hanc diuinã: cuius typũ ac figuram viderat: & per voluntarẽ labiorum, indesinens ac perpetuũ illud studiũ canendi ac laudãdi deũ, quo desyderio nunquã frustratus est: canit quippe deo assidue, fidelium omniũ ore vtens ac labiis. vitam autem petiit à deo, & accepit, eum in summis sæpe periculis fuerit ac morti proximus, & demũ precibus suis ad deum intercedentibus ab eo saluatus sit. Magna est gloria eius in salutari tuo: hoc est, propter salutem illam, quæ

lam, quæ à te est. magnam quippe gloriam assecutus est beatus Dauid, cũ ex eius radice salus nostra pullulauerit: vnde maior ac celebrior apud omnes effectus est. lætificabis autem eum in gaudio cum vultu tuo: hoc est delectabis eum per filium tuum. vultus enim seu facies patris, filius dicitur. Qui enim vidit me, inquit, vidit & patrem meum. per inimicos autem dei, Iudæos intellige Christi inimicos, quibus gratia imprecatur Propheta, prædicens hoc pacto quæcunque postea passuri erant: & quorum semen iam prorsus deletum est: eorum dico, qui Christum crucifixerunt. nam qui erant iam per orbem dispersi, illi Romanorũ flagellum euaserunt. Pones etiam eos vt clibanum ignis in tẽpore vultus tui: hoc est in tempore filij tui, vt iam diximus: quæ res post aduentum Christi accidit. Ex illo enim tempore quo dixit dominus ad Iudæos, tolletur à vobis regnum &c. grauia aduersus eos in dies cœperũt oriri flagella. In reliquiis tuis, hoc est in iis Iudæis, qui crediderunt in te filium dei, & qui tibi relicti sunt vt fideles, præparabis: hoc est, ornabis, & glorificabis genus eorum. Summa quippe gloria etiã hactenus Iudæis est, quòd patres Apostolorum fuerint: tametsi ipsi per se inglorij sint & abominabiles. Possumus & hunc psalmum Regi nostro fideli accommodare, & aduersus infideles Barbaros, quemadmodum diximus proxime præcedentem etiam accommodari posse.

In finem pro auxilio matutino Psalmus ipsi Dauid.

ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως

Præsens Psalmus manifestissime ad Christum *referendus est*, & multa prædicit, quæ ad assumptam carnem & ad salutarẽ eius passionem pertinent, & iam finem suum consecuta sunt. Pro auxilio autem ideo inscriptum est, quia supplicationem Christi continet, quã passionis tempore à patre auxilium petiit. Matutinum uero seu etiam, ut Græca dictio sonat, orientale auxilium Prophẽta Christum appellauit, qui mane atque oriens uocatur: hoc est diei principiũ. uere enĩ nobis dominus, sedẽtibus in umbra mortis, nõ secus ac sol quidam iustitiæ ortus est, seu lumẽ scientiæ. Quod autẽ supplicat, facit tãq; homo, ut nos orare doceret, in mortis tẽpore: quãdo quidẽ is etiã qui natura ipsa iustissimus est, propter insuetã animæ ac corporis diuisionem

ctionẽ tũc tẽporis formidat ac perhorrescit. Quidã uero præpositionẽ, pro, loco præpositionis, de, positam esse intelligentes, (ut alibi plerunque reperitur) aiunt Psalmum hunc de Christi passionibus conscriptum esse. Christi enim passiones significari dicunt, per auxilium matutinum: quia commemorato passionis tempore, mane illud, atq; oriens quod diximus, hoc est, Christus, maximum nobis auxilium præstitit, deuicto per mortem propriam, illo tyranno qui mortis antea imperium occupauerat.

PSALMVS XXI.

DEus deus meus respice in me, quare me dereliquisti. Humanæ est formidinis sermo, quo maxime dei humanatio confirmatur, quodque verus ac perfectus homo fuerit Christus, & naturali obnoxius timori. Respice me, inquit. Solent enim qui carnifici quempiam tradunt, oculos auertere. Quare dereliquisti me? inquit. Atqui, nunquam discessit deus à Iesu, vbi semel dei filius ei vnitus ac iunctus est: verum præ summa formidine se derelictum putat. Nisi enim, inquit, tu apud te auxilium tuum continuisses, ego sanè mortem non timerem. De hoc Christi timore tradunt etiam Euangelistæ, & quando orauit dicens: pater si possibile est transeat à me calix iste: & quando introducunt eum in cruce, præsentis verficuli verba protulisse, dicentem: Deus deus meus quare dereliquisti me, hoc est, quare in hoc me timore reliquisti, sciens spiritum quidem promptum esse, carnem autem infirmam? vel quare me morti concessisti, sciens quòd ego nihil morte dignum fecerim?

Longe à salute mea uerba delictorum meorum. Reatus, inquit, peccatorum meorum procul sunt à salute mea, hoc est nullo impedimento sunt saluti meæ, quia nulla omnino sunt delicta quæ commiserim. Iniquitatem enim, inquit, alibi scriptura, nullam fecit: mors autem est peccantium multa. Vel aliter: subit dominus, atque accipit in se totius humanæ naturæ personam, vt cognatæ. Et quare, inquit, me hominem, hoc est, vniuersam hanc humanam naturam dereliquisti, sinens eam opprimi à morte? & causam infert, quia nimirum condemnationes meorum scelerum procul sunt à salute mea. Nam cum his ego pariter elongatus sum à te: quòd si apud te essem, seruarer sanè ab hac morte.

Deus

Deus meus clamabo die, & non exaudies, & nocte & non ad insipientiam mihi. Hoc illo die accidit, quãdo comedit Pascha cum discipulis. Tradunt enim Euangelistæ, quòd nocte illa orauit. Et verisimile, immo etiam credendum est, die etiam orasse. Nec mireris quòd vltimo loco id posuit quod præcesit. Ait enim, & non exaudies, & nocte: cum tamen clamorem nocte factum præponere debuisset, & tunc demum inferre, & non exaudies. Huiusmodi enim loquendi modi apud Prophetas frequenter conspiciuntur, quod ea nimirum ratione factum est, ne ex se ipsis loqui, sed quomodocunque & quæcunque audiunt, ita ea recitare videantur, quemadmodum sanctus spiritus in ipsis illa insonabat. Et in die, inquit, rogabo, vt transeat à me tempus mortis, & non exaudiar. Noui enim te ob humani generis salutem id facere, pro qua ego etiam incarnatus sum. Quidam per diem & noctem tempus ipsum crucis intelligunt. A sexta enim hora vsque ad nonam tenebræ factæ sunt, adeò vt tempus illud & dies & nox merito appellari possit, & intelligunt quòd rogauerit patrem vt dimitteret peccata iis, qui eum crucifixerant, & quòd exauditus non est, cùm illi postmodũ funditus exterminati sint: & quod exauditus non sit, in causa fuit, quia manifeste illos nouerat eius resurrectionem calumniaturos, & proprium acturos peccatum. ἡμέρας, καὶ νυκτὸς

Tu autem domine in sancto habitas laus Israel. Per sanctum, filij personam intelligit, humanæ coniunctam naturæ. Ego enim, inquit, in patre & pater in me est. Laus igitur populi Israel, deus pater est, qui habitat in filio. Iudæi quippe, solos se cognoscere deum gloriabantur, tametsi nec iudicium facerent nec iustitiam, nec virtutum semitas sectarentur. Iis autem verbis quibus patrem ait habitare in filio, demonstrat & filius & salutẽ hominum optauerit, & assumpti corporis mortem non recusauerit. Vna enim atque eadem est patri filioq; voluntas.

In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt & liberasti eos, ad te clamauerunt & saluati sunt, in te sperauerunt & non sunt confusi. Seipsum cum afflictis coniungit, atque ait: quemadmodum patres nostri secundum carnem, qui ante meum aduentum, in hac vita clari fuere, sperauerunt in te, & clamantes ad te in periculis, ex eis liberati sunt: ita ego illos imitatus, ac

veluti

veluti illorum similis, similes etiam ad te effundam preces. Est autem Prophetarum mos, vt ad maiorem emphasim, atq; vt intensionem cordium suorum melius declarent, dictiones ac sententias plerunque repetant & inculcent. Per liberationem autem à periculis, ij qui in sacris scripturis docti ac diu versati sunt, nõ corporis solum, verùm animæ imaginis liberationem intelligunt: quando scilicet anima dolores omnes ac supplicia generose ferens, nihil illinc in suo læditur proposito. Hoc pacto sanctos martyres tametsi occisi fuerint, vicisse dicimus, & liberatos esse, propter inuictam nimirum animæ fortitudinem.

Ego autem sum uermis & non homo. Hoc etiam ex persona Christi dicit, seipsum humiliantis. Hoc pacto beatus etiam Dauid, qui alioquin & Propheta erat & rex, Canem se mortuum appellabat, vt in libris Regum legimus. Quod si dominus Iesus qui sine peccato erat, se ipsum adeò vilipendit, quid faciendũ nobis est, qui & peccatores & adeò inutiles sumus? Quidam putant verba huius versiculi, dicta esse propter humanam Christi generationem, quæ absque vlla viri fuit coniunctione: vt huiusmodi verbis illud nobis indicetur, ϕ quẽadmodũ vermis è pluuia nascitur desuper in terram veniẽte, ita & Christus superno sancti spiritus in virginẽ aduentu sit generatus. Ob hanc igitur rationẽ Christus, vermis dicitur, qui alia insuper ratione dicitur etiã, non homo, propter conceptionem illam nimirum & generationem eius supernaturalem, quæ humanæ generationis ordinem non seruauit: vel aliter, quia vermes in escam piscibus dari solent: dic ea ratione Christum vermem appellari posse, quia eius caro, sub qua diuinitas veluti occultè quidá hamus latebat, instar vermis facta est esca in capturam intellectualis illius ceti, qui in mari præsentis vitæ versabatur. Nam cum cetus oscitabũdus ad illam escam hiaret, latenti illic hamo diuinitatis penetratus est. Vel quia vermis tametsi specie exiguus sit, materiã tamen corrodendo delet ac perdit, ita & Christus licet aspectu ac præsentia exilis videretur, contrarias tamen ac sibi resistentes dæmonum atque aliorum potestates disperdidit.

Ἐξουθένημα *Opprobrium hominum & neglectio plebis.* Hæc verba manifeste prænunciant ea quæ passionis tempore Iudæi contumelioſe aduersus dominum dixerunt, illudentes nimirum & de-

ridentes.

ridentes. Opprobrium autem hominum & neglectionem populi intellige, vt idem significent. Per homines autem hic Romanos milites intellige, & per plebem, populũ Iudeorum.

Omnes uidentes me subsannauerunt me, locuti sunt labiis & mouerunt caput, sperauit in domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam uult eum. Hæc apertissime inuenies scripta apud Matthæum. Ait enim ϕ ij qui pertransibant blasphemabant mouentes capita sua, & alia dicentes, quæ illic sequuntur. ἐξεμυκτήρισαν

Quoniam tu es qui extraxisti me de uentre. Viri copula virginalia ventris claustra aperit. Immissum enim semen naturaliter vuluam aperit, quæ deinceps conclusum illud cõtinet, donec fœtus perficiatur. Ac demum pondere grauata rursum aperitur, & fœtum labi permittit. In saluatore autem nostro quemadmodũ conceptio absq; vlla fuit viri copula, ita & progressio fœtus supra naturam extitit: ipsa scilicet diuina vi fœtum extrahente, & virgineis claustris nullatenus apertis.

Spes mea ab uberibus matris meæ. Tu ab ipso, inquit, lacte fuisti spes mea. Ex illo enim tempore cognoui spes meas omnes in vno collocatas esse: edoctus nimirum à diuinitate mihi coniuncta. Scribit enim de Christo Lucas ϕ puer crescebat, atq; inualescebat spiritu, & replebatur sapientia, & gratia dei erat cum illo.

In te proiectus sum ex utero. Procuratione tua, inquit, proiectus sum ex vtero, veluti qui patrem in terra nullum habui.

A uentre matris meæ deus meus es tu. Statim, inquit, te deũ cognoui, edoctus ab ipsa diuinitate, vt prædictum est. A ventre autẽ dixit, vel quia in carne erat, vel quia egressus de ventre. Hæc autem ex Christi persona dicta sunt. Ego, inquit, deus quidem sum, & filius æternus, sed postquam mihi carnem in vtero virginis creatam assumpsi, ex tunc, ô pater tu deus meus es. ἀπὸ γαστρὸς

Ne discesseris à me, quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuuet me. De hoc etiam tradunt Euangelistæ, quòd cœpit tristis ac mœstus esse, & rursus quòd discipuli omnes relicto eo fugerunt.

Circumdederunt me uituli multi, tauri pingues obsederunt me. Per vitulos plebeiã Iudæorum multitudinẽ intelligit, veluti

iuuentutem

iuuentutem omni prorsus regula carentem : per tauros vero, pontifices, scribas & seniores populi, propter ætatem nimirum, & præeminentiam : quos etiam pingues appellat, quia multis dei donis præ cæteris fruebantur. Ad hanc sententiam facit quod alibi ait Moyses:comedit,inquit, Iacob, & impletus est & recalcitrauit dilectus, impinguatus & incrassatus est,& dereliquit deum factorem suum.

Aperuerunt super me os suum sicut Leo rapiens & rugiens. Quando congregati clamabant,tolle tolle crucifige eum.

ὡσεὶ *Quasi aqua,effusa ac dispersa sunt omnia ossa mea.* Per Christi ossa, Apostolos intelligimus, veluti firmantes ac continentes reliqua Ecclesiæ Christi membra. Omnes enim tunc eo relicto aufugerunt, vt per Zachariam prophetam fuerat etiam prædictum. Percutiam,inquit,pastorem & dispergentur oues. Et per effusionem, illorum à se digressum & fugam significat.

Factum est cor meum quasi cera liquescens in medio uentris mei. Liquefactum est cor meum,inquit instar ceræ. Defecit enim & debilitatum est in afflictionum igne. Per ventrem autem, iuxta Græci nominis significationem, totam corporis concauitatem intelligit. Κοιλία

Aruit quasi testa fortitudo mea. In commemorato nimirum igne afflictionum infixa: vnde exsiccata est illius efficacia.

Et lingua mea adhæsit faucibus meis. Quando videlicet falsis testibus eum accusantibus, ipse nihil respondit, sed tacebat: vel etiam quando in cruce sitiuit.

Et in puluerem mortis deduxisti me. Per puluerem, mortis sepulturam intellige, quia qui in sepulchro iacent, terra ac puluere inuoluuntur: ad quod sepulchrum tu volens, inquit, deduxisti me,propter hominum salutem.

Quoniam circundederunt me canes multi. Iudæos merito tauros superius appellauit, veluti qui iugo legis premebantur, tametsi ipsi legem transgrederentur : nunc autem Romanos milites iure etiam canes vocat, veluti immundos secundum legem: & præterea etiam valde impudentes, qua ratione dominus in Euangelio ad Cananæam dixit:non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus.

Συναγωγὴ *Synagoga malignantium obsedit me.* Inuidorum scilicet Iudæorum.

Foderunt

Foderunt manus meas & pedes meos. Clauis nimirum perforantes.

Dinumerauerunt omnia ossa mea. Nudum me crucifigẽtes, atq; in cruce extendentes,ita vt ossium meorum compagines à quocunque numerari possent.

Ipsi uero considerauerunt. Hoc est curiose, de me tunc suspenso disquisiuerunt,nunquid filius dei essem. Dicebant enim :Si filius dei es,descende de cruce.

Et uiderunt me. Hoc est cognouerunt,quis nam essem,cernentes nimirum vniuersam creaturam mecum pati, tametsi duri adhuc permanserint. Scribit enim Matthæus, & Centurio & qui cum eo erant,videntes terræmotũ & alia quæ contigerant, timuerunt valde dicentes : vere filius dei erat iste. Vel aliter:Curiose egerunt, ne auferrer de cruce à discipulis meis: vnde viderunt seu inspexerunt me, hoc est obseruauerunt cum militum custodia. Καὶ ἐπᾶδόν μοι

Diuiserunt sibi uestimenta mea & super uestem meam sortem miserunt. Manifeste hoc Ioannes Euangelista declarat dicẽs: Milites igitur vbi crucifixerunt Iesum, ceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes,vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, tota desuper contexta. Dixerunt igitur mutuo inter se, non scindamus eam, sed sortiamur de ea,cuius erit: vt scriptura impleretur, ea nimirum quæ in hoc loco nobis tradita est per Prophetam: cuius verba illic Ioannes distincte apposuit. Per vestimenta igitur indumenta illa intelligit,quæ consuta erant. Et quæ diuisa fuerunt per milites: per vestem vero,tunicam illam inconsutilem,quæ supernæ erat cõtexta,& pro qua sorte miserunt.

Tu autem domine ne longe facias auxilium tuũ à me, ad defensionem meam cõspice. His scilicet omnibus sic se habentibus.

Libera à framea deus animam meam, & de manu canis unigenitam meam. Per frameam Romanos milites intelligit, qui frameas, hoc est gladios & arma ferebant : quos etiam canes ea ratione appellat,quam superius diximus. Per Leonem vero Iudæos,ob summam nimirum eorum sęuitiã,& quia mortem eius sitiebant,& quia insidiis vtebantur: quo nomine paulo superius illos etiam appellauerat. Eosdem etiam Vnicornes vocat,veluti in vnam tantum dei personã credentes. Syluestre autem animal est Vnicornis,& iuxta sui nominis etymologiam, Μονογενῆ

i

mologiam,vnũ tantum modo cornu geſtat in fronte. Singulari vero numero frameam Leonem & Canem dixit,confide rato vniuerſo eorũ genere per quod vnuſquiſq; dignoſcitur. Per vnigenitam autem, animam ſuã intelligit, quaſi vnicam ac ſingularem inter cæteras. Quippe quæ ſola inter omnes alias peccatum non fecit,& quæ ſola dei filium ſecum vnitum in eadem habet perſona. De ſua autem humilitãte ipſe etiam in Euangeliis dixit: diſcite à me quia mitis ſum,& humilis corde. Quare autem huiuſmodi preces fundat iam diximus, & qualem etiam liberationem animæ perquireret.

Narrabo nomen tuum fratribus meis. Animaduerte quomodo diuinus ſpiritus quædam vt iam facta commemorat, veluti qui futura ea eſſe præuidebat: quædam vero tanquam futura:atq; hoc ex lege prophetiæ. Per nomen autem dei,nomen paternitatis intelligit. Deum enim olim ſemper fatebãtur Iudæi,ſed patrem filij non cognoſcebant. Huius autem verſiculi prophetiam impletam eſſe legimus apud Ioannem: apud quem Chriſtum dixiſſe legimus ad patrem: manifeſtaui nomen tuum hominibus. Per fratres autem Apoſtolos intelligit, quemadmodum & alibi poſt reſurrectionem eos appellauit mulieribus, illis dicens: Ite & nunciate fratribus meis.

In medio Eccleſiæ laudabo te. Neque enim Apoſtolos tantum priuatim docuit: ſed in Iudæorum etiam Synagogis palam ac libere locutus eſt,narrans nimirum dei patris magnalia. Hanc autem prophetiam hodie etiam manifeſte adimpleri videmus,dum Chriſti Euangelium & priuatim & publice in Eccleſiis legitur.

Qui timetis dominum laudate eum. Veluti iam exauditus à patre,hortatur cęteros fideles ad gratiarũ actionem:& primo fideles ex Gentibus, ad quos poſt reſurrectionem ſuam Apoſtolos primũ miſit: (Euntes enim,inquit, docete omnes gentes) quoſq; nunc Propheta ob ſummam eorum virtutem timentes dominum appellauit:quemadmodum alibi etiam appellat Petrus in Actibus Apoſtolorum dicens: viri Iſraelitæ & qui in vobis timent deum. Verum quia Eccleſia fidelium non ex Gentibus tantũ, ſed etiam ex Hebræis conſtituta eſt, hos pariter ad glorificandum deum vrget dicens.

Omne ſemen Iacob glorificatę eum. Omnes qui ex Iudæis fideles

deles ſunt. Omnium enim tribuum progenitor fuit Iacob.

Timeat eum omne ſemen Iſrael. Per ſemen Iſrael vtrunque genus ſupra commemoratum intelligit, Gentiles nimirum & Iudæos, qui fideles ſunt. Omnis enim qui Chriſtum cognoſcit, vere Iſrael appellatur, cum Iſrael, interpretetur, mens videns Deum. Iubet igitur vt Deum laudemus, vtque eum ſemper veluti omnipotentem timeamus. Vel cæteros Iudæos iubet, vt eum timeant veluti allaturum eis exterminationem ob furorem ac rabiem, quam erga illius filium demonſtrarunt.

Quoniam non ſpreuit neque moleſtam, habuit deprecationem pauperis. Non moleſtæ illi fuerunt preces, quas ei obtuli & pro dæmonis profligatione,& pro veſtra victoria. Seipſum etiam pauperem Chriſtus appellat,& propter carnis exiguitatem, & quia pecuniis, & omnibus aliis externis bonis carebat. οὐδὲ προσώχθισε

Nec auertit faciem ſuam à me. Hunc loquendi modum declarauimus in Pſalmo duodecimo.

Et dum clamarem ad eum exaudiuit me. Statim, inquit, clamans ad eum exauditus ſum.

A te laus mea. Tunc ſcilicet quando vox è cœlo delata eſt eſt dicens: Hic eſt filius meus dilectus in quo complacui. Et alibi: Et glorificaui & iterum glorificabo. παρὰ σοῦ

In eccleſia magna confitebor tibi. Per confeſſionem hoc in loco laudationem intelligit. Eſt autem vere magna fidelium Eccleſia, quæ ad vltimos vſq; terræ fines peruenit: vel quia ex magnis ac ſummis viris conſtitit. Aſſidue autem Chriſtus in medio Eccleſiæ patrem laudat, per Euangelium ſuum. Et ſuperius quidem Iudæorum ſynagogam Eccleſiam appellauit,(niſi illic fortaſſis per Eccleſiam,ſingulares fidelium Eccleſias vbiq; locorum exiſtentes intelligas) nunc autem de ipſa vniuerſali Eccleſia loquitur. ἐξομολογήσομαί σοι

Vota mea reddam in conſpectu timentium eum. Per vota,promiſſiones deo factas intelligit: q̃ nimirum & narraturus eſſet nomen patris,& illud laudaturus.

Edent pauperes & ſaturabuntur. Ij ſcilicet qui eouſque,religione ac pietate pauperes fuerant: vel etiam humanis diuitiis. Pauperes enim ſunt, veri omnes Chriſtiani: qui tamen ſpirituale cibum Euangelicæ comedunt doctrinæ, qua vere

alitur atque augescit anima.

οἱ ζητοῦντες

Et laudabunt dominum qui exquirunt eum. Quia ob humani generis salutem proprio filio non pepercit. Exquirit autem deum ille qui per semitam mandatorum eius graditur, quibus recta ad illum via perducimur. Vel aliter: comedent fideles Saluatoris corpus, cum quo & sanguinem eius bibent: & saturabuntur, sancto nimirum repleti spiritu, hymnisque & laudibus in mensa illa deum extollent: ita vt versiculus superior, non solum prophetiam contineat de Euangelio, sed de mystico etiam mensæ illius sacramento.

Viuent corda eorum in seculum seculi. Ait enim dominus in Euangelio: ego sum panis vitæ, & rursus: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: custodiens videlicet pariter mandata. Per cor autem, totum hominem intelligit: eo ꝙ illa pars cæteris omnibus partibus in quouis animante, vitæ sit magis particeps. Licet moriantur, inquit, resurgent tamen in vitam æternam.

Reminiscentur & conuertentur ad dominum uniuersi fines terræ. Reminisci aliquem dicimus de re olim præcognita. Ex his igitur verbis illud nobis denotatur, quòd cognitio dei in hominibus naturalis est, tametsi erroris nebula quæ erat in omnibus Gentibus, cognitionem illam obtegeret atq; occultaret: verum vbi dissipata est illa nebula, & illucescere cœpit sol iustitiæ Christus, reminisci statim cœperunt creatoris, & ad ipsum conuersi sunt. Vel, reminiscentur in passiua significatione intellige, quòd memores erunt. Ex vi enim Græci verbi vterq; potest sensus elici: ita vt sit sententia, quòd digni efficientur, quorum deus reminiscatur: tametsi eousq; repulsi ac neglecti fuisse viderentur. Illud etiam considera, quomodo ordinate atq; appositè verbis Propheta vsus est: nam cum primo dixerit reminiscentur, deinde conuertentur intulit, ac demum adorabunt.

Et adorabunt in conspectu eius uniuersæ familiæ Gentium. Atqui nec vniuersi fines terræ crediderunt, neque omnes Gentium familiæ, verum quia in omnem terram Euangelium & ad omnes Gentes penetrauit, à totò partem significat: quemadmodum alibi contra, totum à parte. Et aliter: per familias, quas iuxta Græci nominis vim, parentelas potius dicere possumus, cognationes intelligit. Manifestum vero est quòd de omnibus

πατριαὶ

omnibus nationibus plurimi, qui inter se cognati erant, Christo crediderunt, & per ipsum, patrem adorauerunt.

Quoniam domini est regnum & ipse dominabitur Gentium. Ipse enim eorum rex est & dominus, iuxta illud: postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: & ideo adorabunt eum à dæmonis tyrannide liberati.

Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ. Per pingues terræ diuites intelligit: diuites inquam pietate & religione, qui antea pauperes fuerant: vt prædiximus.

In conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram. Adorabunt eum mortales omnes, qui in terram reuoluuntur, quia post communem omnium resurrectionem, omne genu ei flectetur secundum Apostolum: alij nimirum sponte sua, ac libenti animo, alij vero inuiti & cum timore.

Et anima mea illi uiuit. Ipse enim est qui eã viuificat, quiq; à peccato occidi eam non sinit, hoc autem & de patre intelligi potest & de filio. Vel aliter: Viuit, inquit, anima mea deo, veluti quæ actiones suas omnes ad eum dirigit, quemadmodum contrà dæmoni dicitur mortua, quando ad prauas illius suggestiones immobilis permanet.

Et semen meum seruiet ipsi. Semen, inquit, meum Christus, patri meo seruiet. Per semen, omnes filios intelligas, qui ei per Euangelium generati sunt, & quos ipse vt inquit Apostolus, patri suo subiecit.

Annunciabitur domino generatio uentura. Cognoscetur à deo, inquit, generatio fidelium ex gentibus, quæ ventura est in diebus incarnationis filij eius.

Et annunciabunt iustitiã eius populo qui nascetur. Ij qui per fidem generati sunt, annunciabunt eã posteris, & hi successiue aliis. Iustitiã vero ideò appellat, quia humani generis inimicum destruxit, qui iniuria illud semper ac damno affecerat.

Quem fecit dominus. Hoc est, quẽ sibi populum constituit cum antea dei populus nõ diceretur: quinimmo repulsus erat & exosus. Vel aliter: Quem fecit, hoc est quem creauit. Et quod dictum est annunciabitur domino generatio ventura, quidã aliter exposuerunt, dicentes: prophetiam illic cõtineri de gentilibus illis, qui in Hierusalẽ quærebant videre dominum. Scribit enim Ioãnes accessisse eos ad Philippũ, qui erat

à Bethsaida Galileæ,& interrogasse eũ dicentes:Domine vo lumus videre Iesum : & Philippũ deinde id dixisse Andreæ: & vtrunq; eorum demũ id simul retulisse ad Iesum: & Iesum respondisse,quòd venerat hora vt glorificaretur filius hominis. Ecce quomodo Christo domino annunciata est ab Apostolis generatio illa Gentiliũ:illi nimirum Græci, qui exeuntes & accedentes ad Iesum,exordium quasi ac principiũ fuere Gentilium omnium,qui in Christum erant credituri.

Psalmus ipsi Dauid.

Hunc Psalmum sanctus spiritus beato Dauid ex persona fidelium, qui ex Gentibus fuere conscribendum mandauit.

PSALMVS XXII.

ποιμαίνει *Dominus pascit me & nihil mihi deerit.* Ipse enim dominus in Euangelio ait:ego sum pastor bonus. Qui cum primos fideles ex Gentibus quasi oues, præruptis in locis errabundos inuenisset,ad ouile suum duxit eos ac pauit:pro quo beneficio eorum quisq; à Propheta nostro introducitur in gratiarum actionem deo canere ac dicere : Dominus pascit me, atque ideò nullus est mihi timor quòd posthac necessarium aliquid aut opportunum deficiat.

ἐις τόπον χλόης *In loco herbarum ibi me collocauit.* Constituit me,inquit, in loco vbi erant optima herbarũ pascua. Persistit enim Prophe ta ín pascendi metaphora. Herba autem & aqua de qua inferius dicet,vbertatẽ gregi præstant. Et sensus est: Quòd vberrimum ei pabulũ dominus ad vescendum dedit . Vel,per locum quidem Ecclesiam,per herbas vero,virescentes virtutibus fideles intelligit. Vel,per herbam Christianorum fidem intellige, quæ semper renouatur ac virescit . Gentium enim fides consenuit & aruit vt fœnũ . Vel, per herbarum pascua, virtutes morales,per aquam vero requietis, pacatissimũ contemplatiuæ philosophiæ confugium significat.

ἀναπαύσεως *Super aquam requietis educauit me.* Hoc propter baptismi lauacrum dictum est , cuius aqua emundati , laborem omnem &pondus peccatorũ proiicimus, ac deinceps requiescimus. Quapropter domin⁹ dicebat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,& ego requiescere vos faciam . Vel

Vel aliter: per aquam fluenta illa intellige viuificæ Christi doctrinæ, de quibus in primo psalmo dictum est, in expositione illius versiculi:quod plãtatũ est secus decursus aquarũ.

Animam meam conuertit. Ab idolorum errore.

Deduxit me super semitas iustitiæ. Per iustitiã hic vniuersalem illam iustitiã intelligit, quæ omnes cõplectitur virtutes. Per semitas verò alias particulares virtutes, quæ ad illã tendunt. Ipse enim dominus incarnatus, has nobis vias aperuit, & per eas ingrediẽs, re ac verbis dux nobis itineris fact⁹ est.

Propter nomẽ suũ. Propter hoc ꝙ christianus vocor:vel,ne nomẽ suũ ob mala nostra opera ab infidelib⁹ blasphemetur.

Nam & si ambulauero in medio umbræ mortis , non timebo mala,quoniam tu mecum es. Vmbra mortis labor ille est , qui in quocunque reperitur periculo, quiq́ue ob doloris acerbitatem,quæ morti persimilis est,vmbra mortis esse dicitur. Mala verò,tentationes sunt & calamitates. Esse etiam dominus dicitur ac conuersari cum christianis,eo modo quo ipse declarauit dicens:ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Vel aliter:vmbra mortis est vita præsens . Nam quemadmodum mors animam separat à corpore,ita & præsens mundus amatores suos separat à deo: quod si quis cum deo est,erit etiam deus cum eo.

Virga tua & baculus tuus , ipsa me consolata sunt. Virga est qua errantes corrigimus,baculus verò, quo pusillanimes inituntur. Sensus est, tu & peccantes correxisti, laborãtesq́ue ac labantes stabilisti,& vtroq; pacto nobis opem tulisti. Illud autem animaduertendum est , quòd græca dictio παρεκλεσαν non tantum significat cõsolata sunt, sed etiam aduocauerunt:vnde paracletum aduocatum & consolatorẽ interpretamur. Ordo igitur sic fiat:ipsa duo hæc, virga nimirũ & baculus,aduocauerũt me:hoc est admonuerunt. Nam qui aliquem admonet , aduocat eum & trahit ad id quod cõfert. Quidam verò per virgam & baculum crucẽ intellexere . Ex duabus enim partibus,crux componitur , quarum rectam, baculum dicunt: à quo erecti sumus , cum in errore iacere-mus:transuersam vero, virgam esse aiũt, per quam percussit dominus ac cõfregit dæmones. Solẽt enim qui valide percutiũt ex trãsuerso ictũ inferre,vt grauiorẽ plagã infligãt. Preponi autẽ dicũt virgam baculo, quia primo cruce tyrannum

 destruxit,

destruxit, & eadem postmodũ nos redemit: ita vt sensus sit: quòd crux tua ad pietatem me, & ad religionem aduocauit. Et aliter: virga quidem pro dei iudicio sumi potest, & baculus pro prouidentia: quorũ vtrunq; nos ad salutem aduocat,

Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me,

Non solum vt prædixi me beneficiis affecisti, sed & spiritualia etiam oblectamenta donasti, quæ per mensam hic significantur. Hanc autem in conspectu, inquit, inimicorum meorum parasti, vt videntes dolore tabescerent: vel aduersus eos, hoc est contra id, quod cupiunt. Illi enim mœrore me semper ac tristitia magis afficere student. Vel per mensam, futurorum bonorum fruitionem intelligit, quam præparauit deus diligentibus se: vel altaris mensam, in qua cœna mystica illa iacet, vel etiam virtutẽ moralem: & per oleum quod mentem impinguat, contemplationem earum rationum intellige, quæ in mentibus insunt.

Impinguasti in oleo caput meum. In oleo nimirum spiritualis gratiæ: & per caput mentem seu intellectum intellige, veluti contentum à cõtinente. Gratia enim spiritus impinguat & hilarem reddit mentẽ. Fortassis etiam vnctionem olei baptismatis prædicit: aut vnguẽtum illud, quo dominus à muliere vnctus est: in quibus omnibus per caput, totum hominem significat.

τὸ ποτήριόν σου ὡς μεθύτι σον Καταδιώξει

Et calix tuus inebrians me, quàm optimus est. Poculum, inquam, euangelicorum sermonũ, quod me ebriũ reddit. Excedere enim me facit à priori pertinacia, vt pote potẽs contra inimicos. vel aliter: poculum incruenti sacrificij intelligit.

Et misericordia tua persequetur me omnibus diebus uitæ meæ. Persequetur, hoc est, sequetur me, ita incedẽtem nimirum, & fugientem errores. Vel persequetur, hoc est, perquiret me & non discedet.

Et ut inhabitem in domo domini in longitudine dierum. Persequetur autem me, vt tutus in protectione dei habitem. Vel per domum domini ecclesiam dicit, & congregationem fidelium, in qua habitat dominus, & iis apparet, qui deo digni sunt: & sensus est: ego & diuina misericordia dignus censebor, & protegar à deo, & fidelis permanebo. Vel aliter: dabitur mihi in longitudine dierum, hoc est per totam vitam, vt inhabitem in domo domini. Et aliter: calix cognitio dei est,

est, misericordia autem eius, misericors nimirum deus filius, qui per incarnationem suam semper nos persequitur, donec omnes compræhendat, qui saluandi sunt. Domus etiam domini est eius regnum, in quo restituuntur omnes sancti: per longitudinem vero dierum, æternam vitam intellige.

Psalmus ipsi Dauid primæ sabbatorum.

Hic psalmus inscriptionem habet: primæ sabbatorum: hoc est, illius diei, qua Christus resurrexit. Illam enim diem prædicit quam euangelistæ primam sabbatorum manifeste appellarunt: tametsi in fine de assumptione etiam Christi tractet. Illud tamen obseruãdum quòd in græca lectione, unam sabbatorum legimus, quod latini interpretes passim, primam, dixerunt.

τῆς μιᾶς σαββάτων

PSALMVS XXIII.

Domini est terra & plenitudo eius. Ex quo nimirũ de sepultura resurrexit, & discipulis apparuit, dicens, data est mihi omnis potestas, in cœlo & in terra: ex illo sanè tempore, quo hæc acciderunt, Christi effecta est omnis terra, quę antea sub dęmonum potestate detinebatur: & vbique terrarum, pro idolis templa deo erecta sunt, prædicatione fidei ad vsque terræ fines dilatata. Plenitudo autem terræ homines sunt, qui eam habitant, & implent. A toto autem partem significauit. Neque enim omnes crediderunt euangelio, neque Christi omnes effecti sunt. Appellatione autem terrarum insulas omnes pariter compræhendit. Nam & ipsę, terræ partes sunt.

Orbis terrarum, & uniuersi, qui habitant in eo. Hoc ad præcedentis dicti interpretationem consequitur. Nam quod supra terram dixit, hic orbem terrarum appellauit. Et aliter. licet nec tota terra, nec omnes domini effecti sint, à fidelib⁹ tamen omnia domini esse reputantur: qui certiores facti sunt creatorem illum ac dominum eorum esse.

Ipse super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eã. Sciendum est, quòd magnus Basilius, solum domini imperium pro fundamento terrę, esse dixit, non aquam, neq; aliud quidpiam: per presentem autem versiculum ostendi tantum, quis riam ab initio creationis mundi, aquæ situs fuerit: quòd scilicet terræ aqua iniaceat, & quasi custodiat & contineat,

nec

nec ab eius defluat superficie: Iuxta quem sensum congruẽtius fortassis legendum esset, quod græca litera non denegat. Ipse in maribus fundauit eam, & in fluminibus præparauit eam. Ipsam vero aquam non ab re & mare & flumina à propheta appellatã fuisse cõstat, ob aquarũ in eis multitudines, cum & abyssum eam Moyses appellauerit, ob eiꝰ profunditatẽ. Spiritus enim dei, inquit, ferebatur super abyssum. Ioannes autem Chrysostomus dictum hoc ait illud potissimũ demonstrare: quòd aquę toti terræ subiaceãt instar fundaméti: & nihil mirum: ipse enim deus est, qui hanc ab initio fundauit. Omnia enim, inquit, per ipsum facta sunt. Admirandam autem fundationis rationẽ exaggerãs propheta, vna hęc cõplicauit: quòd fundauit eam, super maria, & quod stabiliuit super flumina. Tu verò hoc non in vniuersum intellige. Nã alioquin inferior esset aqua, verum Moyses inferiorem esse terram docuit: vnde manifestum est, hoc dictum esse respectu certæ partis aquarum. In multis namq; terræ concauitatibus, & cauernosis locis subter currunt partes quædã maris, quas maria appellauit. De fluminibꝰ apertissimum est, quòd sub terra longo interuallo ferantur, & tandẽ emergant. Admirandũ vero est, quomodo non consideant tanta terræ pondera. Omnes enim montes in huiusmodi aquis stabiliti sunt, & tamen in his fundata permanet terra solo factoris sui mãdato contenta. Præparauit autem, hoc est, ornauit.

Quis ascendet in montẽ domini aut quis stabit in loco sancto eius? Hoc de sacerdotibus puto prædictum fuisse, vt describeret, quales eos esse oporteret. Per montem vero domini, commune vnicuique templum intelligas, ob summam eius excellentiam & conspicuam omnibus claritatem, sic dictum, & quia aduersis vndique flatibus inimicorum fidei circunflatur: & per locum sanctũ, altare quod in conspectu dei est. Considera etiam prophetici sermonis diligentiam. Ascendet enim, inquit, ea ratione, quia ante tẽpli ingressum, nonnulli inesse gradus solebant. Quidam per montem domini, sublimitatem earum intelligunt virtutum, quas in euangelio dominus obseruari iussit: & per locum sanctum, cœlestẽ, ac promissum nobis regnum. Vel aliter: per montem sanctum, sublimem de Christo theologiam intellige, rectorumq; morum & diuinæ incarnationis scientiam.

Innocens

Innocẽs manibus & mundo corde. Superioris versiculi verba per interrogationem à propheta formata sunt, ad quorum responsionem præsens subsequitur versiculus: & per manus quidẽ actiones significat, per cor vero, cogitationes: ille, inquit, ascendet, & stabit, cuius & actiones irreprehensibiles, & cogitationes vna puræ fuerint, ac mundæ: quasi ascensurum illum neget, aut permansurum, qui huiusmodi non fuerit: tametsi aliter videatur. Considera etiam quomodo vtraque hæc pariter coniunxit, opera scilicet, & mentem. Alterum enim sine altero non probatur.

Qui non accepit in uano animam suam. Qui à deo animam suam propter vanum aliquod non accepit: hoc est, vt vana pertractet. Vel, qui anima sua, quæ ad bona opera fuit creata, ad praua vsus non est. Ἐπὶ ματαίῳ

Nec iurauit in dolo proximo suo. Hoc est qui nõ peierauit: Nam is qui peierat, dolo agit: vel vt liberetur cum debeat, vel accipiat, quod ei non debetur. Similes etiam sententias habuimus in psalmo XIIII. vbi inuenies latius de iuramẽto pertractatum in illo versiculo: Qui iurat proximo suo & non spernit.

Hic accipiet benedictionem à domino. Benedictionem, hoc est, gratiam, seu diuinum aliquod donũ, in præsenti vita præstitum: hic vir, inquit, qui in actionibus suis probus, & in cogitationibus mundus fuerit, quique ab inanibus rebus seipsum segregauerit, & nõ peierauerit aduersus proximũ suum, accipiet benedictionem, &c.

Et misericordiam à deo salutari suo. In futuro nimirũ tempore. Vnusquisque enim etiam qui maxime iustus habeatur, misericordia dei indiget: qui, si compassionẽ suam non cõmiscuerit deus, non iustificabitur in cõspectu eius omnis viuens. Quæ nam enim, vlla sunt opera, quæ cœlorum regno condigna sint.

Hæc est generatio quærẽtium dominum. Generatio illa, inquit, quæ sic vixerit, vt docuimus, merito appellari poterit generatio virorum quærentium, hoc est, diligentium dominum. Qui enim diligit, quærit.

Quærentium faciẽ dei Iacob. Deus Iacob deus pater ab Hebræis putabatur, facies autẽ patris, filius: qui vidit me, inquit, vidit & patrem meum. Patriarchæ autẽ Iacob frequẽtius in

psalmis

psalmis propheta meminit, vt XII. tribuum patris. vel aliter: quærentium videre deum in futuro seculo, quando facie ad faciem illi eum videbunt, vt inquit Paulus, qui digni fuerint, vt videant.

DIAPSALMA.

Ἄρατε

Tollite portas principes uestras. Ex hoc loco propheta, saluatoris in cœlum assumptionem prædicit, & angelos, qui ei in terra ministrabant introducit, cum eo simul ascendere, præireq;, ac iubere aliis angelis, qui cœlorum aditum seruabant, vt tollerent portas. ordo autem verborum sic fiat: vos principes, tollite portas vestras: hoc est portas, quibus præestis, & quarum estis principes: nec dixerunt, aperite, sed tollite: summam nimirum gloriæ incomprehensibilitatem, illius significantes, qui cœlum erat ingressurus. per portas autem ipsam custodiam intelligere debemus.

Et eleuamini portæ æternales. Custodia ipsa æterna est, eo quòd angeli custodes æterni sunt. vel ideo æternales dicit, quia ab æterno nunquam antea apertæ fuerant. clausis enim ianuis descenderat dominus in terram, clam cœlestibus omnibus potestatibus.

Et introibit rex gloriæ. Rex gloriæ Christus dicitur & dominus gloriæ, veluti qui summam assecutus est gloriam, & qui eam aliis præstat, & qui aliorum omnium, qui gloriam assecuti sunt, rex est, & dominus.

Quis est iste rex gloriæ? Introducit Propheta portarum principes ad hæc verba dubitare, veluti, qui solum deum scirent esse regem gloriæ, quem in tribus personis, supercœlestia habitare loca arbitrabantur. vel aliter: carnis ac corporis amictus eos fecit obstupescere: quo circa interrogant, & vicissim audiunt.

Dominus fortis & potens, & dominus potens in præliis. Dominus hic est, inquiunt, ille, quem nostis, fortis, ac potens: ac rursus, Dominus potens in præliis. hac autem replicatione ad maiorem illos cognitionem adducunt, ac pariter victoriam laudant, quam retulerat dominus de tyranno, quem in certamine deuicerat: & cruce, quasi hasta quadam, iaculatus tranfixerat.

Tollite portas principes uestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Principes portarum secundi cœli, hoc est firmamenti, auditis iis, quæ à præeuntibus angelis dicta

dicta fuerant, summo gaudio ac lætitia affecti, & de humani generis salute exultantes, statim præcucurrerunt, eadem & ipsi mandantes aliis principibus primi cœli, quod est supra firmamentum.

Et quis est iste rex gloriæ? Eodem modo isti dubitant, atideo eadem interrogant, & audiunt.

Dominus potestatum ipse est rex gloriæ. Dominus, inquit, potens qui aliis potentiam præstat. vel, qui potestatibus imperat: hic, inquam, ille est, quem annunciamus esse regem gloriæ. Scire oportet quòd Iudæi tam præsentem psalmum, quàm proxime superiorem, congruere dicunt illis Iudæis, qui captiui fuerunt in Babylone. & priorem quidem, quasi in eorum reditu, iucunda narrare, hunc autem ob tristia quæ captiui patiebantur consolari eos, ac docere, ne locum illum Babylonis ægreferrent, cum omnis terra dei sit, & possit vnusquisque, vbicunque gentium fuerit, placere deo. verum conuincuntur huiusmodi interpretes manifeste decipi, vel ex ipso psalmorum ordine, cum alioquin ille post præsentē potius collocari debuisset: veluti ea annūcians, quæ post captiuitatē accidissent: nec solū ex ordine, sed ex ipsis dictis. ostēdant enim illi nobis quæso, vbi misericordia cum eis per totam vitā permansit vt in præsenti habetur psalmo, & quas nam æternales portas haberet Hierusalem, quæ hic nominantur, ne cætera alia omnia commemorem.

Τῶν δυνάμεων

Psalmus ipsi Dauid.

Quidam dicunt beatum Dauid conscripsisse hunc psalmum in supplicationis atque orationis speciem ad deum: eumque omnibus inter calamitates atque angustias deum inuocantibus congruere: ac docere quomodo supplicare debeamus. nihil tamen uetat, quin dici possit beatus Dauid pro seipso eum præcipue protulisse cum ab inimicis oppugnaretur.

PSALMVS. XXIIII.

AD te domine leuaui animam meam. Leuaui hoc est eleuaui, erexi, à terrenis nimirum eam rebus attollens, in quibus nulla mihi est salus.

Deus meus in te confido non confundar in seculum. Vel præsens dicit seculum vel futurum: vel in seculum non confundar pro nunquam.

Οὐ καταισχυνθείην εἰς τὸν αἰῶνα

Neque

Neque irrideant me inimici mei. Quicunq; illi sint visibiles vel inuisibiles. Irridebunt autem, si superauerint me.

Etenim uniuersi qui te sustinent, non confundentur. Sustinent posuit pro expectant, vt plerisque in locis facit. ita enim interpretatur Aquila. Nam qui te adiutorem susceperit, non confundetur.

Confundantur iniqua agentes superuacue. Alij casu quopiam, aut infortunio iniqua agunt, alij ob naturæ infirmitatē. Quicunque igitur alias ob causas transgrediuntur, ij superuacue iniqua agere dicendi sunt, hoc est, nulla ratione, sed præ summa malitia, quales erant visibiles atque inuisibiles inimici, qui aduersum beatum Dauid pugnabant. sine causa enim atque inaniter pugnatur cum eo, qui nullam alteri iniuriam inferat.

Vias tuas domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. In his duobus versiculis eandem vbique dicit sententiam, vt sæpenumero facere solet, cum desyderij atque affectus sui intensionem cupit demonstrare. viæ autem & semitæ dei sunt omnia quæcunque ei placent. per eas enim securus, nec iam amplius vagabundus incedit, qui quæ deo placita sunt perficit. rogat propheta edoceri se à deo ea diligenter: quia qui id promerentur, à deo omnia addiscunt, quæ agenda sunt. Quidam per vias & semitas, dispensationes atque administrationes rerum esse intelligunt, ad quas diuina se extendit prouidentia, ita vt quærere à deo prophetam his verbis intelligamus, quo nam modo omnia gubernentur: vt per actiones nimirum contemplatio diligentior consequatur. & per vias quidem vniuersaliora, per semitas verò magis particularia intelligit mandata: quæ omnia tametsi in libris diuinis ante didicisset, optat tamen reipsa, atque operationibus melius addiscere, vt coactus quodammodo à deo ea operari, experimento deinceps cognoscat, quod sola prius ratione didicerat.

Deduc me in ueritatem tuam. Ne humanis cogitationibus seducar alia pro aliis eligendo.

ὁδήγησον. ὅτι

Et doce me quòd tu es deus saluator meus. Atqui deum sum eum esse sciebat, & tamen adhuc doceri cupit: tunc autem addisceet, quando ab inimicis fuerit liberatus. Nam tunc sine controuersia manifeste demonstrabitur, quod in solius dei auxilio

auxilio fretus, liberatus sit, præter omnium opinionem, nullo hominum illi opem ferente.

Et te sustinui tota die. Re ipsa ac factis, vt dixit, inquit, doce me, quod tu es deꝰ, qui saluas me, & quòd te vere sustinui, ac adiutorem expectaui, & deceptus non sum. Quod verò ait, tota die, sæpenumero propheta ponit pro, semper, quemadmodum & illa verba in seculum. vel aliter: Hebræi, tota die, ponunt, pro toto vitæ tempore. noctu enim cum dormimus, viuere non videmur. Hęc autem iuxta historię sensum dicta sunt. Iuxta anagogem, possunt hæc de Christo intelligi, cuius incarnationem ipsis quasi oculis spiritus, præuidens propheta, & melius tamen intelligere cupiens, rogat verius, ac syncerius sibi vias illas, ac semitas demonstrari, per quas incarnandus deus erat incessurus. veritas etiam Christi doctrina eius est, quam addiscere optat propheta. ego enim, inquit, veritas sum: & alibi, Veritatem dico vobis. doce igitur me, inquit, veritatem hanc: post quæ verba, statim sistendum est: & quod deinceps sequitur, quasi aliud principium per se legendum, hoc pacto: tu, inquit, deus hæc doce me. Tu enim es saluator meus, quemadmodum vel tuo edoctus sum nomine: Iesus quippe diceris, quod nomen saluator interpretatur: & vere prophetam nostrum Iesus saluauit, quando in infernum descendens illinc eum eduxit. te igitur, inquit, semper expecto, & non despero. Aduertendū est tamen, quòd iuxta huiusmodi sensum non legendum est, doce me, quòd tu es deus meus, sed doce me, quia tu es deus meus. Græca enim dictio ὅτι vtranq; habet significationem.

Reminiscere miserationum tuarum domine, & misericordiarum tuarum quæ à seculo sunt. Memento, inquit, quòd à seculo, hoc est, semper, & natura tua, misericors es, & miserator: & quia in lectione Græca dictio, misericordiarū, est in quarto casu, misericordias scilicet, annota indifferentē verbi huius constructionem apud LXX. tam cum secundo, quàm cum quarto casu: vel fortassis eosdē casus seruarunt, quos in Hebraica inuenerunt lectione: vel fortassis ea ratione id factū est, quia antiqui licentius casum ponebant pro casu, vt sæpenumero factū inuenimus. Illud autē aduerte, q̄ verba hæc ad deum, nō vt ignarum, aut obliuiosum dicta sunt: sed quia ignorare videtur deus, atq; obliuiſci, quādo ad defensionem, aut in

aut in auxilium noſtrum tardius venit.

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Conſydera quomodo beatus Dauid perfectior admodum effectus, pro delictis ſupplicet à ſe in iuuentute commiſſis: & nos tamen huiuſcemodi, hæc minime cogitamus. ſed quare non ſupplicat pro ſcienter à ſe commiſſis peccatis? quia ſcilicet quæ ignoranter commiſſa ſunt, ſola oratione delentur: iſta verò maiori indigent pœnitentia, factis nimirum, atque operibus.

Secundum miſericordiam tuam memẽto mei tu. Quemadmodum miſtricordia tua multa eſt, ita & tu in multa miſericordia memẽto mei. vel in miſericordia tua memento mei, hoc eſt, miſereàris, non vt punias.

Propter bonitatem tuam domine. Quia natura, inquit, bonus es, tametſi præter voluntatem tuam ob peccata noſtra etiam punias.

Χρηστὸς *Bonus & rectus dominus.* Bonus quidé, vt miſericors, rectus autem, tanquam qui delictorum pœnas exigit. rectum enim hic in iudicando intelligit.

Propter hoc legem dabit delinquentibus in uia, diriget manſuetos in iudicio. Quoniam miſericors eſt, & rectus, legem dabit peccatoribus: hoc eſt peccatores legi ſubiiciet, & caſtigabit delinquentes in via, hoc eſt, in hac vita, quam ideo viam appellat: quia omnes per eam, non ſecus, ac per viam tranſeũnt. diriget autem manſuetos, ne ſeducantur. in iudicio, hoc eſt, cum diſcretione, quaſi dignos, qui dirigantur. vel aliter: legem dabit, hoc eſt, legem ſtatuet peccatoribus. Ad æquiſſimum autem legiſlatorem pertinet leges ferre, quibus non tam puniantur, qui peccant, quàm dirigantur. Hæc etiam iuxta Anagogem ad Chriſtum referri poſſunt, qui peccatoribus illam viam ſtatuit, qua ipſe gradiebatur: vt per eam incedentes amplius non peccent: quique etiam manſuetos direxit, dum

*

Docebit mites uias ſuas. Hoc de Chriſto, ac de eius diſcipulis manifeſte dictum eſt. mites enim erant Chriſti diſcipuli, veluti qui ei non aduerſabantur. diſcite à me, inquit, quia mitis ſum, & humilis corde. docuit autem eos Chriſtus vias conuerſationis ſuæ, dum eos ſpectatores & comites ſibi eſſe voluit.

Vniuerſæ

Vniuerſæ uiæ domini miſericordia & ueritas exquirentibus teſtamentum eius & teſtimonia eius. Per vias hic ſola legis mãdata intelligemus, quæ iis, qui ſcriptam legem ſeruant, pro miſericordia & veritate habenda ſunt: cum manifeſtum ſit, deum miſericordia commotum, ea ſtatuiſſe mandata: & cum vera etiam contineant: vtpote quæ à vero deo ſunt condita. Legem enim & teſtamentum appellauit, & Teſtimonia. Teſtamentum quidem ſeu potius iuxta Græci nominis vim, diſpoſitionem: quia illam diſpoſuit ad filios Iſrael. Teſtimonia vero, quia in his conteſtatus eſt, quæ futura erant: quemadmodum in XVIII. pſalmo declarauimus. quod ſi de Chriſto intelligamus, facilis eſt interpretatio. omnes enim viæ conuerſationis Chriſti in terra, miſericordia ſunt, & veritas, iis qui nouum eius teſtamentum exquirunt: hoc eſt, iis, qui doctrinæ eius credunt & teſtimoniis, quæ à Prophetis de eo prædicta ſunt. In omni enim vita ſua Chriſtus, & benefaciens miſerebatur, & docens vera prædicabat.

Propter nomen tuum domine & propitiare peccato meo, multum eſt enim. Superflua eſt hoc in loco coniunctio, & : idioma hoc eſt etiam linguæ Hebraicæ, quod multis in locis reperitur. ait igitur: quia miſericors appellaris, & bonus, propter hoc quæſo propitius eſto peccato meo, quod antea commiſi: multum eſt enim, ſi ad eam mundiciam comparetur, quam præſtare debuiſſem. ad Chriſtum etiam referri potiſſimum poſſunt hæc verba, qui agnus dei appellatur, qui tollit peccata mundi. Καὶ ἱλάσθητι ὄντι

Quis eſt homo qui timet dominum? Rarus ſanè. quòd ſiquis inueniatur, audi, quæ retributiones ei promittantur.

Legem ſtatuet ei in uia, quam elegit. Diuerſæ enĩ viæ ſunt eorum, qui ſaluantur, hoc eſt, diuerſæ vitæ, ac conuerſationis rationes. alia enim ratio vitæ eſt hominum in commune viuentium: alia eorum, qui ſolitariam vitam degunt: alij etiam agendi vitam deligunt: alij contemplandi: alij vero aliam: omnes tamen huiuſcemodi rationes ad deũ ducunt, & quãcunq; ſibi elegerit is, qui timet dominũ, in ea dominus illi erit præceptor, & docebit, quid agendũ ſit, vt declarauim⁹. timorem vero non ſimplicem intellige, ſed cordi infixum.

Anima eius in bonis demorabitur. Soluta enĩ à corpore, in illis erit bonis, quę nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c.

Et semen eius hæreditabit terram. Pergrata erat Iudæis liberorum procreatio: atque ideo huiusmodi pollicitatione ad virtutem eos pellicit, promittens quòd ij, qui deum timuerint, filios habituri sint, illius terræ hæredes, quam ipsi possidebant. semen etiam pro doctrina intelligitur, & per illam, ij rursus, qui edocentur: & sensus est: quòd nō tantum ipse saluabitur, sed quòd ij etiam filij, quos iuxta eandem habuerit morum ac spiritus rationem, terræ mansuetorum hæreditatem consequentur.

κραταίωμα κύριος τὴν φοβουμένων αὐτ

Fortitudo est dominus timentium eum. Robur ac murus.

Et testamentum eius manifestabit eis. Lex, inquit, domini, eis declarabit, quòd deus est fortitudo timētium se. Ita enim lex omnibus pollicetur. vel testamentum ponit pro quocunque diuino documento, quod docet, quæ agenda sunt: nec tantum, quæ agenda, sed ipsa etiam diuina mysteria: quod domini lex iis præstare solet, qui mundi, ac puri ad eam accesserint.

Oculi mei semper ad dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Oculos animæ intelligit, quos intentos, inquit, semper habeo ad deum. noui enim quòd ipse solus pedes meos à laqueis extrahet, & ab inuisibilium inimicorum insidiis.

μονογενὴς

Respice in me & miserere mei, quoniam unigenitus & pauper sum ego. Quomodo dicatur deus respicere, supra in aliis psalmis diximus. sed quare se vnigenitū appellat, beatus Dauid? nonne multos habuit fratres? verum hac dictione sæpe vtitur propheta, pro solitario, seu solo, & vnico: quasi solus esset, & ab aliis destitutus. alibi etiam hac dictione abutitur propheta, dicens: & de manu canis vnigenitam meā. pauperem etiam se appellat, veluti mundano omni spoliatum auxilio.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt. Cordis tribulationes dicit: quia siue à malignitate hominum, siue à cogitationibus & ab animi passionibus, afflictiones omnes semper deferuntur ad cor.

De necessitatibus meis erue me. Ab infortuniis, quę me angunt & vim mihi inferunt.

Vide humilitatem meam & laborem meum. Per humilitatē, iuxta historiæ sensum, corporis ac virium infirmitatem intellige,

tellige, aduersus tantam inimicorum potentiam. sed iuxta spiritualem intellectum, summam expone animæ contritionem. simili modo per laborem, iuxta primum sensum, corporis defatigationem intellige, quam perpessus est, cum fugiens inimicos, multis in angustiis versaretur: & iuxta alterū sensum, laborem eum intellige, quem ex abstinentia, ex stabilitate sua, ex terreno accubitu, atque ex cæteris aliis virtutum operationibus sustinebat.

Et dimitte omnia delicta mea. Præterita nimirum, à quibus postmodū abstinui. illud autem cōsydera quomodo nō solū abstinere oportet à peccatis, sed multa etiā humilitate opus est, & labore ad hoc, vt plene cuipiam peccata remittantur.

Vide inimicos meos quoniam multiplicati sunt. Tam sensibiles quàm intellectuales.

Et odio iniusto oderunt me. Neque enim visibiles inimicos meos iniuria aliquā affeci, neque damnum, aut calumniam in eos intuli: similiter neque inuisibiles: quia si peccaui, non illos, sed me ipsum lęsi. R estat igitur vt nullam aduersum me odij occasionem habeant: sed totum quod est, ex sola oriatur inuidia.

Custodi animā meam. Ne incidat in eos: per animam autē corpus simul intellige. ea enim est, quæ corpus moderatur.

Et eripe me. Si aliquādo cecidero. vel aliter: custodi aīam ab inuisibilibus nimirū inimicis, & eripe me, à sensibilib⁹ sci licet, qui corpus meū in potestate sua habere perquirunt.

Non confundar quoniam speraui in te. Sciens, inquit, quòd qui sperant in te, à concepta spe non frustrantur, (vt dictum est in principio psalmi,) oro ne confundar, cum & ipse sperauerim in te.

Innocentes & recti adhæserunt mihi, quia sustinui te. De prę-teritis rebus est sermo. alibi enim ait: & te expectans non sum confusus: multos, inquit, ad æmulationem attraxi, ac persuasi, ex iis, quæ mihi contigisse viderant, te solum verum adiutorem esse, ac minime fallacem: vnde etiam adhæserunt mihi: hoc est, mecum lege amicitiæ colligati sunt: quoniam rectę sentiens, te expectaui. sed quinam sunt hi? quicunque scilicet innocentes, probi, & recti: hoc est iusti. propter hoc itaque exaudi me, vt per me alij pariter tibi gratias agant.

Libera deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis. Cum abunde, ac satis pro seipso orauerit propheta, demum pro populo etiã supplicat, qui secum pariter affligebatur. neque enim tantum tunc angebatur populus, quando regnante beato Dauid Philistæi irruebant, si concesserimus illo tempore compositum fuisse hunc psalmum, sed & antea cum fugaretur à Saule, & postea etiam tempore Absalonis, quando multi propter ipsum opprimebantur, quos nunc Israelem appellauit, veluti ab eo descendentes: nec tamen præter rationem fortassis fuerit intelligere, quòd seipsum propheta Israelem appellet, ea ratione, quòd ab illo genus trahebat: & si lubet, poteris etiam ad Christum orationem hãc referre, vt ab eo petat propheta, quòd iis præsto sit, qui propter eum à fidei hostibus affligũtur. Iam enim prædiximus, quòd Christiani recte Israel dici possunt: illi nimirum, qui Christum deum per fidem vident. Israel enim, vt diximus, interpretatur, mens videns deum.

Psalmus ipsi Dauid.

Hunc psalmum beatus Dauid eo tempore conscripsit, quando Saulem fugiens, apud Philistæos commoratus est. In aliquibus tamen congruere etiam iis uidetur, qui captiui postea in Babylone detenti sunt. Sciens autem propheta deum uere iustum esse, illud ante omnia conatur demonstrare, quomodo causam ipse iustissimam foueret, inimici autem iniustam. PSALMVS XXV.

Κρῖνον μοι

IVdica mihi domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. Tametsi omnia, inquit, noueris, Iudica mihi tamẽ adhuc magis: hoc est, examina causam meã. in hoc enĩ cõfido, ꝙ hactenꝰ in innocẽtia mea cõuersatus sim. per innocentiam vero longanimitatem, ac patientiã suam intelligit. multis enim iniuriis affectus sum à Saul, & tamen iniuriam in eum nullam retuli, tametsi sæpius potuerim, quemadmodum ex regum historia perspicere licet.

Et in domino sperans, non infirmabor. Et sperans, inquit, in dño ab hac sentẽtia non decidã: quinimmo inualescet semper magis, ac cõfirmabitur hęc mea opinio, ob summã spem, quã in ipso habeo. hęc autẽ verba ad inimicos diriguntur.

Proba

Proba me, & tenta me. Non, vt extollens se, hoc dicit, sed veluti duo hæc rogans, atque obsecrans, probari nimirum de præteritis vitæ suæ actionibus: hoc est, examinari, & exquiri earum rationem: & tentari, hoc est, experimentum ab eo sumi in futurum, an ita se gesturus sit, vt olim gesserat.

Vre renes meos, & cor meum. Renes concupiscentiam significant: per cor vero iram. vre, inquit: hoc est, proba: eo nimirum pacto, quo aurifices aurum probãt. neque enim ego aut regnum concupiui, aut in Saulem iniurias vllas retuli.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est. Ita dispositus sum, inquit, quia coram oculis meis misericordiã illam tuam proposui, quam omnibus iis præstas, qui patienti animo aduersa omnia sustinent.

Et placui in ueritate tua. Cũ de cæteris virtutibus suis tractare intendat, quas in progressu psalmi ponit, prius sermonem temperat, & deo gratias agit, quòd in reliquis virtutibus per illius veritatem profecerit. In lege enim tua, inquit, pollicitus es eorum te miserturum esse, qui tibi placerent. Misericordia igitur tua, & veritas tua, horum omnium bonorum mihi causa extiterunt, & deinceps virtutes has suas commemorat. Εὐηρέστη-σα

Non sedi cum concilio uanitatis. Hoc est, cum iis, qui ad nugas, aut ad intempestiuos sermones conueniebant, aut ad fabulosa eloquia.

Et cum iniqua agentibus non introibo. Cum iis, qui mutuo inter se, aut qui aduersus Saulem insidias disponunt. verisimile autem est tentatum sæpenumero eum fuisse ab aliquibus de coniuratione.

Odi ecclesiam malignantium. Congregationem & conuentum prauorum omnium. prauos enim quoscunque, malignitatis nomine comprehendit.

Et cum impiis non sedebo. Per impios, hic Philistæos intelligit, apud quos exul fuit: quorum conuersatione tamen abstinebat. vel non sedebo: hoc est, diu non commorabor.

Lauabo inter innocentes manus meas. Antiqui quando cõtestari volebant se alicuius sceleris esse innoxios, coram multitudine manus lauabãt: vt scilicet ex illa manuum mũdicia, animæ puritatem significarent: quemadmodum fecisse le-

gimus Pilatum in Christi nece, ait igitur propheta, ego vnà cum aliis innocentibus viris lauabo manus meas, contestans me scelerum omnium, quæ dicta sunt, innocentem esse.

Et circundabo altare tuum domine. Propitiatorium quidem, interius erat apud Hebræos, altare vero extra velum. hoc autem altare ob innocẽtiam suam propheta hostiarum, ac ministrorum multitudine circundaturum se prædicit.

Κοῦ *Vt audiam uocem laudis tuæ.* Adeo vt vocem canentiũ audiam, & lætantium de præstita à te nobis pace.

Et enarrem omnia mirabilia tua. Legendo nimirum legem tuam, & cæteros Moysi libros, qui iubente sic lege, frequenti populo legebantur. per mirabilia autem ea miracula intelligit, quæ in Aegypto aut alibi post modum facta sunt: vel semper admiranda, omnia quæ ab initio mundi deus operatus est.

Domine dilexi decorem domus tuæ. Dilexi, atque ideo videre illum rursus desydero. decorem autem domus, ordinem illum admirabilem Mosaici appellat tabernaculi. nondum enim templum constructum erat.

Σκηνώματος *Et locum tabernaculi gloriæ tuæ.* Quinimmo & ipsum locum amaui, in quo tabernaculum gloriæ tuæ fixum est. vel per locum tabernaculi, vt ei sæpe mos est, ipsum intelligit tabernaculum.

Ne simul perdas cum impiis deus animam meam. Apud quos nunc vitam ago, sed me in ciuitatem restitue. istos nanque Philistæos ob maxima eorum scelera, perditio summa comprehensura est.

Et cum uiris sanguinum uitam meam. Neque enim tantummodo, inquit, impij sunt, sed etiam viri sanguinum: hoc est, sanguinarij.

In quorũ manibus iniquitates sunt. Quibus semper in prõptu, atque in manibus est iniquitas.

Dextera eorum repleta est muneribus. Nec tantum, inquit, impij sunt, & sanguinarij, sed munerum susceptores: muneribus nimirum iustitiam commutantes.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum. Rursum innocentiam suam commemorat, eam sibi mediatricem quodãmodo proponens apud deum.

Redime me. Ab iniusto exilio, quod sustineo.

Et miserere

Et miserere mei. Ita vt in huiusmodi homines amplius nõ incidam.

Pes meus stetit in rectitudine. Hoc à te peto, inquit, quia pes meus stabilitus est in rectitudine, hoc est, quia itinera vitæ meæ omni prorsus obliquitate carẽt, ac tortuositate, quod eiusdem sententiæ est iam dictis verbis, in innocentia mea ingressus sum. Εὐθύτητι

In Ecclesijs benedicam te domine. His ita dispositis ego deinceps, inquit, psalmos componam, per quos ego te in omnibus Ecclesiis laudabo. Et vere omnis Christianorum Ecclesia beatum Dauid cantorem suum habet, & præceptorem. Aptari etiam potest hic psalmus, vnicuique fideli inter inimicorum insidias ac persecutiones constituto, qui simili modo iustificare poterit causam suam, vt fecit beatus Dauid, si vere dicere poterit, se patienter omnia sustinuisse, cum iniuria afficeretur, & neminem ex illis, qui sibi infesti erant affeciſſe iniuria. Hic etiam omnes, qui alterius fidei sunt, impios esse reputabit. Et iuxta hũc sensum: per altare, templum intelliges, quod in ea fuerit regione, veluti à parte totũ, quod similiter signatur, per domum dei, & iuxta analogiam, & proportionem hanc, reliqua poterunt accommodari.

Psalmus ipsi Dauid antequam ungeretur. πρὸ τοῦ χρισθῆναι

Ter unctum fuisse legimus ad regnum, beatum Dauid, primo à Samuele in Bethleem: deinde à tribu Iuda, post mortem Saul, in Hebron, & tertio ab omnibus Tribubus, post mortem Memphibosethi: hunc autem psalmum, conscripsit ante secundam unctionem, eum Saul adhuc eum persequeretur. Qui tamen unicuique etiam fidelium poterit accommodari, si per analogiam eius uerba aduersus uisibiles, seu inuisibiles inimicos dicta esse intelligamus.

PSALMVS XXVI.

Σωτὴρ *Dominus illuminatio mea, & saluator meus quem timebo.* Illuminatio deus dicitur, veluti qui omnem ab oculis nostris tristitiæ nebulam dissoluit & deinde auxilij sui luce eos illuminat: Saluator autem, quia ab inimicorum nos insidiis liberat, q̃ vero per interrogationem ait: Quem timebo? idem significat, ac si diceret, neminem timebo.

Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Quem enim formidare is debet, quem protegit deus? quid autem sit protegere, dictum est in psalmo decimoseptimo.

Ἐν τῷ ἐγγίσαι τὰ φαγεῖν

Dum appropinquarent aduersum me lædentes, ut ederent carnes meas, qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt. Summa cum admiratione annunciat Propheta collata sibi à deo beneficia. Dum appropinquarent mihi, inquit, inimici illi, qui multas ad hoc insidias aduersum me disposuerant, vt sæue admodum ederent carnes meas, ipsi potius infirmati sunt, non valentes in aliqua re mihi læsionem inferre. Et ceciderunt, hoc est, deciderunt à concepta spe, non consecuti, quod optabant.

Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Per castra Hebræi exercitum intelligunt. Adeò, inquit, mirandum in modum liberatus sum, vt deinceps, ne vniuersas quidem, atque integras hostium copias pertimescam, ne dum insidias.

Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. In hoc scilicet corde meo, quod amplius non timet, ob fiduciam, quam in diuino posuit auxilio. Quidam dicunt subintelligi debere, vt sit sensus: in hac scilicet spe, quam in deum habeo. Nam quod hic dicitur, in hoc, necessario referendum videtur, vel ad ipsam spem, vt dictum est, vel ad cor, non autem ad prælium, cum in Græca lectione tam pronomen, hoc, quàm dictio cor, fœmineæ voces sint: dictio autem prælium masculino varietur articulo: vnde coniungi ea minime consentaneum est.

Vnam petii à domino. Postquàm liberatus sum, petitionem vnam petij à domino, ita enim subintelligendũ est. Vel vnam aduerbialiter intellige, pro semel. Quemadmodũ iuxta Græcæ dictionis significationem intelligi potest.

Hanc requiram. Hanc scilicet petitionem, quam consolationis meæ gratia requiro. Quæ nam autem ea sit, audi.

Vt inhabitem in domo domini, omnibus diebus uitæ meæ. Merito hic psalmus post proxime superiorem collocatus est. Ibi enim dixit Propheta: Domine dilexi decorem domus tuæ: & nunc simili modo, in domo domini, hoc est, in tabernaculo dei habitationem habere desiderat. Et quare ita cupiat, addidit, dicens.

Vt con-

Vt contempler delectationem domini, & uisitem templum eius. Vt delectatione, inquit, afficiar, contemplando ea, quibus ipse dominus delectatur. Præterea etiam ratione illic semper adesse cupio, vt perspiciam nunquid forte aliquod officium, aut eorum aliquid, quæ ad diuinum cultum dentur, omissum, aut neglectum sit. Adeò quippe deum amabat.

Τοῦ θεωρεῖν με τὸν τὴν πνότητα κυρίου

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum meorum. Maximis, inquit, beneficiis ab eo affectus sum. In die enim periculorum meorum abscondit me protectione sua. Quam ideo tabernaculum appellauit, quia fugientem ad deum in periculis beatum Dauid diuina protectio tabernaculi cuiusdam instar, hospitio quodammodo suscepit, ac suscepturn seruauit.

Protexit me in abscondito tabernaculi sui. Rursus idem dicit, manifestius diuina prædicans beneficia. Per absconditum autem penitiora atque interiora tabernaculi intelligit, ac magis tuta: ac si diceret, inspectabilem me omnino atq; inuisibilem inimicis vestigantibus reddidit.

In petra exaltauit me. Sine timore me, inquit, ac securum constituit. Tractum est autem hoc ex eorum metaphora, qui periculorum sibi ab inimicis imminẽtium timore in petram aliquam abscissam vndiq; & præruptam confugiunt.

Et nunc ecce exaltauit caput meum super inimicos meos. Animaduertens Propheta petitionem suam fuisse sibi à deo ineffabili quodammodo confirmatam, de futuris deinceps, prophetico more, veluti de præteritis loquitur. Quia, inquit, exaudiuit me dominus, ecce q̃ superiorem etiam inimicis me posuit. Solent enim victores victis insultare, & supra illos quodammodo se extollere. Aliter enim petitio beati Dauid impleri non poterat, nisi eius inimici prius destructi fuissent.

Νῦν ἰδοὺ

Circuiui & immolaui in tabernaculo eius. Quod in præcedenti psalmo tanquam futurum dixit, & circundabo altare tuum domine: id nunc quasi iam adimpletum ponit. Circuiui, inquiens, & immolaui. Aquila vero, exaltabo, circumibo, & immolabo transtulit, vt sit tempus pro tempore. Tabernaculum autem id dicit, quod fixerat Moyses.

Θυσίαν αἰνέσεως

Hostiam laudis & uociferationis. Laudis quidem, quia ab eo protectus sum: vociferationis vero, ob victoriam de inimicis.

κὴ ἀλαλαγμῦ

vociferatio

vociferatio enim,clamor quidam est aduersus inimicos:tametsi hoc in loco pro cantu quodam triumphali posuerit. Per hostiam autem sacrificium intelligit, in gratiarum actionem oblatum pro auxilio & victoria.

Ψαλῶ — *Cantabo & psallam domino.* Quid differãt cantare & psallere dictum est in psalmo duodecimo.

Exaudi domine uocem meam qua clamaui. Cum per sancti spiritus inspirationem ei prædixerit, quæ ad se pertinebant, rursus ad priorem intentionem reddit: & per vocem,vnam illam petitionem intelligit,de qua superius dictum est.

Miserere mei & exaudi me. Non me debes exaudire ob mea scelera,sed qđ peto est,vt ex tua id facias misericordia.

κύριον ζητήσω — *Tibi dixit cor meum,dominũ quæram.* Ex intimo,inquit,corde sic dixi. neq; enim quasi in superficie solis labiis locutus sum. Dixi autẽ: Dominum quæram,meum inquam dominũ, neglecto prorsus ac spreto omni alio humano auxilio.

Exquisiuit te facies mea. Præpositio illa, ex, intentionem quandam denotat maiorem. Ait igitur summa cum diligentia perquisiuisse se adiutorem deum. Et per faciem suam circunloquendo seipsum intelligit,ac si diceret:ego ipse exquisiui te.

Faciam tuam domine perquiram. Hoc est protectionem & custodiam tuam & nunquam cessabo.

Ne auertas faciem tuam à me. Hoc est protectionem tuam, qua inter angustias protegebar.

Et non declines in ira à seruo tuo. Ne in ira secedas à me, cui hactenus summo cum studio & cura astitisti: quòd si vt homo deliquero, tu me humanæ ac misericorditer castiga, ac rursum vbi opus fuerit adiuua.

μὴ ἀποσκορακίσῃς με — *Adiutor meus esto.* In futurum.

Ne repellas me. Græce legimus μὴ ἀποσκορακίσῃς μέ hoc est ne repellas seu ne abiicias me. Quod ex duplici vocabuli etymologia trahi potest: vel ex illo Græcorum prouerbio, ad coruos: vel ex metaphora scoriæ. Est autem scoria spurcitia quædam in omni metallo & quasi fæx, quæ proiicitur.

ὁ σωτήρ — *Ne derelinquas me deus saluator meus.* Frequenter rogat ac preces fundit Propheta,constantiam suam in orando,summam esse ostendens atq; ex corde proficisci.

Quoniam

Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me. Quoniam,inquit, omni parentum solatio prorsus careo,vt vel amicos meos omnes taceam,qui Saulis potentiam verentur.

Dominus autem assumpsit me. Hoc ad solamen suum dicit. Licet,inquit,omnes me dereliquerint,ipse tamen dominus assumpsit me,protegens scilicet atque eripiens à periculis.

Legem pone mihi in uia tua. Aquila pro legem pone, reddidit, doce me, hoc est salutares leges tuas doce me, me inquam per semitam spiritualis legis tuæ incedentem, & quæ ad te tendit.

Et deduc me in semitam rectam. Ad rectam salutis semitã, ne seducar de via,& in prauas incidam cogitationes.

Propter inimicos meos ne tradas me in animas tribulantium me. In animas tribulantium circunloquendo dixit, pro in ipsos tribulantes me milites. Ne tradas igitur me illis in potestatem,ne præcipui hostes mei qui illos miserunt vt me comprehenderent,gaudio ac lętitia inde afficiantur. Intelligit autem ipsum Saulem.

Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui. Ipse etenim Saul noram impingere cupiens beato Dauid iniuste, illud aduersum eum attestabatur,dicens: Scire se quòd decreuerat Dauid ipsum interficere.

Et mentita est iniquitas sibi. Ipsa, inquit, inimicorum attestatio sibi ipsi mentita est, hoc est, inuenta est vera non esse. Nihil enim illum læsi aut iniuria affeci,quinimmo potius adiuui. Vel aliter: Ipsa iniustitia quæ sibi pollicebatur comprehensurum me esse, mentita est, hoc est, non est assecuta quod sperabat.

Credo uidere bona domini. Credo, inquit, sancto spiritui qui de omnibus his me certiorem facit, quòd superabo hostes, & recuperabo regnum, quodque illius bonis diu perfruar.

In terra uiuentium. In hoc mundo qui est viuorum terra. Terra enim mortuorum infernus. Possumus etiam dicere,q; tradatur hic dogma de resurrectione mortuorum, & q; per terram viuentium, regnum cœlorum intelligit, & per bona, illa bona,quæ præparauit deus diligentibus se.

Sustine dominum. Hæc verba & quæ sequuntur,Propheta ad seipsum dirigit, veluti temperans sese ac sibiipsi solamen præstans. ὑπόμεμον

præstans. Iubet autem non decidere à bona spe: sustine, inquit, hoc est, expecta auxiliatorem.

Κραταιουσθω

Viriliter age, inualescat cor tuum, & sustine dominum. Verba hæc sunt fidentis & constantis animæ. Solus enim existens beatus Dauid ipse se cõfidere iubebat, & rursus ad maiorem animæ consolationem & oblectamentum, repetit illa verba: sustine dominum.

Psalmus ipsi Dauid.

Hunc psalmum etiam conscripsit beatus Dauid eo tempore quo persequebatur eum Saul.

PSALMVS XXVII.

AD *te domine clamabo.* Quasi ad nullum aliũ respiciens. Omnibus enim aliis auxiliis priuatus sum. Per clamorem autem precum suarum, intensionem demonstrat.

Deus meus ne sileas à me. Ne obaudias me: metaphorice dictum. Solent enim qui obaudiunt, tacere, & nihil respondere petentibus.

Et similis ero descendẽtibus in lacum. Si obaudieris me, inquit, statim similis ero ipsis mortuis: hoc est statim moriar. Per lacum enim sepulturã intelligit. Potes etiam per lacum, foueam intelligere, in quam si quis inciderit sine auxilio remanet, eo quòd illinc effugere non possit.

Exaudi domine uocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Per templum, vt diximus, tabernaculum intelligit ad quod manus tendebat, dum oraret, tametsi id procul esset. Sic etiam & Daniel orás in Babylone, aperiebat fenestras quę cõuersæ erant ad Hierusalem, non quòd illic diuinitatẽ circunscriberent, sed quia sciebant deum illic apparuisse. Vel templum pro cœlo intelligẽdum est, iuxta illud, qui habitat in cœlis irridebit eos.

Συνελκύσης

Ne simul trahas me cum peccatoribus. Quibus cum sæpenumero conuersor. Noli igitur ob meam hanc conuersationẽ cum illis me pariter ad luendas pœnas trahere. Nosti quòd inuitus cum eis conuersor. & superflua videtur dictio illa: simul. Quod si his verbis vti & nos volumus cum oramus, per peccatores

peccatores dæmones intelligemus, aut alienos à fide, aut etiã iniquos omnes.

Et cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Hoc ad maiorem superioris dicti declarationem est. Idem enim significat.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Quidam enim eorum qui erant cum Saule, amicitiam simulabant erga Dauid, & insidias nihilominus aduersus eum clam parabãt, & præcipue inter alios ipse etiã Saul.

Da illis domine secundum opera eorum. Condigna scilicet eorum proteruitati.

Et secundum nequitiam adinuentionũ ipsorum. Hęc pari modo ad præcedentis versiculi declarationem dicta sunt.

Secundum opera manuum eorum da illis. Dolorem prophetæ animæ suæ zelo quodam odij in prauos accensæ, omnib⁹ patefacit, dum eandem sępius variis verbis repetit sententiã.

Redde retributionem eorum ipsis. Redde illis debitam vltionem pro malignitate. Ex his autem verbis demonstrat, se non acerbum hostem aduersus eos imprecari, sed vt iustitiæ amatorem, optare illis debitas pœnas: vt hac ratione, praui omnes reddantur meliores.

Quoniam non intellexerũt opera domini. Quia hactenus dispensationes dei non intellexerunt: quòd scilicet deus prauos sustinet, vt eorum prauitas magis conuincatur, & in opportuno tempore irremissibiliter afficiantur suppliciis.

Nec opera manuum eius. Opera, inquam, dico quæ ipse summo consilio operatur, & non casu. Per manus enim hic, consyderationem quandam, & studium, in diuinis operationibus esse demonstrauit.

Destrues illos & non ædificabis eos. Prędicit propheta inimicorum suorum perditionem, quæ huiusmodi futura erat, vt vbi semel in præceps cecidissent, resurgere amplius, aut se erigere non possent.

Benedictus dominus quia exaudiuit uocem deprecationis meæ. Benedictus: hoc est. dignus cui benedicatur, qui laudetur. Deinde quasi certus de iis quæ postulauerat, addit: quia exaudiuit me.

Dominus adiutor meus & protector meus. Hoc, simili modo ad certitudinem illam pertinet, quam de diuino auxilio cõceperat.

ceperat,

In ipso sperauit cor meum. Veluti in solo vero ac non fallaci adiutore.

Et adiutus sum. Et spe concepta non sum frustratus.

Et refloruit caro mea. Quæ ante ob sollicitudines & afflictiones varias, tabefacta erat.

Et ex uoluntate mea confitebor ei. Prompto animo, inquit, atq; ex corde id faciam non vt coactus. Simile illud est, Voluntarie sacrificabo tibi. Per confessionem vero gratiarum actionem intellige.

τῶν σωτηρίων

Dominus fortitudo populi sui, & protector salutum Christi sui est. Dominus, inquit, populum sibi dedicatum fortiore reddit, & pro illius pugnat salute, qui mandato eius ad regnum vnctus est. Christus etenim vnctū significat. De seipso autē ac de toto populo sermonem facit, veluti præscius futuræ immutationis.

Saluum fac populū tuū domine, benedic hæreditati tuæ. Quasi iamiam regnum susceperus esset, & huic rei propior quàm antea, rogat propheta pro populo dei: & quòd hæreditati suæ dicit, simile ei est quod legimus in Exodo: vbi Israelitas deus populum suum peculiarem, hoc est hæreditarium appellauit.

Et pasce eos. Simul mecum regnans.

Et extolle eos usque in seculū. Et extolle eos trophæis perpetuis. Illa etiam imprecatio superius facta: da illis domine secundum opera eorum, potest ad crucifixores Christi referri: qui omni prauitate imbuti, non intellexerunt miracula aut prodigia à domino facta. Qua propter & destructi sunt, & amplius non erecti: contra autem deus populū suum fortificauit & quæ sequuntur, &c. Et rursus etiā oratio ad Christum referatur, pro populo ex gentibus, qui illi in hæreditatem datus est, & quem pauit Christus atque exaltauit.

Psalmus ipsi Dauid egressionis tabernaculi.

Ἐξόδου σκηνῆς

Iuxta historiam hic psalmus præceptum quoddam cōtinet, ad sacerdotes & leuitas, de egressu tabernaculi, uel de egressu templi: quid scilicet illinc egressi sequenti die facere deberent: afferre nimirum filios arietum, masculos, nuper natos: & gloriam, per laudationes

tiones & psalmos: & honorem, per regulam & religionem: atque hoc in aula templi, & non alio in loco. Iuxta anagogicum uero sensum, intelligi potest de egressu à corpore, quod Apostolus tabernaculum uocat. Est enim corpus animæ tabernaculum. Admonet igitur hoc psalmo propheta quid facere debeamus, ut præparemur ad exitum ab hoc corpore. actiones etenim nostræ in hac uita, animæ tunc erunt uiaticum.

PSALMVS XXVIII.

Afferte domino filii dei, afferte domino filios arietum. Filij quidem dei apostoli sunt. Ita enim dominus appellauit eos dicens: ascendo ad patrē meū & patrem vestrum. Filij autem arietum, fideles ex gentibus, quorum parentes, ob errorem summum in quo erant, irrationales dici merito, & arietibus cōparari poterant. Admonet igitur apostolos propheta hoc psalmo, vt festinent adducere infideles gentes ad Christum. Ordo est, ô filij dei afferte domino filios arietum. Illa autem ingeminatio verbi, afferte: studium quoddam ac diligentiam non vulgarem adhibendam esse demonstrat. Vel aliter: filij quidem dei ij dicendi sunt, qui per baptismatis regenerationem Christo adoptati & ad virtutes initiati sunt: filij vero arietum ij, quos Apostoli per euangelij prædicationem genuerunt, nec dum ad integram perfectionem deuenerūt. Per arietes enim apostoli cōuenientissime intelligi possunt, cum & ipsi spiritualium ac rationabilium gregum suorum sint duces: quasi dicat propheta: vos ô apostoli, qui perfectiores estis, adducite eos ad deum, qui adhuc imperfectiores sunt, instruētes eos doctrina vestra. Hoc enim gratissimum deo est obsequium. Dictum enim legimus Petro: si diligis me pasce oues meas.

Afferte domino gloriam & honorem. Gloriam deo afferēt, canendo illi hymnos ac laudes: honorem vero, per timorem atque obseruantiam mandatorum. Nam si (vt Apostolus inquit,) per transgressionem legis deus inhonoratur, manifestum est, quòd per eius obseruationem honorabitur.

Afferte domino gloriam nomini eius. Per laudabiles nimirū actiones. Dictū enim legimus ad peccatores ex persona dei, nomen meum propter vos blasphematur in gentib⁹. Gentiles etenim cum bonam fidelis viri vitam ac conuersationem viderint,

viderint,incitantur vt deum noſtrum laudent tanquam verum virtutis doctorem:quòd ſi peruerſis moribꝰ fidelem viderint,deo ſtatim noſtro detrahunt,& vitiorum introductorem credunt:vnde in euangelio legimus:vt videāt bona veſtra opera, & glorificent patrem veſtrū qui in cœlis eſt. Afferte igitur domino laudem nomini eius: hoc eſt afferte ei laudem.

ἐν αὐλῇ *Adorate dominum in aula ſancta eius.* Per aulam ſanctam, olim ſynagoga intelligebatur, quæ erat in Hieruſalem: ſed poſt contumelias à Iudæis in Chriſtum illatas,facta eſt habitatio illa deſolata. Nouiſſime autem aula ſancta Chriſti, facta eſt chriſtianorum eccleſia ac fides, in qua propheticus ſermo adorandum eſſe dominum iubet,omnes alias illegitimas congregationes prohibens, & ſolem eligens fidem à Chriſto traditā. Intelligere etiam poſſumus per aulam, cœleſtem habitationem. Nam ij qui in hac vita plantati ſunt in domo domini,illic in aulis dei noſtri florebunt.

Vox domini ſuper aquas. Prophetia hæc eſt de voce quæ in Iordane ſuperne demiſſa eſt,quando Chriſtus baptizabatur,dicēs:Hic eſt filius meus dilectus, in quo cōplacui mihi.

τῆς δόξης *Deus gloriæ intonuit.* Ipſe pater vocem illam emiſit quam diximus. Tonitruum autē eam appellauit propheta, & quia è cœlo delata eſt, vnde veniunt tonitrua, & propter illius magnitudinem. Nam ab omnibus de facili audita eſt. Deum autem gloriæ dixit pro deum glorioſum, quemadmodum & alibi deus dicitur veritatis, deus vltionum, deus potētiarum, & deus miſericordiarum, pro eo quod eſt:deus verus, deus vindex,deus potens,deus miſericors. Idioma enim eſt veteris ſcripturæ.

Dominus ſuper aquas multas. Chriſtus nimirum in aquis fluminis Iordanis, & vbique per illas, aquarū naturam ſanctificans.

ἐν ἰσχύι *Vox domini in fortitudine.* In forti, inquit, ac robuſto aduerſus paſſiones atque affectus, homine, vox domini fit, roborans eum ac ſuggerens quæ neceſſaria ſunt.

Vox domini in magnificentia. Hoc eſt in magnifico eo viro,qui terreſtria ſpreuerit, & cœleſtia tantum meditetur: vt per fortitudinem quidem actiua, ac moralis virtus, per magnificentiam vero contemplatiua ſignificetur.

Vox

Vox domini,confringentis cedros. Cedrus aliquando in bonum accipitur:quia cedrina ligna immarceſcibilia ſunt,atq; imputrida, & earum materia denſa eſt atque odorata, iuxta illud:Iuſtus vt palma florebit,& ſicut cedrus in libano multiplicabitur: aliquando autem in malum;quia arbor eſt ſterilis atque inflexibilis,iuxta illud:vidi impium ſuperexaltatum atque eleuatum ſicut cedros libani. Hoc in loco igitur per cedros dæmones intelligit propter elationem ac ſuperbiam illam,quæ de cœlo eos præcipitauit. Vox,inquit,domini fit, quando conterit ac confringit dæmones. Punctus enim ponendus eſt, poſt dictionem, domini: vt intelligatur eſſe obliqua quædam conſtructio:qua loquendi figura,inferius etiam vſus eſt.

Et confringet dominus cedros libani. Libanus mons eſt Paleſtinæ regionis,altus,ac ferens cedros,idolorum templis relictum: vnde per cedros idolorum memoria ac lucos intelligit,qui in ipſo ſunt,per continens contenta ſignificans. Similia eſſe cedris videtur idola, propter eorū faſtigium, denſitatem,ac ſterilitatem. Prædicit igitur propheta hic, idolorum deſtructionem:per quæ omnium huiuſmodi delubrorū pariter euerſionem ſignificat.

τὸν μόσχον τοῦ λιβάνου *Et comminuet eas ut uitulum,libanum.* Et quemadmodū vitulum illum qui ab Hebræis in Choreb fabricatus eſt, comminuit ac diſſipauit deus per Moyſem, ſic etiam has cedros comminuet. Deinde punctus ponendus eſt, & per ſe legenda dictio,libanum:vt ſit ſenſus: quòd cōminuet eas cedros, ipſum nimirum totum libanum. Non enim vnam aut alterā illius partem ſed totum,atque in vniuerſum comminuet.

ὡς *Et dilectus ut filius unicornium.* De Chriſto ſermo eſt:qui dilectus quidem eſt vt vnigenitus. Ita enim eum pater appellauit dicēs:hic eſt filius meus dilectus. Vnicornium vero filius,veluti inuictus, atque inſuperabilis. Huiuſcemodi enim naturæ eſſe legimus id animal apud beatum Iob. Tu illud conſidera,quomodo dei filius agnum ſe,atque ouem appellari voluit, quando pro humani generis peccatis in ſacrificium ſe patri obtulit, iuxta illud: ecce agnus dei:item, quaſi ouis ad occiſionem ductus eſt. Filium verò vnicorniū, quādo vindicta opus fuit,& quando inimici poteſtatē deſtruendam prædicit. Dici etiam poteſt Chriſtus filius vnicornium,

veluti qui vnico ac singulari quodam modo,& tanquam homo genitus est,& tanquam deus. Quippe qui vt deus,ex patre generatus est,sine matre:atq; vt homo ex matre, sine patre. His igitur idolis, ac dæmonibus contritis, ac comminutis,Christus reddetur inuictus. Portæ enim inferni non pręualuerunt aduersus eum.

Πυρσεῖον, τος

Vox domini intercedẽtis flammam ignis. Subauditur etiam hoc in loco verbum fit. Prædicit autem propheta ea in primis quæ tribus pueris in fornace Babylonica contigerunt, vbi flamma intercisa spiritum roris sibilãtem susćepit: deinde autem quæ Christi martyribus. Intelligi etiam possunt hæc verba,vt pertineant ad sententiã dei in die iudicij,quãdo intercidet, & diuidet deus flammam ignis: & splendida, ac lucida ignis potẽtia iustis deseruiet. Caustica verò & adustiua in pœnam peccatoribus tribuetur.

Πυρσεῖσει

Vox domini concutientis desertum. Per desertum gẽtes intelligit,quæ omni diuina cognitione prorsus viduatæ ac desolatæ, quæque spirituali etiam doctrina ac prorsus virtute carentes,aridæ,ac steriles,deserti instar merito dici poterãt: quod desertum aduentu suo Christus concussit, commouẽs ac conuertens illud ad se,& arans aratro fidei.

Et concutiet dominus desertum Cades. Concutiet autẽ non omne desertum,sed desertum Cades: hoc est desertum sanctum, & segregatum, dignumque deo atque ei destinatum. Cades enim sanctum Græci interpretantur.

Vox domini præparans ceruos. Ex hoc loco aliqui cõtendunt,ꝙ verba illa,vox domini cõfringẽtis cedros,& alia huiusmodi non sunt defectiuę figurę loquẽdi,nec cõstructiões obliquæ,sed ꝙ sub aliã cadũt figurã, quæ genus ponit ꝓ genere,& casum pro casu,veluti cõterẽtis ꝓ eo quod est cõterens:& genus quidẽ ꝓ genere positũ est,masculinũ videlicet participiũ, pro fœmineo:quod ex lectione græca discerni potest,cum masculinũ & fœmineũ participiũ apud cos nunquã sit eiusdẽ generis:& casus ꝓ casu,genitiuus nimirũ ꝓ recto: per ceruos autẽ Christi discipulos intelligit. Nam quẽadmodum ceruus oẽs venenatorũ reptilium læsiones partipendit: quinimmo odoratu suo huiusćemodi quæq; animalia persequitur,ac vi spiritus oris sui ea attrahit,ac perdit: ita etiã oẽs Christi discipuli simile, à diuina gratia cõsecuti sunt potestatem,

statẽ,calcãdi nimirũ serpẽtes & scorpiones,& omnẽ inimici potentiã. Ipsa igitur saluatoris vox,discipulos oẽs ceruorum instar,ad prædicationis & virtutum cursum præparauit: illa inquã vox qua dixit: Ecce do vobis potestatẽ &c. Qua voce freti, ac cõfirmati, intellectuales serpentes odoratu spiritus persequentes perdebant: ea nimirum diuini verbi potentia, quæ à spirituali eorum ore profluebat.

Et reuelabit syluas. Per syluas, infructuosas ac syluestres gentiũ animas intelligit,in quib⁹ multiplices,atq; asperę passiones seu affectus,veluti ferę quędã,latebras atq; habitationes suas collocarãt:quas reuelabit deus, tenebrarũ densitatẽ auferens proprio sermone. qui(vt inquit Paulus)penetrabilior est omni gladio ancipiti,ita,vt feræ oẽs manifestæ fiant, & à ceruis,quos diximus,facillime capi possint. Illud autem animaduertendum est,quòd græca dictio δρυμὸς syluas pariter & condensa,seu densitatem significat. Solent enim syluæ densæ esse arboribus,& virgultis. Δρυμὸς

Et in templo eius omnes dicent gloriã. In tẽplo domini vbicunq; illud fuerit,non in Hierosolymis, aut Iudæi tantũ,dicent gloriã:hoc est laudẽ dei canent, & gratias ei agẽt, tanq̃ redẽptori ac saluatori:sed omnes credẽtes passim, ac fideles, vbicunque locorum fuerint:gloriam vero hanc tunc dicent, quando temporum opportunitas id postulauerit.

Dominus diluuium inhabitare facit. Per diluuium gentes intelligit, quæ in inundatione ac pelago passionũ ac humanorum affectuum demersæ erant: has,inquit,gentes,dominꝰ inhabitare faciet in regionibus ecclesię suæ. Vel per diluuiũ, sanctum baptisma intellige,quo peccata demerguntur:quod baptisma dominus inhabitare faciet in ecclesia.

Et sedebit dominus rex in seculum. Rex fidelium nimirum, atque eorum,qui baptismi lauacro purgati sunt. Data est enim mihi,inquit.potestas in cœlo & in terra. Sedebit autem positum est,pro manebit propter stabilitatem,quæ in sessione denotatur.

Dominus fortitudinem populo suo dabit. Populo christianorum scilicet qui sub dæmonum,ac passionum tyrãnide olim opprimebantur.

Dominus benedicet populo suo in pace. Oppressum bello populum roborabit, & in tempore pacis benedicet: hoc

est,gratia sua dignum faciet,per donum sancti spiritus. Vel benedicet,pro laudabit, tanquàm sibi placentem & gratum.

τῷ ἐγκαινισμῷ

Psalmus cantici renouationis domus ipsius Dauid.

Quid sit psalmus cantici in proœmio dictum est. De reliqua huius psalmi inscriptione uariæ sunt interpretum sententiæ. Aliqui enim dicunt per domum hoc in loco, intelligi animam ipsius beati Dauid, quæ prophetici charismatis quoddam erat habitaculum: & per renonationem domus, renouationem diuinæ gratiæ intelligunt, quando nimirum post adulterii, & cædis crimina, peracta pœnitentia dignus rursum effectus est, cui à domino prophetiæ donum restitueretur. Alii domum, fidelium ecclesiam esse dicunt: & per renouationẽ domus, renouationem illam intelligunt, quæ fit per regenerationem baptismatis. Alii item festiuitatem illam renouationi similem, quam Ezechias rex post Assyriorum profligationem in templo celebrauit. Templum quippe domus domini est: ita ut præsens psalmus, cui inscriptum est, psalmus cantici, renouationis domus, enunciet, quæ nam uerba dicta fuerint à beato Dauid, si ad eum uerba psalmi referamus, aut quænam uerisimile esset dici debere ab ecclesia, aut ab ipso Ezechia. unicuique enim eorum potest accommodari. Et quod ait ipsius Dauid, per se legendum est, ut authoris tantũ nomen exprimat.

PSALMVS XXIX.

EXaltabo te domine quoniã suscepisti me. Sed quonam pacto humilis homo eum poterit exaltare, qui excelsus est? confitendo nimirum ac prædicando, quòd altus is sit ac sublimis. Hac ratione magnificare etiam deũ quis dicitur, qui magnũ illum esse asseuerat, quẽadmodum contrà, is deum humiliat, ac deprimit, qui humilia ac vilia de eo loquitur. Suscepisti vero: hoc est sublimasti, atque alleuasti, auxilij nimirum tui manum supponẽs, cum peccatorum onere depressus iacerẽ.

Nec delectasti inimicos meos super me. Si de beato Dauid psalmũ exponis, per inimicos, eos intellige, quibus daturum se dẽus illius regnum cõminatus fuerat per prophetam Nathan: si de ecclesia, dæmones: si verò de rege Ezechia, Assyrios. Non delectasti autem, hoc est, non permisisti vt delectarentur aduersum me.

Domine

Domine deus meus clamaui ad te, & sanasti me. Non sero, inquit, me curasti. Vbi enim confessus est beatus Dauid delictum suum dicens: peccaui domino, statim ei dictum est à Nathan: abstulit dominus peccatum tuum. Ecclesia etiam pari modo quando baptismatis tempore deum inuocat, statim abluitur à peccatorum plagis: & beatus Ezechias sacco indutus, & supplicans ad deum, confestim liberatus est ab obsidionis plaga.

Domine deduxisti ab inferno animam meam. Siue exponas psalmum de beato Dauid, siue de ecclesia, per infernum intellige tenebras peccati. Vel his verbis, inferni destructionẽ & animarum liberationem significat. Quod si de Ezechia, tenebras formidinis. Solet enim formido tenebras generare.

Saluasti me à descendentibus in lacum. Eandem iterum aliis verbis repetit sententiam, quemadmodum mos est iis, qui de acceptis beneficiis gratias agunt, per lacum vero ineuitabile periculum intellige. Nam qui in lacum aut foueam incidit, illinc euadere non potest. Saluasti me, inquit, ab iis, qui descendunt in periculum: in periculum inquam animæ, si de ecclesia, aut de Dauid itelligas: sed corporale, si de Ezechia. Illud autem animaduertẽdum est, quòd quæ sequuntur, non omnia his tribus congruunt, sed aliqua tantũmodo: quędam vero omnino etiam sunt prophetica.

Psallite domino sancti eius. Vos ô iusti & virtute prædiți. Nam qui huiusmodi non sunt, tametsi psallant, domino non psallunt. Neque enim potest arbor mala fructus bonos facere, nec cor mortiferũ, ac cædibus plenũ, verba vitæ emittere.

Et confitemini memoriæ sanctitatis eius. Et gratias agite illius memorię, quòd nostrum, scilicet meminerit, quorum antea, ob delicta fuerat oblitus.

Quoniam ira in excandescentia eius & uita in uoluntate eius. Per iram, castigationem seu punitionem intelligit, & sensus est: quòd castigatio in excandescentia dei est, vita vero in eius voluntate: hoc est: quòd licet vt iustus puniat quotiẽs excandescit, vt misericors tamen, semper cupit ac vult misereri, ita vt alterum, quòd puniat, non ita ex electione dei esse demonstretur, sed casu quodammodo, propter hominum delicta: alterum vero quòd viuificet, ex natura eius esse appareat, & voluntarium: quemadmodum & alibi per

Ezechielem docet dicens: non volens volo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Præponit etiam propheta mœsta iucundis: eo quòd dulciora videantur bona quæ post tristia obueniunt. Simile est illud: ego occidam & viuificabo, percutiam & sanabo.

Ad uesperum demorabitur fletus & ad matutinũ lætitia. Sensus est, quòd pœnitẽtia de peccatis, celerẽ secum adducit veniam. Nam qui vespere sua fleuerit peccata, mane post modũ summa lætitia exultabit, aduentu nimirũ sancti spiritus cõsolatus est & hæc prophetia de apostolis, quibus post domini sepulturam vespere sabbati flentibus, mane, dominico die mulieres iucundum illud lætitiæ nuncium attulerunt, dominum resurrexisse asseuerantes. Ezechias autem & vniuersus populus, vespere in vnum collecti flebant, cum horrendas Sénacherib minas audissent, timẽtes se iamiam in inimicorũ potestatem peruẽturos: & mane summo gaudio affecti sunt, intelligentes, quòd ea nocte tot millia hostiũ fuissent ab angelo domini interẽpta. Demorabitur vero, hoc est, habitabit.

Αἰῶνα

Ego autem dixi in abundantia mea non mouebor in seculũ. Potest hoc tam Ezechiæ quàm beato Dauid accommodari, qui in tempore secundæ fortunæ arbitrari sunt eam stabilẽ semper futuram, & nunquam aduersam. Per abundantiam enim bonum, ac fœlicem statum intelligit, & per motionẽ, seu fluctuationem, conuersionem à stabilitate.

Domine in uoluntate tua præstitisti decori meo potentiam, auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ad eosdem possunt hæc verba pertinere. Illam, inquit, potentiam, quam pulchritudo seu decor meus antea habebat: illam nimirum claritatem atque excellentiam regni, non mea ego virtute, aut meis meritis, sed te sic volente habebam. Auertisti autem protectionem tuam à me, propter existimationem meam, & statim in turbulentiam atque calamitates versus sum.

Ad te dominum clamabo. Cõsecutus à te tempestiuum auxilium, ad te in futurum clamabo. Vtitur autem propheta sæpenumero hoc verbo, quando preces ex intimo emissas corde significat.

Et ad deum meum deprecabor. Eandem repetit sententiam. Vel, quod supra ait, ad te dominum, ad patrem dictum est: & quod nunc ait, ad deum, ad filium pertinet. Illum autẽ diem

prænunciare

prænunciare mihi videtur beatus Dauid, quo Absalon filius eum persecutus est, in qua persecutione deum inuocauit: vel diem illum, quo Ezechias factus est certior per prophetam, quòd sequenti die ei moriendum erat, quo audito statim deo pro vita sua supplicauit, clamabo, inquit, & precabor sic dicens.

Quæ utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem? Per sanguinem, propriam carnem intelligit, quæ sanguine concreta est. Quæ nam, inquit, est vtilitas in carne mea, ita aucta atque ornata, si ad putrefactionem deuenturus sum? satius esset nunquam natum fuisse. Naturam enim humanam vilipendit propheta hoc in loco, quasi mortalem & bre ui extinguendam: vnde alibi etiam ait, homo vanitati similis factus est.

Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit ueritatem tuam? Verba similia illis sunt: Non mortui laudabunt te domine, neque omnes qui descendunt in infernum, sed nos qui viuimus benedicemus domino. fidens enim in summa dei patientia ac longanimitate causam suam iustificat dicens: Nunquid puluis ille, in quem ego resoluendus sum, gratias aliquando tibi aget? Nunquid etiam ille, ignorantes docebit, quòd tu vere, ac verax deus es? illud quidem quasi reliqui dei falsi sint, alterum verò vt iussa, ac mandata tua perficiat. Melius est igitur vt adhuc præsenti vita fruar: si ob nullam priuata mei ipsius rationẽ, saltem ob illã vel maxime, vt glorificem te, & laudem, atque vt veritatem tuam prædicem.

Audiuit dominus & misertus est mei. Præuidens propheta affuturum sibi diuinum auxilium, illud narrat vt iam præstitum, audiuit, inquit, clamorem meum: hoc est, admisit orationẽ meam. nã qui non admittũtur audiri nõ possunt.

Dominus factus est adiutor meus. Audiens misertus est, & adiuuit me, eripiens à morte, quæ tunc impendebat.

Conuertisti planctum meum in gaudium mihi. Plangere idem est quod lugere, ac genas pectusq; percutere. verbũ enim plãgo, vnde plaga, idem significat, quod cædo seu percutio. eandem enim etymologiam seruat Græca dictio. Commutauit itaque luctum ac mœrorem meum in lætitiam.

κόπτω κοπετὸς περιέζωσας

Conscidisti saccum meũ, & præcinxisti me lætitia. Saccus pœnitẽtię, atq; humilitatis signũ erat. sacco enim indui solebãt,

 & cinere

& cinere caput aſpergi,ſi quando in maximam,atque incõſolabilem calamitatem inciderent, & ceſſante demum calamitate conſolati, ſaccum ſcindebant, & lætitiæ veſtibus induebantur. Cõſcidiſti itaque ſaccum,hoc eſt luctu me exuiſti,& præcinxiſti me: hoc eſt,induiſti lætitiam.

Vt cantet tibi gloria mea. Vt vita mea gloriã aſſecuta laudet te: aſſecuta dico gloriam,ob auxilium à te mihi præſtitum. vel aliter: per gloriam,mentem ſeu intellectum intelligit,quo maxime honoramur, cum ob illum ad imaginem dei facti eſſe dicamur.

Et non compungar. Pro non compungar Symmachus interpretatus eſt,& non taceam. ex eo enim quod præcedit,ſignificatum eſt quod conſequitur. compunctionem enim taciturnitas comitatur. vel aliter: non compungar,hoc eſt,nõ amplius peccabo: vt ex conſequenti præcedens ſignificetur. nam poſt peccatum ſequitur compunctio.

Domine deus meus in ſeculum confitebor tibi. Perpetuo,inquit,tibi gratias agam,cum huiuſmodi me ſalute dignum feceris. vel aliter: per totum hoc præſens ſeculum, gratias ſem per deo agit beatus Dauid, per ora,ac labia quorũcunque fidelium,qui illius celeberrimos pſalmos deo canunt.

ἐκστάσεως

In finem Pſalmus ipſi Dauid Extaſis.

In finem quidem ideo inſcriptũ eſt, quia prophetia hic continetur quæ ad finem tendit. Extaſis autem Pſalmus ideo dictus eſt,quia cõmutationem illam commemorat, quam paſſus eſt beatus Dauid poſt adulterium Berſabeæ, & cædem Vriæ. Extaſim enim rectitudinis tranſgreſſionem interpretantur. Compoſitus eſt autem eo tempore, quo Abſalon filius eum perſequebatur. Poſſumus etiam nobis præſentis pſalmi uerba accommodare, ſi loco Abſalonis & Achitophelis & aliorum inimicorum dæmonem principem, cum illius ſatellitibus & miniſtris intelligamus, & alia ſuo ſignificatu ſimiliter capiamus.

PSALMVS. XXX.



N *te domine ſperaui,non confundar in ſeculũ.* Eundem habẽt ſenſum hęc verba,quem & illa: deus meus in te ſperaui, nõ confundar in ſeculũ: quæ expoſuimus in ſecũdo verſiculo pſal. XXIIII.

In iuſtitia tua libera me, & eruc me. Indignus equidem

equidem ſum tuo auxilio: Ob tuam tamen iuſtitiam,qua iniquos omnes ac parricidas condemnas, libera me. Idem autem eſt hoc in loco liberare,quod eruere,ab inimicorum nimirum inſidiis,aut ab ipſa morte.

Inclina ad me aurem tuã. De inclinatione auris diximus in pſal. XVI. Ibi inclina aurẽ tuã mihi,& exaudi verba mea.

Accelera ut eruas me. Non tantum,inquit, libera me, ſed accelera vt id facias.

Eſto mihi in deum protectorem. Pro eſto mihi deus protector. Idioma eſt,& hoc Hebraicæ linguæ. vel ideo deũ protectorem dicit,quia antea quidẽ deus illi erat,at nunc in aduerſitatum tempore non ſimpliciter vt deum illum ſibi ad eſſe poſtulat,ſed etiam vt protectorem.

Et in domum refugii,ut ſaluum me facias. Vt ſalues me in tẽpore fugæ confugientem ad te, tanquam ad præſidium aliquod,& ad locum munitum,atque inexpugnabilem.

Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu. Quia vtraq; hæc quæ poſtulo,tu olim mihi præſtitiſti.nã & alias auxiliũ mihi tuum præſto affuiſſe,expertus ſum.

Et propter nomen tuum deduces me,& enutries me. Et confido,inquit,non ob meam virtutem, ſed propter nomen tuũ, quia nimirũ vocaris miſericors. deduces autem me ad locũ vitæ,abducens à periculis. & enutries me, in anguſtia neceſſariarum rerum conſtitutum. vel propter nomen tuum, circunloquẽdo dixit,hoc eſt propter te.

Educes me de laqueo hoc quem abſconderunt mihi. Per laqueum nunc conſilium intellige ab Achitophel, Abſaloni dãtũ vt ſtuderet quanto citius alicubi locorum concludere beatũ Dauid vnde euadere non poſſet. Abſconderunt autem eum: hoc eſt,ſecreto diſpoſuerunt,vt nimirum lateret. ſolent autẽ laquei clam diſponi. vel aliter: per laqueum, inſidias intellige,nuper à dæmone diſpoſitas.

Quoniam tu es protector meus domine. Rurſus ſoli deo auxilium ſibi preſtitum adſcribit, atq; hoc partim, vt acceptorum beneficiorum gratus exiſtat,partim vt perpetuitate ſermonis deum magis ad miſericordiam aduocet, dum nullum ſe alium in tantis periculis condignum habere adiutorem oſtendit. κύριε

In manus tuas domine commẽdo ſpiritum meum. Potẽtiæ tuę, inquit,

inquit,animã meam,hoc est me ipsum,seruandũ tradam, cũ in nullo alio confidam.per manus autẽ dei,fortitudinẽ illius intelligit.in manibus enim potentiã habemus & vires.

Redemisti me domine deus ueritatis. Sæpenumero enim me saluasti, à Goliath nimirum, à Saul,atque à multis aliis periculis.vel aliter: prædicit quòd saluandus esset. &, quòd ait: deus veritatis,expone,hoc est,deus verus: vt tradidimus in quarto versiculo psalmi. XVIII.

Odisti omnes obseruantes uanitates superuacue. Auertisti, inquit,eos omnes qui inania obseruant consilia, & quos cõmissorum scelerum non modo non pœnitet, sed in eis etiam confidunt,quales erant Absalon,& eius complices.Quod vero ait: superuacue,intellige,pro inutiliter ac superflue: eo φ inaniter ac procul à signo suo ictu feriant.

Ego autem in domino speraui. Non in astutiis vt illi sperãt.

Exultabo & lætabor in misericordia tua. Hac repetitione sententiæ, summam delectationem ac lætitiam demonstrare voluit, quæ futura erat. vel illa potest differentiæ ratio assignari,quam tradidimus, in tertio. Psalmi. IX. versiculo. In misericordia autem tua: quam nimirum facies erga me.nam ob ea quæ passus sum,misericordia tua me dignum puto.

Quoniam respexisti humilitatem meam. Humilitas aliquando pro ea virtute accipitur quæ directe opponitur superbiæ, aliquando autem,pro depressione, atque afflictione, vt hic. Confido enim,inquit,quòd ad contritionem atque ad miseriam meam respexisti, quam ab iis sustineo qui me persequuntur.oculi enim domini super iustos.

Saluasti de necessitatibus animam meam. Ecce quòd salutem suam iam prædicit, eam narrans quasi iam præstitam, atque hoc lege prophetiæ. vel aliter: antiqua commemorat beneficia: & per necessitates, infortunia ac pericula, & per animam suam, semetipsum intelligit. Accipitur enim sæpenumero anima pro ipso homine, iuxta quod legimus in Leuitico: omnis anima quæ comederit morticinum aut captum à fera, & ea quæ sequuntur. sicuti etiam aliquando caro pro homine accipitur: iuxta illud,ad te omnis caro veniet.

Nec conclusisti me in manibus inimicorum. Hoc per se clarum est.

Statuisti

Statuisti in loco spatioso pedes meos. Hoc est in ampla libertate,ab angustia nimirũ circundantium me inimicorum.

Miserere mei domine quoniam tribulor. Rursum ad propositum refugit solamen salutem suam accelerans, ob intensam diuinæ misericordiæ commemorationem.

Turbatus est in ira oculus meus. In ira tua nimirum. nam si ob commissa atque errata mea iratus mihi non fuisses, in tantam sanè nunquam concidissem miseriam. Quapropter turbatus est oculus meus, ob assiduas lachrymas. Nam quod LXX. dixerunt: turbatus est, Symmachus reddidit caligauit.

Anima mea & uenter meus. Anima quidem ob summam mœstitiam & tædium,venter verò quòd cibum non recipere.Possunt hæc etiam iuxta Anagogicum sensum intelligi: & oculus quidem sumi pro intellectu, vt diximus in psalmo VI.Et anima pro spe,quæ pusillanimes refrigerat, & venter pro memoratiua, vt ita dicam,illa animæ parte, in qua rationalis cibus reconditur.

Quia defecit in dolore uita mea, & anni mei in gemitibus. A communi sensu sumenda sunt verba illa: Miserere mei domine.quia præ nimio dolore defecit vita mea,& præ acerbis gemitibus,anni mei: hoc est,dies vitæ meæ defecerũt. Idem enim significat vita mea, quod, anni mei. Idioma est etiam peculiare apud sacram scripturam: quo,quis in summo dolore constitutus appellare se mortuum soleat: propter imbecillitatem videlicet virium corporis.

Infirmata est in paupertate fortitudo mea. Propter paupertatem hic,inediam & ieiuniũ intelligit: quod ex ipsa etiam historia conspici potest.

Et ossa mea conturbata sunt. Mota sunt à fortitudine, & soliditate illa,quam habebam,non valentia amplius, vt antea, me sustinere.fortitudo etiam pro virilitate animæ accipitur: iuxta quod per paupertatem, hic eam intelliges,quam quis patitur cum derelinquitur à deo, & per ossa, solidas atque constantes cogitationes.

Supra omnes inimicos meos factus sum opprobrium. Expro- παρὰ
brant enim mihi omnes,atque obiiciũt ignauiam, veluti qui πάντας
ob propria peccata aufugerim ac victus sim.

Et uicinis meis ualde. Ipsis etiam gentibus, regni mei finitimis,

timis,in ſummo opprobrio habitus ſum , quæ cum antea felicitatibus meis inuiderent,modo infortunium, ac calamitatem meam vehementer mihi exprobrant.

Et timor, notis meis. Verentur enim ne ob familiaritatem, atque amicitiam qua mecum coniuncti ſunt , periculum aliquod ſuſtineant.

Qui uidebant me , foras fugerunt à me. Conuerſi ſunt à me, inquit,ne ſuſpitionem aliquam iniicerent ſe mihi adhærere. Illinc quippe imminere eis periculum poterat.

Obliuioni datus ſum, tanquam mortuus, à corde. A corde, inquit , amicorum meorum obliuioni datus ſum , hoc eſt mei obliti ſunt , veluti hominis iam mortui . Ob ineuitabilem enim interitum ꝙ mortuo exiſtimatus ſum,vel eo pacto, quo mortuus quis in obliuionem proiicitur , & ego obliuioni datus ſum , verentibus nimirum amicis meis, ne in aduerſariorum meorum ſuſpitionem venirent.

Factus ſum quaſi uas perditum. Quemadmodum vtile eſſe videtur omne vas,ſeu inſtrumentum, donec integrum ac ſaluum eſt,& contra,inutile efficitur,atque è memoria hominũ labitur,ſi diſperditum ſit,ita etiam de me dici poteſt.

Quoniam audiui uituperationem multorum habitantium in circuitu. Hoc in loco etiam à communi ſenſu ſumendum eſt,verbum,miſerere. Quia propriis auribus,inquit,vituperari me à multis audiui,atque inter cæteros à Semei,qui fugientem me Abſalonis inſidias conuitiis,& calumniis inſecutus eſt.

Dum conuenirent ſimul aduerſum me,accipere animã meam conſiliati ſunt. Inimici mei in vnum aduerſum me congregati conſilium inierunt , vt animam meam auferrent à corpore. Nam quod ait in me , intelligendum eſt , in corpus meum. Hoc autem dicit de conſilio ſuggeſto ab Achitophel. Reſciebat enim omnia beatus Dauid à Sadoch , atque ab Abiathar ſacerdotibus,vt legimus in libris Regum.

Ego autem in te domine ſperaui. Illi quidem,inquit,hoc pacto ſe habent,ego vero in te vno confido.

Dixi tu es deus meus. Qui mihi ſcilicet , robur ac potentiam præſtas.ita enim ſibi vult hoc in loco dictio illa, Deus: verum tu,vt lubet,inquit,omnia quæ ad me pertinent diſpenſato.

In manibus tuis ſortes meæ. Sortes meæ,mortis nimirum & vitæ

vitæ meæ:vel ſortes,ſecundæ atque aduerſæ fortunæ. Hæc enim omnia, in poteſtate tua ſunt . Per manus etiam poteſtatem intelligere debemus. Dominus enim mortificat & viuificat, humiliat & exaltat . Quamobrem te volente aut victor viuam,aut victus moriar.

Libera me de manu inimicorum meorum , & à perſequentibus me. Noui quòd tu non vis mortem meam, & ꝙ à tanto facinore abhorres vt occidar à filio . Filius enim meus eſt qui mortem mihi inferre conatur . Sæuitiam præterea inimicorum ſuorum in hoc vel maxime oſtendit,dum ſatis non fuiſſe eis ſignificat, ꝙ ipſum regno expuliſſent, ſed addit : quòd fugientem etiam perſequebantur.

Oſtende faciem tuam ſuper ſeruum tuum. Oſtende , hoc eſt conuerte. Auertere quippe eam videris , quotiens ob peccata mea ceſſas mihi opem ferre. Per faciem autem dei, illius viſitationem atque cuſtodiam, ſeu etiam beneuolentiam intelligit. Ἐπίφανον

Saluum me fac in miſericordia tua. Si non propter me,ſaltem ob miſericordiam tuam. De te enim dixiſti in libro Leuitici: Ego miſericors ſum.

Domine non confundar, quoniam inuocaui te. Simile eſt quod legimus pſalmo vigeſimoquarto. Non confundar , quoniam ſperaui in te.

Confundantur impii & deſcendant in infernum. Achitophelem impium appellat,veluti qui legem de parricidio non eſt veritus,dum filium irritauit aduerſus patrem, atque inſurgere in eum fecit. Aliqui autem dicunt,verba hæc formam quidem imprecationis habere, ſed vim tenere prophetiæ , atque prædici ea quæ paſſurus erat Achitophel, qui ſumma refertus confuſione, quòd conſilium Chuſi ſuo præpoſitum fuiſſet,laqueo ſuſpẽſus ſeipſum interemit. Multiplicib⁹ vero vere beatus Dauid,aduerſus inimicos ſe impugnantes diuinam aduocat indignationem,primum ea ratione,vt caſtigati meliores redderentur . Percute enim, inquit, argentum reprobum,& purgabitur . Secundo , vt in hac vita tormentis affecti,in futura ab æternis pœnis liberentur . Tertio,vt poſteri hoc pacto moderatiores fierent . Sceleſtus enim videns ſibi ſimilem cædi,eruditur . Quarto vt præſens vita ab huiuſmodi peſtilenti vitio liberetur. Quinto ne alij addantur:cernen-

tes

tes nimirum ac veluti plagas illis illatas. Sexto ne quis illud dicere possit: non est salus illi in deo eius.

Muta fiant labia dolosa quæ loquuntur contra iustum iniquitates in superbia & despectione. Per labia dolosa Achitophelis labia intelligit, veluti quæ antiquum dolum eousque occultauerant, & quæ muta facta sunt, quia paulopost enectus est. Iustum autem seipsum appellat, eo quòd nec Absalonem iniuria vnquam affecerat, nec Achitophelem, aut alium ex eorum sociis. Per iniquitatem vero, eorum consilium intelligit, quo filium aduersus patrem iritabant. In superbia etiam addit, quia iactabat Achitophel nocte illa sese impetũ facturos atque interempturos Dauid, vt habetur in libris Regum. In despectione similiter, quia opprobrio ac contumelia eum affecerat.

Ἐξουδενώσει

Quàm magna multitudo bonitatis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te. Quàm magna pro valde magna. Philosophatur autem Propheta, modo longanimitatem Dei, modo vindictam admirans, atque ait: Quòd valde ampla est diuina benignitas, quam tamen ad tempus abscondit seruis suis, vt illorum patientiam exerceat, dum diutius differt illis præsto esse.

Χρηστότητος

Perfecisti iis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Implesti ac manifestam fecisti bonitatem tuam, iis qui in te sperant: quandoquidem notum eis facere voluisti, ꝙ tibi gratos viros non deseris. Et quod ait: Filiorum hominum, intellige, vt declarauimus in tertio versiculo quarti psalmi.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ. Varia auxiliorum dei genera commemorat, & quomodo, timentes eum, à quocunq; liberat periculo. Nam si ab inimicis, inquit, exquirantur, tu abscondes eos in abscondito faciei tuæ, hoc est in abscondito loco tuo. Est enim quædam circunlocutio.

A perturbatione hominum proteges eos in tabernaculo. In perturbationis seu contentionis tempore, tu proteges eos, inquit, in tabernaculo protectionis tuæ. Vel tu tabernaculi instar eos proteges.

A contradictione linguarum. A communi sensu sumendum est verbum proteges. A contradictione autem linguarũ, hoc est à contradictione populi. Per linguam enim ipsos loquentes, & per contradictionẽ, subditorum inobedientiã intelligit.

Benedictus

Benedictus dominus quoniam mirificauit misericordiam suam in ciuitate munitionis. Per munitionẽ, seu (vt magis sonat Græca dictio πόριοχὴ) per ambitum mœnia ciuitatis intelligit: vnde ciuitatem munitionis seu ambitus, ciuitatem appellat, mœnibus circundatam. Laudandus, inquit, maxime deus est, qui misericordiam suam in me notam omnibus, atque admirabilem fecit, ita vt ciuitas bene munita appellari possim: eo quòd propter summam in me dei custodiam, inexpugnabilis sum, instar ciuitatis bene munitæ.

πόριοχῆς

Ego autem dixi in ecstasi mea, proiectus sum à facie oculorum tuorum. Per ecstasim, vt superius diximus, transgressionem atque auersionem intelligit, à recta via mandatorum dei. Eo, inquit, tempore, quo deliqui, adulterium illud, & cædem cõmittens, ac deinde ad pœnitentiam conuersus sum, dixi me deinceps proiectum esse à præsentia, & conspectu protectionis tuæ.

Propterea exaudisti uocem deprecationis meæ dum clamarem ad te. Ob pœnitentiam, & contritionem meam exaudisti me clamantem ad te. Confidebam enim, quòd auxilium mihi esses præstaturus.

Diligite dominum omnes sancti eius. Diuinum Propheta sentiens auxilium, sanctos alios, & virtute præditos exhortatur, vt diligant dominum: neq; hoc simpliciter, sed ex toto corde. Quod ex sequentibus significauit, dicens.

Quoniam ueritates exquirit dominus. Veras scilicet dilectiones atque ex corde.

Ἀληθείας

Et retribuit iis, qui abundanter faciunt superbiam. Hoc vt prędiximus propter Achitophelem dictum est. Cum iis igitur, qui simpliciter superbi sunt, Dominus longanimis est: cum iis vero qui nimij sunt in eo vitio, condigna (nec sero) delictis retribuit supplicia.

Viriliter agite, & fortificetur cor uestrum, omnes qui speratis in domino. Adiuuabit proculdubio dominus vos, & non despiciet. Nam qui in illum confidunt, non confunduntur. Consona autem hæc sunt iis, quæ habentur in fine psalmi vicesimisexti.

Psalmus ipsi Dauid intelligentiæ.

Συνέσεως

Intelligentiæ

Intelligentiæ inscribitur,uel,quia multa erat Propheta plenus intelligentia,quando hunc psalmum composuit,uel,quia ob profundissimos psalmi sensus, lectori multa opus est intelligentia, uel, quia lectorem erudit atque intelligentem reddit. Admonet quippe eum dicens: Nolite fieri sicut equus & mulus, *in quibus non est intellectus. Conscripsit etiam beatus Dauid hunc psalmum post commissum adulterium,& cædem:ob quæ cum in uarias incidisset calamitates,uarios etiam psalmos conscripsit,illa deplorans peccata. Vtilis etiam erit hic psalmus,si iuxta Anagogicum sensum intelligatur.*

PSALMVS XXXI.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Cum post commissa à se delicta, multos pertulerit labores, beatos nunc illos fore dicit, quibus absque vllo labore contigerit, propria abluere peccata:illos nimirum significans, qui lauacro baptismatis hoc fuerint remissionis donum consecuti. Et quia ex iis,alij ex Gentibus futuri erant,alij ex circuncisione,iniquitates quidem quæ Græca dictione ἀνομίαι dicuntur,ad gentes referendæ sunt,veluti quæ ἄνομοι hoc est exleges erant,& omni prorsus carebant lege:peccata vero ad Iudæos,qui sub lege erant. Peccatum enim neglectus est,aut contemptus legis.

Beatus uir cui non imputauerit dominus peccatum. Cui ea ratione peccatum non adscripserit, quòd per regenerationis lauacrum ablutum iam,ac penitus deletum sit. Peccatum autē indifferenter posuit pro culpa.

Nec est in ore eius dolus. Nec post baptisma mentitus est, aut violauit pacta,quæ cum deo habet. Dolum enim hic pro mendacio intelligere debemus. Profitetur enim is,qui baptizatur,operibus dæmonum renunciare,& Christi mandatis se adiungere.

Quoniam tacui. Beati isti sunt,ego vero plangendo fatigatus silui.

Inueterata sunt ossa mea,dum clamarem tota die. Hæc fuit silentij causa. Per ossa autem vires suas intelligit. Ossa enim corpus sustinent,ac stabilem reddunt. Inueterata autem sunt, hoc est infirmata, ac debilitata. Nam quod antiquum est,debilius fit. Infirmatæ,inquit,sunt vires meæ. Tota vero die,dicit pro semper, atque assidue. Quotiens enim in tentationes incidebat,

incidebat,totiens suum lugebat peccatum, quasi omnis illinc vitæ suæ inæqualitas defluxisset, & quia pro delicto cædis, & adulterij,mors illum in pœnam manebat,mortem quidem propheta Nathan ei remisit, quando proprium peccatum suum ingenue confessus est. Dixisse enim illum ei legimus, non morieris, domesticas tamen calamitates ei comminatus est,in quas modo,cum se cerneret incidisse,flebat,ac lamentabatur.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua. Hæc est rursum clamoris causa. Manum autem hic ponit pro puniendi potentia. Manu enim castigare solemus, quæ grauata est, hoc est grauiter delata. die vero ac nocte, dixit, pro perpetuo.

Conuersus sum in miseriam dum configitur mihi spina. Peccatum spinam appellat, veluti non interius sed exterius penetrando adnatum,& veluti pungens ac dolorem inferens. Infixa mihi igitur hac spina peccati omnia quæ secunda mihi olim erant,ac prospera,conuersa sunt in miseriam. Ἐις ταλαι πωρίαν ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι

Iniquitatem meam cognitam tibi feci,& peccatum meum non abscondi. Ne obmurmurare Propheta aduersus deum videatur,sermonem mutat, & exponit quomodo misericordiam à deo consecutus sit. Cum Nathan,inquit,sub alia persona delictum meum mihi narrans confinxisset, ac deinceps addidisset:tu es de quo hæc dicuntur, indicaui statim ego delictum meum,nec negaui. Iniquitatem autem eam intelliges,quam & peccatum appellauit. Ἀνομίαν μου Ἁμαρτίαν

Dixi annunciabo aduersum me iniustitiam meam domino. Cognoscens me condemnationem euitare non posse, dixi intra me ipsum id quod eram facturus,& statim confessus sum dicens,peccaui domino. Ἐξαγορεύσω

Et tu remisisti impietatem cordis mei. Per Nathan scilicet prophetam dicentem, & dominus abstulit peccatum tuum. Cordis autem impietatem ideò peccatum appellat, quia in corde suo nullas veritus fuerat leges, à deo latas,de homicidio,aut de adulterio. Remisisti autem, hoc est,pepercisti. Aliqui dubitant,quomodo si remissum ei fuerat peccatum,grauatam postmodum esse dicat super se manum dei,& dicimus quòd postquam beatus Dauid causam illam à propheta Nathan confictam rectè intellexisset & seipsum,quòd deliquisset,

ſet non mortis tantum, ſed noxæ etiam reum eſſe iudicaſſet: mors quidem ei ſtatim remiſſa eſt, ob promptam atq; humilem cordis confeſſionem, damnũ vero ab eo exactum eſt, per ſubſecutas calamitates, iuxta propriã ſentẽtiã, ne tam celeriter, atq; in totũ liberatus, tantum facinus, ac tantũ beneficiũ obliuioni facili⁹ mãdaret, & rurſus in eadẽ incideret delicta.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. Pro hac, hoc eſt ab hac iniquitate mihi remiſſa, pius, ac religioſus vir quilibet inſtinctus rogabit te. Vbi enim innotuerit, remiſſum mihi fuiſſe peccatum, ſtatim, vt confeſſus ſum, imitabuntur me deinceps pij omnes in tempore pœnitentiæ. Hoc enim pœnitentiæ tempus, quaſi idoneum, ac commodum, opportunum tempus appellauit. Eritque hæc remiſſio exemplum omnibus pœnitentibus: quos ideo vocauit ſanctos, quia impij atq; omnino perditi ij ſunt, quos nulla duci contingit pœnitentia. Poſſumus & aliter dicere: quòd tradatur prophetia de fidelibus, qui tempore opportuno, hoc eſt poſt prædicationem Euangelij, dum eos beati Dauid pſalmos canunt, qui illius peccata commemorant, pro eorum remiſſione ad deum quodammodo orare videntur.

Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Dictio verumtamen hoc in loco pro copulatiua coniunctione ſumenda eſt, vt ſit ſenſus: ꝙ & in inundatione tentationum, (per aquas enim hoc in loco tentationes, ac calamitates intelligendæ ſunt, quemadmodum & alibi, libera me de aquis multis) quòd in huiuſmodi inquam inundatione nullæ aquæ ad eum approximabunt, qui ſic confeſſus fuerit, & cui hac ratione remiſſa fuerint peccata. Approximare autem ſeu appropinquare hoc in loco, idem eſt quod attingere & lædere. Vel per diluuium, baptiſma intellige, quod in aquis fit, & peccata abluit. Aquas vero baptiſmatis multas appellat, conſiderata potius qualitate, ac potentia ſpiritus, quàm vndarum quantitate: quo pacto dicere ſolemus: ventum multum, hoc eſt validum. Orabit igitur, inquit, ad te, verum in baptiſmo ad eum non approximabunt peccata: illic nimirum demerſa, ac deleta.

Tu es refugium meum à tribulatione quæ circundedit me. Ab hac etenim, ad te confugio tanquam ad gaudium, & lætitiam.

Exultatio

Exultatio mea erue me à circundantibus me. Opportuna eſt hæc inuocatio, tu, ô deus, inquit, qui es gaudium meum, eripe me à tentationibus, quibus quodammodo circundatus detineor, ſeu viſibiles ſeu etiam inuiſibiles inimicos intelligas.

DIAPSALMA.

Intellectum tibi dabo, & ſimul accedam in uia hac qua gradieris. Diapſalma hoc in loco mutationem indicat conſequentiæ ſermonis. Verba enim quæ ſequuntur ex perſona dei proferenda ſunt, reſpondentis ad prophetam, cui ſoli auditus eſt: ego te prudentem faciam, ad hoc, vt inimicorum ſuperior euadas, & ſimul tecum veniam in hoc itinere, quo ad bellum accingeris. Καὶ συμβιβῶσε

Firmabo ſuper te oculos meos. Non ſimpliciter, inquit, ego te aſpiciam, ſed conſtanter atq; indeſinenter te obſeruabo, eorum inſtar qui in bello alicuius curam ſuſcipiunt, & oculos in eum firmant, vt periclitanti ſubueniant, ac præſto adſint. Alibi ſæpe diximus, quòd ſcriptura ab humanis affectibus: aut moribus ſæpenumero diuinas actiones deſcribit, auditorum imbecillitati condeſcendens.

Nolite fieri ſicut equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus. Admonet nos beatus Dauid ex iis, quæ ipſe paſſus eſt: nolite, inquit, amore mulierum furere, veluti infrenes equi, nec ad virtutem infructuoſi fieri, vt muli. Illi, quid bonum, aut quid malum, quid honeſtum, aut quid turpe ſit, ignorant: quia ratione, vt vos donati non ſunt. Equi præterea hinniunt ad voluptates, & muli ſemina virtutis nulla concipiunt, nec fructum aliquem producunt: & hoc partim quidem malitiæ cauſa qua imbuti ſunt, partim vero inertia, quam ad exercendas virtutes præ ſe ferunt.

In camo, & freno maxillas eorum conſtringas, qui non approximant ad te. Cum equi ac muli meminerit, non temere perſtans in tranſlatione, frenum addit. & contra eos imprecatur, qui irrationabiliũ huiuſmodi animalium inſtar procul abſunt à deo. Angas, inquit, domeſq;, ac premas eorum hominum maxillas, qui per virtutum ſemitam ad te propius non accedunt. Camus, & frenum, idem ſunt, & iuxta Græcarum dictionum etymologiam, alterum ſic dicitur, ꝙ ceruicem deflectat, alterũ vero, ꝙ in os mittatur. Per frenũ etiã illa poteſt

Ἄγξαις Κημὸς ὡς κάμπτων αὐχένα χαλινὸς ὡς χαλῶμενος εἰς τὸ στόμα

 diſciplina

disciplina intelligi,quam tentationes docent. A maxillis autem totum hominem significat,veluti à parte totum. Contra huiuscemodi igitur homines ideo Propheta imprecatur,quia post sui exemplum inexcusabiles esse eos censet. Alij etiam dicunt verbum,angas,optatiui quidem modi esse, sed in hoc loco accipi debere pro futuro.

Multa flagella peccatoris. Hoc,inquit, dico: cognoscens, meo exemplo,ꝙ multæ castigationes peccatorem manent.

Sperantem autem in domino misericordia circundabit. Quod si quis post flagella cor suum,ac spem suam,vere ad deū conuertat,is omnino etiam misericordiam consequetur.

Lætamini in dominū & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Cum in superioribus infirmos omnes admonuerit, nunc fortiores etiam exhortatur: quos ideo iustos vocat, ꝙ iuste viuant, & rectos ob vitæ rectitudinem. Lætamini,inquit, exultate & gloriamini, non de vestris virtutibus. Infirmæ enim sunt, nisi conseruentur à deo: sed in ipso solo domino, qui adiuuat, ac protegit vos. Nam & ego olim in virtute confidens, lapsus sum. Differentiam autem lætitiæ & exultationis prædiximus circa finem expositionis psalmi tertiidecimi. Tametsi sæpenumero idem æque significant. Et quod ait in dominum, indifferens est constructio pro in domino.

Psalmus ipsi Dauid sine inscriptione apud Hebræos.

Apud Hebræos hic psalmus caret inscriptione, & uidetur mihi continere pertinentia ad tempora regis Ezechiæ,atq; exhortari sanctos,ac probos uiros,ut deum laudent,quòd Assyrios inuisibiliter destruxerint,tametsi possit etiam nobis omnibus accommodari.

PSALMVS XXXII.

EXultate *iusti in domino.* Quid sit exultatio iam prædiximus. Per iustos autem hic,virtute præditos viros intelligit, quos nulla alia in re exultare iubet,q̃ in domino,qui solus & vere adiuuat & victoriam præstat. Neq; enim aut fortitudo,aut exercitus,aut diuitiæ,aut mœnia aliquid tunc illis profuerunt.

Rectos decet laudatio. Per exultationem enim laudationē significauit. Nam qui aliqua in re exultat,omnino eam laudat:&

dat:& quia solis viris virtute præditis exultationem huiusmodi,ac laudationem apposuit,causam statim addidit dicens:ꝙ eos præcipue decet, vt deum laudent,qui recte, ac duce ipsa viuunt virtute. Neq; enim,vt alibi dicitur,formosa est laus in ore peccatoris,nec pes obtortus recto congruit calciamento: rectus autem est dominus deus noster, & rectitudines vidit vultus eius. Contra vero diabolus obliquus ac tortuosus est, vt serpens:atq; ideo sui similibus delectatur.

Confitemini domino in Cithara, in Psalterio decem chordarum psallite ei. Antiquis lex erat vt deum laudarent in Cithara & in Psalterio atque in aliis musicis instrumentis, quemadmodum in procœmio operis tradidimus, docentes quam nam differentiam habeat Psalterium ad alia musica instrumenta. Iuxta Anagogem per Citharam,quæ inferne pulsatur,ipsum possumus corpus intelligere. Qua (vt inquit Magnus Basilius)in Cithara,atq; in Lyra æs inferi⁹ resonat ad plectrum. Confitemini igitur domino, hoc est gratias ei agite, vos nimirum, quicunque ab intellectualis Assyrij obsidione admirandè liberati estis: & primum quidem ipso corpore, ieiunando,flendo,humi cubando,psallendo etiam,hoc est,canendo:si qua præterea alia sunt dona:quæ ad moralem pertinent virtutem,& quibus agi possunt gratiæ deo,hæc omnia deo offerte. Per psalterium autem intellectus significatur,quia quēadmodum in Psalterio decem chordæ intenduntur, quæ soni,seu vocum causas superne habent,vt alibi diximus,ita intellectui nostro decem adiacent legalia præcepta,superne nobis à deo (vt ita dicam) insonata, quæ qui obseruauerit, per illorum symphonias,atque concentus spiritualem, atque intellectualem cantum deo canet. A cithara igitur accedite ad Psalterium, & per contemplandi virtutem,psallite cum intelligentia quæcunq; canitis.

Cantate domino canticum nouum. Iuxta historiæ sensum, nouum canticum dicit,veluti de recenti,ac nuper compositum, ob admirandum nimirum dei opus quo à tam grandi fuerant Assyriorum obsidione liberati:iuxta Anagogem vero, Christianorum cantus intelligit, quoscunque scilicet fideles composuerunt: qui noui sunt comparatione antiquorum mandatorum.

Bene psallite ei in uociferatione. Vociferatio est ingemina

ta militum ἐμ ἀλα- λαγμῷ

ta militum vox, quæ aduersus hostes audaciam præstat. Per huiusmodi vero vociferationem confidere nos admonet, dicens: psallite iubilanti voce, ac fiduciam præstante, postquam hostes omnes territi, atque in fugam conuersi sunt. Quod vero ait, bene psallite, idem est quod sublimiter, seu egregie, atque ex tota anima.

Quia rectum est uerbũ domini, & omnia opera eius in fide. Rectus est, inquit, sermo domini, quẽ per Esaiam prophetam de dissoluenda obsidione significauit. Ecce enim q̃ opa quæ dominus cõtra Assyrios fecit, fidẽ præstant & confirmant illius sermonẽ. Vel aliter: Omnia in vniuersum opera domini, in fide esse dicuntur: quia quoscunq; ea cernẽtes mouent ad fidẽ, vt credant in opificẽ ac creatorem deũ. Nam (vt alia omnia omittam) nonne vel vnicus apis aculeus, qui fistulæ in morem factus est, ita vt per eũ (tametsi alioquin tenuissimus est) Apis venenũ effundat, abunde docere nos potest, q̃ nõ fortuito aut ex sese, sed quod diuina vi tãta tenuitas fuerit cõcauata? Et aliter: Rectum est noui testamenti, ac saluatoris nostri verbũ, nihil obliquũ, nihil dissolutũ habens, vt vetus lex. Præterea & quæcunq; opera olim fecit dominus, dum cõuersare tur in carne, fidelẽ reddunt eius sermonẽ, dum sibi consona sunt & aliis credẽda: vt pote vera & quibus cõtradici nõ possit. Vel aliter: Per verbũ, ipse filius intelligẽdus est, qui rectus est, & via non errans, ac veritas. Ego enim sum, inquit, via & veritas. Omnia etiã signa quæcunq; fecit, ob videntiũ, & auditorum fidem, facta sunt, vt scilicet crederent in ipsum.

Diligit misericordiam & iudicium dominus. Vide quomodo misericordiam præponat iudicio, vtque eam deus magis diligat. Hac etenim ratione in peccatoribus deus, primum expectare ab eis solet, an pœnitentiam agant: quia nimirum misericors est. Deinde, si immedicabiles permanserint, eos castigat, quod pertinet ad iudiciũ. Vel, quia cuicunq; iudicio suo deus misericordiã commiscet, iuxta illud: Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit? vel misericordiã quidem diligit deus in iis, quos castigando erudit ac dirigit, iudicium vero: in iis, qui peruersi atque incorrigibiles perseuerant. Vel misericordiam diligit, in præsenti seculo. Non veni enim, inquit, vt iudicem mundũ, iudicium aũt in futuro. Simile est etiã quod alibi legimus: misericordiã, & iudicium

cantabo

cantabo tibi domine: hoc est, misericordiã, & iudiciũ, in cãticum tibi, ac laudẽ cõponam: narrans, nimirũ quomodo misericorditer iudicas, vt prædiximus. Cõmiscetur enim misericordia iudicio, & iudiciũ misericordiæ, ne misericordia laxitatem, ac mollicie, néve iudiciũ desperationẽ generet. Quòd si psalmũ referas ad tempora Ezechię, dic q̃ dominus miserat⁹ est obsessam Hierusalem, & quòd iudicio suo Assyrios iniuste obsidentes condemnauit.

Misericordia domini plena est terra. Omnium enim miseretur deus, impiorum etiam, ac se deum abnegantium. Nam alioqui, si misericordia non vteretur, quomodo fineret eos viuere? credentium tamen semper magis miseretur, & impiorum minus. Vel per misericordiam domini, euãgelij prædicationem intellige, quod misericordia plenum est, atque ex misericordia creatoris nostri dei nobis datum, & quo iam plena est tota terra ob disseminatam vndique apostolorum doctrinam. Sermonem autem suum deinceps mutat in laudem, narrans mirabilia dei, & dicens.

Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis potentia eorum. Videntur quidem hæc verba, idem æque significare. Dixit enim deus de vno quoq;, fiat, & factum est. Verbum præterea, oris spiritus est aerem verberans: & qualis est oris spiritus, qui aerẽ verberat, tale est & ipsum verbũ. Similiter firmamentum, ac potentia, pro eodem sumuntur. Cœli enim difficile corrumpuntur, firmique, ac stabiles sunt. Sed iuxta altiorem sensum, (quo dicere possumus, beatum Dauid hoc in loco de sancta Trinitate philosophari,) per dominũ, patrem intellige: & filium, per verbum: & per spiritum oris eius, spiritum sanctum: quem ideo spiritum oris eius appellauit, vt eiusdem eum ostenderet esse substantiæ cum illo à quo emittitur: & quòd non creatus esset aliunde. Per cœlorum verò potentiam, cœlestes angelorum potentias intellige. Illud tamen aduerte, quòd non separatim filius homines creauit, & spiritus angelos: Sed filius quidem omnia in esse produxit. Omnia enim, inquit, per ipsum facta sunt. Sanctus verò spiritus angelos sanctificauit, postquã creati sunt: quàm ob causam, non de facili mouentur ad malum. In bono confirmati angeli nullo modo mouẽtur ad malum, cum ab initio statim, ipso sancto spiritu, veluti tinctura quadam con-

δωάμις

solidati ac corroborati sint.

ὡς σὲι ἀσκὸν *Congregans quasi utrem aquas maris.* Subintelligenda est præpositio in, vt sit ordo: quòd cõgregat quasi in vtrem. Congregat, inquit, aquas maris in terrę cõcauitates, quasi in vtré. Vel aliter: congregat aquas maris, quasi vtrem: hoc est, instar vtris, tumentes nimirum non secus atque vter, ventorum vi, & pari modo remissas, cessantib⁹ ventis. Vel per vtrem, humorem intelligit, qui in vtre continetur, à continente, contentum ipsum significans: vt sit sensus: cõgregans aquas maris, eo modo quo humor aliquis in vtre continetur. Continentur etenim in seipsis aquæ maris, mandato dei, nec dispersuntur in terram, non secus atque humor ille, qui quasi vinculis quibusdam in vtre continetur. Quidam etiam dicunt, prophetam hic de iis loqui vaporibus, qui generantur è mari, & paulatim circunlati, in aëre consistunt, & vtris instar condensantur & fiunt in nubem.

Ponens in thesauris abyssos. Abyssus dicitur aquarum profundum. Est autem græca dictio, abyssus, & iuxta nominis etymologiam sic dicta quasi impossibile sit, vt in illud profundum quis descendat. Abyssorum autem thesauri sunt finus terræ, è quibus fontes proueniunt, & flumina. Vel per thesauros, locum intellige supra firmamentum, vbi deus à principio aquarum dimidium posuit: thesauros autem eum locum appellauit, vel propter loci amplitudinem, vel quia latet, & occultus est, tametsi opportuno tempore aperiatur etiã à deo, & claudatur. Huiusmodi enim sunt thesauri proprietates. Ego vero hunc versiculum puto apostolis congruere, qui thesauri fuerunt: custodes nimirum & conseruatores abyssorum: hoc est profundissimorũ mysteriorũ fidei.

Timete dominum omnis terra. Terrã sępenumero, vt nunc, homines vocat, vel quia de terra plasmati sunt, vel, quia habitant in terra. Nam cum à creaturarum magnificentia, creatoris potentiam ostenderit, quod reliquum est, admonet: timendum eum esse, & venerandum, quasi solum deum. Vel per terram, nunc eos dicit, qui terrena tantum cogitant, quos iubet vt timeant deum. Ita enim significari per terram sæpe apud scripturam inuenimus.

Ab eo autem commoueantur omnes habitantes orbem. Præ timore eius, inquit, tremant homines quoniam magnus est, & terribilis.

terribilis. Magnus autẽ Basilius versiculum hunc aliter intellexit. Habitantes orbem, inquit, commoueãtur ab eo: hoc est, moueantur, quemadmodum ipse deus vult, & sit sensus: prophetam precari, vt omnibus habitantibus orbem, corporis atque animæ motus sint secundum deum, & à diuino timore dirigantur. Ego vero puto hoc de Christo dictum esse, à cuius operibus & verbis omnes commoti sunt, alij quidẽ ad fidẽ mutati, alij vero terrore ac perturbatione affecti.

Quoniam ipse dixit & facta sunt. Traditur hic iusta timoris causa. Ipse enim, inquit, omnium creator est. Dixit enim fiat hoc, aut illud, & factum est statim.

Ipse mandauit & creata sunt. Idem fere sibi volũt hęc verba, quod proxime, superiora. Vel, verbum, mandauit, appositum est ad declarationem verbi, dixit. Neque enim simpliciter dixit, sed iussit etiam, quasi omnipotens. Vel, quod ait: dixit, & facta sunt: ad ipsam tantummodo hominum creationem referendum est. Quod verò subdit: mandauit, & creata sunt: ad regenerationem referatur, quæ per euangelij prędicationem facta est. Mandauit enim apostolis vt irent, & docerent omnes gentes. Nam & ipsi fideles, noua dei creatura appellantur.

Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum. Varios sensus recipiunt hæc verba. Possunt enim de Assyriis intelligi: qui obsederunt Hierusalem: & de Christi crucifixoribus: & de iis, qui apostolos, ac martyres, vi, atque tyrannide oppresserunt: & si quidem de Assyriis intelligas, dic quòd gentes ideo eos appellat propheta, quia ex diuersis nationib⁹ ad bellum huiusmodi fuerãt congregati aduersus Hierusalem: & per populos, Hebræos ipsos intelligit. Quidam enim eorũ propter angustias in quibus erant constituti, oportere cogitabãt sese in manus inimicorum tradere: per principes vero, duces, ac prędectos Assyriorum. Quod si psalmum exponas de Christi crucifixoribus, differentiam personarum nosces, si expositionem legeris secundi psalmi: si verò malis de tyrãnis intelligere: per gẽtes, nationes varias intellige, quæ vbique locorum sunt: & per populos, inimicos fidelium Iudæos: per principes vero, reges ipsos, ac duces.

Consilium autem domini in æternum permanet. Per cõsilium autem

autem domini, euangelicam prędicationē intellige, quæ oēs homines credētes per se saluari vult. Hoc igitur cōsiliū, stabile, atque inuictum vsque ad futurum seculum permanebit.

Cogitatioēs cordis eius in generationē & generationē. Quēadmodū superius consilia, & cogitationes dixit ita & nunc. Est autem consiliū, sententia quę recta esse existimatur, cogitatio vero simplex consideratio. In generationē & generationem, consueuerunt antiqui dicere, pro semper. Quasi per omnium generationum successiones. Per cor autē dei, humano quodā more loquens propheta, voluntatē dei intelligit: & sensus est: quòd semper id permanet, quod vult deus, neque id solum quod vult sed illud etiam, quod cogitat. Cogitatio enim diuina, perfectum opus est. Possumus & aliter dicere: quòd cogitationes cordis dei, vetus nimirū ac nouum testamentum permanent in generationem & generationem: alterum videlicet in Iudæorum generationē, alterum verò in fidelium. Antiquū quippe illis, nouum autē istis permanet. Intelligi etiā possunt hæc verba simpliciter de visibilib°, seu etiam inuisibilibus inimicis: quòd Christus nimirum eorum consilia dissipabit, & quòd dominus perficiet quæcunque ad salutem nostram disponere voluerit.

Beata gēs, cuius est dominus deus eius. Beata gēs, quæ regitur, & gubernatur à deo suo. Hæc autē sola est christianorū gens, cui saluator promisit dicens: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.

Populus quem elegit in hæreditatem sibi. Nos fideles, & gēs dicimur, veluti ex gentibus in vnam ecclesiam congregati: & populus veluti: qui loco abiecti illius Iudæorū populi, introducti sumus. Elegit enim nos deus in hæreditatem, iuxta illud: dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Beatos verò nos appellat, ob paratorum nobis bonorum fruitionem.

De cœlo respexit dominus. Hæc verba etiam habentur in psalmo x i i i. vide quæ illic dicta sunt.

Vidit omnes filios hominum. Omnes enim sub cœlo habitant: & nullus eum latet.

De præparato habitaculo suo. Hoc est habili ac commodo, vt facile illinc omnia perspiciat.

Respexit in omnes qui habitant terram. Dum repetit propheta deum respexisse, videtur velle lectori timorem incutere,

tere, veluti ex eo quòd occulta esse deo non possint mala quę fecerit.

Qui finxit singillatim corda eorum. Adhuc formidabilius quoddā dicit. Nam si plasmauit omnes deus: omnino etiam, & nouit cogitationes, & motus omnes eorum, quibus dedit, vt essent. Timendum est nobis igitur à deo cum non praua tantum opera, sed nec ipsæ etiam cogitationes nostræ latere eum possint. Quod vero ait: deum singillatim finxisse corda eorum: idem est, ac si diceret: fecisse ea deum, singularia, ac separata à vitiis, atque à passionum vinculis. Vel etiam singillatim, hoc est separatim, ab aliis nimirū animalibus, quasi rationabilia.

Qui intelligit in omnia opera eorum. Atque hoc etiam magnum est, quòd nullis sensibus indiget deus ad percipiendū, quæ fiunt aut dicuntur, aut cogitantur, sed pure simpliciter, ac syncere omnia intelligit. εἰς πάντα

Non saluabitur rex ob multam potentiam, & gigas non saluabitur in multitudine fortitudinis suæ. Ob multam potētiam, hoc est, ob militum aut equorū copias, armaq;, aut diuitias. Per gigantem verò quencunque robustum hominem intellige, qui generoso, ac præstanti sit corpore. Quòd siquis istorum aliquādo saluatur, non propriis viribus, sed diuina gratia salutem consequitur. δύναμιν ἰσχύος

Fallax equus ad salutem. Instabilis, scilicet, ac non tutus. Incertum enim est, an ascensorem suum saluaturus sit.

In multitudine autem potentiæ suæ non saluabitur. Equus, scilicet, vnde Sennacherib qui cōnumeratis virib° abundabat, nihil inde adiutus fuit, quinimmo malus male perditus est.

Ecce oculi domini super timentes eum, & super eos qui sperant in misericordia eius. Hæc in primis dicta sunt propter Ezechiam regem, & socios. Deinde causam diuinæ huius protectionis, atque custodiæ addit, dicens.

Vt eruat à morte animas eorum. A morte inquam, quę post diem illum expectabitur vt prędiximus. Ad vesperum enim, inquit, demorabitur fletus.

Et alat eos in fame. In fame quæ propter obsidionē causata est. quæ omnia subsecuta sunt: vt in libris regū traditur.

Anima nostra sustinebit domino. Et rursum, inquit, in tentationum tempore sustinebimus domino: id est in gratiam domini, ὑπομενεῖ τῷ κυρίῳ

mini,seu propter dominum, propter quem oderunt nos infideles.deinde longanimitatis ac patientiæ causam infert.

Quoniam adiutor & protector noster est. Multa enim nobis adsunt iudicia, ob quæ certi reddimur, quòd inter pericula nobis opem feret.

Quia in ipso lætabitur cor nostrum. Sustinebimus, inquit, quia dominus adiutor noster est, & quia per ipsum lætabimur cum vicerimus.

Et in nomine sancto eius sperabimus. In nomine sancto eius,circunloquēdo dixit, pro in ipso dño, vel in inuocatione nominis eius,quæ vel in fugā potest inimicos cōuertere.possunt hæc etiā intelligi de Christianis,qui victuros se sperāt, quoties vel nomen Iesu nomināt.multa etenim miracula solum id nomen, tantummodo prolatum perfecit, quale illud est: In nomine Iesu Christi surge, & ambula: atque alia huiusmodi.

Fiat domine misericordia super nos quemadmodum sperauimus in te. Sic fiat vt nos sperauimus. sperauimus autem quàm maxime.maxima erit itaque,& tua misericordia.

Psalmus ipsi Dauid quando mutauit faciem suam coram Abimelech & dimisit eum & abiit.

Dauid fugiens Saulem uenit in Nomba ciuitatem sacerdotum,& obuiam factus Achimelech,qui inter illos dignitate excellebat, finxit se missum fuisse à Saule ad certum negocium,petiitque ab eo panes,& gladium: cumque nullos alios inuenisset, panes propositionis accepit,quos unà cum sociis fame impulsus comedit: atque hoc præter legem. solis enim sacerdotibus eos edere licebat. accepit etiam, & hastam Goliath, quæ illic obseruabatur in anathema: hoc est in oblationem domino.Exiens autem illinc, profectus est ad Achis Philistæum regem Geth:cumque familiares quidam regis eum cognouissent,& nescio quid susurrassent,timore correptus, finxit se insanum.circunferebatur autem,& strepitu fores concutiebat: defluebat autem in barbam spuma ab eius ore.quamobrem sacro eum morbo corripi putauerunt,atque hoc pacto dimissus,ac saluatus est. Historia quidem huiusmodi est.& quidam Abimelech eundem esse existimant,quem supra appellauimus Achimelech primarium inter sacerdotes: eumque gemini fuisse nominis affirmant: & per mutationem

nem faciei Dauid,fictionem illam negocii intelligunt,ad quod se missum esse dixerat à Saul,timens ne si eius fuga à sacerdotibus cognita fuisset,regi id fortassis deferri posset.uerum licet concedamus sacerdotem Achimelech gemini fuisse nominis, regum tamen historia coram Achis tantum mutasse eum faciem tradit,& non coram Achimelech.unde ad præsentis inscriptionis intelligentiam, Magnus Basilius animaduertendum esse admonet,quòd nomen Abimelech, commune quoddam fuit nomen omnibus regibus Geth, quemadmodum Cæsaris,atque Augusti nomen Romanorum Imperatoribus: & Pharaonis nomen,regibus Aegypti,& alia huiusmodi.Quo circa regi illi Geth priuatum nomen fuisse Achis tradit, commune autem cum aliis regibus Abimelech.Ex huius igitur regis manibus liberatus Dauid,cum se cognosci formidasset, hunc deo cecinit psalmum, in gratiarum actionem,quòd sapientem eum reddidisset,ut per insaniæ simulationem,uiam liberationis inuenerit.Cōgruit etiam hic psalmus, cuicunq; fideli à periculis liberato.

PSALMVS XXXIII.

Benedicam dominum in omni tempore. Cum periculum euaserim retribuam deinceps saluatori meo gratias: laudes nimirum perpetuas: quia semper mihi adiutor fuit.edoctus autem ex hoc loco magnus Paulus dicebat: sine intermissione orate,semper deo gratias agite.

Semper laus eius in ore meo. Sed quomodo poterit quis deum semper laudare,atque in ore suo illius laudes assiduas habere cum de vitæ necessariis sæpenumero tractandum sit? comedendum,bibendum, & dormiendum? Num ideo fortassis,quia certum est,præter hoc corporale, aliud esse intra hominem,intellectuale os,per quod diuinarum contemplationum cibus accipitur? & de quo scriptum legimus,os meum aperui,& attraxi spiritum? item alibi: dilata os tuum, & implebo illud? hoc igitur os impediri nūquam potest, & dei semper reminiscetur,si sobrij esse voluerimus. vel aliter: in omni tempore: hoc est congruo tempore,& semper quando opportunū est.oportet quidem, vt nostro hoc corporis ore, deum laudemus,quando aliunde nulla vrgens adest necessitas,intellectusverò ore,perpetuo.reminisci enim dei semper debemus,vt inquit Theologus,& nunq̄ cessare.vnde in Cāticis canticorū dicitur: ego dormio, cor autem meū vigilat.

In domino

In domino laudabitur anima mea. Non ob propriã ego virtutem ab hominibus laudabor, ſed propter deum : quia ſcilicet illum adiutorem habui. Beatus enim inquit, cui deus Iacob adiutor eius. anima autem mea laudabitur, circunloquẽdo dictum eſt, pro eo quod eſt: Ego laudabor.

Audiant mauſueti, & lætentur. Audiant quòd admirandũ in modum, & præter omnium opinionem ſeruatus ſum. per manſuetos autem, hoc in loco patientes laborum appellat, atque in afflictionibus longanimes, qualis ipſe erat beatus Dauid. & lætentur, inquit, quia deus huiuſcemodi ſuſtinentes viros non deſpicit : Quinimmo in periculis conſtitutos ſaluat. Me igitur in exemplum habeant & confidant.

Magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen eius in id ipſum. Ipſos adhuc manſuetos alloquitur, atque aduocat, vt magnificent, & exaltent deum. & quomodo magnificare, atque exaltare quis deum poſſit, diximus in principio pſalmi XXIX. deinde narrat quomodo liberatus ſit.

Exquiſiui dominum & exaudiuit me. Præpoſitio ex, intẽſionem quandam maiorem demonſtrat. in mediis, inquit periculis derelictus, cum labore perquiſiui dominum in auxiliũ: & ſtatim exaudiuit me.

Et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Variæ enim afflictiones eum detinuerant, dum timeret, ne in Saulis manus incideret, ne contumelia afficiendus: & poſtremo ne ſęue etiam interimendus eſſet.

Οὐ μὴ καταισχυνθῇ

Accedite ad eum, & illuminamini, & facies ueſtræ non confundantur. Solet afflictio mentem hominum confundere, atque obtenebrare. vos igitur qui in afflictionum tenebris cõſtituti eſtis, accedite ad eum, vt quemadmodum ego feci, vos pari modo eum exquiratis. & illuminamini : ipſa nimirum lætitia, atque alacritate, calamitatum tenebras, ac caliginem diſſipante, ne confundamini etiam ſpe : ſpe inquam ſalutis. Iuxta Anagogen poteſt hæc prophetæ exhortatio de diuino baptiſmate intelligi, Accedite, inquit, ad Chriſti fidem vos, qui in errore eſtis, & illuminamini per baptiſmũ, quo anima illuminari ſolet, & animæ oculus purgari: & non confundemini, quia omnem illic confuſionis materiam, atque originem abluetis. facies autem veſtræ, circunloquendo dixit, pro vos, veluti totum à parte.

Iſte pau-

Iſte pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum. Quod ait, iſte, demonſtratiue dictum eſt, ac ſi diceret: ego ipſe quem cernitis. pauperem autem ſe vocat, quia humano indigebat auxilio : vel ob humani generis tenuitatem.

Caſtrametabitur angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Caſtra ponit dominus circa vnumquenque hominum, qui timeat deum, illum nimirum aduerſus omnem noxiam muniens aduerſitatem. verum illius angeli potentiam conſidera, qui vniuſcuiuſque noſtrum vitam cuſtodit. Nam cum vnus numero tantum ſit, vniuerſo, atque integro hoſtium exercitui reſiſtit. timentes autem dominum eos appellat, qui illius obſeruant mandata. vbi enim, inquit, eſt timor, ibi etiam mandatorum obſeruatio. παρεμβαλεῖ

Guſtate & uidete, quoniam bonus eſt dominus. Congnoſcite, inquit, & vos. per guſtum enim hic experientiam intelligit. Guſtabitis autem ſi mei exemplo, ex tota ad eum anima clamaueritis : vel ſi exquiſiueritis eum diligenter : ſi non ambiguam in illo ſpem ſeruaueritis. vel aliter : exhortatur nos propheta ad dominici corporis, ac ſanguinis participationem : Quæ duo, omnes, qui digne guſtauerint, ſentient ſibi ſtatim vires, atque auxilium præſtari à deo. χρηστὸς

Beatus uir, qui ſperat in eo. Nam ſi maledictus homo eſt qui ſperat in homine, contra erit beatus qui ſperauerit in deo.

Timete dominum omnes ſancti eius. Sanctos eos vocat, qui deo oblati atque ei ſanctificati ſunt. timete igitur dominum, quia huiuſmodi timor inordinatos motus coercet. Confige enim, inquit, timore tuo carnes meas. deinde infert lucrum, quod ab iſto prouenit timore.

Quoniam non eſt defectio timentibus eum. Nam qui dei timorem in ſua anima plantauerunt, nunquam à virtutis operatione deficiunt. poſſumus etiam dicere, quòd timentibus dominum nulla eſt defectio: quia & veſte ſacri baptiſmatis induti ſunt, & corpore, ac ſanguine domini veſcuntur, & telo crucis armati ſunt : & denique, quia neceſſariis quibuſcunque rebus fruuntur. ὑστέρημα

Diuites eguerunt & eſurierunt, exquirentes autem dominum non diminuentur omni bono. Cum nullam eſſe aſſeueraue-

rit defe-

rit defectionem iis, qui timent dominum, nunc sermoni suo fidem facit, docens quomodo huius seculi diuites sæpius effecti sunt pauperes, & fame vexati. terrenæ enim diuitiæ fallaces sunt, & sæpe commutantur, ac decidunt: contra verò omnes, qui per dei timorem, ac mandatorum obseruationem dominum quærunt, nullis vnquam bonis indigebunt, ex iis nimirum quæ reposita sunt diligentibus dominum. Humanis enim bonis quàm maxime indigebunt, cum per arctam afflictionum ac tentationum viam eis incedendum sit. Pertinere etiam videntur hæc verba ad Iudæos, qui olim diuites fuerunt ciuitatum, scilicet ac militum copia: insuper, & celeberrimo illo templo, diuina lege, & conuersatione dei, ac deinceps his omnibus priuati, pauperes effecti sunt, ea nimirum ratione, quia dominum Iesum misericordia diuitem, & pauperem effectum propter nos, impudentissime occiderunt: quique esurierunt postquam verum illum vitæ panem de medio sustulerunt. fideles autem qui ex gentibus fuerunt, quærentes dominum, omnibus bonis etiam atque etiam aucti sunt.

Venite filii, audite me, timorem domini docebo uos. Est hic quidam, veluti præceptoris, seu doctoris sermo. solent, enim doctores habere discipulos filiorum loco, eo quod fingant illos quodammodo, ac forment ad virtutes, ac pene veluti noui patres, eos iterum generent. timorem autem domini dixit, ad distinctionem timoris dæmonum. potest etenim & dæmon timorem incutere, de quo alibi scriptum est: à timore inimici eripe animam meam.

Quis est homo, qui uult uitam? Non omnes vocat propheta, tametsi indistincte dixerit, venite, sed eos tantum appellat, qui vitam non hanc communem amant, qua irrationalia omnia viuunt animalia, sed peculiarem quandam veram, atque æternam. præsens etenim vita, mors potius appellanda est. atque ideo merito Apostolus dicebat: quis me liberabit de corpore mortis huius? per mortem, ipsum corpus intelligés: vel vitam potius, quæ est in corpore.

Diligens dies uidere bonos. Non huius seculi dies dicit, de quibus Patriarcham Iacob dixisse legimus, dies annorum meorum pauci, & mali: & magnum Paulum: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt: sed de futuri seculi diebus loquitur.

loquitur. illud enim est seculum, quod bonos habet dies ob verum illud, atque ineffabile gaudiũ. dies autem ideo dixit, quia illic perpetua est lux.

Cohibe linguam tuam à malo. Nunc opera subiicit, quæ efficere solet dei timor. timorem vero dei nũc initialem dico, non perfectum. & linguam in primis iubet compescere, veluti membrum inter cætera magis labile, & ad omne vitij genus magis promptum. ministra enim nobis est ad hominum contumelias, & ad dei blasphemias: turpibus etiam concupiscentiis inseruit, & lenocinio detrahit: præterea accusat, texit dolos, decipit, falsa præbet testimonia, peierat: & omnium denique vitiorum instrumentum est. παῦσον

Et labia tua ne loquantur dolum. Dolus occultum est facinus sub boni simulatione confictum: & dum superius dixit, cohibe linguam tuam à malo, omnes in vniuersum prauos sermones comprehendit: at nunc de prauo quodam, ac magis particulari tractat sermone, veluti de vitio omnium grauissimo, cum clandestine componi soleãt hi doli, atque ideo etiam minime euitari possint: ac veluti de re, quæ in vniuerso genere humano, quam latissime pateat, in quod ab initio diabolus lætiferum hoc virus euomuit, quando primum Euam decepit.

Declina à malo, & fac bonum. Considera optimum ordinem, quia verba in promptu magis sunt, quam facta: primo à prauis nos admonet verbis abstinendum esse. cohibe enim, inquit, linguam tuam à malo. sermo enim vt sapientes dixere, via quædam est ad actiones. ac deinde ab ipsis etiam prauis auertit operibus, dicens: declina à malo. & cõsequenter, sublatis impedimentis, nos insuper ad bene operandum adducit dicens, & fac bonum. nam quemadmodum impossibile est, infirmum aliquem ad sanitatem restitui, nisi prius à morbo liberetur, ita etiam impossibile est aliquem bene operari, qui à vitiis prius non abscesserit. Illud etiam considera quomodo abstinere tantum non sufficit, à vitiis, sed bonis etiam operationibus opus est. vel aliter: declina à malo, & fac bonum: illud, ne pœna afficiaris, hoc autem, vt etiam honoreris. Alia etiam ratione, vitio cui datur? si bonum non faciat: quia inertis ac ignaui hominis est, nihil operari, atque ocio torpescere.

Inquire pacem, & persequere eam. Pax est omnium bonorum caput, quam discipulis suis dominus veluti hæreditatem quandam reliquit: pacem, inquiens, meam do vobis, pacem relinquo vobis. nam qui erga deum fuerit pacificus, is humanas etiam passiones omnes superabit. Non igitur sim pliciter à nobis quærenda est pax, sed cum studio, vt docet nos propheta, hoc in loco: dum ait: persequere eam, ac si diceret, per illius vestigia vobis currendum est, vt præuenientes eam comprehendatis.

Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Per oculos, & aures domini, videndi, atque audiendi potentias in eo intellige. Deus, inquit, semper videt iustos, & illorum actionibus delectatur, & preces exaudit, vtpote exaudiri dignas. per iustos autem hoc in loco, viros intelligit, omni præditos virtute.

Vultus autem domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Videt, inquit, Dominus eos etiam qui prava opera faciunt, verum non eodem modo quo iustos: istos quidem videt, vt custodiat, illos autem vt perdat, vt condemnet, vt pœnas ab eis exigat. prauus enī quilibet statuto à deo tempore perit de terra, siue hanc mundi terram intelligas, siue terram eorum, qui saluātur. timeant igitur omnes peccatores, cum eorum delicta deum minime lateant. potes etiam per vultum domini intelligere aduentum eius, in futuro iudicio, quando seuero, ac acerbo vultu eos aspiciet.

Clamauerunt iusti, & dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Qui terrena, atque humilia votis non expetunt, sed cœlestia, ac sublimia, tametsi lingua sileant, mente tamen ac spiritu palam clamant, & eorum clamor quam facillime peruenit, ad aures domini: vnde etiam exaudiuntur, & ab omni eripiuntur tentatione, ac miseria: vel quia, ab omni aduersitate à deo liberantur: vel quia, fortitudine, atque constantia, omnem afflictionis impetum superant: quę res etiam liberatio dicitur, vt aliis in locis declarauimus.

ἐγγὺς κύριος τοῖς συντετριμμένοις τῇ καρδίαν

Prope est dominus omnibus contritis corde. Deus quidem ob summam eius benignitatem omnibus prope est. ait enim per prophetam: deus appropinquans ego sum: verum nos sceleribus nostris longe ab eo discedimus. Ecce enim, inquit, alibi propheta

bi propheta, ij qui elongant seipsos à te, peribunt. contritos autē corde eos appellat, qui de ꝓpriis peccatis cōpuncti sūt. cōpunctio enim superbiam, ac fastum maxime conterit.

Et humiles spiritu saluabit. Præcedit enim compunctio, & subsequitur humiliatio. humilem autem spiritu dixit, hoc est animo. nam corpore tantū aut gestu, seu verbis, aut alia quauis necessitate humiles deo grati non sunt.

Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberauit eos dominus. Permittit quidē eos dominus in virtutis gymnasiū descendere, sed non sinit superari à laboribus: quod tamen & victoria reputatur, vt prędiximus, & illorum laudi adscribitur. Atq; ideo alibi dicit dominus: in mundo tribulationē habebitis, sed confidite: & Apostolus in omnibus tribulati estis, sed non angustiati, & multa alia habentur huiusmodi.

Custodit dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. Atquī multorum martyrum, ossa contrita sunt, verum homo non solum is dicitur, qui exterior est, hoc est non solum ipsum corpus, sed etiam qui interior, hoc est ipsa anima, quæ sua etiam membra habere dicitur, sicut & corpus, atque eisdem nominibus distincta. Nam cum legimus: Mandatum domini lucidum, illuminans oculos: item qui habet aures audiendi audiat: vel, os meum aperui & attraxi spiritum, & dētes eorum contriuisti. item, ventrem meum doleo: aut, pes iusti non offendat: & alia huiusmodi: non corporis, sed animę membra intelligimus. vnde & nunc per ossa solidiores quasdam animæ cogitationes intelligit, quæ eam non secus atq; ossa corpus sustinent, atque confirmant. custodit autem dominus hæc, quæ diximus iustorum ossa, quia ei placent, & nihil eorum conteretur, violentia scilicet peccati.

Mors peccatorum prauа. Hoc est laboriosa, atque molesta: quod ex Græcæ dictionis etymologia, melius percipitur. tūc temporis etenim certius dignoscunt pœnas sibi fore repositas. iustorum autem mors suauis est, quia gaudia sibi sentiūt præparata.

πονηρὸς παρὰ τὸ πονέω

Et qui oderunt iustum, delinquent. Oderunt iustum ij, qui in peccatis sunt, nam si simile suo simili lætatur, illud consequenter patet, quòd dissimile suum odit dissimile. quorum enim vita dissimilis est, horū etiam sententiæ pugnantes inter se sunt, atque contrariæ. delinquent autē, quia oībus aliis

delictis,hoc odij peccatum addiderunt.nõ ſolum enim eum imitati nõ ſunt, qui erat iuſtus,ſed odio inſuper eũ proſecuti ſunt.delinquent igitur,id eſt peccabunt aut periclitabũtur.

Redimet dominus animas ſeruorum ſuorum. Ab humanis nimirũ ac diabolicis inſidiis,quas propria patientia ſuperabũt.

Et non delinquent omnes qui ſperant in eo. Non peccabunt, eo quòd valida atque conſtanti ſpe ad dominum ferantur, nec vllum etiam animæ periculum ſuſtinebunt.

Pſalmus ipſi Dauid.

Hunc etiam Pſalmum compoſuit beatus Dauid, cum perſecutionẽ ſuſtineret à Saule, & nullibi ei daretur tuto conſiſtere: congruitq; aliis omnibus inimicorum perſecutionem ſuſtinentibus. imprecationibus autem, quæ tam in præſenti ſunt pſalmo, quàm alibi, uti nos oportet aduerſus dæmones.ii enim ſunt, qui noſtros excitant inimicos, & in nos inſurgere eos faciunt. Conuiciis uerò, aduerſus inſidiatores uti poſſumus, quòd ſi alicubi præclara aliqua uirtutum facta percenſentur, ea applicabimus ipſi beato Dauid, ita tamen ut & nos ad illorum imitationem moueamur, & excitemur.

PSALMVS. XXXIIII.

IVdica domine iniuriantes mihi, impugna impugnãtes me. Primo,inquit,Saulem,& ſocios iudica,deinde impugna,ac caſtiga.eorum enim iniuſtitia apertiſſime patuit.

Apprehende telum, & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi, effunde frameam, & cõclude aduerſum perſequentes me. Cum pugnæ meminerit,conſequenter etiam armorum genera appoſuit: non quòd eis vtatur deus,ſed humano locutus eſt more. terribili enim hac armorum cõmemoratione, prauos ac ſceleſtos omnes perterrefacit. nam alioqui,ſolum dei verbũ,quinimmo ſola etiã eius voluntas ſatis eſt ad coercendos,ac caſtigandos opprimẽtes,& ad defendẽdos ac liberãdos oppreſſos.effunde igitur frameã,hoc eſt exime gladium è vagina.ob expolitam enim leuitatẽ ſuã gladius fundi quodãmodo videtur è vagina,cũ euaginatur. cõclude etiam aduerſus perſecutores meos:hoc eſt: obſtrue viam ante eos, ita vt effugere amplius manum tuam non poſſint.

Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum. Intellectuali voce tua, loquere

loquere ad intellectualem animam meam, & dic ei: noli timere,quia ego ſum ſalus tua. Illud autem animaduertendũ, quòd Græca dictio quæ hic habetur,nõ indicatiui modi eſt, & præteriti temporis, vt regulariter inueniri ſolet, ſed Aoriſtus imperatiui modi,vt ſit εἶπον pro εἰπέ,id eſt dic, eo modo,quo dicimus ποίησον pro fac.

Confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam. Verba hæc confundantur & reuereantur, idem fere ſignificant. Confuſio enim illis ſumma erit, ſi me comprehendere nequiuerint. animam autem meam circunloquendo dixit, pro me ipſum.

Conuertantur retrorſum. Inanes, nimirum,& re infecta.

Et confundantur qui cogitant mihi mala. Verbum confundãtur hic repetitum,præcipue iuxta Græcæ dictionis vim, intenſionem addit,& maiorem confuſionẽ ſignificat. Cogitare autẽ mala,pro conſiderare,ac ſtudioſe inueſtigare dixit.

Fiant ſicut puluis ante faciem uenti. Ac ſi dicat, inter fugiẽdum inſtar pulueris diſſipentur, ac diſpergantur. minutiſſimus enim cum ſit puluis,à ventis facile diſpergitur.

Et angelus domini cõterens eos. Subintellige verbũ,ſit. Angeli enim ſæpenumero mittuntur à deo,vt aliquos caſtigent: veluti is,qui Aegypti primogenitos diſſipauit, item is,qui cẽtum octogintaquinq; milia Aſſyriorum interemit. ἐνθλίβων

Fiat uia eorum tenebræ, ac lubricum. Grauiſſima eſt huiuſmodi imprecatio. optat enim vt illis fugientibus, via adeo ſit obſcura, vt videre nequeant, qua recta ſibi eundum ſit: præterea etiam, vt adeo ſit lubrica, quòd in præceps aliquod deferantur.

Et angelus domini perſequens eos. Iſtos etiam, qui in tot, ac tanta mala inciderunt, angelus domini conterens perſequatur. quid igitur par eſt euenturum ei eſſe,qui neque oculis videat,neque pedibus adiuuetur, & ab ipſo etiam perſequente angelo vrgeatur?

Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui. Symmachus pro gratis dixit,ſine cauſa. Cum nihil à me,inquit, læſi fuerint, abſconderunt mihi tamen interitum laquei ſui. eſt autem ſermo hic metaphoricus, à venatoribus tranſlatus, qui laqueos, occulte diſponunt, per quos interitum feris inferunt.

Superuacue exprobrauerunt animam meam. Animam meam circunloquendo dixit, pro meipſum. Eſtque animaduertendum, quòd huiuſmodi figura loquendi, quæ Græce Periphraſis dicitur, frequentiſſima reperitur apud beatum Dauid vt illud: anima mea, vita mea, facies mea, nomen tuum, & alia huiuſmodi. mentientes, inquit, exprobrauerunt me, ingratum appellantes, & regis inſidiatorem.

Veniat illi laqueus, quem ignorat. Inexpectata, inquit, calamitas illi obueniat: illi inquã, qui & mihi interitum abſcondit, & qui me exprobrauit, ſiue Saulem intelligas, ſeu quẽuis alium, qui Saulẽ vrgeret aduerſus ipſum beatũ Dauid.

ἡ θήρα *Et rete quod abſcõdit comprehendat eum.* Et rete quod clam aduerſus me tetendit cõprehendat eum: hoc eſt, omnis illius conatus, omne conſilium in authorem conuertatur.

καὶ ἐν πα γίδι πε σεῖται ἐν αὐτῇ ἐπὶ τῷ *Et in laqueo cadet in ipſo.* Idem etiam ſignificant hæc verba. & cum dixerit in laqueo, addidit in ipſo. in ipſo, inquam laqueo quem idem ille diſpoſuit.

Et anima mea exultabit in domino. Inimicis meis ita caſtigatis, lætabor in domino, qui iuſtis eos affecit pœnis.

Delectabitur in ſalutari ſuo. Quia illos perdidit, & nos ſaluauit.

Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi? eruens pauperem de manu fortiorum eius, inopem & pauperem à diripientibus eum? Omnia autem oſſa mea, id eſt membra mea omnia quæ in profundo corporis ſunt. ſignificare autem videtur per hæc verba pleniſſimam gratiarum actionem ex intimo animæ prouenientem. vel, per oſſa, ſolidas ac validiores animæ cogitationes intelligit, vt ſæpe diximus. Inopem autem ſeipſum propheta appellat, quaſi exulem, neceſſariorumque omnium indigentem, & ſolum. per fortiorem verò Saulem intelligit, qui & diuitiis & bellicis copiis affluebat: & dum inopem ſe bis dicit, & inſuper, pauperem, addit: tenuitatem ſuam maximam denotat, & huiuſmodi verborum humilitate deum pariter ad maiorem miſericordiam excitat. Diripientes etiam, ipſos hoſtes appellat: habito nimirum reſpectu ad illorum ſpem, qui ſe ſe eum direpturos ſperabant.

Surgentes teſtes iniuſti, quæ neſciebã interrogabant me. Ipſe nimirũ Saul, & quicunq; ei aſſentabãtur: quos beatus Dauid teſtes

teſtes ideo appellat, quia aduerſus ſe teſtimonium ferebant, & iniuſtos, quia mendaces erant, vel quia huiuſmodi teſtes cum ſubſannatione quadam ac deriſu interrogabãt eum: nunquid aſpiraret ad regnum? Interrogabant autem hoc, & pariter aſſeuerabant, ita eſſe. Quod tamem beatus Dauid, vtpote innocens ignoraſſe ſe ait. Nunquam enim ad regnum aſpirauerat. Poſſunt etiam hæc verba de Chriſto intelligi, propter falſos teſtes, qui interrogabant eum, nunquid non blaſphemaſſet, vt Euangeliorum tradit hiſtoria.

Retribuerunt mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ. Cum communem inimicum Goliath interemiſſet beatus Dauid, & Philiſtæos ſuperaſſet, & prauum Saulis ſpiritum depuliſſet, perſecutionem tamen ſuſtinebat à Saule. Retribuerunt itaque animæ meæ ſterilitatem, hoc eſt infructuoſitatem. Virtutem meam, inquit, ſtuduerunt infructuoſam conſtituere, cum occidere me cogitauerint, & facere vt anima mea ceſſaret à fertilitate virtutum. Vel retribuerunt mihi ſterilitatem, circunloquendo dixit, ac ſi diceret, pro beneficiis à me in eos collatis, illud conati ſunt mihi rependere, vt me occiderent, ne viuendo filios procrearem. Vel aliter, ſterilitas pro obliuione accipitur, quia per filios & poſteros memoria hominum conſeruatur.

Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar ſacco, & humiliabam in ieiunio animam meam. Σάκκον Deinceps docet Propheta quo modo diſſoluere oporteat calamitates. Nam cum ab inimicis calumniam ſuſtineret, ſacco ac ieiunio animam ſuam, hoc eſt ſeipſum humiliabat, rogans ab inſidiis liberari.

Et oratio mea in ſinum meum conuertetur. Hoc eſt exaudietur mea oratio. Ita enim intelligenda ſunt hæc verba, quaſi ſeipſam conuerſura ſit oratio ad Prophetam, qui eam emiſit. Non inanis tamen nec vana aut re infecta, quinimmo in illius ſinu inſtar pretioſiſſimi doni ſuſcipiẽda ſit. Vel, quia ita conuertetur, vt orantis ſinum petitis rebus impletura ſit. Tametſi aliquando etiam huiuſmodi loquendi modus contrariũ penitus ſenſum recipiat: quando ſcilicet quis non exaudit, & oratio in ſinum, re infecta, inanis conuertitur. εἰς κόλπον μου

Quaſi proximo, & quaſi fratri noſtro ſic complacebam. Summam ſuam dilectionem erga Saulem oſtendere volens, fratris, ac proximi nomine vſus eſt. Parentes enim, & dominos ὡς πλησίον ὡς ἀδελφῷ

proprie honorandos nobis esse dicimus, fratres vero amandos, præcipue quando sumus sine prole.

Quasi lugens & mœstus sic humiliabar. Videns illum mihi inuidere, quia multitudo ac populus me laudabant, humiliabar fingens me tristem ac mœstum esse. Solet enim inuisi hominis humilitas, atque deiectio, inuidiam reprimere: quemadmodum contrà, superbia atque elatio augere.

Aduersum me lætati sunt, & conuenerunt. Me hæc agente, atque hoc pacto sentiente, illi lætati sunt, credentes periisse vires meas: & conuenerunt, vt insidias aduersum me disponerent.

Congregata sunt super me flagella, & ignoraui. Quod septuaginta interpretes dixerunt, flagella, Symmachus percutientes reddidit. Ait igitur occisiores aduersum me congregati sunt: me, inquam, ignorantem huiusmodi eorum consilia, atque insidias quas aduersum me disponebant. Eas autem puto subnotari, quæ in historia Regum traduntur, quando eius vxor Michol omniâ illi aperuit, atq; à periculo etiá eum saluauit.

Dissipati sunt & non sunt compuncti. Dissipati sunt cum me non inuenissent, vt sperauerant, & tamen cõpuncti non sunt, quia nulla ducti sunt pœnitentia.

Tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis. Saul, inquit, & qui cum eo erant, aliquando tentauerunt me probantes atque experientiam sumentes mentis meæ: aliquando etiam subsannauerunt, irridentes, veluti infirmum, nunc vero palam, leonum instar, in me efferati sunt. Frendere autem dentibus solent omnes aliquando ob timorem, aliquando vero ob nimiam indignationem, quando nimirum, veluti furore quodam collidunt mutuo dentes & resonant. Nunc, inquit, ira ac rabie pleni, resonare videntur super me dentibus suis, auidi nimirum vt carnes meas dilanient.

Domine quando respicies? Tu enim longanimis ad hæc, respicere eos non videris: quando igitur animaduertes, & vindictam facies?

Restitue animam meam à malignitate eorum. Tu me libera, inquit, ab illorum peruersitate, & in pristinam securitatẽ restitue.

A leonibus

A leonibus unigenitã meam. Frendere proprie dicuntur leones, consequenter igitur cum frendere eos dixerit, postmodum leones etiam appellauit: & maxime ob ingenitam eis sæuitiam, & insidiis semper intentum animum. Vnigenitam autem animam suam, hoc est, seipsum, ea ratione appellauit, qua declarauimus in psalmo vicesimoprimo à communi etiam sensu hoc in loco subaudiendum est verbum, restitue. Μονογενῆ

Confitebor tibi in ecclesia multa, in populo graui laudabo te. Vide quæ exponendo dixerimus in cõmemorato superius psalmo, ibi: in ecclesia magna confitebor tibi. πολλῇ

Non supergaudeant qui aduersantur mihi iniuste, qui oderunt me gratis & annuunt oculis. Gratis, hoc est, sine causa. Neq; enim ego iniuria eos affeci, aut odiosum me prębui. Per annuentes vero oculis, adulatores intelligit, qui Sauli annuebant: hoc pacto detrahentes beato Dauid, aut eum carpentes si quid aliquando præsens ille dixisset aut fecisset. Οἱ μισοῦντες ἀδίκως

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, & in ira dolos cogitabant. Pacifice quidem mecum olim versabantur amica loquentes, & quæ beneuolentiam ac dilectionem prę se ferre videbantur, verum summa cum ira, quam celabant, dolos contexebant, cogitantes, quo nam me pacto in pericula conicerent.

Et dilatauerunt super me os suum. Nouissime etiam palam ac lato ore accusabant me non clam amplius, aut voce submissa. Nam qui cupiunt latere compressis pene labiis susurrant.

Dixerunt euge euge, viderunt oculi nostri. Apud antiquos illi clamabant euge euge, qui assecuti aliquid fuerant, quod optabant, repetitione illa lætitiam quandã prę se ferentes. Videntes, inquit, inimici mei me fugientem, acclamauerunt verba illa lætitiæ, euge euge: significantes nimirum, eorum rem bene se habere. Quod sequitur, viderunt oculi nostri: per se legendum est, & subintelligendum est aliquid, vt puta, viderunt oculi nostri hostem nostrum Dauid male affectum, seu in præceps delapsum: vel viderunt oculi nostri id quod erat in votis. Vel coniunctim etiam legi potest versiculus. ac si diceret, bene bene viderunt oculi nostri quæ optabamus.

Vidisti

Vidisti domine. Ea nimirum quæ patior.

Ne sileas. Ne amplius sustineas. Nam qui sustinent tacere solent.

Ne discedas à me. Nullus enim alius est mihi adiutor.

Exurge domine intende iudicio meo. Humano more hæc dicta sunt, vt sæpius diximus. Exurge, inquit, domine. Longanimis enim cum sis aduersus inimicos meos, dormire quodã modo videris. Et quid significat, intende, vide in expositione psalmi quinti.

Deus meus & dominus meus in causam meam. A communi sensu hoc in loco sumendum est verbum, intende, & per causam, iudicium rursus intelligit. Illa autem verba: deus meus, & dominus meus, & alia huiusmodi verba repetita, inuocationis intensionem demonstrant quæ ex intimo corde proueniat, & ardentis in deũ desiderij. Adfert enim huiusmodi inuocatio quoddam secum solamen, iuxta illud: memor fui dei, & lætatus sum.

Κρῖνον μοι *Iudicã mihi secundum iustitiam meam.* Iudica hoc mihi, inquit, quod cum iustus fuerim in iis omnibus, quæ ad persecutores meos pertinent, ego contra ab illis iniuria affectus sum.

Domine deus meus, & non super gaudeant mihi. Superflua est coniunctio, &, vel subaudiẽda est dictio, amabo, vt sit sensus: Amabo domine deus meus.

Ne dicant in corde suo, euge euge animæ nostræ. Hic etiam aliquid subintelligendum est, vt sit sensus: ne dicant in corde suo: factum est, euge euge animæ nostræ.

Κατεπίομεν *Ne dicant absorbuimus eum.* In ore nimirum gladij. Hæc etenim dicerent, si me morti traderent.

Confundantur & reuereantur simul qui gaudent malis meis. Verba confundantur & reuereantur, seu pudefiant, idẽ æque significant, quemadmodum & illa in sequentibus: lætentur & exultent. Confundentur autem, si vacui atq; inanes re infecta reuersi fuerint. Quod vero ait, simul, idem sibi vult ac si dixisset vno atq; eodem tempore omnes confundantur, qui gaudent malis, hoc est, infœlicitatibus & infortuniis meis.

Induantur confusione & pudore, qui magna loquuntur super me. Hoc est, qui se iactant aduersum me, & qui mala se mihi illatum ire gloriantur.

Exultent & lætentur, qui uolunt iustitiam meam. Hoc est qui volunt

volunt id, quod iustum est in causa mea. Iustum vero esset quòd inimici me temere non impugnarent, sed potius in periculis mihi opem ferrent, cum innumeris eos semper affecerim beneficiis.

Et dicant semper, magnificetur dominus, qui uolunt pacem serui tui. Dicant hoc, videntes me nimirum superasse impugnatores meos. Magnificetur autem, hoc est, magnus ab omnibus reputetur.

Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam. Si ea scilicet fiant quæ petij. Per iustitiam autem dei, iustum eius iudicium intelligit.

Tota die laudem tuam. A communi sensu hoc in loco etiam sumendum est verbum, meditabitur. Tota autem die, hoc est per totam vitam. viuere enim quodammodo non videntur, qui dormiunt. Meditabitur igitur, id est, annunciabit laudem tuam, quod perpetuum illi erit opus. Et hæc quidem sunt, quæ ad præsentis psalmi expositionem pertinent. Verum nobis etiam lector admonendus est, vt caueat ne ex hoc psalmo, occasionem aliquando fortassis sumat, imprecandi aduersus inimicos: vel quia beatus Dauid vitam, ac conuersationem legalem, & non Euangelicam degebat, iuxta quam postea Christus perfectiorem docens doctrinam aiebat: dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, & odio prosequeris inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benedicite persequentibus vos, vel quia verba hæc beati Dauid intelligenda sunt, non vt imprecentur, sed quòd sub imprecationis modo, ea prædicant, quæ inimicis euentura erant. Vel ea ratione fortassis imprecatur qua scriptum est: Percute argentum reprobum & purgabitur. Imprecabatur autem eis beatus Dauid, non vt acerbus hostis, sed veluti is, qui prauos omnes homines oderat, & optabat eos castigatione emendari, vt futurum ac horribile iudicium euaderent. Vel vt per illorum pœnas alij fierent meliores. Illud insuper addendum putamus ad prædicta: quòd plura ac potiora ipsius psalmi verba Christo dominо rectè accommodari possunt, aduersus ingratissimos Iudæos.

In finem ipsi puero domini Dauid. Τῷ παιδὶ

Cum

Cum beatus Dauid ueritus Saulis persecutionẽ moraretur in deserto, & quandam illic spelunca ueluti dormiturus subintrasset, uenit eo loci persecutor eius Saul, pernoctauitq; latere illic ignorans beatum Dauid. Noctu itaque Dauid consurgens adstitit supra dormientem, parcensq; ei, fimbriam tantum diploidis gladio abstulit, in fact iteſtimonium. Et postera die exeuntem illinc Saulem cõsecutus, ostensa fimbria diploidis acclamauit, exprobrans iniustas illius insidias, & suam pariter iustitiam annuncians: ille autem pudore suffusus non mediocri, confessus est, & compunctus, uerbisq; dilectionem simulabat, rursus tamen eum persequebatur. Quod ægreferens beatus Dauid, præsentem psalmum composuit: primo quidem proposito ut illius uitium carperet, deinde etiam ut doloſi cuiuslibet peruersitatem notaret. In finem autem inscribitur, quia in eo inimicorũ destructio prædicitur, quæ ad finem seu exitum peruenit. Puer autem domini dicitur beatus Dauid duplici ratione quẽadmodum supra declarauimus in inscriptione psalmi XVII.

PSALMVS XXXV.

φησὶ παράνομος τῷ ἁμαρτεῖν ἐν ἑαυτῷ

Dicit iniquus delinquere in seipso. Dicit, id est, putat. Articulus autẽ, τῷ, qui habetur in græco ante verbum, delinquere, superfluus est, vt sit sensus: putat iniquus peccare in seipso, hoc est putat, se clam ac latenter delinquere posse, & in sua sola conscientia, ita vt neque ab ipso etiam deo videri possit. Vel si articulum τῷ nolis esse superfluum, & legere: dicit iniquus, vt delinquat in se ipso: dic sensum esse: quòd huiusmodi vir iniquus cogitat in seipso: hoc est intra se: vt peccet. Solent enim huiusmodi articuli aliquando superflui iacere, aliquando etiam aduerbialiter poni, vt declarauimus. Per iniquum autem hoc in loco Saulem ipsum intelligit, quem summa constat vsum esse iniquitate, dum amicum pariter ac benefactorem, & generum tanto odio prosequeretur:

ὅτι ἐδόλωσεν ἐνώπιον αὐτῷ τοῦ εὑρεῖν τὴν ἀνομίαν αὐτῷ, καὶ μισῆσαι

Non est timor dei ante oculos eius. Hoc est ante oculos animæ huius iniqui. Atque ideo ita cogitat non perspiciens se latere non posse.

Quoniam doloſe egit in conſpectu ſuo, ut cognoſceret peccatum ſuum, & odiſſet. Vide, inquit, quid fecerit. Dolos expãdit ante se: hoc est: praue ac peruerse egit in hoc, vt peccatũ suum cognoscere & odisset: vt sit sensus: noluit cognoscere peccatum suum, & odisse illud.

Verba

Verba oris eius iniquitas & dolus. Ea, inquit, quæ de pace mecum tractabat, plena erãt iniquitate & dolo, & venenum quodammodo in se occultum retinebãt. Quæ res iniqua pariter erat & doloſa. Volebat enim Saul me ſecurum confidere, atque hoc pacto nihil verentem compræhendere.

Noluit intelligere ut bene ageret. Noluit intelligentiam aliquam maiorem habere, vt bonum aliquod faceret, vel vt ceſſaret ab inſidiis.

Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo. Etiam in lecto cubans praua in animo versabat. Neque enim quietis aut somni tempore quieſcebat: vnde ſumma illius malignitas demõſtratur.

Adſtitit omni uiæ non bonæ. Promptus est ad omne opus malum.

Malitiam autem non ægre tulit. Malitiã, inquit, graue quid esse non exiſtimauit: hoc eſt, à ſe eam non repulit. προσώχθισε

Domine in cœlo miſericordia tua, & ueritas tua uſque ad nubes, iuſtitia tua ſicut montes dei, iudicia tua abyſſus multa. Quemadmodum ſuperius ſummam Saulis prauitatem demonſtrauit, ita & nunc ſummam dei bonitatem & longanimitatem deſcribit, dicens: Domine in cœlo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes: hoc eſt, vſque ad ipſum cœlum. Nubes enim vſque ad cœlum aſcendũt. Iuſtitia tua ſicut montes dei: & per montes magnitudinem pariter & altitudinem ſignificauit. Montes autem dei dicuntur, veluti à deo creati. Iudicia etiam tua abyſſus multa: hoc eſt, diſpenſationes tuæ immenſum quoddam atque incomprehenſibile ſunt profundũ.

Homines & pecora ſaluabis domine. Saluare, ſeu ſaluari aliquando de æterna ſalute dicitur, iuxta illud: & ſaluabuntur iuſti: aliquando verò de temporaria ſalute, vt nunc. Exponere enim debemus: ſaluabis, hoc eſt: viuificabis, ſeu vitam eis præſtabis. Tanta eſt domine, inquit, tua miſericordia, vt non ſolum hominibus, ſed ipſis etiam irrationabilibus animantibus vitam præſtes. Per pecora enim quæ cæteris omnibus animantibus mundiora ſunt, omne animal irrationale ſignificauit. Saluabis etiam dixit pro ſalues, tẽpus ponens pro tempore. Vel per homines eos intellige, qui duce viuunt ratione, per pecora vero eos homines qui obiurata omni ratione, irrationabilium inſtar degunt. Vel per homines Iudæos intellige σῴζεις κτήνη

tellige eruditos in lege, per pecora autē Gentiles, voluptatē olim & carnis desyderia pecorū instar sectātes. Et tunc verbum, saluabis, in sua permaneat significatione, & futuri sit tēporis: & prophetiā cōtinebunt hæc verba, de fidelib⁹. Saluabis enim eos, qui crediderint audita prędicatione euangelij.

Quam multiplicasti misericordiam tuam deus. Dictio, quàm, hoc in loco admirantis animum demonstrat. Obstupescens enim propheta bonitatem ac misericordiam summam dei, qua hi pariter atque illi saluentur, inclamat ad deum, dicēs: cum quàm maxime suam in nos misericordiam multiplicasse.

Filii autem hominū in protectione alarum tuarū sperabunt. Filij hominum, hoc est homines, vt diximus in psalmo quarto. Ait igitur quòd omnes qui veri homines sunt, & qui huius nominis appellationem sceleribus suis non adulterarūt, in diuina sperabunt protectione, quodque eos deus vt auis proprios pullos fouebit ac custodiet. Et aliter intelligi potest versiculus, vt sit prophetia de christianis.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Inebriabuntur, hoc est lætabuntur. Lætitiam enim hic ebrietatem appellat, quēadmodum & diuitias vbertatem. Vinū enim, vt alibi inquit propheta: lætificat cor hominis. Vbertas etiam copiam quādam ampliorem significat. Huiusmodi, inquit, homines lætierunt à diuitiis domus tuæ. Domus autē dei ecclesia est, cuius diuitiæ pia sunt dogmata, quæ ipsos dogmatum participes spirituali afficiunt lætitia. vel per domum dei, verbi carnem intellige: illam nimirum quā simul cum anima assumpsit, & in qua habitauit. Et per vbertatem, Christi doctrinā, quæ animas irrigat, impinguat, & lætificat: ita vt cum Paulo dicere possint: quis nos separabit à charitate Christi.

Τῆς τρυφῆς

Et torrente deliciarum tuarum potabis eos. Eandem repetit sententiam, & cum ebrietatis meminerit, cōsequenter & poculum addidit. Potabis enim eos, inquit, flumine eius lætitię, quæ à te subministratur. Torrentem autem deliciarum, iucundissima Christi doctrinæ fluenta appellauit: torrentem quidem ob tempestiuam doctrinam, quæ certo tempore ab ore Christi defluebat: propterque eius vehementiam, ac vim (vt ita dicam) indetentam, & propter multa quæ de propheticis sermonibus in vnum collecta adducebat. Torrens enim ad tempus

ad tempus fluit, & vehemens est ac violentus, & ex multiplici confluit aquarum concursu. Delicias autē ideo dixit, quia lætificant, & impinguant. Aliqui per vbertatem domus dei, sanguinem Christi intelligunt, qui ex illius immaculato latere defluxit, & per torrentem, aquam illam, quæ tunc temporis cū sanguine pariter effusa est. & quæ, (vt græcę dictionis etymologia indicat) hyberno tēpore defluxit. Hyems enim erat quando passus est dominus: quæ etiam inebriauit nos, ita vt debacchati simus ad salutē, & à priori errore quo seducebamur in tutum educti, & summa affecti lætitia.

χείμαῤῥος ὡς χειμῶνος ῥέω

Quoniam apud te est fons uitæ. Quoniam tu es qui vitam præstas. Ego sum, inquit, via veritas, & vita. In seipso enim Christus vitæ, vt ita dicam, scaturiginē habet, & non aliunde: quemadmodum sancti illi habuere qui aliquando mortuos suscitarunt. Vel quia apud te patrem, filius qui perennis est vitæ largitor, inseparabilis permanet. Ego enim, inquit, in patre, & pater in me est. Fontem autem vitæ appellat, quemadmodum & alibi Hieremias dicens ex eius persona: Et me fontem vitæ reliquerunt.

In lumine tuo uidebimus lumen. Hic theologiam tradit de sancta Trinitate ex fidelium persona loquens, Nos, inquit, ô pater, qui fideles futuri sumus, per lumen, hoc est, per diuinitatem filij tui, cognoscemus lumen spiritus sancti. Nam si deus, vt inquit Gregorius theologus, lumen triplex est, consequenter vnaquęque in deo persona lumen dicenda est. Filius igitur docuit de spiritu sancto, paracletū alium, hoc est alium consolatorem atque alium aduocatum eum appellās, eiusdemque potestatis atque eiusdē esse honoris significans. vel aliter: nos à sancto spiritu illuminati radios lucis filij tui contemplabimur. Nemo enim potest dicere dominū Iesum nisi in spiritu sancto. Item alibi: deus nobis reuelauit per spiritum sanctum.

φιλαμπῶς

Extende misericordiā tuam cognoscentibus te. Perpetuo eorum deus miseretur, qui illius cognitione digni sunt: quod propheta nunc dicit, rogantis in morem.

παράτεινον τὸ ἔλεός σου τοῖς γινώσκουσί σε

Et iustitiam tuam iis, qui recto sunt corde. Et assidue præsta iustum auxilium tuum iis, qui in sermonibus atque actionibus suis recti sunt.

Non ueniat mihi pes superbiæ. Pedem superbiæ pro integra

gra ponit ſuperbia, veluti totũ à parte. Non dominetur mei, inquit, ſuperbia. Superbiæ autem nomine, omne vitiũ ſignificauit: quoniam vertex eſt, & genitrix peccatorum omnium ſuperbia.

μὴ σαλεύσῃ σαύλους

Et manus peccatoris non concutiat me. Hoc eſt, ipſe peccator, à parte totum ſignificans, vt ſupra diximus: & per peccatorem ipſum dæmonem intelligit: vel Saulem, aut alium ex omni parte ſceleſtum. Non cõcutiat autem: hoc eſt: non me moueat ab illa nimirum ſtabilitate ac ſede, quam in virtute collocaui.

Illic ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. Illic: id eſt, in loco illo, ſeu in tempore à deo conſtituto. Et non dixit, cadent, ſed ceciderunt: veluti qui prophetícis oculis illorũ ruinam cerneret. Intelligit autem Saulem & ſequaces: aut alios huiuſmodi ſceleſtos homines.

Expulſi ſunt, & non potuerunt ſtare. Expulſi iam ſunt, à diuino auxilio, ob eorũ ſcilicet vitia: & deinceps firmari non poterunt.

Pſalmus ipſi Dauid.

Admonitiones continet hic pſalmus. Admonet enim ut unuſquiſque uarios rerum euentus patienter ferat, & mentem non adhibeat ad prauorum hominum proſperitates.

PSALMVS XXXVI.

μὴ παραζήλου

NE *æmuleris in malignantibus.* Aemulationẽ imitationem appellat: ac ſi diceret: noli imitari malignantes, tametſi ſecunda eos videas florere fortuna. Poſſumus etiam æmulationem pro irritatione intelligere, quemadmodum græca dictio ſignificantius exprimit, zelum, æmulationem appellans: vnde etiam verbũ ſuum deducit: ac ſi diceret: noli irritari, aut mœrere, quando prauos vides fœlicem vitam degere. Conſtructio autem hoc in loco indifferens eſt, & regulam non ſeruat, iuxta Hebraicum idioma.

μηδὲ ζήλου

Neque æmuleris facientes iniquitatem. Multi enim quotiés prauos vident externis hiſce bonis abundare, puſillanimitate ducti ad illorum imitationem incitantur. Quam rem propheta, veluti pernicioſam deteſtatur. Eſt autẽ æmulatio, ſeu potius iuxta græcam literam, zelus, appetitus quidam poſſidendi

dendi bonum illud, quod quis videt in alio: & proprie quidẽ ponitur in bonum, ſæpenumero etiam in malum. Verſiculus verò iſte proxime ſuperiorẽ verſiculum declarat, atq; eiuſdẽ eſt ſenſus, cum illo. Vel, ne æmuleris: hoc eſt, noli beatos eos dicere, nec precari vt ſimilis eis fias.

Quoniam ſicut herba, cito exareſcent. Non habentes, ſcilicet radicem validam.

Et quaſi olera herbarum cito decident. Idem rurſus repetit. Olera autem herbarum dixit pro ipſis herbis, viuis nimirum ac virentibus, vel pro iis, quæ pertinent ad genus herbarum. Hæc enim omnia defluunt cum aruerint.

Spera in domino & fac bonitatem. Spera, inquit, in domino qui virtutum tuarum labores non deſpiciet, & quod bonum eſt, operare. Bonitatem enim poſuit pro bono.

Et inhabita terram. Sic faciens, inquit, intrepide quam habes habitationem, poſſide. Deum enim tui cuſtodem habes.

Et paſceris in diuitiis eius. Et paſceris à deo in bonis eius, ita vt vtilibus fruaris, & à noxiis non lædaris.

Deliciare in domino. Delectare, inquit, in domino, per immenſam nimirũ atque inſatiabilẽ eius dilectionẽ, aut per inexplebilẽ mandatorũ eius, ac diuinæ legis contẽplationem. καταρῦ φησον

Et dabit tibi petitiones cordis tui. Cum enim diligas deum nihil ab eo indignum poſtulabis.

Reuela domino uiam tuam. Per viam nunc conuerſationẽ, ac vitæ normam intelligit, quam viſitatione ac cuſtodia dei dignam fieri iubet. Nouit enim dominus vias iuſtorum. De quo vide, quæ circa finem primi pſalmi dicta ſunt.

Spera in eo. Rurſus ſpem protendit, tanquam neceſſariã iis, qui in afflictionibus ſunt conſtituti. Sola enim ſpes minuit dolores.

Et ipſe faciet. Faciet nimirum, quæ ſperas, quæ petis, & quæ conducunt.

Et educet quaſi lumen iuſtitiã tuam. Iuſtitia hoc in loco ſumenda eſt pro iuſta ſententia. Et educet, inquit, iuſtam de te ſententiam, luminisque cuiuſdam inſtar, fulgentem, ac conſpicuam coram omnibus conſtituet. Pater tuus, inquit, alibi, qui videt in occulto, reddet tibi in manifeſto. Vel afferet virtutem tuam in medium, diuulgans eam quaſi purum lumen, & prædicans in tempore opportuno.

Et iudicium tuum tanquam meridiem. Eandem repetit ſententiam. Meridies enim pura & ſyncera eſt, ac fulgentiſſima diei lux. Vel educet iudicium tuum: hoc eſt, conuerſationem, ac vitam illam quam iudicio tuo tibi ſectandã propoſuiſti, publicabit, & omnibus notam faciet, vt meridiem. Meridies enim omnibus eſt manifeſtus, veluti ſplendidiſſima ac lucentiſſima diei pars.

Subditus eſto domino. Seruans nimirum illius mandata & non ægreferens flagella ab eo miſſa, ſed gratias ei agẽs, quaſi erudienti te, ac caſtiganti.

Et ora eum. Vt ſcilicet miſereatur tui, & protegat te.

Ne æmuleris in eo, qui proſperatur in uia ſua, in homine faciente iniquitatem. Hæc verba eundem ſenſum habent, quam illa: ne æmuleris in malignantibus, neque æmuleris faciẽtes iniquitatem: verum apertiora ſunt. & dum ait: in eo, qui proſperatur in via ſua: diſtinxit de quo nã loquatur: de iniuſto nimirum. Nam alioquin, ſi iuſtus ſit, qui proſperatur, imitari eum debemus.

Deſine ab ira, & derelinque furorẽ. Cum vides, inquit, iniuſtos homines in ſecunda eſſe fortuna, noli iraſci, aut indignari erga eos, quaſi præter id proſperẽtur, quod par eſt: neque tecum ipſe illud doleas, quòd ob ſummũ tuum erga virtutes amorem, potius infœlicior ſis. Ira autem & indignatio hic idem ſignificant: verum ſi eorum differẽtiam quæris, vide quæ exponendo dixerimus circa principiũ ſexti pſalmi.

Ne æmuleris, ut maligneris. Quia prauos aliquando, & ali quando bonos æmulamur, primam emulationis ſpeciẽ auertit. Nam æmulari ad bonum rectum eſt. Et conſydera quomodo in principio pſalmi obſcurius huiuſmodi admonitionem tradidit, & quomodo deinceps procedendo aliquanto eam apertius declarauit, ac nunc tãdem plenius manifeſtam facit. Eadem autem ſæpius repetit prophera, & ſupra atque infra ea reuoluit, ſperans hac ſermonis perpetuitate firmam ac ſtabilem doctrinam in auditorũ aures immittere. Deinde ponit cauſam quare malignandum non ſit.

Quoniam qui malignantur exterminabuntur. Corporis nanque, aut animæ iacturam facient.

Suſtinentes autem dominum ipſi hæreditabunt terram. Cœleſtem ſcilicet habitationem, ſæpenumero etiam, & hanc præſentem.

ſentem. Eſt enim terra quædã cœleſtis, ſicut & cœleſtis quędam eſt Hieruſalem. Vel terram paradiſi dicit.

Et adhuc modicum, & non erit peccator. Non diu permanebit peccator. Illius enim prauitas extinguetur: tametſi nimiũ nobis ſuper viuere videatur. Verũ hoc non iuxta puſillanimitatem noſtrã dictũ eſt, ſed iuxta ipſius dei longanimitatem.

Et quæres locum eius, & non inuenies. Non inuenies ipſum peccatorem, iam mortuum. Vel non inuenies locum eius, alterius iam effectum.

Manſueti autem hæreditabunt terrã. Hoc eſt, longanimes, ac patientes viri. Quod ipſe etiam ſaluator in euangelij beatitudinib⁹ dicebat. Ea enim quæ per prophetas dixerat, proprio etiam ore confirmauit. Merito autem cœleſtem illam terram hæreditabunt poſtquã mundana hac, atque eius bonis ob propriam manſuetudinem priuati ſunt.

Et deliciabuntur in multitudine pacis. Et fruentur illa terra in multa pace, vnde dolor, triſtitia, & gemitus aufugerunt. κατατρυφήσουσι

Obſeruabit peccator iuſtum. Torue eum intuens, ac mala cogitans.

Et frendet ſuper eum dentibus ſuis. Collidens enim ac cõfricans dentes, inexpletã illam rabiem oſtendet, qua eum appetit dilaniare. Furoris etenim hoc indicium eſt, latentis in corde. Intelligi etiam poteſt peccator pro dæmone, qui iuſtos obſeruat, & mente ſeu intellectu ſuo, vtpote incorporeus, quaſi dentibus quibuſdam frendet. καὶ βρύξει

Dominus autem irridebit eum. Negliget eum, vt imbecillẽ atque omnino prauum.

Quoniam proſpicit, quòd ueniet dies eius. Præuidet enim vt deus aduentantem diem, qua deſtruendus eſt.

Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum, ut deiiciant inopem & pauperem, ut iugulent rectos corde. Non ſuſtinentes nimirũ eos videre: eo quòd eorum iuſtitiam ac virtutes propriæ iniquitatis argumentum, & redargutionẽ eſſe exiſtimant. Recte etiam gladio appoſitum eſt verbum, iugulent: & arcui, verbum, deiiciant. Diuerſitate autem armorum multiplex inſidiarum genus indicat. Inopem etiam & pauperem, indifferenter hic poſuit, vel ad commouendam miſericordiam. τῷ σφάξαι

Gladius eorũ intret in corda ipſorũ, & arcus eorũ confringatur.

Eorum,inquit,insidiæ contra ipsos conuertentur. Quod aliis verbis alibi etiam expressit propheta dicens: & incidit in foueam quam fecit. Imprecatur autem eis malum, veluti iis, qui praui erant. Omnis enim,inquit dominus, qui acceperit gladium,gladio peribit. Gladius præterea & arcus accipi hic possunt pro lingua malignorum. Dentes enim eorum, alibi inquit,arma, & sagittæ, & lingua eorũ gladius acutus. Proprie igitur lingua eos interficiet, & labia eorum morte extinguentur.

Melius est modicum iusto,super diuitias peccatorũ multas. Verum multo melius à iusto homine esse censetur modicum quid iuste partũ: atque ideo plura non appetit cum iniustitia. Horum itaque fœlicitatem æmulari nos oportet.

Quia brachia peccatoris conterentur. Brachia,vires appellauit,in quibus tota pene operandi ac laboris vis consistit.

Confirmat autem iustos dominus. Vexatos nimirum ab iniquis, seu etiam à dæmonibus. Considera autem, quomodo vtrinque nos propheta ad virtutem exhortatur, dum & peccatorum pœnas,& iustorum narrat præmia.

γινώσκει *Cognoscit dominus uias immaculatorum.* Ipse enim eas sanxit. Vel aliter declara, vt diximus circa finem primi psalmi,

Et hæreditas illorum in seculum erit. Hæreditas iustorum, regnum est cœlorũ. Venite,inquit,benedicti patris mei,hæreditate paratum vobis regnum. Quod verò ait,in seculũ,idẽ est quod perpetuo. Illius enim hæreditatis non erit finis: vel erit in seculum, futurum scilicet. In hoc enim seculo hæreditatem non habent, hospites se esse scientes, ac peregrinos.

Non confundentur in tempore malo. Non superabuntur in tempore afflictionum. Habent enim adiutorem deum. Vel tempus malum futurum appellat iudicium, quod peccatoribus grauissimum erit ac molestissimum.

Et in diebus famis saturabuntur. Veluti Helias qui à coruo nutritus est: & alij multi,qui admirabiliter à domino alimẽta acceperunt. Vel saturabuntur spe futurorum bonorũ, nullum amplius corruptibilem cibum appetentes. Neque enim in solo pane viuit homo. vel per famem figurate,omnem necessitatem intelligit,& per saturitatẽ,visitationem ac protectionem dei.

Quoniam peccatores peribunt. Neque enim diu permanet cum

cum eis fœlicitas. Perire autem non tantum is dicitur,qui in hoc mundo perit, sed ille etiam qui æternę salutis iacturam fecerit. Perit enim,atque deletur ab hæreditate iustorum.

Inimici autem domini simulac glorificati fuerunt,& exaltati,deficientes sicut fumus defecerunt. Hæc de Iudæis Christi occisoribus intelligenda sunt,qui gloriam à multitudine consecuti,& cæteris antelati,de morte saluatoris gloriabundi non multo post tempore funditus exterminati sunt à Romanis, ac fumi instar dissipati penitus,atque deleti. Dici etiam hęc possunt de idolis quæ exaltata & glorificata ad tempus,tandem penitus euanuerunt,& deleta sunt,& per illa dæmones pariter qui in eis habitabant. ἐξέλειπον

Mutuatur peccator, & non soluet. Nõ solũ,inquit,peccator non donat,neque impertitur propria, sed aliis à se debita etiam non reddit: adeo nimirum iniquus est & sæuus.

Iustus autem miseretur, & tribuit. Miseretur quidem propria donans: & tribuit: hoc est, reddit quæ ab aliis mutuatus est,diuersa penitus & contraria incedens via, atque incesserit peccator. Vel aliter: iustus videns peccatorem ingratum esse debitorem in tempore necessitatis, ei nihilominus mutuum præstat. δίδωσι

Quoniam benedicentes ei hæreditabunt terram,maledicẽtes autem ei exterminabuntur. Tanta deo de iustis cura ac sollicitudo est, vt illorum etiam misereatur, qui eis benedicunt, & illos castiget, qui eis maledicunt. Nam & dictum esse legimus à deo ad Habraam, benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus. Maledictionem autem hic contumeliam appellat. Illa autem dictio, quoniam, hoc in loco non reddit rationem, sed sententiam tantum asseuerat: vel superflua est: vt sæpenumero apud prophetã reperitur iuxta Hebraicum idioma. ἐξολοθρευθήσονται

A domino gressus hominis dirigentur. Manifeste docet,quòd absque diuino auxilio, homo per se nullum potest bonum operari. Nisi enim, inquit,dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Promptitudini autem nostræ cooperari solet. hominem autem hic iustum intelligit.

Et uiam eius uolet ualde. Conuersationẽ iusti benigne suscipit dominus,vtpote irreprehensibilem. Symmachus autẽ σφόδρα

pro, volet, transtulit proſperabit.

καταῤῥᾳ χωθήσε ται ἀντι σηρίζει

Cum ceciderit non confringetur, quia dominus contra firmat manum ſuam. Si in externis bonis aduerſa vexetur fortuna, vt Iob, vel ſi circa ſpiritualia bona lapſus fuerit, vt Dauid: non permanebit tamen in hac ruina, quia dominus cõtra firmat, hoc eſt, ſupponit manum ſuam, ſuum ſcilicet auxilium. Pœnitentia etiam accipitur pro manu dei, tanquàm, quæ à deo proficiſcitur, & nos de lapſu, ac ruina trahit atque conuertit ad dominum.

Iunior fui, etenim ſenui, & non uidi iuſtum derelictum. Superflua eſt illa coniunctio enim: Senſus eſt: iuuenis fui, & ſenui iam: & in tota hac vita mea, nunquam vidi iuſtos à deo derelinqui. Cuſtodit enim deus omnes, qui eum diligunt. Quod ſi aliquando viſus eſt deus ad tempus aliquos derelinquere, veluti ipſum Dauid: non tamen eos penitus dereliquit, ſed magna cum diſpenſatione ita permiſit, vt poſt tentationes deinceps attentiores redderentur.

Neque ſemen eius quærens panem. Neque eius filios indigentes. Nam etſi ad tempus aliquantulum afflicti ſunt, non tamẽ perpetuo. Et aliter: beatus Dauid ſe eouſque id non vidiſſe aſſeuerat. Vel altius intelligi poteſt, vt dicat: ſe non vidiſſe iuſtorũ ſemen fameſcere: hoc eſt ſpirituali cibo carere: iuxta illud: non necabit fame dominus animas iuſtorum. Nam alioquin, ſemen Iacob in Aegypto panem quæſiuit.

πᾶν δανεί ζει ὁ δί καιος

Tota die miſeretur, & mutuat iuſtus. Tota die pro ſemper. Et petentibus, aliquando pecunias, aliquando vtiles admonitiones præſtat.

Et ſemen eius in benedictionem erit. Dixit enim deus ad Moyſem, ſe miſereri filiorũ, propter eorũ patres, qui ſibi grati fuerũt: & quòd ſimiliter propter parẽtũ vitia retribuit poſteris calamitates. In benedictionẽ autem erit: hoc eſt benedicetur, & laudabitur ob parentis nimirum merita.

Declina à malo & fac bonũ. Hoc in pſalmo XXXIII declaratum eſt.

Et inhabita in ſeculũ ſeculi. Cum, inquit, iam didiceris, quæ nam ſint virtutũ, & vitiorũ præmia, elige meliora, & habita longo tempore. Ita enim ſignificãt verba illa: in ſeculum ſeculi. Iuſti etenim, qui olim fuere, diutius vixerũt: quòd ſi aliqui ex eis iuniores mortui ſunt, diuina id diſpẽſatione factũ eſt.

eſt. Nam & Salomon diuturnam pollicetur vitam timentibus dominum. vel, habita in ſeculum futurum, tu qui incola es in præſenti ſeculo, vbi non perpetuo, ſed certo ac breui degimus tempore.

Quoniam dominus diligit iudicium. Hoc eſt, quoniam dominus iudex eſt. vel per iudicium, iuſtitiam intelligit.

Et non derelinquet ſanctos ſuos. Iuſtum enim eſt, vt eos nõ derelinquat, qui illum non dereliquerint. per ſanctos autem, hic iuſtos, ſeu virtute præſtantes viros intelligit.

In ſeculum ſeruabuntur. In præſens ſcilicet: & in futurum. εἰς αἰῶνα φυλαχθή σονται

Iniqui autem expellentur. A præſentibus & futuris bonis. (ἐκδιωχθήσονται.) ἐξολεθρευ θήσεται

Et ſemen impiorum exterminabitur. De hoc paulo ſuperius dictum eſt, ibi: & ſemen impiorum in benedictionẽ erit.

Iuſti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eam. De hoc ſimiliter paulo ſuperius dictum eſt, ibi: ſuſtinẽtes autem dominum hæreditabunt terram, & ibi: hæreditas eorum in ſeculum erit. eadem autem propheta ſæpius repetit, volens, vt diximus, conſtantiorem ac diuturniorem memoriam in legentium animis imprimere.

Os iuſti meditabitur ſapientiam. Libẽter beatus Dauid narrat iuſti hominis opera, vt alios ad æmulationẽ virtutum trahat. diuinam, inquit, ſapientiam, quæ in ſacris ſcripturis, nobis reuelata eſt, iuſti, ac ſancti viri ſemper meditantur.

Et lingua eius loquetur iudicium. Iudicium dei inquã, quod hominibus declaratum eſt. vel per iudiciũ ſermonem intelligit, qui cum iudicio, ac diſcretione prolatus ſit. nam iuſtus cũ loquitur, incõſyderatum nunquam profert ſermonem.

Lex dei eius in corde ipſius. Indelebilis in illius mẽte permanet, ſiue ſcriptam ſeu nõ ſcriptam dei legem intelligas.

Et non ſupplantabũtur greſſus eius. Via eius ad deũ ab inimicis non impedietur, ſiue viſibiles, ſiue inuiſibiles inimicos intelligas. quia nihil ei impediměto eſſe poterit ad virtutem.

Conſyderat peccator iuſtum, & quærit occidere eum. Conſyderat, hoc eſt obſeruat, inſidias diſponit. per peccatorẽ verò non tantum iniuſtum hominem, ſed ipſum etiam dæmonem intellige, veluti eum, qui cauſa eſt, & pater peccati. θανατῶ σαι

Dominus autem non derelinquet eum in manus eius. Neque enim prorſus permittit, vt ſimul cum corpore, voluntati pa-

riter atque arbitrio illius dominetur: quinimmo inter tentatiões eripiet eum à periculo, & in ſpirituali animę pugna, victorem eum eſſe oſtendet. vel aliter: tametſi ſæpius in eum dominus inſidias diſponi permittat, poſtremo tandem parcit ſeruo ſuo.

Nec condemnabit eum cum iudicabitur illi. Neque in præſenti vita iuſtum derelinquet, neque in tempore futuri iudicij eum condemnabit, quando nimirum peccator ſimul cum iuſto illo iudicabitur, quem inſidiis olim fuerat inſecutus. hoc enim ſignificat verbum, iudicabitur. & aliter: dæmones tunc iudicabuntur cum iuſtis, & illis improperabunt, ſiquid minimum in hac vita peccauerint.

Expecta dominum. Dum tentaris: atque inſidiis impeteris, expecta dominum qui te eripiet de periculis, hoc eſt ſpera in domino.

Et cuſtodi uiam eius. Quam ipſe mãdatis ſuis nobis demõſtrauit. cuſtodi autem, id eſt dilige.

Et exaltabit te, ut hæreditate capias terram. Superiorem te faciet inſidiatoribus tuis: vel ſublimem, ac magnum te apud homines eſſe demonſtrabit. & quia multi hæreditatem terræ appetunt, & fruitionem bonorum eius, aut diuturnam vitam, aut liberorũ procreationem, aut inimicorum exterminationem, aut alia huiuſmodi: idcirco his promiſſionibus propheta omnes ad virtutem exhortatur, eandem ſæpius repetens ſententiam. à ſublimioribus tamen, ſublimiora etiam hic conſyderantur, vt ſuperius diximus.

Cum exterminati fuerint peccatores, uidebis. Multorum puſillanimitatem conſolans propheta, qui ægreferebant, Deum aduerſus prauos, tanta vti patientia, & longanimitate, ait: cõfide, quia iniuſtorum, ac prauorum omnium exterminationem videbis: & ſermonem ſuum confirmat ex iis, quæ ipſe vidit. ait enim.

Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut Cedros Libani. Ipſe quidem propheta indefinite impium dixit, nos tamen Goliath, aut Saulem intelligere poſſumus, aut Naas Amonitem, aut alios huiuſmodi, quorum primo exaltationem vidit, & deinde deſtructionem. & quod ait: ſuperexaltatum, à ſubditis, atque ab aliis hominibus ſuperexaltatũ intellige: eleuatum verò à ſe ipſo & faſtu proprio: tametſi vtraq;

vtraque dictione idem poſſumus etiam intelligere. Cedris autem impium comparauit, eo quòd altæ ſunt, & infructuoſæ, & ſucco amaro.

Et pertranſiui, & ecce non erat. Modo, inquit, illũ ſeſe gloriantem dimiſi, pertrãſiui, & ſtatim euanuit. dictio enim ecce, hoc in loco, ſtatim, ſignificat.

Et quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Et inde ad tẽpus cogitatione quæſiui eum videre, & non eſt inuentus locus eius, locus nimirum, qui alicubi eum exiſtentem contineret. Quomodo igitur inuenietur, cum non ſit? vel per locũ eius, corpus ipſum intellige, quod antea animæ domicilium erat, & poſtea putrefactione diſſolutum eſt. Si quæres, an habeat locũ, nullum inuenies. manſiones enim eorum dicũtur qui ſaluantur. nam eorum qui pereunt, gehẽna, vel huiuſmodi, hominis nõ dicitur eſſe locus aliquis, ſed perditio.

Cuſtodi innocentiam. Simplicitatem dixit Symmachus.

Et uide rectitudinem. Obſerua, inquit, vt rectus ſis, & recte ambules.

Quoniam reliquiæ ſunt homini pacifico. Reliquias memoriã appellat, hæc autem duplici modo conſeruatur, per prolem videlicet, & per bona opera.

Iniqui autem exterminabuntur in idipſum. In idipſum idem eſt, quod vna, hoc eſt, ſimul cum eorum memoria: quod in ſequenti etiam verſiculo magis declarauit, dicens.

Reliquiæ impiorum exterminabuntur. Per impios prauos omnes intelliges.

Salus autem iuſtorum à domino, & ipſe protector eorum eſt in tempore tribulationis: & adiuuabit eos dominus, & liberabit eos, & eripiet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos, quoniam ſperauerunt in eum. Vide quàm varie ac multipliciter varia, ac multiplicia auxilia annunciauit, quæ deus iuſtis impartitur. varij enim ſunt eorum modi, & varie adminiſtrantur, iuxta variã ac multiplicem eius ſapientiam. Aperta autem, & clara ſunt hæc verba, nec aliquid habent perceptu difficile.

Pſalmus ipſi Dauid in rememorationem.

Hic pſalmus conſimilis eſt ſexto pſalmo. Simile enim habet principium, & ita quemadmodum ille, calamitates etiam deplorat, quæ

propheta

prophetæ de peccatis obuenerant. ab illis præterea liberari postulat, & requiem consequi. Par est autem compositum fuisse hunc psalmum à beato Dauid eo tempore, quo persequebatur eum Absalon, cum commissa olim à se delicta, & præsentes calamitates memoria repeteret, ob quæ in rememorationem inscribitur.

PSALMVS XXXVII.

παιδεύσῃς

DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua erudias me. In sexto psalmo iam diximus, quæ ad præsentis versiculi expositionem pertinent. furorem autẽ, & iram dei passiones, aut affectus in eo putare non debemus, sed vehementissimas suppliciorum sententias, quæ peccatoribus debentur.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Per sagittas dei, hoc in loco redargutionum sermones intellige, quos ei dixerat propheta Nathan. vel leges aduersus adulteros, & occisores prolatas, quæ adeo illius cordi infixę erant, vt stimularent eum assidue, & eius animam summo afficerent mœrore. vel per sagittas dolores intellige, qui à calamitatibus proueniunt, & sagittarum instar cor nostrum pungunt, ac penetrant, quique sagittæ dei merito appellari possunt, quia illius permissione nobis infiguntur. quod autem. LXX. dixerunt, infixæ sunt, Symmachus reddidit, attigerunt.

Et firmasti super me manum tuam. Firmasti, hoc est sæpius detulisti, dum assiduis me flagellis cædis. vel grauem esse fecisti in me ictũ manus tuæ, ita vt illius verbera ferre nõ possim. per manũ autem, castigandi potestatem intellige.

ἴασις

Non est sanatio in carne mea à facie iræ tuæ. Verba hęc, à facie iræ tuæ, & à facie peccatorum meorum: item à facie insipientiæ meæ, & alia huiusmodi, per circunlocutionem dicta sunt, pro eo, quod est: propter iram tuam, propter peccata mea, propter insipientiam meam. nõ est igitur in carne mea sanatio, hoc est liberatio ab illo malo, quod ego ipse mihi intuli, atq; hoc propter iram tuam, ac minas tuas, quas, mihi tuo nomine nunciauit propheta Nathan. vel propter iram, quam legibus tuis comminaris. De huiusmodi autẽ afflictione in aliis etiam psalmis tradit, dicens: humiliabã in ieiunio animam meam: item caro mea mutata est propter oleum: item adhæsit os meũ carni meæ, & laborani clamans, raucũ factum est guttur meum, & alia huiusmodi.

Non est

Non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum. Nõ est stabilitas, nec constantia in eis. ob peccata enim mea cõtremiscunt, adeo prorsus concussa sunt.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Auctæ nimirum, atq; eleuatæ: magnitudinem enim ipsarũ his verbis significat, quemadmodũ, & alibi multitudinẽ, dicens: multiplicatæ sunt capillos capitis mei.

Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et graues, ac molestæ mihi sunt: quia illarum memoriam ferre non possum. vel eo quòd oneris instar me incuruãt. solent enim qui mœsti sunt, proni in terram aspicere, quemadmodum, & ij faciunt qui aliquod pondus ferunt.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Animæ, inquit, meæ cicatrices, quæ ab ignitis mihi diaboli sagittis factæ sunt, putruerunt: neque id tantum in superficie, sed introrsus etiam penitus commarcuerunt. quibus verbis, magnam animæ læsionem significat, dum grauẽ negat se vulnerum olentiam ferre posse, hoc autem factum est, ob insipientiam meam: quia si sapientiam non amisissem, nõ fuissem hoc pacto vulneratus. Considera etiam quomodo delicta sua augeat, & magno ea animi cum ardore fateatur. dixit enim magna ea esse & grauia: & fœtere insuper. Pœnitentiæ autem illud signum est, vel maximum, cum quis putredinem sentit peccati: quia tunc vehementer illud abominatur.

ἐταλαιπώρησα

Fatigatus, & curuatus sum usque in finem. Defatigatus sum ob ea, quæ cõmemoraui. vel aliter: dum sanare atque curare cupio corpus meũ grauiter affectũ, fatigatus, ac debilitatus sum & curuatus vsq; in finẽ, hoc est omnino, & prorsus.

Tota die contristatus ingrediebar. Quanquã rex essem, semper tamen in mœstitia versabar, veluti, qui à conscientia teste pungebar, & cui lætitia diffundi non dabatur.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus. Si affectus concupiscentiæ illusio est, & consequenter mendacium potius, quàm veritas: non est concupiscentia voluptas, sed vmbra potius voluptatis. hac de causa dicebat Apostolus: manete precincti lũbos vestros in veritate, hoc est, in vera voluptate, quæ à castitate, & tẽperantia oritur, atque à iustitia. lũbos autẽ Symmachus dixit latera, & vtroq; sermone cõcupiscibilis

animæ

animæ pars significatur. Nam iuxta latera renes sunt, in quibus potissimum libidinis appetitus iacet. Ait igitur concupiscentia mea illusionibus dæmonis impleta est. Illusit, enim cum dæmon, ad motus iritans iniquos & turpes.

ἴασις

Et non est sanatio in carne mea. Et deinceps, inquit, me ita illuso, nulla est requies carni meæ. Castigo enim eam, vt prędictum est, & illicitæ ab ea voluptatis pœnas exigo.

Afflictus sum. Fame, siti, vigiliis, humi cubando, & si quid aliud huiusmodi est.

ἕως σφόδρα

Et humiliatus sum usq; ualde. Vsq; valde, idioma Hebraicum est, & idem significat, quod, valde.

Rugiebam à gemitu cordis mei. Ab acerbitate gemitus cordis mei, qua cruciabar, rugire videbar vt Leo. Nam quod septuaginta dixerunt, rugiebam, Aquila reddidit: frendebam. His autem verbis beatus Dauid rectam erga deum mentem suam omnibus patefacit. Nam peccator cum in profundum malorum ceciderit, despicere solet, iustus autem etiam minima quæque peccata semper veretur.

κύριε ἔναντίον σου

Domine coram te omne desiderium meum. Desiderium scilicet quod post peccata mihi innatum est. Nosti enim quòd concupisco salutem meam & à præsentibus angustiis ac doloribus liberari.

Et gemitus meus à te non est absconditus. Percipis enim illum auribus tuis, veluti vocem quandam de profundo aliquo loco emissam.

Cor meum turbatum est. A mea nimirum conscientia atq; à pœnitentia.

ἰσχὺς

Derelinquit me fortitudo mea. Omni videlicet passionis genere fatigatum: vt prædictum est.

Et lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Propter valde duram, ac peracerbam vitam meam, & præ assiduis lachrymis in hebetudinem quandam oculorum ac pene in cęcitatem deueni. Ordo autem sic fiat, & lumen oculorum meorum ipsum non est mecum, cum scilicet perierit. Vnde superflua iacet illa secunda coniunctio, &. Vel per lumen oculorum animæ beati Dauid, Spiritum sanctum intellige, qui ob patrata, ab eo scelera magna ex parte auolauerat. Hunc autem versiculũ cum proxime subsequenti, quidam ex Christi persona proferendũ intelligũt, & loqui de discipulis.

Amici

Amici mei & proximi mei aduersus me appropinquauerunt & steterunt. Subnotare videtur Achitophelem atque alios huiusmodi multos. Amici mei, inquit, & familiares mei venerunt aduersum me. Hoc enim significant verba illa: appropinquauerunt, & steterunt contra me: deo scilicet ob peccata mea id permittente: ex quibus hoc mihi calamitatum genus incubuit.

Et qui iuxta me erant de longe steterunt. de eisdem inimicis loquitur, qui odio quidem appropinquauerunt, vt persecutores, & ab antiqua beneuolentia procul facti sunt, veluti discedentes ab amicitia. Vel, alios etiam amicos & subditos intelligere possumus, qui timore Absalonis à beato Dauid ad illum deficiebant.

Et uim faciebant qui quærebant animam meam. Et angebant me, inquit, ij, qui animam meam, hoc est, qui me ipsum quærebant, & omni arte mihi molestiam inferebant. Vel quærebant animam meam, vt auferrent eam, quemadmodum dixit in psalmo trigesimonono.

Et qui quærebant mala mihi locuti sunt uanitates. Et qui meam ruinam sitiebant, blasphemias aduersum me locuti sunt, conuitiis atq; calumniis me impetentes. Vanitates autem dixit veluti mendacia quædam, ac falsa.

οἱ ζητοῦντες

Et dolos tota die meditabantur. Hoc est insidias, quomodo nimirum me deciperent, & comprehenderent.

Ego quasi surdus non audiebam. Reuera quidem audiebam, sed audire non videbar, quia tacebam, & non conturbabar. Ipso enim Semei conuitiis sese insectante atq; maledicente & plerisque aliis, etiam idem facientibus, tacebat beatus Dauid, quasi prorsus non audiens.

Et sicut mutus non aperiens os suum. Subaudiendum est verbum, eram. Consequens est autem, vt non loquatur quis ea, quæ non audiuit.

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Hæc dicta sunt ad declarationem versiculorum proxime præcedentium. Redargutiones autem hoc in loco, contradictiones vocat, per quas redarguere quis eos solet, qui male loquuntur.

Quia in te domine speraui. Mutus factus sum, & tacui, quia te mihi iudicem futurum speraui. Mihi enim, inquit, vindi-

ctam,

ctam,& ego retribuam dicit dominus.

Tu exaudies me domine deus meus. Et quia tu omnia huiusmodi maledicta intelligis, & condignas calumniatoribus pœnas retribues. Vel tu eos exaudies, qui talia passi sunt, & tacent.

Quia dixi nequando supergaudeant mihi inimici mei. Intra me ipsum enim cum funderem preces ad Deum, dixi, cupere me exaudiri: nequando supergaudeant, & delectentur super me inimici mei.

Ἐν τῷ σα λευθῆναι πόδας μου

Et dum commoti essent pedes mei, super me magna locuti sunt. Et cum iam auersum esset iter meum à via diuinorum mandatorum illi statim pudendam quandam ceperunt libertatem gloriantes,& iactantes, velle me interimere.

Quoniam ego in flagella paratus sum. Quia ego post peccatum diuino nudatus auxilio paratus fui iis, qui castigare me voluerunt. Vel dictionem, quoniam, superfluam esse intellige, vt sæpe inueniri diximus. Et ordo est: ego ad correctionē, & emendationem tuam semper paratus sum. Ob peccata enim mea, eam promptus ac libens suscipio.

Et dolor meus in conspectu meo est semper. Et commissorum à me delictorum memoria, quæ summo me dolore afficit, semper mihi ante oculos permanet: vrgens nimirum ac stimulans. Neque enim eorum oblitus sum, veluti iis, qui dolores nullos sentiam.

Quoniam iniquitatem meam ego annunciabo. Quia peccatum ego meum publicabo, & aduersus memetipsum accusator accedam.

Et cogitabo pro peccato meo. Hoc est sollicitus ero de medicina peccati. Indifferenter autem, iniquitatem, & peccatum posuit pro delicto.

Inimici autem mei uiuunt. Ij, scilicet qui militant cum Absalone. Viuunt autem, hoc est, potentes sunt, ego autem infirmus.

Κεκραταίωνται ὑπὲρ ἐμέ

Et fortes fiunt super me. Verba hæc proxime superiorem versiculum declarant. Vel viuunt, hoc est sani, ac bene valentes sunt, & fortes fiunt, hoc est augescunt viribus.

Et multiplicati sunt qui oderunt me iniuste. Non tantum viuunt & fortes fiunt, sed aucti & multiplicati sunt. Iniuste autem oderunt me, quia nihil legitimum habent, in quo me accusare

accusare possint, aut dicere dignum odio.

Qui retribuunt mihi mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniã sequebar bonitatem. Hoc dicit propter Absalonem, qui benignitati atque amori paterno inuidiam atque insidias rependens, patrem calumniabatur, quasi iniquum, atque iniustum regem, attrahens atque alliciens hoc pacto ad conspirationem eos, qui ad regale patris iudicium accedebāt: vt in libris Regum traditur. Calumniabantur autem me, inquit, quia ego bonitatem sectabar, vel quia illum ego sic se gerentem, affligere, ac castigare nolui. Hinc etenim illius semper magis creuit peruersitas, hinc & scelestior semper factus est. Vel per bonitatem hic, iustitiam intelligit. Conuitiabatur me, inquit, quia præponendam ego semper, & præhonorandam esse iustitiam censui, & quia eius exemplo iniustitiam non dilexi.

Ne derelinquas me domine deus meus, ne discesseris à me. Priuatus enim sum opportuno omni auxilio, & te solum adiutorem ac custodem habeo.

Intende in adiutorium meum domine deus salutis meæ. Cura, inquit, vt adiuues, ac tuearis me: te dico in cuius potestate est vita mea. Et hæc quidem dicta sunt iuxta historiæ sensum: iuxta quem accommodari possunt verba psalmi beato Dauid. Conguere vero etiam potest hic psalmus omnibus fidelibus, qui in peccatis constituti sunt. Iuxta quem sensum per amicos & proximos Angelos bonos intellige, qui custodiunt nos, & lætari ac gaudere solent, in iis omnibus, quæ per virtutem à nobis administrantur: & contra: quotiens nos peccare viderint, veniunt & consistunt coram nobis tristes, ac mœsti, & primo quidem propius adsistunt: deinde vero ob grauem peccatorum olentiam à nobis absistunt: vnde postmodum venientes maligni dæmones angunt nos, & in grauiores lapsus deducunt, qui & in auribus nostris inanes sermones clam inserunt, & dolos aduersum nos contexere semper moliuntur. Verum omnes qui beati Dauid sobrietatem imitari voluerint, obstruent sibi aures animæ, eosque nec ipso etiam sermone dignos putabunt, solum deum in suum aduocantes auxilium: tametsi ipsi dæmones, ob huiusmodi eorum pœnitentiam ac sobrietatem assiduis rursus tentationibus vehementius affligere eos conentur,

conentur,& calumniis insuper impetant, ac diffamare eos apud omnes studeant,veluti peccatores.

τῷ Ἰδιθουμ

In finem ipsi Idithum canticum ipsi Dauid.

Abunde diximus in proœmio operis, quomodo hic psalmus sit beati Dauid,tametsi in inscriptione habeatur nomen Idithum. In finem uero inscribitur,quia humanæ naturæ tenuitatem deplorans, de illius etiam fine tractat,dicens: Notum fac mihi domine finem meum, & quæ sequuntur.

PSALMVS XXXVIII.

Dixi custodiã uias meas,ut nõ delinquam in lingua mea. Hunc psalmum Propheta noster composuit, eorum memor,quæ passus est, quando Absalonem fugiebat. Fugiens enim,inquit,dixi in me ipso: in posterum ego custodiam vias meas: vias inquam linguæ meæ,id est,sermones meos ita,vt lingua mea amplius non peccem,nec blasphemum aliquem emittam sermonem, qui ex pusillanimitate vt plurimum oriri solet. Castigans enim castigauit me dominus. Quòd autem apud scripturam sermones viæ appellentur, testimonio est magnus Paulus ad Corinthios,dicens: Misi vobis Timotheum qui vobis in memoriam reducet vias meas.

Posui ori meo custodiam,cum consisteret peccator aduersum me. Lingua ad peccatum promptissima est,atque ideo multa circa eam prouidentia deus vsus est. Consistere autem hoc in loco posuit, pro dimicare seu contendere. Peccatorem vero Semei appellat,cum ob perditos semper eius mores, tum etiã ob summam illam impudentiam,ac sæuitiam,quam tunc temporis magis priuatim ostenderat. Insectabatur enim beatum Dauid,lacessens eum, ac vituperans,& lapides iaciens. Contumelia, inquit, ab eo affectus sum, & tacui, nihil ei prorsus respondens.

Obmutui,& humiliatus sum. Obmutui sponte mea nimirum ac volens,& humiliatus sum,cùm memoria repeterem ob cõmissa à me peccata illum aduersum me insurgere.

ἐξ ἀγαθῶν *Et silui ex bonis.* Ex bonis,hoc est ex bonitate. Et cum posset illum vlcisci,nolui ob modestiã. Vnde cum socius quidam beati Dauid aduersus hunc Semei conuitiantem irrueret, gladio illum occisurus, detentus ab eo fuit: quinimmo & rationem addidit, dicens: Dimitte eum,vt maledicat mihi. Dominus enim dixit ei, vt maledicat Dauid, & quæ sequuntur.

Et dolor meus renouatus est. Et dolor, inquit, qui mihi de peccatis prouenit ea memoria renouatus est. Tunc enim manifeste cognoui me pœnas delictorum luere.

ἐθερμάνθη *Calefactum est cor meum intra me.* Cum afficeret me Semei contumelia, tametsi id patienter tulerim, præ ira tamen intra me inflammatus sum. Intra me autem dixit,vt ostenderet quòd huiusmodi iram externis non demonstrauit. Cæterum illud perfecti hominis est, & absolutæ prorsus virtutis, si illatam contumeliam omnino non sentiat,& ex ea nihil prorsus patiatur,quòd si quis sentiat, modeste tamen ac mansuete eam perferat, proficere is dicendus est in virtute, tametsi adhuc perfectus non sit.

Et in meditatione mea exardescet ignis. Meditando, inquit, & reuoluendo praua opera, quæ commisi, & mala quæ patior, semper me dolorum meorum ignis inflammabit,& animæ meæ incendium augebit.

Locutus sum in lingua mea. Erga inimicum quidem tacuit, vt vidimus,ad deum vero locutus est. Et quod ait: In lingua mea,idem nunc sibi vult,ac si diceret,sensim,quiete,ac quasi in susurro locutus sum. Deinde dicit,quid locutus sit.

Notum fac mihi domine finem meum. Quando erit,aut qualis erit,vsquequo,inquit,tristia perseuerabunt.

Et numerum dierum meorum quis est,ut sciam quid desit mihi. Significa mihi, inquit, numerum dierum totius vitæ meæ, quotus sit vniuersus,vt connumeratis annis meis, quoscunq; hactenus vixi, sciam quod reliquum est. Nam si mensuram, ac modum illorum didicero,non vulgarem inde consolationem habebo in calamitatibus meis.

παλαιστὰς *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Quod interpres mensurabiles dixit,in Græco legimus παλαιστὰς: quam dictionẽ iuxta vnum sensum latine dicere possumus,palmares. Verum vt clarius Prophetæ mentem percipias, sciendum est, quòd variæ sunt mensuræ, quæ manibus fieri solent. Vlna videlicet,cubitus,palmus,& palæste: de qua nunc loquitur Prophe ta,& quam nos palmam dicere possumus. Conficitur autem

palæſte ſeu palma coniunctione quatuor digitorum, & eſt tertia pars palmi, & minima eſt omnium menſura. Hoc nomine igitur paucitatem dierum vitæ ſuæ declarauit, palmares appellans dies ſuos, quaſi menſura modicos, ac breues, & quia diximus dictionem παλαιστὴς alium ſenſum poſſe recipere, alteram conſequenter verſiculi lectionem attingemus, iuxta quam legere poſſumus: Ecce contentioſos ſeu laborioſos poſuiſti dies meos, hoc eſt, certaminis ac pugnæ plenos. Deſcendere enim etiam poteſt ea dictio à palæſtra, quæ tam apud Græcos quàm apud Latinos luctationem ſignificat. In lucta autem, labore, ac contentione multa vtimur. Intelligit autem (vt diximus) Propheta reliquos vitæ ſuæ dies, dicens: quòd paruo quidem tempore victurum ſe nouit, attamen quòd ignorat, quanta futura ſit hæc paucitas temporis, & ideo alibi etiam dicit, paucitatem dierum meorum nuncia mihi, & hoc eſt, quod in præſenti etiam ſignificari ſibi à deo cupit: Modicum præterea dici poteſt hoc reliquum vitæ temporis, ad comparationem iam tranſactæ vitæ. Illud præterea non omittendum duxi, ϕ dictio, ecce, aduerbium eſt, & frequenter ab Hebræis vſurpatur, atque (vt in vniuerſum dicam) aut aliquid demonſtrat, aut proximum tempus notat, priori modo, hic ſumitur, altero alibi vſum vides Prophetam in illis verbis: pertranſiui, & ecce non erat, quod idem ſibi vult, ac ſi dixiſſet, & ſtatim ad nihilum redactus eſt.

ὡσεὶ οὐθὲν ἔμπροσθέν σου

Et ſubſtantia mea quaſi nihilum coram te. Hoc in loco incipit palam facere, quàm exilis, & fragilis ſit humana natura, & ait: ſubſtantia mea, ſeu eſſentia mea, hoc eſt, ego ipſe ſum quaſi nihilum, ſi ad beatitudinem, & æternitatem tuam fuero comparatus. Ita enim ſignificat, quod ait: coram te. Tu enim, vt alibi ait, idem ipſe es, & anni tui non deficient, ego autem immutatus ſum, & pro rege exul factus, & dies mei ſicut vmbra præterierunt.

πλὴν

Veruntamen vniuerſa uanitas. Dictionem veruntamen, quidam hic ſuperfluam eſſe opinantur, alij vero poſitam eſſe dicunt pro certe. Cum animaduertiſſet igitur beatus Dauid, quæ maiorum ſuorum tempore facta fuerant, & quæ tunc temporis fierent, omnia vanitate labaſcere, hoc eſt incertitudine, & inſtabilitate ſumma conſtare, veluti, opes, gloriam, imperia, iuuentam, pulchritudinem, vires & alia huiuſmodi: ſententiam ſuam vniuerſali hoc ſermone poſteris teſtatam reliquit. Quo tamen non animi dotes ob ſummam earum excellentiam, ſed corporis tantum, & fortunæ bona complecti intelligas.

imperia, iuuentam, pulchritudinem, vires & alia huiuſmodi: ſententiam ſuam vniuerſali hoc ſermone poſteris teſtatam reliquit. Quo tamen non animi dotes ob ſummam earum excellentiam, ſed corporis tantum, & fortunæ bona complecti intelligas.

Omnis homo uiuens. Hoc eſt, humana omnis vita. Eſt autem hic modus loquendi Hebræis peculiaris, iuxta illud: omnis homo mendax. Pro humana omnis opinio falſa. Omnis igitur humana vita vanitas eſt, quod ad præcedentis verſiculi declarationem pertinet. Per humanam vero vitam, carnalem intelligit. & ſpiritus expertem.

μὲν τοιγε

Verum in imagine pertranſit homo. Dictionem, verum, hoc in loco pari modo poſuit pro vere, ſeu certe. In imagine autem, hoc eſt, inſtar imaginis. Nam quemadmodum depicta imago nullam de pulchritudine ſua aut de colorum varietate, aut alia huiuſmodi re commodum capit, ita nullum homo ab humana fœlicitate fructum decerpit. Vel in imagine, id eſt, in vmbra, propter humanarum videlicet rerum inconſtantiam.

πλὴν

Veruntamen fruſtra conturbatur. Veruntamen hic poſuit pro, cæterum. Quod reliquum eſt, inquit, fruſtra homo fatigatur, & diſtrahitur.

Theſaurizat & ignorat cui congregabit ea. Et, quod omnium moleſtiſſimum eſt, hæredem non dignoſcit ſuum: cunq; angustias, & labores in congerendis diuitiis non mediocres ſit paſſus, fructus demum & commoda alteri, & ignoto hæredi reponit.

Et nunc quæ expectatio mea? nonne dominus? Cæterum, inquit, rebus ſic ſe habentibus, quæ nam eſt ſpes mea, nonne ſolus dominus? per interrogationem autem legendus eſt hic verſiculus.

παρὰ σοῦ ἐστὶ

Et ſubſtantia mea à te eſt. Et eſſentia mea, totum nimirum eſſe meum, à te eſt. Curam igitur habeto creaturæ tuæ, quæ grata mente ſuum agnoſcit factorem.

Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me. Iniquitates enim cauſa eſſe ſolent tentationum, & calamitatum. Ab huiuſmodi igitur cauſa liberari optat. Vel per iniquitates, figuratè tentationes intelligit, veluti effectum à cauſa.

Opprobrium inſipienti dediſti me. Ipſi Semei nimirum,

qui me conuitiis impetiit, iniquum & sanguinarium appellans. Reassumpsit autem sermonem Propheta, & per crebram miseriarum suarum commemorationem, misericordem deum, magis ad misericordiam trahit. Solet etiam dæmon iis, qui à se victi fuerint, victoriam suam improperare, atque in illos probra iacere.

ἐκοφώθην *Obsurdui.* Sponte mea nimirum, adeò vt non audire visus sim.

Et non aperui os meum. Neque aliquid contra dixi.

Quoniam tu fecisti. Quia, inquit, tu ei mandasti vt mihi conuitiaretur. Dominus enim, inquit, dixit ei, vt malediceret Dauid, & mihi etiam iussit, vt tacerem. Peccasti enim, inquit, tace.

Amoue à me plagas tuas. Tentationes videlicet, & calamitates. Quæ mihi exterius permissione tua, & stimulos, qui interius à mea inferuntur conscientia.

A fortitudine manus tuæ ego defeci. Per manum hic puniendi potentiã intelligit. Defeci, inquit, hoc est, debilitatus sum. Illud considera, quomodo in præcedenti psalmo Propheta, flagellis se erudiendum exponens diceret: Quoniam in flagella paratus sum, & nunc eis grauius percussus, solui rogat, ne ampliori absorberetur tristitia.

ἐπαιδευσας *In increpationibus propter iniquitates erudisti hominem.* Dum increpas, inquit, & redarguis, hoc est, dum pie mederis, erudisti hominem: atque hoc propter iniquitates, & non alia de causa. Salutaris est igitur castigatio tua. Per hominem vero seipsum intelligit.

ἐξέτηξας *Et extenuasti sicut Araneam animã meam.* Crebris, inquit, tentationibus, & flagellis attenuasti animam meam, crassitudinem illam nimirum, quæ ob peccata concreuerat, ei circumcidens. Est autem Aranea exile animal, cui nunc animam suam comparat. Solet enim anima à peccatis quodammodo crassior reddi, & contrà afflictione & flagellis attenuari.

πλὴν μάτην πᾶς ἄνθρωπος *Veruntamen frustra omnis homo.* Ad maiorem corroborationem sententiæ à se dictę, eundem Propheta repetit sermonem: subintelligendum est tamen, verbum, conturbatur.

Exaudi orationem meam domine, & supplicationem meam auribus percipe. Idem æque significant hæc verba, per Prophetam more suo sic ingeminata.

Lachrymas

Lachrymas meas ne sileas. Id est, ne despicias. Nam qui aliquem despiciunt, tacere solent. Illud etiam considera, quomodo non simpliciter orat Propheta noster, sed cum lachrymis.

Quoniam ego incola sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Accola, seu indigena dicitur ille, qui loci alicuius permanens est, ac perpetuus habitator: incola vero is, qui ad tempus habitat, quique iubente fundi domino habitationem mutat. Ego, inquit, si cæteris hominibus comparer, accola quidem sum, & possessæ terræ indigena, sed si ad te deum meum suspitio: incola me esse fateor. Te enim iubente transmigrabo, & hoc mundo relicto ad alium ire compellar. Peregrinus similiter, vbi modicum quid fuerit in aliena regione immoratus, eo postmodum reuertitur, vnde fuerat profectus. Cui comparari potest quilibet mortalis. Nam ad certum ac breue tempus viuimus, & demum ad ea, vnde originem duximus, iterum reuoluimur. πάροικος

Dimitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam. Parce mihi, inquit, siste flagellum, vt paululum consoler, & afflictiones à me excutiam, antequam moriar. Vel dic, quòd peccatorum veniam in præsenti vita postulat. ἄφες μοι

Et amplius non ero. Et cum iuero, vbi sunt patres mei, non ero amplius, hoc est, non amplius viuam. Vel, non ero amplius in præsenti mundo. Hæc etiam verba ad placandã dei iram, & ad eius misericordiam conciliandam dicta sunt.

In finem psalmus ipsi Dauid.

Sancto spiritu afflatus beatus Dauid hunc psalmum in persona Ecclesiæ Christionorum cecinit, quo gratias deo agit pro mirificis donis, quibus à deo gratis donata est, & ab eo aduersus insurgentes in se tyrannos, opem petit. In finẽ inscribitur, quia quæ hic traduntur, finem quendam respiciebant, quem postea habuerunt.

PSALMVS XXXIX.

EXpectans expectaui dominum. Huiusmodi verborũ repetitio frequentissima est apud Hebræos, & intensionẽ quandã mentis denotat, vt illud vides vidi, & cognoscens cognosces, hoc est, exquisite cognosces, & alia huiusmodi. Expectãs igitur expectaui

pectaui dominum, hoc est valde expectaui, adiutorem meum Christum. Ipse enim est expectatio Gentium, quemadmodũ de eo antea à Prophetis prænunciatum est.

Et intendit mihi. In me, inquit, oculos suos iniecit, & beneuolo aspexit intuitu: in me, inquam, summa constitutam in miseria, dum idolorum errores sequerer.

Et exaudiuit preces meas. Preces scilicet pro me emissas. rogabant enim Prophetæ pro futuro Ecclesiæ statu illius etiam personam induentes, vt nunc facit beatus Dauid.

ἰλύος *Et exaudiuit me de lacu miseriæ, & de luto limi.* Solebant antiqui huiusmodi dictionibus maxima pericula exprimere. Dici autem potest quòd lacus miseriæ, sit illa fouea erroris, in qua olim Gentes quæ in vnam Ecclesiam cõgregatæ sunt veluti in quodam carcere secundum animam misere affligebantur, & quòd lutum limi, hoc est, limosum ac prutridum lutum, illa sit humanarum passionum, atque affectuum collectio, quæ corruptionem quandam in nostris mentibus generat, & animas omnes quasi tenaci quodam cœno obuolutas detinet, quæ in eam deciderint.

Et statuit supra petram pedes meos. Supra petram, hoc est, supra securitatem fidei.

Et direxit gressus meos. Et ostensa mihi salute per præcepta Euangelica, omnique prorsus explosa tortuositate, iter meum adeò direxit, vt per obliqua, aut per deuios calles amplius non incedam.

Et immisit in os meum canticum nouum. Cantica nimirũ quæ de admirandis atque illustribus Christi gestis Christicolæ cecinerunt. Vel orationem dominicam, quam Christus nos docuit.

ὕμνον *Hymnum deo nostro.* Hoc ad declarationem dictum est noui cantici.

Videbunt multi. Lumen nimirum scientiæ, cum antea cæci essent. Vel videbunt signa & miracula Christi, & sanctorum eius.

Et timebunt. Christum scilicet huiusmodi facientem miracula.

Et sperabunt in domino. Sperabunt, id est, credent. Credit enim qui sperat. Vel, sperabunt ꝙ eos saluaturus sit, qui crediderint in illum. Per dominum autem, Christum intellige.

Beatus

Beatus uir, cuius est nomen domini spes eius. Nomen domini: hoc est, dominus. Beatum igitur eum dicit qui in solo deo confidit, & non alia in re. Alibi etiam dicit, Beatus vir qui sperat in domino. Et ordo est: Beatus vir, cuius eius est nomen domini spes. Possumus etiam de christianis hoc dictũ intelligere, & construere per figuram hyperbaton, hoc modo: Beatus vir cui⁹ est spes nomẽ domini eius. Cuilibet autẽ christiano, nomen Christi spes est & salus: quod sancti martyres præcipue attestati sunt coram tyrannis: quibus apertissime dicebant, se diuitias suas omnes, & omnem gloriam, & spem ĩ hoc collocasse, quòd Christi dei sui nomine insigniti essent: dum christiani appellarentur:

Et non respexit in uanitates. Et huiusmodi vir inanibus rebus operã non dedit: quæ à multis summa reputantur bona.

Et insanias falsas. A communi sensu rursus subintelligendum est, & non respexit. Insaniæ autem falsæ, ex græcæ dictionis significatione, vaticinia sunt. Vates enim illi debacchati dementes fiebant, & furentium instar ferebantur, verũ falsa erant, quæ prænunciabant. Per huiusmodi autem vaticinia, vniuersum idolorum cultũ denotare voluit, veluti totum à parte. μανία καὶ μάντης ἀπὸ τοῦ μαίνομαι

Multa fecisti tu domine deus meus, mirabilia. Admiratus beatus Dauid ineffabile incarnationis Christi mysteriũ, & condignum illi sermonem inuenire non valens, exclamatione solum, quod potuit tam grande donum prosecutus est: multa, inquiens, admiranda fecisti tu domine deus meus. Ita etiã alibi apostolus facit: quando admirabundus clamat: ô altitudo diuitiarũ sapientię, & sciẽtiæ dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles vitæ eius. Mirabilia autẽ appellat non ea tantum, quæ tẽpore Moysi, aut Iesu Naue, aut quæ illis antiquiora à deo facta sunt miracula, sed ea potius quæ tẽpore incarnationis saluatoris nostri facta sunt, & quæ per spiritum præuidens propheta summa cum admiratione quæ diximus verba protulit.

Et cogitationibus tuis non est qui similis erit tibi. Et non est aliquis tibi in cogitationib⁹ tuis cõparandus: iis, inquã, cogitationib⁹, quas summa cum prouidentia pro hominũ salute sollicitus habuisti. Ecce enim quàm grande & quã admirãdum opus excogitasti, vt tu homo fieres propter hominem,

 Annunciaui

Annũciaui & locutus sum, multiplicata sunt super numerũ. Annunciaui, inquit, & docui multa mirabilia tua, in multis psalmis, verum adhuc multiplicata sunt, & adeo innumerabilia esse apparuerunt, vt aliquo numero cõcludi non potuerint. Nam quæ dudum cognoui, propter altitudinẽ & immensitatem incomprehẽsibilia sunt. vel, cum quid dicerem non haberem, hoc tantum annũciaui, & locutus sum, quòd omnem transcenderunt numerum.

Sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi. Quæ sequuntur in personam Christi dicenda sunt, vt magnus nos docuit Paulus in epistola ad Hebræos. Ait igitur quòd post incarnationem, deus filius dixit ad patrem: tu pater, in posterum legale omne sacrificium reprobasti, & oblationes oẽs lege institutas: verũ corpus mihi effecisti ex virginis sanguinib⁹, vt pro hominũ salute in sacrificium offerrer.

ὁλοκαυτώσεις *Holocausta, & pro peccato nõ quæsiuisti.* In Leuitico & Deuteronomio clare inuenies, quę nam essent holocausta, & quę sacrificia pro peccato: & omnia denique oblationum, & sacrificiorum genera. Ait igitur: cum verum ego, ac rationabile sacrificium sim, & omnia mundi deleam peccata, tu nullum amplius legale sacrificium quæsiuisti.

Tunc dixi ecce uenio. Tunc nimirum quando legalia sacrificia reprobata sunt: tunc enim dixi ego: Pater, venit hora, glorifica filium tuum. Nam quod ait: ecce venio: idẽ est, ac si diceret: vides quòd paratus sum.

ἐν κεφαλίδι *In uolumine libri scriptum est de me.* Conscriptiones Hebræi libros appellabãt, & inuolutas chartas volumina, iuxta illud: fili hominis comede hoc volumen. Inuolutis enim chartis scribebãt, & nõ quadratis libris, vt nos facim⁹. Ait igitur saluator, in volumine libri, ꝓphetici nimirũ, scriptũ est de me: hoc est, ea, quæ ad incarnationẽ meam pertinent, à prophetis prædicta sunt: quod ipsis etiam Iudæis dominus postea iterum affirmauit, dicens: si crederetis Moysi, crederetis etiã & mihi. De me enim ille scripsit, & alia huiusmodi multa.

τὸ ποιῆσαι *Facere uoluntatem tuam deus meus uolui.* Et quoniã quę ad me pertinent, iam determinata sunt, & prędicta à prophetis, ideo facere volui voluntatẽ tuã. Superfluus est enim articulus, qui habetur in græco, ante infinitiuũ facere. quem qui superfluum non putarũt, transtulerũt vt facerẽ. Voluntas autẽ patris

patris fuit ea: filij mors secundum carnẽ: quæ pro humana salute, summa cum dispensatione à deo permissa est: de qua voluntate, ipse etiam filius dicebat: descendi, non vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.

τῆς καρδίας μου *Et legem tuam in medio uentris mei.* In medio ventris mei pro ex corde, atque ex tota anima mea: vt sit præpositio, pro præpositione. A cõmuni autem sensu subintelligendum est, volui facere: hoc est, volui adimplere ex corde meo legem tuam: tua nimirum mandata quæ dedisti mihi.

εὐηγγελισάμην *Euangelizaui iustitiam tuam in ecclesia magna.* Vide quomodo euangelium dei iustitiam appellat: quia per euangelium iustificantur credentes omnes, & obseruãtes illius mandata, quicunque hi fuerint & vndecũq; : & quia lex Mosaica solis tantum Iudæis data est, euangelium vero omnibus gentibus, iustum autem erat, vt non vnus aut alter tantũ populus, sed quòd omnes æque ad salutem vocarentur. Per ecclesiam autem magnam, Iudæorũ synagogas intelligit, veluti hominibus frequẽtissimas, in quib⁹ Christ⁹ palã, ac libere locut⁹ est.

Ecce labia mea non prohibebo, domine tu scisti. Quemadmodum tu vides, inquit, non prohibebo labia mea loqui salutaria verba. Tu enim id recte nosti, cum me ipsum prorsus cognoueris, quemadmodum, & ego te.

Iustitiam tuam non abscondi in corde meo. De euangelio rursum sermonem facit. Non tacui, inquit, quæ ad illud pertinerent: quinimmo opportuna quæcunq; omnibus reuelaui.

Veritatem tuam & salutare tuum dixi. Euangelium rursus ita appellat. Neq; enim iustitiã tantũ continet, sed etiã veritatem. Ideo dicebat Christus: veritatẽ dico vobis: quinimmo neque hæc solum sed salutem etiam credentibus pollicetur.

Non abscõdi misericordiã tuã, & ueritatẽ tuã à cõcilio multo. De euangelio etiã hæc dicta sunt. Appellatur enim euangelium misericordia: quia summa dei misericordia nobis donatum est: qua non sustinuit deus propriã creaturam sub iniqua dęmonis tyrãnide oppressam amplius iacere, & qua ob nostrã salutem proprio etiam filio non pepercit. Variis autẽ nominibus, vt vidimus, Euangelium appellauit propter multiplicem gratiã, & varia dona, quæ per illud nobis pręstita sunt.

Tu autem domine ne elongaueris miserationes tuas à me. Quę sequuntur, rursum ex persona ecclesiæ fidelium dicta sunt, supplicantis

ſupplicantis poſt acceptum diuinæ gratiæ ſignaculum, non derelinqui: cum multa ei, tam ob hominibus, quàm à dæmonibus imminerent pericula.

ἀντιλάβοιντο *Miſericordia tua, & ueritas tua ſemper adiuuent me.* Veritas tua, id eſt vera promiſſio tua. Dixiſti enim: ecce vobiſcũ ſum omnibus diebus, &c. Quædam verò exemplaria habent: adiuuerunt: & intelligitur, quòd hucuſque ſcilicet, adiuuerint: ſed melior lectio videtur: adiuuent.

Quoniã circũdederunt me mala, quorũ non eſt numerus. Circunſpicio enim, inquit, varias mihi tendi inſidias, & iam eis circundatus ſum.

Cõpræhenderunt me iniquitates meæ. Vide quomodo iuſti homines præ ſumma modeſtia, pericula & tentationes, quibus eos vexari accidit, propriis adſcribunt peccatis. Sic & tres illi pueri, vna voce in camino ignis dicebant: peccauimus, inique egimus: tametſi ea non tam ob peccata propria, quàm propter deum paterentur.

τοῦ βλέπειν *Et non potui uidere.* Obtenebrant enim tentationes, animæ oculos, vt quæ vtilia ſunt, videri non poſſint. Hanc igitur nebulã diſſoluit illa cõſolationis lux, quæ à deo ꝓuenit.

Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei. Summæ etiam modeſtiæ, ſunt hęc verba: & veriſimile eſt, vt cum fidelibus aliqui etiam cõmixti ſint, qui negligentius ac minus ex virtute viuant, quorum peccata iuſti, ſibi ipſis adſcribunt, propter vnitatem ac communicationem fidei.

Et cor meum dereliquit me. Videor quaſi corde deſertus, cum mea omnis in te fiducia infirmata ſit. Ipſum enim cor, animum excitare ſolet & præſtare audaciam.

Placeat tibi domine, ut eripias me. Velis, inquit, domine me ab his omnibus eripi ac liberari periculis.

Domine ad adiuuandum me reſpice. Intẽde mihi, & me diligenter adſpecta.

Erubeſcãt & cõfundãtur ſimul qui quærũt animã meã, ut auferãt eã. Vtraq; enĩ hęc eis accidẽt, vt & pudore afficiãtur veluti victi noſtra patiẽtia, & cõfundãtur, iuictã eſſe cernẽtes potẽtiã tuã, qua nos ꝓtegis. Sequitur: qui quærunt animã meam: hoc eſt, qui hoc vnũ votis omnib⁹, & toto petunt ſtudio, vt me variis examinẽt ſuppliciis. vel, ſimul: hoc eſt, vna omnes.

Conuertantur retrorſum, & erubeſcant qui uolunt mihi mala.

Conuertantur

Conuertãtur retro inanes re infecta, me non ſuperato, atque ideo erubeſcant. Variis autem modis eos execratur, vt conceptum animo dolorem apertius explicet.

Ferant ſtatim confuſionẽ ſuam qui dicunt mihi, euge, euge. Deuge euge iam alibi diximus, quòd aduerbium eſt irritantis.

Exultent & lætentur in te omnes quærẽtes te domine. Exultare, & lætari hic idem æque ſignificãt. quòd ſi cui placet, vt ſẽſu differãt, videat quid de eorũ differẽtia dictũ ſit in tertio verſiculo noni pſalmi. In te autẽ: id eſt in fide, quæ eſt in te.

Et dicant ſemper magnificetur dominus qui diligunt ſalutare tuã. Qui diligunt ſalutem, quæ à te eſt. Vel, ſalutare tuum: id eſt, incarnationẽ tuam. Salutaris enim fuit ea incarnatio, iis, qui perierant. Omnes igitur qui auxiliũ tuum cõſecuti ſunt. dicant: magnificetur dominus: id eſt, magnus reputetur.

Ego autem inops, & pauper ſum. Hoc ex vniuſcuiuſque fidelis perſona dici poteſt. Inopes enim ſũt chriſtiani omnes, veluti, qui vniuerſa fortunæ bona dimiſerũt, & pauperes, veluti qui propriis manibus neceſſaria ſibi parant. πτωχὸς enim qui latine inops, ex etymologia græci nominis à cadẽdo dictus eſt, veluti ab omnibus antiquis opibus deciderit, & nũc ſit ſine ope. πένης vero, qui latine pauper, à labore: quia nimirum proprio labore opportuna omnia ſibi comparat.

πτωχὸς ὡς πτωκὸς πένης παρὰ τὸ πένειν πονεῖν

Dominus ſollicitus erit mei. Ad hunc enim ſolũ confugi, & ideo me in ſe ſperantem non deſpiciet.

Adiutor meus, & protector meus es tu, deus meus ne tardaueris. Deus meus ne tardus ſis ad adiuuandũ me. Mihi autẽ neſcio quid ꝓfundius vidẽtur ſibi velle hæc verba, ſi accõmodemus beato Dauid illũ verſiculũ. ego autẽ inops ſum, & pauper. Prę uiderat propheta ſũmas illas diuitias quę à dei gratia in chriſtianos erant effundẽdæ: cumq; eas non mediocri deſyderio cõcupiſcet, demũ veluti iis, qui ſe nouerat ab eo tẽpore procul eſſe, cõtriſtatus eſt, & miſerũ ſe ideo appellãs ait: ego inops, & pauper ſum, qui huiuſmodi diuitiarũ priceps eſſe nequeo, verũtamẽ de⁹ erit mei ſollicitus: vt ſcilicet mihi pariter gloriã illã cõmunicet, quã fideles in cœlorũ regno percepturi ſunt. Siquidẽ & ab ipſo domino dictum legimus, quòd Dauid concupiuit videre diem eius: qua ratione rogat nunc deum propheta noſter, dicẽs: ne tardaueris: tuã nimirũ incarnationem. Sunt enim ſupplicantis verba ad deum filium.

In finem

In finem Psalmus ipsi Dauid.

In finem inscribitur, quia prophetiam continet, quæ tendebat ad finem. prædicit enim proditoris Iudæ rebellionem. & clarum quidē est huius psalmi argumentū. de amore eni & charitate in pauperes pertractat. Tamen altius consyderando ad saluatoris nostri Christi mysterium pertinet, qui egenus, & pauper fieri uoluit ob humanam salutem: qui etiam in euangelio apud Ioannem præsentis psalmi uerba de se dicta esse testatur, & de Iuda, dum ait ad Apostolos: non de omnibus dico, scio quos elegi, sed ut scriptura impleatur, dicens: Qui manducat panem meum, eleuabit contra me calcaneum suum. nullibi enim huiusmodi testimonium habetur in scriptura, præterquam quod in præsenti psalmo dicitur: qui manducat panes meos magnificauit contra me supplantationem.

PSALMVS. XL.

πτωχὸν

Beatus uir qui intelligit super inopem & pauperem. Qui intelligit, hoc est, qui consyderat, qui cogitat, id quod decens est. intelligentia enim est diligens, & exacta consyderatio. inopem autem & pauperē promiscue solent appellare indigētem. Antiqui vero per inopem mendicū intelligebant, veluti qui omni prorsus careret ope, & qui, vt alibi diximus, ex etymologia Græci nominis ab antiquo statu decidisset: pauperē vero eum, qui manibus ac proprio labore sibi victū pararet, vt in præcedenti psalmo diximus. Beatus igitur is est, qui debitorem deū habet. per Salomonem enim docemur illū deo cōmodare, qui inopis miseretur. quod proprio ore Christus confirmauit, dicens: donec feceritis vni huic ex minimis fratribus, mihi feciſtis. & hoc quidem pacto simpliciter exponitur de pauperibus: verum profundius intelligendo, vt diximus, exponi potest psalmus de Christo: quodē; beatus ille est, qui intelligit & consyderat Christum deum esse, tametsi indigentia ac paupertate tanta esse videretur circundatus, vt etiam non haberet, vbi reclinaret caput suum. recte enim cōsyderās id plene intelliget ex iis, quæ & sermone suo docuit, & operibus comprobauit.

In die mala liberabit eum dominus. Vtilitatem docet, quam ex huiusmodi intelligentia quis percepturus sit. Quæ autem sit dies mala diximus in psalmo XXXVII. ibi: non confundentur in tempore malo. æque enim significant dies mala &

la & tempus malum.

Dominus conseruet eum. Precatur propheta pro huiusmodi homine tanquam pro viro quopiam bono.

Et uiuificet eum. Id est, viuere faciat.

Et beatum eum faciat in terra. Et beatum eum esse ostendat, æmulationeq;, seu imitatione dignum, non in præsenti tantum terra sed in regno etiam cœlorum.

Et non tradat eum in manus inimicorum eius. Nec eum visibilium aut inuisibilium hostium manibus dedat.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. Super lectum doloris in quo ægritudine ac morbo laborans afflictus diu olim detinetur. Aquila autem, & Theodotio non per optatiuum modum, sed per futurum indicatiui omnia hæc verba reddidere, videlicet, conseruabit, viuificabit, & opem feret: omnia hæc quasi in mercedem, ac retributionem quandam dici arbitrantes.

Vniuersum cubile eius, uertisti in infirmitate eius. Per cubile, decubitum intelligit. vertisti autem, hoc est immutasti. in tempore, inquit, infirmitatis huius viri, tu mutasti eius decubitum, ab ægro nimirum, atque infirmo ad sanum, ac validum. mutasti autem vniuersum, hoc est prorsus mutasti. aduertendum tamen quòd præterito tempore vsus est pro futuro. vertisti enim, hoc est vertes. vel, coniectura quadam, immo vero potius prophetico more, quæ futura erant, vt iam facta commemorat. τὴν κοίτην ἔστρωσας

Ego dixi domine miserere mei. Quæ sequuntur ex Christi persona legenda sunt, qui velut homo deum rogat, ostendēs hoc pacto, quemlibet hominem dei auxilio indigere.

Sana animam meam, quia peccaui tibi. Sed quomodo alibi legimus Christum peccatum non feciſſe? certissimum quidem est, illum nunquam peccasse, verum quia propter nos factus est idem quod nos: homo nimirum, passiones etiam, atque affectus nostros, quasi proprios sibi consequēter vendicauit, & (quod dicere par erat, humanam naturam, quæ peccauerat.) hoc ipse antea pro illa ad patrē clamauit, veluti qui eiusdem erat naturæ, tametsi sine peccato. & quemadmodū victima, quæ olim pro peccato immolabatur, iuxta legem, peccatū in se suscipiebat, quod vna cum victima comburi dicebatur: ita & Christus pro nostris immolatus peccatis, in se ipsum oīnia

nostra

noſtra ſuſcepit peccata,nec ſecus ac ſi ipſe peccaſſet,ad eorũ remiſſionem,& orauit,& mortuus eſt,ob ſummam nimirum atque ineffabilem eius miſericordiam.

Inimici mei dixerunt mala mihi. Inimici Chriſti Iudæi, qui inuidia diſſecabãtur,& dixerunt mala, hoc eſt praua verba. quænam autem dixerint,audi.

Quando morietur? Grauis eſt enim, inquit nobis, adeo, vt nec illius aſpectum ſuſtinere valeamus.

Et peribit nomen eius. Sed cum multa præditum potentia Chriſtum vniuerſas ęgritudines ac morbos curare viderent, quomodo eum aliquando putarunt extingui poſſe?

καὶ ἐισε-πορεύετο

Et ingrediebatur ut uideret. Proditor, inquit Iudas, veluti familiaris meus abſq; vllo impedimẽto, illuc ingrediebatur, vbi ego aderã,vt videret an opportunũ eſſet tradẽdi tempus.

μάταιον

Fruſtra loquebatur cor eius. Fruſtra in corde ſuo ſecum ea loquebatur quæ ad proditionem pertinebant, quando videlicet ingrediebatur, vt videret. vel, fruſtra in animo ſuo cogitabat, vt me lateret: cum optimus ego ſcrutator cordium, omnia noſſem eius conſilia,& vota.

Congregauit iniquitatem ſibi. Nihil aliud miſer huiuſmodi cogitatione efficere potuit, quàm quòd ſibi ipſi ſummam theſaurizauit iniquitatẽ, dum aduerſus proprium præceptorem,& ſeruatorem tetendit inſidias. Quidam poſt verba,fruſtra loquebatur,punctum ponunt, vt ſenſus ſit : fruſtra mihi pacifice loquebatur,cum inimica in menteverſaret conſilia. Sed melior eſt ſenſus quem primo loco diximus.

Egrediebatur foras,& loquebatur in idipſum. Accepta enim panis buccella Iudas ſtatim exiit.quod vero ait:in idipſum, idem ſignificat quod vnà:loquebatur,inquit, vnà cum inimicis meis,de iis, quæ ad proditionem ſpectabant : quid vultis mihi,inquit,dare,&c.hęc autem omnia apertiſſime in euangelica narrantur hiſtoria.

Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei. Suſurrabant mutuo in aurem,quomodo inſidias diſponerent, timẽtes nimirum aperte loqui propter turbam.

Aduerſum me cogitabant mala mihi. Lætifera,inquit, cogitabant aduerſum me. iuxta quod teſtatur euangeliſta , quod concilium inierunt aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent

κακὸν ἐθεντο

Verbum iniquum depoſuerunt aduerſum me. Depoſuerunt pro reſpõ-

pro reſponderunt. interrogati enim à Pilato : Quid faciam Ieſu, qui dicitur Chriſtus? Reſponderunt : crucifigatur. Eſt autem iniquum hoc verbum. neque enim licebat innocentem virum morti tradere, atque ideo eis ſæpius obiiciebat Pilatus, dicens : nullam cauſam inuenio in eo : item, vos videbitis. vel, depoſuerunt, hoc eſt,fabricarunt: machinati ſunt. dixerunt enim quòd commoueret turbam contra Cæſarem, quæ verba etiam iniqua erant. neque enim falſa atteſtari licebat.

Nunquid,qui dormit, non adiiciet ut reſurgat? Per interrogationem hoc dicit, atque vt deus: Nunquid dormiens homo, inquit,nolet conſurgere? Verbum enim adiiciet, Hebræi ſępenumero ponunt,pro volet. quòd ſi dormiens cõſurgit,ego etiam carni mortuus, cito reſurgam. mea enim mors ſomno ſimilis eſt. Nam quemadmodũ qui dormit ex ſuo dormit arbitrio,ita & ipſe ſpõte mea,atq; ex propria moriar volũtate.

Etenim homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos magnificauit contra me ſupplãtationem. Coniunctio enim hoc in loco ſuperflua eſt, & ſenſus eſt: ille etiã mihi aduerſarius fuit,qui antea intimus mihi erat, & mihi maxime coniunctus. per hominem autem pacis Hebræi pacificum intelligunt. Ait igitur,homo pacificus meus, hoc eſt amicus meus Iudas,in quo veluti in me ipſo confiſus ſum, quem etiam ſimul cum aliis diſcipulis educaui, magnificauit, hoc eſt, roborauit ſupplantationem,hoc eſt,dolum contra me:quod ex metaphora eorum dictum eſt, qui in tercurrẽdum calcaneo aliquem doloſe ſupplantant. firmauit autem Iudas dolum aduerſus Chriſtum, eumque quodammodo ſupplantauit : conuentione nimirum ac conſpiratione illa,quam cum ſcribis iniit,& cum pontificibus. ἐπ' ἐμὲ

Tu autem domine miſerere mei, & reſuſcita me, & retribuam eis. Quod ait miſerere & reſuſcita, vt ab homine dictũ eſt. homo enim Chriſtus cum eſſet, non recuſauit preces ad deum fundere : quinimmo quod naturæ humanæ proprie cõuenit,ſæpenumero ad deum orabat. Quod vero ait:retribuã, ad illius diuinitatem pertinet. retribuit autẽ quando eos Romanis perdendos tradidit.

In hoc cognoui, quoniã uoluiſti me, quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me. Voluiſti,hoc eſt,amaſti. Nam quod quis

amat

amat,illud etiam habere cupit. In hoc,inquit, cognoui quòd amasti me, quia nomen meum in vniuerso orbe prædicatum est: quæ res inimicis meis maximo fuit dolori. quærebant enim vt morerer, & nomen meum prorsus interiret. potes etiam per inimicum, vel dæmonem, vèl ipsum Iudam priuatim intelligere.

ἀντελάβου

Me autem propter innocentiam adiuuisti. Hæc verba simili modo ab assumpta carne dicta sunt. per innocentiam autem munditiam, & puritatem intelligit. iniquitatem enim, inquit,non fecit.

Et firmasti me in cõspectu tuo in seculum. Et stabilisti,inquit, me penes te,iuxta illud,sede à dextris meis,quoadusque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum.

ὑποπόδιον

Benedictus dominus deus Israel à seculo, & in seculum, fiat,fiat. Cum,quæ vidimus,omnia prædixerit beatus Dauid,& summam dei misericordiam ac ineffabilem quandam eius condescensionem multa cum admiratione narrauerit, Hymnum deinceps,& laudem ei canit dicens:laudandus est deus veri Israelis,hoc est,fidelium deus, quemadmodum in XXI. psal. declarauimus, exponentes versiculum illum, timeat eum omne semen Israel. laudandus autem ab hoc seculo vsque ad futurum. Ac demum orat,& votis omnibus poscit,futuram hãc domini incarnationem, de qua supra locutus est, quàm celeriter fieri,dicens:fiat fiat. intelligimus enim prophetam optare id, quod superius dixit. illa autem repetitio verbi:fiat,orationis intensionem demonstrat.

In finem in intelligentiam filiis Core.

εἰς συνέσιν

De filiis Core diximus in proœmio operis. In finem inscribitur propter prophetias, quæ hic continentur. & ad finem tendebant. cum enim futurum esset, ut Hebræorum populus ob propria delicta ab Assyriis in Babylonem captiuus duceretur,ubi. LXX. annis detentus est,præuidens hoc beatus Dauid, utpote prophetico afflatus spiritu, pii ac religiosi cuiuscunque Iudæi in captiuitate degentis personam sumit in præsenti psalmo,ueluti Danielis, Ezechielis, triũ puerorum,& similium: & narrat,quæ tunc temporis contigerint. In intelligentiam uerò dixit,iudicans,quòd qui inter illos maiori erant præditi intelligentia,hæc, aut huiusmodi uerba ad deum clamabant. uel,ea

uel ea ratione,quia ad percipiendum totius psalmi sensum multa lectori opus est intelligentia.

PSALMVS. XLI.

ἡ ἔλαφος



Vemadmodum desyderat cerua ad fontes aquarum, ita desyderat anima mea ad te deus. Ardentis desyderij vehementiam ostendere volens propheta, Ceruam perquam sitibundam in exemplum sumpsit, quæ cum & suapte natura calidissima sit,& reptilium ac serpẽtum carnibus,quibus vesci solet,magis etiam incendatur, aquarum fontes quàm maxime amat, & circa eos semper versari cupit. desyderare autem hic posuit pro festinare: & ita Aquila reddidit.& quod ait: ita desyderat anima mea ad te deus, ad te,inquam, habitantem in Hierusalem.putabat enim populus, qui in Babylone erat se diuina præsentia illic ideo frui nõ posse,quia regio illa vniuersa idolorum cultui deseruiret.

ἰσχυρὸν ζῶντα

Sitiuit anima mea ad deum fortem uiuentem. Sitiuit, id est valde concupiuit.ita vndiq; desyderij ardorem ostẽdit. fortem autem & viuentem deum appellat propter infirmos ac mortuos Babylonis deos. Quidam ex hoc versiculo sumptũ esse dicunt hymnum illum, quem Græci Trisagion vocant: quo laudare solemus deum, dicentes: sanctus deus,sanctus fortis,sanctus immortalis.

τρισάγιον.

Quando ueniam, & apparebo ante faciem dei. Hoc est ante ipsum deum concupiscentis sermo est:quando,inquit,veniã ad te in Hierusalem & apparebo coram te, adorans nimirũ, & colens te, seduloque tibi adsistens, & alia faciens, quæ in templo tuo fieri decet. vniuerso enim hoc solatio priuamur, postquam hic in Babylone captiui degimus.

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie,ubi est deus tuus? Dum Babylonij,inquit, dei mei impotentiam mihi exprobrarẽt, lachrymæ meæ fuerunt mihi panis,non quòd eis pascerer, sed quia instar panis eas desyderabam,& quia non secus mihi erãt opportunæ quàm esurientibus esse panes soleant: vnde earũ desyderio, nõ interdiu tantũ,sed assiduis etiam noctibus detinebar.

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam. Hæc recordatus sum,verba illa nimirum,quæ ad me dicũtur quotidie:vbi est deus tuus?quã ob causam effudi,hoc est,laxaui,in

me ipso animam meam, & constantiam eius omnem dissolui. hac autem effusionis translatione vsus est propheta, quia quæ solidiora sunt, firmiora atque constantiora esse solent: quæ verò fluida, molliora atque laxiora. Illud in vniuersum animaduertendum est, quòd Hebræi sæpenumero verborum constructionibus indifferenter vtuntur, vt nunc: effudi, inquit, in me, pro intra me: verum si verba hæc, recordatus sum, ad sequentia referantur, alius efficietur sensus, videlicet: hæc recordatus sum, & animam meam, antea nimirũ angustiis coarctatã, effudi: hoc est, absolui, & relaxaui in me ipso. quæ autem sint hæc quæ recordatus sum, audi.

διελεύσομαι ἐν τόπῳ

Quoniam pertrãsibo in loco tabernaculi admirabilis usque ad domum dei. Recreatus atque animo relaxatus sum, inquit, memoria repetens, quòd rursus in templo tuo deambulaturus sum, & ad illius vsque adyta peruenturus. per admirabile, enim tabernaculum, celeberrimum Salomonis templum intelligit, & per domum dei, adyta ipsius templi. quòd si priorem expositionem magis probaueris, dictionẽ, quoniam, intellige hic iacere pro aduerbio cõfirmãdi, iuxta Hebraici, idiomatis consuetudinem, & verba versiculi, prophetantis verba esse. vel aliter: per tabernaculum, sancta verbi caro potest intelligi, quę merito admirabilis dici potest, quia absq; vllo semine cõcreta est. & per domum dei, anima illius carnis, per quam deus in assumpta carne diuersatus est. locus autẽ tabernaculi, ipsum est verbum dei, per quod cõcreta est, & extitit Christi caro. pertrãsibo igitur, inquit, per verbũ dei, & vsque ad assumptæ carnis animam deducar: in animo meo nimirũ ea examinans, & contemplans, quæ de tanto mysterio percipere potero. vlterius enim pertransire non dabitur.

In uoce exultationis, & cõfessionis soni festiuitatem celebrantis. Pertransibo autem in voce gaudij, & gratiarum actionis, in voce soni festiui, ac si diceret: festiuitates rursus, vt olim, deo meo celebrabo, & solito vtar cultus legis.

Quare tristis es anima mea, & quare cõturbas me? Quare me angis, inquit, & confundis, & quietem capere non finis? hęc autem verba dicere cœpit, postquam certior factus est de suo in patriam reditu.

Spera in deo, quoniam adhuc confitebor illi. Quoniã gratias illi agam vbi nimirum in patriam rediero.

Salutare

Salutare uultus mei, & deus meus. Cum futura & à se præuisa dei beneficia in animo reuolueret, summa cum delectatione illum circunloquendo, inuocauit, dicens, ô salus mea, & ô deus meus.

Ad me ipsum conturbata est anima mea. Ad me ipsum, hoc est, in meipso, nemine alio exterius mœrorem hunc meum sciente. conturbata est autem, recogitans nimirũ peccata, ob quæ in inimicorum manus traditi sumus: vel moram ac tarditatem recogitans, reditus nostri in patriam.

Propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermoniim à mõte modico. Propterea, inquit, afflictus memor ero tui, hoc est, recordabor studij, & curæ tuæ, quam habuisti circa nos, & præcipue ob illa bona quibus in terra promissionis te authore fruebamur. per Iordanem enim & per proximum illi montem, qui & Hermoniim, & Hermon dicitur, totam Iudæam significauit. addidit etiam priuatam mõtis illius qualitatem: quòd scilicet paruus est.

Abyssus abyssum inuocat in uocem cataractorum tuorum. Antiquorum dei beneficiorum memor, deplorat, quod in præsentia ab eo derelictus videatur, per abyssum, vastum intelligens calamitatum pelagus, in quo tunc se constitutum videbat. profunda, inquit, ac vasta calamitas, vastiorem aliam semper vocat calamitatem, ad vocem, cataractorum, hoc est, collisorum tuorum. adeo enim alternæ, ac frequentes calamitates confractos, ac collisos nos seruos tuos adoriuntur, vt mutuo sese adhortari videantur: & adeo nos affligunt, & pungunt, vt præ nimio dolore ad clamorem etiam nos prouocent. dictio autem cataractorum Græca est & idem hicsignificat, vt diximus, quod collisorum aut confractorũ. est enim verbale nomen, & descendit à verba καταράσσω quod est collido, aut confringo. & licet proprie hoc verbale nomen καταράκτης actiuę sit significationis, hic tamẽ ponitur in passiua. Quod si in actiua significatione dictionem sumas, litera legenda est, in vocem confractorũ, hoc est. collidentiũ seu confrigentiũ tuorum· & tunc expone totum versiculum hoc pacto: immensitas peccatorum nostrorum, immensitatem inuocat misericordiarum tuarũ: atq; hoc ad vocem prædicatorum euangelij, hoc est Apostolorum. sunt enim Apostoli validissimi quidam confractores, omnẽ nimi-

φς φωνὴν καταρακτῶν

ὁ καταράκτης

rum diabolicam elationem confringentes. Quod ſi textum legas prout etiam legi poteſt: in vocem cataractarum tuarũ: potes iuxta altiorẽ Anagogen intelligere, quòd abyſſus, & abyſſus, vetus & nouum teſtamentum ſignificent, ob profunditatem nimirũ occultorum ſenſuum, & dicere, quod nouũ teſtamentum, & antiquum inuocat teſtamentum, in vocem, cataractarum tuarum, hoc eſt, per vocem prophetarum tuorum. dicuntur enim merito prophetę eſſe quędam cataractę: quia aquas, diuinæ ac ſupernæ prophetiæ, vehementia quadam, cataractarum inſtar effundunt. nouum igitur teſtamẽtum inuocat vetus teſtamentum in teſtem: vt oſtendat, quòd ipſi etiam prophetæ myſteria Chriſti prænunciarunt.

ἡ καταρράκτη

Omnes ſubleuationes tuæ, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Per ſubleuationes, & per fluctus, tentationum ac calamitatũ incurſus intelligit. ait igitur, omnia flagella tua fecerunt iter ſuper me. omnes autẽ dixit, propter earum multiplicitatem.

πάντες οἱ μετεωρισμοὶ

Die mandabit dominus miſericordiam ſuam. Die, hoc eſt, in die, pro manifeſte, & palam. mandabit autem, hoc eſt, mittet. Iubere enim ac mandare videtur qui mittit: vel ordinabit, & diſponet miſericordiam ſuam. Sermo vero hic, prædicit, quemadmodum reuocatio eorum in patriam omnibus fiet manifeſta.

ἡμέρας ἐντελεῖται

Et nocte cãticum eius apud me. Per totum hoc captiuitatis tempus, noctuque, quando tuto magis id facere poſſum, canam deo meo. in die enim ocium mihi nullũ datur, cum dominis ſeruiam, & opportuno caream tempore.

Oratio deo uitæ meæ. Non modo illius canticum erit apud me, ſed etiam oratio: canticum quidem in gratiarum actionem pro opportuna & iam diu expectata liberatione, oratio verò ad accelerationem huius liberatiõis. & quod ait: deo vitæ meæ: expone, id eſt, deo datori vitæ, vt illud: deus ſalutis meæ, id eſt, ſaluator meus.

Dicam deo adiutor meus es, quare oblitus es mei, & quare contriſtatus incedo dum affligit me inimicus? Oblitus eſſe videbatur deus Iudæorum, quia iam diu in inimicorum poteſtate ab eo relicti fuerant, vbi affligebantur, quemadmodum veriſimile eſt eos affligi, qui in captiuitate conſtituti ſunt.

ἀντιλήπτωρ

Dum confriguntur oſſa mea, exprobrauerũt mihi inimici mei dum dicunt mihi per ſingulos dies, ubi eſt deus tuus? Contritis nimirum oſſi-

rum oſſibus meis ob tam graue onus ſeruitutis, vel ob verbera, & plagas, quæ aſſiduo mihi à Babyloniis infliguntur. vel, fatigatus ſum, ac debilitatus viribus meis. per oſſa enim vires intelligit. cum itaque hoc pacto me haberem, irridebant me inimici mei, illud mihi ſemper obiicientes, vbi eſt deus tuus, qui te eripiat & liberet?

Quare triſtis es anima mea, & quare cõturbas me? ſpera in deo quoniam cõfitebor illi, ſalutare uultus mei, & deus meus. Repetit quę iã ſuperius dixerat, quod facit vt fiducia ſeſe ac patiẽtia muniret. Cõgruit etiã hic pſal. pio cuilibet, ac religioſo viro, qui multas calamitates in præſenti vita paſſus ſit, quique diſſolui cum Paulo optet, & redire ad deum. & tunc per exprobrantes, non ipſos tantum Dæmones, ſed inimicos etiam intelliges, & per terram Iordanis, inferiorem terram hanc noſtram, quæ comparatione cœleſtis longe eſt inferior. Iordanis nanque interpretatur terra inferior. Hermoniim vero locus doloris: & alia iuxta hunc ſenſum conſequenter expones.

Pſalmus ipſi Dauid qui apud Hebræos ſine inſcriptione habetur.

Præſens Pſalmus caret inſcriptione, ueluti qui eiuſdem eſt argumenti & ſententiæ cum ſuperiori pſalmo, & illius quodammodo pars eſſe uidetur. plurimum enim cum eo congruit: & ueriſimile eſt eundem fuiſſe, qui hæc, atque illa uerba protulerit: quæ etiam ſimili modo ex unius tantum dicuntur perſona, ueluti qui totius populi cauſam ac paſſiones in ſe ſuſceperit: quod fortaſſis illa ratione effectum eſt, quia rarus ac pene unicus quis reperiri poſſit, qui id faciat.

PSALMVS XLII.



VDica mihi deus. Verbum iudica ſi cum accuſatiuo iungatur, idem ſignificat quod condemna, iuxta quod dictum legimus: iudica illos deus: ſi verò cũ datiuo, vt hic: idẽ erit, quod iudex eſto.

κρῖνον μοι

Et diſcerne cauſam meã de gente nõ ſancta. De gente, id eſt, cum gente. vel, diſcerne cauſam de gẽte ſceleſta, atque iniuſta & deum verum non colente. Intelligit autem Babylonios.

A uiro iniuſto & doloſo eripe me. Iniuſtum quidem dicit, veluti

veluti iniquum, atq; exlegem, dolosum verò, vt deceptorẽ. similia autem fere habentur, in illa trium puerorũ oratione. dedisti enim, inquiunt, nos regi iniusto, & omnium quæ in terra sunt pessimo. illud etiã adnotandũ quòd singulari aliquando, & aliquãdo plurali seu collectiuo nomine eos accusat: quia nimirũ, & priuata, & cõmuni prauitate conuiuebãt. tu verò per gentem, & hominẽ iniustum & dolosum ipsos dæmones, & dæmonũ principẽ intelliges. nihil enim differunt ab homine perturbationib⁹, quippe cum, more hominũ, vesano voluptatum amore corripiantur, corporeisq; afficiãtur passionibus, & variis inquinentur concupiscentiis.

Quia tu es deus fortitudo mea. Stabilitas scilicet mea ac vires meæ.

Quare me repulisti? Tradens me in captiuitatem. ego enim seruus tuus sum, hi verò tibi aduersantur.

Et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus. Non accusans deum hoc dicit, sed placans, potius ac mitigans.

Emitte lucem tuam, & ueritatem tuam? Iuxta Anagogẽ per lucem & veritatem Christum intelligit. ego enim, inquit, lux sum veritas, & vita: iuxta historiam verò, lucem, appellat protectionem, & custodiam dei, quæ summum quoddam lætitiæ lumen secum affert, cuius splendore omnes afflictionum tenebræ dissoluuntur. veritatem autem expone, id est, verum auxilium.

Ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Hoc in loco tempus positũ est pro tẽpore, præteritũ nimirũ pro futuro: tua, inquit, lux, & tua veritas, ipsa me deducent, & adducent in montem sanctũ tuum Sion, & in tabernacula, hoc est, in templum tuũ. iuxta Anagogen Christus qui, vt superius diximus, lux est, & veritas, deducet, & adducet fideles omnes ad supernã Sion, & ad cœlestia tabernacula. Ego enim sum, inquit, via veritas, &c.

Et introibo ad altare dei. Adorabo, ĩqt deũ, & sacrificabo ei.

Ad deum qui lætificat iuuẽtutem meam. Hæc ex eorum persona dicta sunt, qui in captiuitate nati erant, & qui modo ascendebant in Hierusalem. verisimile enim est, eorum parentes in Babylone captiuos periisse. vel per iuuentutem, vigescens animi propositũ intelligit. renouabantur enim, & quodãmodo iuuenescebant, cum diuini cultus semper magis succenderẽtur

succenderentur desiderio: iuxta Anagogen, per iuuentutem renouatio illa intelligitur, quæ fit per baptismũ, quando exuto antiquo homine, nouum induimus.

Confitebor tibi in cithara deus, deus meus. Primum, inquit, atque amœniorem vitæ meæ statum recuperabo, organisq; atque instrumentis musicis, vt olim, tibi gratias agam: quæ omnia ab eo tempore quo in Babylone captiui fumus, suspendimus in salicibus, ea nimirum ratione, vt postquàm nullus nos tunc Musices vsus decebat, ipsa instrumenta illic veluti ad ocium, atque inertiam condemnata iacerent: iuxta Anagogen per Citharam, virtutem moralem intelligimus, quæ circa actiones versatur, vt alibi diximus. Verba autem illa: Deus, deus meus, ingentem ac validum ardorem in deum demonstrant.

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare uultus mei, & deus meus. Eadem rursus ipse sibi ad maiorem mentis suæ confirmationem præcipit.

In finem filiis Core ad intelligentiam Psalmus ipsi Dauid.

Similis est inscriptio psalmi quadragesimiprimi, de qua iam diximus. Nũc illud tantũ dicere oportet, quòd beatus Dauid psalmũ hunc scripsit in personam Matathiæ Machabæi, & filiorum eius. Qui cum eo tempore, quo Iudæa regio ab Antiocho cognomento Illustri, atque à macedonibus uastaretur, exules essent, sero licet, uires tamen, atq; animum tandem receperũt. Vnde collectis pro tempore copiis, ad defensionem, ac uindictam suorum in deo fidentes sese accinxerunt, ut uberius in eorum historia Iosephus retulit. Cum igitur hi exules cum cæteris fugitiuis, qui ex Iudæis congregati fuerant, ob Macedonum sæuitiam trepidarent, exhortationem sibi in orationis formam composuerunt, quæ mirabilia quæq; progenitorum suorum facta commemoraret: ut hi nimirum exemplis animarentur & fidentius excitarentur ad pugnam.

PSALMVS XLIII.



Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis. Quod dicit audiuimus auribus nostris, dictum est ad maiorem confirmationem, & maiorem fidem sermonis. Solemus

enim quando aliquod factum narramus de quo certi sumus, sensus ipsos assumere in testes, vt illud: viderunt oculi nostri: Item, manus nostræ contrectauerunt. Et cum dixerint: Audiuimus: subdit, à quibus, à patribus, scilicet per illa nimirum, quæ nobis scripta reliquerunt, quid autem audierint, & quid operatus sit deus, audi, in sequentibus.

Manus tua gentes exterminauit, & plantasti eos. Per gentes Chananeos intelligit, & alios populos, qui olim in terra promissionis habitauerant: & per manum eius, diuinam potentiam. Plantasti eos, id est, habitare fecisti patres nostros. Et considera exquisitum loquendi modum. De illis enim gentibus dicit, quòd deus exterminauit eas, eo quòd penitus eradicatæ sunt ab illa regione. De Iudæis vero ait, plantasti eos, quia nimirum in Gentium sede, vnde illæ exterminatæ & pulsæ fuerant, ipsi firmas ac stabiles radices miserunt. Ipsi enim primi patres, illinc nunquam expulsi sunt, tametsi eorum liberi admissorum scelerum luentes pœnas sæpe postmodum deo iubente aliò transmigrauerint. Prioribus autem omnibus omissis miraculis, sermonis sui argumentum Propheta hinc potissimum elicit, quia si extraneos deus alienam in sedem collocauit, eis nunc magis sperandum sit, vt pulsi è patria illuc à deo iterum reducendi, & in pristinum statum restituendi sint.

Afflixisti populos, & eiecisti eos. Gentes scilicet. Neq; enim tantummodo iectæ sunt sed antequam eiicerentur, diutino etiam bello, & variis calamitatibus fuerunt afflictæ.

Non enim in gladio suo hæreditauerunt terram. Terram enim promissionis armis consecuti non sunt.

Et brachium eorum non saluauit eos. Neque potentia eorum eos liberauit à tantis, & tam tremendis gentibus.

Sed dextera tua & brachium tuum. Per dexteram, quidam auxilium intelligunt, & per brachium potentiam. Alij vero per vtranq; dictionem æquè significari dicunt potentiam.

Et illuminatio uultus tui. Hoc est visitatio tua. Ostende enim alibi inquit, faciem tuam, & salui erimus. Visitatio autem diuina, aut aspectus diuinus, pro eius auxilio sumitur, quia si periclitanti cupiam quis auxilio esse velit, necessario ad eum oculorum aciem dirigit.

Εὐδόκησας *Quoniam complacuisti in eis.* Id est, quia bene voluisti patribus

bus nostris. Ita enim significat hoc loco verbũ, complacuisti.

Tu es ipse rex meus & deus meus. Tu, qui illa operatus es, idem ipse es, & nunc, qui olim fuisti, velut immutabilis: nos quoq; eorundem filij sumus. Restat tantum, vt eadem in nobis opereris miracula, cum te, vt regem & deum colamus, quemadmodum & illi antea coluerunt.

Qui mandas salutes Iacob. His verbis facilitatem atq; celeritatem diuini explicat auxilij. Tu, inquit, qui solo verbo veteris cum populum illum saluas, qui descendit ex Iacob. Vel aliter: tu qui in præliis suggeris, & subministras populo tuo modum, quo saluari debeat, dicens: hæc aut illa facite.

In te inimicos nostros cornu petemus. Id est profligabimus. Κρατῆσ Tractum est autem hoc ex metaphora animalium, quæ cornibus certant. μεν

Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nos. Confidimus, inquit, quòd tantũ inuocantes nomen tuum aduersus hostes nostros, & tantummodo vociferantes, deum Israel, hoc nomine confirmati, spernemus, & flocci faciemus eos.

Neque enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me. Nam & si lege belli huiusmodi armis accinctus sim, nulla mihi tamen in eis adest fiducia.

Saluasti nos de affligentibus nos, & qui oderant nos confudisti. Nam tuum experti sumus auxilium. Aduocantibus enim adfuisti, scimusque quòd imposterum pari modo, te aduocantibus aderis.

In deo laudabimur tota die. Pro laudabimur, Symmachus dixit, gloriabimur. nam qui gloriatur seipsum laudat. Tametsi inquit, multa ad nostram gloriam adduci possent, nulla tamen alia in re gloriabimur, quàm in vno hoc, q̃ deum cognoscimus. Et quòd ait: Tota die, Symmachus per omnem diem dixit, & Aquila: per totam vitam.

Et in nomine tuo confitebimur in seculum. Confitebimur pro narrabimus vt sit sensus. In nomine tuo narrationem faciemus, mirabilia connumerantes, quæ hoc nomen tuum, tam in patribus nostris, quàm in nobis, supra hominum fidem effecit. Vel aliter: nomini tuo gratias agemus. Et quod ait: In seculum, omnes alij interpretes passim transferunt, semper.

Nunc autem repulisti & confudisti nos. Repulisti quidem, vt indignos, confudisti vero, id est confundi permisisti, dum nobis

bis tanta sustinentibus mala, opem nullam tulisti.

Et non egredieris deus in uirtutibus nostris. Hic etiam tẽpus pro tempore ponitur, quemadmodum Symmachus reddidit, dicens. Nec simul egredieris cum exercitibus nostris. Exercitus enim, virtutes, hoc est, potestates appellauit.

Conuertisti nos retrorsum post inimicos nostros. Nos amicos olim tuos, & qui olim apud custodiã, & protectionem tuam in primo ordine sistebamus, auertisti in vltimum locum, & inimicis propriis subiecisti.

Et qui oderant nos diripiebant sibi. Diripiebant sibi nostra nimirum bona.

Dedisti nos tanquam oues escarum. Tradidisti nos, sicut oues, oues dico, non quæ in possessionem, ac pro patrimonio retineantur, sed quæ viliores sint, & carnificinæ exponantur.

Et in gentibus dispersisti nos. In seruitutem nimirum. Variæ enim gentes cum Macedonibus simul militabant. In captiuorum enim vt diximus & exulum personam, Propheta hæc dicit.

Vendidisti populum sine pretio. Populum, inquit, tibi antea dilectum in seruitutem tradidisti. Et quod ait: sine pretio, ad populi contemptum dictum est. Prauos enim ac mancos seruos solemus sine pretio tradere, atque eorum emissionem lucro putare. Quod etiam per Esaiam prophetam alibi dictum est, dum ait: gratis venditi estis.

Et non erat multitudo in commutationibus nostris. Et pretium, inquit, quo alienati sumus ad paruam ascendebat summam. Commutatio serui enim pretium est loco serui datum. Huiusmodi autem verbis aduersus seipsos ironice cauillantur. Nam absque vllo etiam pretio traditi fuerant in seruitutem. Quædam vero exemplaria habent, & non erat multitudo in vociferationibus eorum: vt sit sensus, ꝙ non erat grandis hostium numerus, quando superati sunt, & quando hostes in signum victoriæ exultantes vociferationibus vtebantur. Vicerunt enim nos, inquit, cum pauci numero essent, nobis nimirum comparati.

Posuisti nos opprobrium uicinis nostris, subsannationem, & derisionem iis, qui in circuitu nostro sunt. Subsannare idem sibi vult quod negligere. Per vicinos autem, & eos, qui in circuitu sunt, alienigenas intelligit, veluti Idumæos, Moabitas, Ammonitas,

monitas, & alios huiusmodi.

Posuisti nos in parabolam in gentibus. In parabolam dixit, pro in exemplum. Solebant enim dicere, vicinæ illæ gentes, vtinam omnibus aliis hostibus nostris ita accidat, quemadmodum accidisse videmus populo Israelitico. Vel, in narrationem, seu in fabulam. Narrabantur enim ab omnibus Iudæorum calamitates. Εἰς παραβολὴν

Commotionem capitis in populis. A communi sensu sumendum est verbum, posuisti. Mouent, inquit, Gentium populi capita aduersus nos, ij quidem nostrum miserti, alij vero gaudentes potius, & lætitiæ vocibus insultantes.

Tota die uerecundia mea coram me est. Semper est in conspectu meo. Κατεναντίον μου.

Et confusio faciei meæ cooperuit me. Eo quòd tam ignominiose direptus sum & dispersus. Idem autem æquè significant hæc & pauloante præcedentia verba.

A uoce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & persequentis. Verecundia, inquit, & confusio mihi est, ꝙ vicini atque inimici exprobrant me, & superbe adeò me respiciunt, vt ex aduerso intueri eos non audeam. Et quod hic legimus: obloquentis: Aquila, blasphemantis, dixit.

Hæc omnia uenerunt in nos. Has omnes calamitates sustinuimus.

Et obliti non sumus tui. Vt alium inuocaremus deum.

Et iniuste non egimus in testamento tuo. Non transgressi sumus legem tuam. Iniuste enim agit, & iniuria ipsam legem afficit, qui illam transgreditur.

Et non recessit retro cor nostrum. Non confugimus, inquit, ad deteriora. Dicta autem hæc sunt, in personam eorum, qui inter cæteros in populo, pietati, religionique ac diuino cultui magis studebant: qui, & si tantis essent calamitatibus circundati, diuina tamen mandata obseruabant: vnde etiam pro aliis omnibus, qui defecerant, deo se purgant, & socios pariter ad magnanimitatem excitant.

Et declinasti semitas nostras à uia tua. Et mutasti semitas nostras à via templi tui, vt ad illud amplius pergere nequeam⁹: cum nostrum alij, captiui sint, & alij procul fugerint à patria.

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis. In loco angustiæ aut captiuitatis.

Et cooperuit

Et cooperuit nos umbra mortis. Id est calamitas præsens, quę adeo acerba est, vt morti penè similis videatur. Vmbrā enim eam appellauit, quia vmbræ iis rebus similes esse solēt, quarum formas repræsentant.

Si obliti sumus nominis dei nostri. Hoc est, si dei nostri obliti sumus. circunlocutione enim vsus est.

Et si extendimus manus nostras ad deum alienum. Hæc verba ad præcedentis versiculi expositionem dicta sunt.

Nónne deus requiret ista? Si hoc, inquit, aut illud fecerimus, nónne deus hæc omnia exquiret?

Ipse enim nouit abscondita cordis. Ac si diceret, neq; in animum nostrum tale quippiam aliquando induximus.

Quoniam propter te mortificamur tota die. Ex nostro nimirum proposito & sponte nostra. Nam cum pacifice possimꝰ ac tuto degere inter idololatras homines, ac dei hostes; propter te tamen omnia sustinemus, & ad obeundam pro te mortem parati sumus. dictio autem, quando, superflua est.

Existimati sumus quasi oues occisionis. Quia scilicet neci sumus expositi, vt nobismetipsis auxilio esse nequeamus.

ἐξεγέρθητι *Exurge.* Ad populi tui vindictam.

Quare obdormis domine. Quare quiescis, ac tanta veteris longanimitate? Quiescere enim videtur qui dormit.

ἀνάστηθι *Resurge.* In auxilium nostrum scilicet. & idem significat resurge, hoc in loco quod exurge. Solemus autem actiones, passionesque seu affectus humanos diuinitati attribuere, vt sæpe diximus, non valentes aliter, ob auditorum infirmitatem, sensum explicare.

Et ne repellas in finem. Cum iam ex parte & ad tempus repuleris, ne perpetuo etiam repellas.

Quare faciem tuā auertis? Hoc est visitationē & custodiā tuam, tanquàm ab indignis.

Obliuiscēris inopiæ nostræ, & tribulationum nostrarū. A cōmuni sensu rursus sumenda est dictio, quare, per inopiā vero hic, molestiam & passionem significat. Quare obliuiscēris igitur inopiæ nostræ? id est, cur nullam calamitatum nostrarum rationem habes.

Quoniam humiliata est in puluere anima nostra. Ipsi nos, inquit, tanquam humiles, atque abiecti humi decumbimus, & in terra prostrati sumus.

Conglutinatus

Conglutinatus est in terra uenter noster. Accubando nimirum humi. vel dum calamitatum pondere depressi, curuati, in terram inspicimus. Ille etiam humilis in terram demittitur, qui terrenis negociis immergitur: & ille conglutinatur terræ, qui gulosus est, aut fornicator, aut fiquis alius blandis adhæret voluptatibus.

Exurge domine adiuua nos. Videris enim sedere & pereuntes nos despicere.

Et libera nos propter nomen tuum. Non ob nostrarum virtutum merita id poscimus, cum & peccatores, & salute indigni simus, sed vt timeatur, & veneratione sit nomen tuum, & ne ab idololatris blasphemetur. Et iuxta historiā abūde psalmum hunc exposuimus. Iuxta anagogen verò dicere possumus, verba psalmi efferenda esse ex sanctorum martyrū persona ad Christum, qui multa & grauia, ipsius Christi gratia, passi sunt, & tota die mortificati. vel ex persona quoruncūq; fidelium, ac religiosorum hominū, qui à sanguinariis gentibus lædantur.

In finem pro iis, qui commutandi sunt, filiis Core, in intelligentiam, canticum pro dilecto. ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων

In finem quidem inscriptum est ob prophetias in psalmo contentas quæ ad finem tendebant. *Pro iis* uerò, qui commutandi sunt: hoc est, pro christianis, qui per baptismatis regenerationem innouandi erant, ueterem exuentes hominem, & nouum induentes. Antiqua enim, inquit propheta, transierunt, ecce noua facta sunt omnia. Hæc igitur commutatio transformatio est, & prioris conuersationis immutatio. *Filiis* etiam *Core* ideo inscriptum est, quia eis datus fuit hic psalmus à beato Dauid, ut eum canerent, quemadmodum in procemio operis declarauimus. Ad *intelligentiā* uerò: quia ob reconditos psalmi sensus, multa lectori intelligentia opus sit. & *canticum*: quia non unà cum musicis instrumentis, sed humana tantum uoce canebatur. Postremo quod dicitur: *pro dilecto*: totius inscriptionis summulā continet & caput: quia nimirum hic tractatur de Christo: qui & ipsi patri dilectus est, tanquam filius unigenitus: & nobis pariter, quia omnium nostrum pater est studiosissimus: unde etiam de eo dictum esse legimus à patre: hic est filius meus dilectus. *Pro dilecto* autem, hoc est, de dilecto. Est enim præpositio pro præpositione, ut alibi sæpe à prophetis usurpari diximus.

Psalmus

PSALMVS XLIIII.

Eructauit cor meum uerbum bonum. Cernens propheta, quòd magna quædam de Christo sibi erant prædicenda, exordio quodam vtitur, dicēs: sermonem se bonum ac salutarem prolaturum. Tu verò etiam emphasim consydera verbi, eructauit. Illud enim nobis indicare videtur, quòd quemadmodum eructatio, etiam à nolentis ore exit, humano nimirum ventre eam, vi quadam efflante, ita, & hic psalmus de dilecto ab intimo prophetæ nostri corde emissus sit, superna quadam vi ita impellente, cum suauissimo sancti spiritus o- pulo refertus esset.

Dico ego opera mea regi. Profero autem, inquit, Christo regi opera mea, hoc est, ꝓphetias, quas de eo afflatus spiritu pronuncio. Prophetæ enim opus est prophetias contexere.

Lingua mea calamus scribæ uelociter scribentis. His etiam verbis illud demonstrat, quomodo ex se ipso aliquid dicturus non est. quemadmodum calamus, inquit, scribentis manui inseruit, & illuc tantum mouetur, quo manus illum impulerit, ita & lingua mea summo illi scribæ, sancto nimirum spiritui, calami cuiusdam vicem præstat, & eo tantum mouetur, quo spiritus illam direxerit. Scribam autem velociter scribentem dixit, vt enunciationis facilitatē ostenderet. Homines enim ob proprię mentis tenuitatem vix pariter enunciare possunt, & scribere, dum ad sensuum inuentionē, & dictionum connexionem attentius occupantur. Hactenus fuerunt exordij verba: nunc autē sermonē aggreditur, & verba dirigit ad Christū de assumpti hominis virtutibus loquens.

Speciosus forma præ filiis hominum. Subintelligitur verbū, es. Speciem verò hanc: hoc est, formositatem, non corporis, sed animæ pulchritudinem intellige: quam integram semper Christus seruauit, solus supra omnes permanēs sine peccato. E saias enim dicens: vidimus eum non habentem speciem, neque decorem, sed species eius vilis, & deficiens super omnes filios hominum: de corpore eius loquitur: qualis nimirum futurus esset Christus passionis tēpore, quòd probris scilicet ac plagis afficiēdus & ignominias multas passurus.

Diffusa est gratia in labiis tuis. Euangelista enim ait, quòd mirabantur turbæ, super verbis gratiæ quæ exibant de ore eius. Possumus etiam per labia eius sanctos apostolos intelligere: in quos adeo abunde sancti spiritus gratia effusa est, vt per eam aduersantes reprimerent, & cæteris ōmnib⁹ pro voluntate persuaderent.

Propterea benedixit te deus in seculum. Propter has igitur tuas virtutes, deus benedixit te, hoc est glorificauit te. Glorificaui enim te alibi, inquit, & iterum glorificabo. Vel, benedixit pro benedicendum & laudandum fecit, vt semper nimirum laueris atque honoreris à fidelibus. Antiquus enim ille Adam propter inobedientiam maledictus est, nouus vero propter obediētiam benedicendus: quam benedictionem nobis etiam participauit. Ait enim alibi propheta: Benedicti vos à domino.

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Cum forma speciosum eum esse dixerit & pulchro ore, nunc strenuum etiam esse militem demonstrat. Et illa quidem signa, integritatem eius & doctrinam significabant, hæc vero pugnam eius & certamen denotant aduersus dæmonem. Aduocat enim Christum propheta ad certamen cum dæmone, vt nos iam diu peccato captiuos liberet, & de exuuiis erigat trophæum: atque vt terribilem ac magis formidabilem dæmonibus eum constituat, primo, humanum in morem armis eum munit. Milites quippe ensem femori accingunt. Arma- re, inquit, & congredere in pugna aduersus tyrannum. Per arma autem, Christi facultatem puniendi intelligimus, qua contra inimicos suos vti solet. Potentem vero eum appellat ob vnitam ac coniunctam diuinitatem.

Specie tua & pulchritudine tua. Accingere, inquit, gladio tuo simul cum decore, & pulchritudine tua, vt gladio inimicos terreas, & virtutū pulchritudine amicos trahas. Nec ab re est, speciē & pulchritudinē idē significare. Vel, per gladiū, dei verbū, & per femur, incarnationē intellige. quæ incarnatio iuxta aliū sensum dictionis græcæ, facta est in tēpestiuitate: hoc est, in tēpore opportuno. Dictio enim ὡραιότης & ὡραιότης speciem, hoc est, pulchritudinem significat, & tēpestiuitatē.

Et intende. Hoc est adauge motum atque impetū tuum.

Et prosperè procede. Hoc est virtute ipsa perfice quodcunque cupis.

Et regna. Dominare omnibus, inquit, qui tibi resistiterūt.

Et licet

Et licet verba hęc imperatiui ſint modi, vim tamen optatiui habent, quemadmodum ſæpius apud ſcripturam reperitur, Sanctificetur, inquit, nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua: quę verba non optatiui, ſed imperatiui ſunt modi, vt ex lectione græca manifeſtiſſime patet: & tamen optantis animum referunt.

Propter ueritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam. Omnia hæc, inquit, operare, & vince, vt verax, mitis, & iuſt⁹. Omnibus enim his pollebat Chriſtus virtutib⁹. Ego enim ſum via & veritas, item diſcite à me quia humilis ſum: & alibi: ſic decet adimplere nos omnem iuſtitiam. & aliter: hæc quæ dicta ſunt facito, vt in terra, loco mendacij, feritatis, & iniuſtitiæ, veritatem, manſuetudinem, & iuſtitiam ſemines.

Et deducet te mirabiliter dextera tua. Dextera, inquit, tua: hoc eſt, bona ac recta tua natura, deducet te, ad pręclara: hęc nimirum virtutis opera. Tu enim ipſe tibi ſatis es, & nullo alio indiges auxilio. Admiratione autem ſumma dignũ eſt, quòd à ſe ipſo quis ad rectam virtutum ſemitam deducatur.

δαμαὶ ἐν καρδίᾳ

Sagittæ tuæ acutæ, ô potens, populi ſub te cadent in corde inimicorum regis. Expoſitores omnes, per hyperbaton cõſtruunt præſentis verſiculi verba, hoc pacto: ſagittæ tuæ acutę, ô potens, in corde inimicorum regis infixæ ſunt. & quod ait: populi ſub te cadent: per parentheſim iacet. Sagittæ autẽ Chriſti, euangelici ſunt ſermones, qui perquàm celeriter vniuerſum orbem percurrunt, & ictu certiſſimo bene ſentientes animas feriũt: qui ſermones acuti effecti eſſe dicũtur, & propter ſummum eorum ſplendorem, & propter incidẽdi vim. Nitidi enim ſunt & ipſa veritate ſplendeſcunt, ac pariter incidunt peccata. Illud autem animaduertẽdum eſt, quòd dicti o: acutæ: participium paſſiuum eſt à verbo acuo: quod ex

ἠκονημέναι

græca lectione clarius patet. Potentem vero Chriſtum appellat, non ſolum ob omnipotentem diuinitatem, ſed etiam quia fortitudine ac robore, & humanis virtutibus dęmonem ſuperauit. Hæ igitur ſagittæ in eorum corde infixæ ſunt, qui antea dei regis inimici erant, ita vt eorum multitudo nunc dicere poſſit, quod in Canticis canticorum legimus: vulnerata ego ſum à charitate: hoc eſt, à ſagittis aut à iaculis charitatis. Huiuſmodi autem ſagittæ ictu ſuo, vulnerãt quidem, ſed non interimunt, quinimmo eos potius, qui olim virtutibus

bus mortui erant, viuificant, & ad diuinum amorem pertrahunt. Sequitur: populi ſub te cadent: hoc eſt, tibi ſubiicięntur: quot quot nimirum ab huiuſmodi ſagittis fuerint vulnerati. Per ſagittas etiam Chriſti apoſtolos poſſumus intelligere, qui acuti: hoc eſt, nitidati, ac lucidi eſſe dicuntur, propter vitæ ſplendorem, & quia propria doctrina in diſcipulorũ corda penetrarũt. Hactenus de Chriſti humanitate ſermo fuit, deinceps de illius diuinitate pertractat.

Thronus tuus deus in ſeculum ſeculi. Thronus eſt regiæ dignitatis indicium, vnde per thronum merito regnum ſignificatur, & ſenſus eſt: Regnũ tuũ æternũ erit. Ex quib⁹ verbis apertiſſime patet, ꝙ Chriſtũ propheta deũ eſſe intellexerit. θρόνος

Virga directionis uirga regni tui. Per virgã, iudicis authoritas ac poteſtas deſignatur. Iudicis, inquit, poteſtate recte vteris. Recte enim iudicas, & iuſte procedis. Vel aliter: per virgam directionis, caſtigãdi poteſtatem intellige: quæ merito ita appellatur, quia dum prauos iuſte caſtigat, eisq; ſupplicium infert, multos huiuſmodi exemplis ad rectam virtutum ſemitam dirigit.

Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem. Per iniquitatẽ iniuſtitiam intelligit. Variis autem modis propheta Chriſto iuſtitiam adſcribit veluti ei qui vniuerſum orbem iudicaturus ſit. Deinde rurſus ad aſſumptum hominem ſermonem ſuum iterum conuertit, dicens.

Propterea unxit te deus, deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Participes ij dicũtur qui inter ſe in aliquo cõmunicant: hoc eſt, quibus aliquid commune eſt. Chriſto autem in nomine, reges omnes communicant: quia Chriſti omnes, id eſt, vncti appellantur, eo quòd oleo vncti ſint. Vngebantur enim olim reges, verum illos quidem prophetæ vili hoc, atque vſitato oleo vngebãt, in regni ſignum, te vero, inquit, longè aliter, atque illi inungerentur, deus vnxit in regẽ. Vnde alibi de Chriſto ſcriptum legimus: ego autem conſtitutus ſum rex ab eo: Non huiuſmodi, inquit, tu oleo vnctus es, ſed oleo exultationis. Quemadmodũ vero cum gladium dei & arcum, & ſagittas dicimus, aut quid ſimile, ea non demiſſe, aut humano aliquo more intelligimus, ſed diuinam quandã vim, atque efficaciam per ea ſignificamus, ita & per olei vnctionem hic quo vnctum eſſe legimus dilectum, aliud quid-

ἀγαλλιάσεως

dam quàm verba ſonent intelligendum eſt: ſancti nimirum ſpiritus aduentus, qui lætitiam & gaudium afferre ſecum ſolet. Integra autem ac perfecta fuit hęc Chriſti inunctio, quia non vt in aliis ſpiritualibus hominib⁹ eſſe ſolet, ex quadam tantum chariſmatum parte ſpiritus in Chriſto inerat, ſed totus per omnes partes eum repleuerat: qua in re cæteris omnibus longe præſtabat.

σακτὴ

Myrrha & ſtacte & caſia à ueſtimentis tuis. Per veſtimenta diuinitatis Chriſti, animam & carnẽ intelligimus aſſumpti hominis, quib⁹ Chriſti diuinitas ineffabiliter circumamicta erat, & quæ apoſtolus ad Hebræos velamen appellauit dicens: Chriſtum initiaſſe nobis viam nouam per velamen, id eſt, per carnem ſuam. Verum ad ſenſum verborũ prophetę diligenter attẽde: Caro, inquit, tua mortẽ patietur, ſed non corruptionẽ: & anima tua ad inferos deſcendet. Myrrha etenim inungi ſolebãt mortuorũ hominũ corpora, vt incorrupta ſeruarentur. Et ſtacte humor quidam eſt, qui emanans à myrrha ſtillat: omnis autẽ ſtilla ſeu gutta, vt inquit, Baſilius, deorſum fertur, & ad inferiora delabitur. Dum igitur myrrham & ſtactem prouenturas dicit à veſtimentis diuinitatis Chriſti, id eſt, à corpore, & ab anima eius, quid aliud quàm corporis mortem abſque corruptione, & animæ ad inferos deſcenſum ſignificat? Caſia etiam cortex quidam eſt odoratiſſimus. Per caſiam igitur, ſuauiſſimum dominici corporis odorem ſignificat, quod natura ipſa optimi erat odoris, eo quòd ſine peccato ſemper fuerit.

A domibus eburneis. In græco pro à domibus legimus, ἀπὸ δαρίων. dicuntur autem δάρεις & domus & templa. Per domus igitur, ſeu templa, animã & aſſumptum Chriſti corpus intelligit, quæ & diuinitatis veſtimenta ſuperius appellauit, & nunc eiuſdem domos appellat ſeu templa. Ordo autem talis ſit: Myrrha & ſtacte & caſia erunt à veſtimentis tuis: à tuis, inquam, eburneis domibus ſeu templis. Eburneis autem dixit pro ſplendidis. Candidũ enim ebur eſt & ſplendeſcit.

Ex quibus delectauerũt te filiæ regum in honore tuo. Propter quæ, inquit, (propter tuam nimirum mortem, incorruptionem & deſcenſum ad inferos, & propter quæcunq; alia, quæ ad voluntariam pro hominibus paſſionem tuam pertinent) credentes

credentes & fideles animæ delectauerũt te. Eas enim intelligimus regum filias appellari: quia ſi apoſtoli, filij atq; hæredes ſunt cœleſtis regni, manifeſtum eſt etiam, quòd effecti ſint reges. Hi igitur apoſtoli credentium animas per ſacrum genuerunt baptiſma. Per euangelium enim, inquit, apoſtolus ego vos genui. Sed quomodo delectauerũt? dum ſcilicet non ficto animo te colunt. Verum hæc iuxta altiorẽ ſenſum dicta ſunt, ſed iuxta aliũ ſenſum, qui clarior videri poteſt, dic: quòd varius ac multiplex virtutum odor ſpirat ab aſſumpta Chriſti humanitate: neque ab ea ſolum, ſed à multis etiam præclaris templis, atque eccleſiis, quæ in vniuerſo orbe ſitæ ſunt. Multiplex nanque odoramẽtorum genus, multiplicem etiam virtutum odorem ſignificat: ex quibus, inquit, templis delectauerunt te fideles illi, qui egregia in te fide ducti, magna illa templa tibi conſtruxerũt. Delectauerunt autẽ dixit, vt iam factum, & præteritum, quod futurum erat: lege nimirum prophetiæ. Filiæ præterea regum in honore tuo, id facient: quia non plebeij, ac populares tantum, ſed reges etiam dominum honoraturi erant: & (quod magis admirandũ videri poterat) ipſæ etiam regum filiæ, quæ innumeris cuſtodũ oculis in regum penetralibus obſeruarentur: qualis fuit ſapientiſſima Caterina, & alię quàm plurimæ.

Adſtitit regina à dextris tuis. Per reginam hic religioſiſſimam chriſtianorum eccleſiam intelligit, quam antea idolis ac ſimulacris addictã, Chriſtus rex ſibi deſponſauit, propter illam nimirũ fidem quam in eum habuit: quæ ideo regina eſſe dicitur, quia animi perturbationib⁹ imperat, vt domina, & quia ſimul cũ ſponſo ſuo Chriſto corregnat in cœleſti regno. Et ipſe quidem ſponſus conſidet à dextris patris, tanquam ei cõſubſtantialis, & eodem honore præditus: ipſa autem regina eccleſia non conſidet, ſed adſtat à dextris ſpõſi, vnà cum incorporeis poteſtatibus. Nam & ſi ſponſa ſit & regina, attamen creata quædam natura cum ſit, eximium ei fuit, quòd tam honoratum ordinem, & ſtatum adeoſublimẽ ſit conſecuta. Nec repugnãt quæ legimus apud Paulũ, quòd conſidere nos fecerit deus in cœleſtibus in Chriſto Ieſu. Per Chriſtum enim id adimpletũ eſt, Chriſto ſcilicet, illic conſidente, qui noſtrum caput eſt, & honorẽ illum nobis omnibus, hoc eſt, reliquo eccleſiæ corpori cõmunem eſſe effecit.

In ueſtitu deaurato circumamicta uarietate. Circumamicta quidem veſtitu ſplendido, id eſt, ſacri baptiſmatis gratia: vel amictu, & veſte ſancti ſpiritus, & virtute honeſtarum virtutum. Amictum enim & varietatem intellectualem intelligit, quemadmodum in progreſſu manifeſtius docet.

Audi filia & uide, & inclina aurem tuam. Vide quo pacto reginam hanc eccleſiam propheta Chriſto deſpondeat. Filiam autem Chriſti eandem appellauit, quam ſponſam fecit. Inter homines enim impoſſibile eſt eandem & ſponſam eiuſdem viri eſſe & filiam, ſed in Chriſto poſſibile eſt. Spirituali enim modo hæc fiunt: quippe cum per euangelium in ſponſam nos ſibi deligat Chriſtus, & per baptiſmi regenerationem eoſdem adoptet in filios. Audi igitur, inquit propheta, quæ dico, & vide: omnia illa nimirũ, quæ propter te paſſus eſt ſponſus, aut quæcunque fecit admiranda. & inclina aurem tuam illius præceptis.

Et obliuiſcere populum tuum. Prauæ nimirum conuerſationis illius & prioris vitæ.

Et domum patris tui. Et templũ diaboli patris tui. Omnis enim, inquit, qui facit peccatũ, è diabolo naſcitur. Obliuiſcere etiam ſceleſtorũ ſacrificiorũ ac feſtiuitatũ illarũ, quas impie olim peragebas. vel domũ patris fortaſſis ideo dicit: quia Gentiles olim in parentes ac progenitores ſibi adſcribebant fabuloſos illos deos. Quid igitur ad hæc dicent Iudæi? Certum enim eſt, quòd de eorũ ſynagoga non loquitur propheta, cum lege cautũ eſſet, vt à patriis moribus non recederent.

Et concupiſcet rex decorem tuum. Et diliget te, inquit, ſi feceris quæ dixi. Per decorem vero, vt diximus, animę pulchritudinem intelligit.

προσκυνήσεις αὐτῷ

Quoniã ipſe eſt dominus deus tuus, & adorabis eum. Deſponſare illi, inquit, & adoptare ab eo. Dominus enim tuus eſt, veluti creator. O immenſam miſericordiam & benignitatẽ dei: adorabis eum, inquit, vt ſerua, tametſi ille te ſibi ſpõſam fecerit & filiam.

καὶ θυγάτηρ

Et filia Tyri in muneribus. Idola colebat Tyrus & impiiſſima inter omnes alias erat ciuitas. Prædicit igitur ipſam etiam Tyrum Chriſto dona allaturam eſſe: templorum nimirum conſtructiones, oblationes, & reliqua, quæ ad diuinum pertinent cultũ. Erit, inquit, in donis filia Tyri: hoc eſt, ipſa Tyrus

Tyrus. Eſt enim idioma Hebraicum: iuxta quod & filiam Babylonis dici legimus, & filiã Sion, & alia huiuſmodi multa. Filiam autem ciuitatem appellat, ad totius prouincię cõparationem, cuius ipſa Tyrus eſt pars. Similẽ loquendi modum inuenies in fine pſalmi L X X I I. ibi: vt annunciẽ omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites populi. Per vultum ſeu (ſi ita mauis reddi) per faciem, ipſum caput intelligit. Caput autẽ congregationis, atque eccleſiæ fideliũ, Chriſtus eſt, quem deprecabuntur: hoc eſt, cui ſupplicationes ferent, vel, quem honorabunt (vt reddit Theodotio) reges & duces. Quòd ſi principes eum honorabunt, multo magis etiã populi eis ſubditi. & aliter: vultus, ſeu (vt diximus) facies eccleſiæ, ſacerdotes dici poſſunt, quos ipſi etiam reges honorabunt, tanquam interceſſores ſuos ad deum.

Omnis gloria filiæ regis ab intus. Ne fortaſſe aliquis exiſtimaret, quòd propheta in præcedentibus de veſtimentis, ac pulchritudine corporis loqueretur, auditorum mentes nunc erigit, vt non ſenſibilia hic à ſe tradi putent, ſed intellectualia quædam, & ſpiritu plena, dum dicit: quòd omnis decor, elegantia, atque ornatus reginæ eſt in eius anima. Rationalem enim pulchritudinem, deus diligit, ornatumque & ſtolam non auream, ſed virtutem.

In fimbriis aureis circumamicta uarietate. Superius quidem dixit in veſtitu, modo autẽ in fimbriis: hoc eſt in zonis. Vnde aliqui in cingulis tranſtulerunt, à quibus fimbriæ quædã dependent. Per zonam vero, temperantiam aut modeſtiam intelliges, quæ cõcupiſcibilem animæ partem coercet, à qua multæ aliæ dependent virtutes. Nam qui concupiſcentiam temperãtiæ zona refrenauerit, præclara alia etiã multa peraget. Alij vero per fimbrias ſimpliciter, multiplicem virtutum, aut ſpiritualium donorum varietatem intelligunt.

ἀπενεχθήσονται

Adducentur regi uirgines poſt eam. Virginitatem quidem introducendam prædicit, ſed non ſtatim ab initio congregationis fidelium. atque ideo dicit: poſt eam: hoc eſt, aliquãto poſt tempore. Verum vbi ſtabilita eſt eccleſia, multæ virgines per apoſtolorum doctrinam Chriſto allatæ ſunt. Quidam per ſponſam & filiam, omnem animam intelligunt, quę ſumma beneuolentia ac familiaritate Chriſto coniuncta ſit,

ac maiori prædita perfectione. Per virginem vero, illam quę ab affectibus quidem carnis munda sit, sed integram perfectionem nondum consecuta: atque ideo hęc post sponsam & filiam: hoc est, post perfectiorem, secunda deo adducitur.

Proximæ eius adducentur tibi. Illæ nimirum, quæ moribꝰ, & sapientia proximæ sunt, quæque à sponsa regis filia non longo disseparantur interuallo.

ἀπενεχθήσονται

Adducẽtur in lætitia, & exultatione. Docuit enim nos Paulus, quòd mulieres quæ matrimonium virginitati præponentes nupserint, afflictionem habituræ sunt, sollicitæ nimirum de viro, de liberis, de seruis, de domo deque tota re familiari: quibus sollicitudinibus hæ virgines immunes sunt: cum ad vnicum, & cœlestem sponsum solum spectãtes, spiritualiter oblectentur.

ἀχθήσονται

Ducentur in templum regis. Vel quia virginum ordines in ecclesia statuẽtur: vel per templum, cœlestem regiam intelligit, ad quam virgines adducentur ab angelis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Hæc ad ecclesiam fidelium dicta sunt: quam quia iusserat propheta à patria domo discedere, consolatur nunc dicens: quòd filij eius, fideles nimirum, qui per baptismum regenerandi erant, nascentur loco parentum eius, atque in eorum sufficientur dignitatem: episcopique, ac custodes hominum, & ecclesiarum præsides in toto orbe constituentur: quod in sequentibus etiam magis explicat dicens.

Constitues eos principes super omnem terram. Ad Christum sermonem habet: cuius parentes seu patres ex materno genere, Habraam fuit, ac cæteri patriarchæ, & prophetæ: filij vero apostoli, qui in dignitatem parentũ Christi suffecti sunt: effecti nimirum, & ipsi patriarchæ, ac plurimarum gentium patres, quos per baptismum sibi genuerunt: qui etiam digni habiti sunt, vt spiritus gratiam reciperent, vtque veluti eximij quidam duces in vniuersum orbem terrarum mitterentur. Euntes enim, inquit, docete omnes gentes: nec tantummodo dum viuerent principatum hunc retinuerũt, sed etiam post mortem. Eorum enim præceptis ac monitis, vbiq; gentium fideles obtemperant atque ab eis diriguntur. Ostendant itaque Iudæi, quinam eorum filij imperauerint aliquãdo toti terræ: cum ipsi potius vniuerso nunc orbi seruiant.

Memor

Memor ero nominis tui in omni generatione & generatione. Hoc ex persona ecclesiæ dictum est, postquam tam præclaris donis digna est habita. repetitio autem illa generationis, perpetuam prolem ac successionem significat. & sane semper Christi memor fuit ecclesia: cuius nomine insignita nimirum in modum gloriatur.

μνησθήσομαι

Propterea populi confitebuntur tibi in seculum. Quoniam tanta in me prouidentia ac studio vsus es, fidelium populi dum viuent gratias tibi agent innumeras.

Et in seculum seculi. Non in præsenti tantum seculo, sed etiam in futuro, quod seculum seculi dicitur, quasi nobilius sit & nullo fine concludatur.

In finem pro filiis Core pro occultis.

ὑπὲρ τῶν κρυφίων

In finem quidem dictum est, quia prophetiæ quæ hic continentur ad finem tendebant. prædicit autem hic psalmus futuros aduersus Ecclesiam insultus: qui mox ab euangelicæ prædicationis initio conciendi erant. ipsius etiam Ecclesiæ patientiam, & pacem demum secutam. unde non immerito post præcedentem psalmum collocatur. ille enim ecclesiæ uocationem continet, hic autem ea, quæ post uocationem subsecuta sunt. in aliquibus autem exemplaribus inscriptum est: filiis Core: absque illa dictione, pro, uerum patet id effectum esse scriptoris incuria, à quo error in cæteros emanauit. possumus etiam exponere præpositionem, pro, loco præpositionis, per, ut sit sensus: quòd per filios Core decantatus est hic Psalmus, tametsi compositus à Dauid. aiunt enim præpositionem hanc apud Hebræos in utraque poni significatione. Quod uero ait: pro occultis, expone, id est, de occultis. multis enim occulta, hoc est, obscura atq; ignota sunt, quæ in hoc psalmo continentur, efferuntur autem huius psalmi uerba ex Apostolorum seu martyrum persona.

PSALMVS. XLV.

DEus noster refugium & uirtus. Christus in quem credimus, & refugium nobis est, quoties ab inimicis fugamur, & virtus etiam, hoc est, robur seu potestas, quoties impetum illorum sustinentes resistimus. ipse enim & tentationes fugere nos iussit, & irruentibus in nos inimicis, per patientiam resistere, ne ab illis superemur.

βοήθεια *Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos ualde.* Dictionem valde, Chrysostomus referendam esse dicit ad dictionem, adiutor: illud nunc consydera, docente te propheta nostro, quòd afflictiones & calamitates inuenire eos homines soleant, qui viuunt secundũ deum, φῶ; permittente sic deo. eos persequũtur, vt exercitatione probatiores fiant. Tribulatio enim, inquit, patientiã operatur, patiẽtia verò probationẽ. hac de causa deus insurgentes in nos tentationes, non statim prohibet, sed cũ aduenerint, opem suam nobis impendit.

διὰ τοῦτο οὐ φοβηθησόμεθα ἐν καρδίᾳ θαλασσῶν *Propterea non timebimus dum turbatur terra, & transferuntur montes in corda marium.* Locum hunc, nec magnus Basilius, nec Chrysostomus iuxta Anagogen exponunt, sed vno ore iuxta literam, tantũ dicunt: verba hęc sanctorũ dici persona, fatentium, quòd Christo eos adiuuante nunquam timebunt, neque si vniuersa terra horrendis concutiatur terræmotibus neque si montes à stabilitate ac sede sua naturali diuulsi, in profundum maris transferantur: ac si dicerent, si elementis adeo confusis formidaturi non sumus, multominus insurgẽtibus in nos tyrannis trepidabimus. vnde etiam Apostolus dicebat: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? & quæ ibi sequuntur.

Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius. Omnipotens, inquiunt, nobis auxilio est. Sæpenumero enim marium fluctus fremuerunt conturbatique & commoti sunt, efferuescentes nimirum irruentium ventorum vi: montes etiam nonnunquam concussi sunt. omnia autem hæc potestate dei efficiũtur. vnde alibi etiam ait: Qui conuertis profundum maris: Item, qui respicit terram & facit eam tremere. Maria autem in plurali numero dicit, iuxta Hebraicæ linguæ consuetudinem, vt alibi diximus. vel, per maria, varios maris sinus aut tractus intelligit, veluti Aegæum, Ionicum, & alios huiusmodi. Nec tamen abre fuerit, his verbis Anagogicum etiam sensum accommodare. non timebimus, inquiunt, dum turbatur terra, hoc est, dum tyranni & subditi eorum populi terrena sapientes turbabuntur. (turbati autem sunt, antiqua ac patria eorum conuersatione immutata.) quinimmo, neque etiam timebimus dum montes, hoc est, superbi elatique animo, ac tumentes dæmones, in amaresc-

nes, in amaresc entium ac maris instar infructuosorum hominũ corda transferentur, hoc est, dũ irruere eos videbimus, in huiusmodi homines, ita vt ad furorem eos atq; insaniam cõmoueant, & sequire eos etiam cogant in nos. Multa enim huiusmodi facta fuisse traduntur in Apostolorum actis. & quod ait: sonuisse ac conturbatas esse aquas eorum: ita intelligendũ est, vt relatio ad montes dirigatur, ac si diceret, aquæ eorũ montiũ. per aquas autem montium diabolicos atq; idololatras homines intelligit, qui aquarum instar huc & illuc à spiritu deceptionis aguntur, quiq; clamantes sonuerunt & mutuo sese ad fideliũ necem irritantes turbati sunt, & perterriti in admirandis seruorũ dei operibus, atq; in inuicto eorũ robore. turbati etiam sunt montes, hoc est, ipsi etiam dæmones debiliores facti sunt atq; in fugam acti.

τὰ ὁρμήματα τοῦ φραίνουσι *Fluminis impetus lætificant ciuitatem dei.* Occulta hic traduntur mysteria. & flumen quidem Christus dicitur propter dulcissima doctrinæ eius fluenta, quæ fideles animas irrigant, impinguant, & ad vberrimos virtutum fructus deducunt. vnde per quendã prophetam dicit: ecce ego declino ad eos, quasi flumẽ pacis. per impetus autem huius fluminis, sanctos intelligimus Apostolos, qui ab eo missi atque impulsi sunt, ad fideliũ doctrinam. Euntes enim, inquit, docete gẽtes. Ciuitas vero dei est fidelium congregatio, ipsa nimirum Christianorum ecclesia, quæ dei esse dicitur, quia vita & cõuersatio eorum deo grata est. lætificant igitur ecclesiam Apostoli, exemplo, ac doctrina. vel aliter: per impetus fluminis, dona atque charismata intelligere possumus sancti spiritus, quibus ecclesia ab eo ornata est.

Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Ipsa etiam Christianorum ecclesia locus est & tabernaculum dei. Inhabitabo enim, inquit, & inambulabo in eis.

Deus in medio eius non commouebitur. Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Item vbi sunt duo, aut tres congregati in nomine meo, illic sum ego in medio eorum, non cõmouebitur autẽ, vi aliqua visibiliũ, seu inuisibilium inimicorũ conantium eã euertere. porte enim, inquit, inferni nõ prævalebũt aduersus eam,

τὸ πρὸς πρωΐ *Adiuuabit eam deus mane diluculo.* Adiuuabit eam, inquit, deus quàm celerrime, quoties nimirũ in periculis fuerit constituta.

ſtituta. Nam quod ait, mane diluculo, ſeu (vt lectio Græca magis poſcit,) diluculo ad diluculum, ſummam indicat celeritatem & comparationem vnius diluculi ad aliud diluculum, veluti ſit quoddam diluculum alterius diluculi.

Conturbatæ ſunt gentes. Quia diſſeminata prædicatione euangelica omnes commoti ſunt, alij currentes ad fidem, alij vero aduerſus eam impetum facientes.

Inclinata ſunt regna. Regna omnia quę aduerſus eccleſiã pugnauerunt, victa tandẽ ac ſuperata eo deducta ſunt, vt cõtra eam certamen detrectauerint. vel, inclinata ei ſunt per fidem. vtrũq; enim multis in ciuitatibus effectum eſt.

ὁ ὕψιστος *Dedit uocem ſuam altiſſimus, & mota eſt terra.* Hoc in loco ſummam dei potentiam declarat, dum ad ſolam eius vocem ſtatim tremere terram dicit. quod alibi etiam fieri teſtatur ad ſolum adſpectum, dum ait. Qui reſpicit terram, & facit eã tremere. huiuſmodi autem verba metaphorice dicta ſunt ad eorum exemplum, qui aliquem cruciari iubent: ſeu qui torue, aut iracunde aliquem intuentur. Iracundia autem cõmotum eſſe deũ dicimus, quando aut pœnas peccatis cõdignas infert, aut alio quouis modo peccatorẽ condẽnat. vel aliter: dedit deus vocem ſuam in mundo per euangelium, & cõmoti ſunt omnes, vt prædiximus. Terram enim accipimus hoc in loco pro habitatoribus terræ, iuxta quam ſignificationem alibi legimus, & erat omnis terra labij vnius.

Dominus uirtutum nobiſcum, adiutor noſter deus Iacob. Hæc verba profert eccleſia ſeipſam cohortans ac confidere iubẽs. opportune autem meminit patriarchæ Iacob: quia eum inter cæteros, deus perſępe ab inſidiis liberauit, & quia primus gentiũ vocationem apertius prædixit. nõ deficiet, inquiens, princeps de Iuda, neq; dux de femoribus eius donec veniat cui repoſitum eſt, & ipſe eſt expectatio gentium.

Venite & uidete opera dei, quæ poſuit prodigia ſuper terram. Aduocat eos propheta qui ingenij acumine, atque intelligẽtia cæteris præſtant, vt contemplentur opera dei, hoc eſt præclara eius geſta, quæ per euangelium facta ſunt, & quæ deus veluti prodigia quædam poſuit in terra, vt per ea ineffabilis eius poteſtas prædicaretur. neque enim vlla naturæ conſequentia contigerunt. Piſcatores enim vicerunt philoſophos, & pauci homines, totum orbem, & qui nudi erant, diuites,

diuites, & qui pauperes, ipſos reges, qui etiam mortales erant & viſibiles, immortales atque inuiſibiles dæmones ſuperarunt.

Auferens bella uſque ad fines terræ. Nato enim Ieſu bella, quæ inter nationes mutuo ante inualuerant, ceſſarunt omnia, cum totius orbis imperium ad Romanos deueniſſet. Exiit enim, inquit Lucas, edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. cum igitur ſumma eſſet in toto orbe pax, arma effecta ſunt inutilia, conuerſis nimirum omnibus hominibus ad agriculturam, atque ad reliquas artes. Quod etiam ſignificans Eſaias dicebat, ſcindent gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, & gens non ſumet gladium contra gentem. Conſydera etiam vim dictionis Græcæ ἀνταναιρῶν quæ proprie non tantum auferens ſignificat, ſed contra auferens. ante Chriſti nanque aduentum homines à diuturnis bellis ablati, hoc eſt, perditi atque interempti fuerant. ipſe itaque deus & homo Chriſtus, econtra, bella abſtulit, hoc eſt, extinxit ac penitus deleuit. μέχρι τῶν περάτων

Arcum conteret & confringet, telum & ſcutum comburet igni. Hæc omnia iuxta hiſtoriam euenerunt quemadmodum docet Ezechiel. telum autem hic ponit pro gladio, aut pro omni telo quo pugnatur comminus. Non immerito autem beatus Dauid tam præclari facti gloriam adſcribit deo. ὅπλον

Vacate & uidete quoniam ego ſum deus. Vacate, inquit, à viſibilibus ſeu etiam ab inuiſibilibus bellis, & cognoſcite q; ego vere deus ſum. perſpicuum enim id fit ex ſignis atque miraculis, quæ per euangelij vires facta ſunt.

Exaltabor in gentibus. Cum natura ipſa magnus ſim, maximus etiam ob miracula apud omnes nationes reputabor.

Exaltabor in terra. In cœlo quidem incorporeæ omnes poteſtates altitudinem meam nouerunt, tantum reſtat, vt pari modo in terra etiam ab hominibus cognoſcatur. & cum terram dicit vniuerſam terram intellige.

Dominus uirtutum nobiſcum, adiutor noſter deus Iacob. Inſurgens atque inſultans aduerſus hoſtem eccleſia inuocationem iam ſuperius factam denuo repetit, quæ animum ſibi & vires ſubminiſtret ad maius fortitudinis, & magnanimitatis incrementum.

In finem

In finem pro filiis Core, Psalmus ipsi Dauid.

In finem etiam inscribitur hic Psalmus, propter prophetias, quæ in eo continentur ut sæpius dictum est, & ad finem tendebant. Prædicit enim consequenter ad præcedentem Psalmum, summam atque inuictam Euangelicæ conuersationis uirtutem: & quod ait. Pro filiis Core: ibi superiori Psalmo, iam exposuimus. Est autem hic Psalmus totus clarus, & nihil obscurum continet. Illud tantum animaduertendum est, ut ex Apostolorum persona proferatur, qui ueluti prosphere ac feliciter præeuntes, & multos adducentes ad fidem, præ lætitia, quam ipsi summam inde percipiebant. gaudere pari modo iubent omnes gentes, ad quas à saluatore missi fuerant: quòd scilicet effectæ sint hæreditas dei.

PSALMVS XLVI.

OMnes *gentes plaudite manibus.* Plausus manuum in summæ lætitiæ signum fieri solet. Per hoc igitur signum Gentes iubet lætitiam præseferre. Neque enim illud tantum petit, vt sensibili crepitu plauderent, quantum vt animo, ac spiritu lætarẽtur, quia talem ac tantum essent consecuti dominũ, misericordem, videlicet, & omnipotentem.

Iubilate deo in uoce exultationis. Verbum, iubilate, metaphorice dictum est, ac si diceret: victoriæ hymnum canite. Est enim iubilus proprie militaris quędam vociferatio, quam victores in pugna emittere consueuerunt, vt hostes in fugam iam versos magis perterreant. Vox etiam exultationis, vox est lætitiæ plena: deinde causam addit.

Quoniam dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram. Quoniam Christus, qui secundum diuinitatem altissimus est, terribilem etiam, vel vt potius sonat Græca dictio, φοβερὸς, timendum se omnibus demonstrat, ob signa videlicet, & miracula, quæ singulis diebus operatur. Huius enim vel solum nomen, torquet atque expellit dæmones, & morbos curat, quia etiam rex magnus est, super omnem terram: quippe cum in omni terra hæreditatem sibi adeptus sit, per nos nimirum Apostolos, quos in vniuersum mundum ad Euangelij prædicationẽ misit. Magnum autem regem Christum appellauit, propter temporarios istos reges nostros, qui & minimi sunt illius cõparatione, & exiguo regnant tẽpore.

Subiecit populos nobis. Per populos hic Iudæos illos intelligit qui primi omnium in Christum crediderunt: illa scilicet tria millia, & illa quinque millia, quæ statim post paracleti spiritus aduentũ, depositis simulatibus, ad Apostolos confugerunt, antequam illi exirent ad Gentes.

Et gentes sub pedibus nostris. Et eos, qui de Gentibus crediderunt, qui fide ardentes Apostolorum pedibus inclinati sunt, & illorum vestigia pie ac religiose amplexati.

Elegit nobis hæreditatem sibi. Per nos dispensatores Ecclesiæ suæ elegit eos, qui ex Gentibus digni essent in hæreditatem suam: iuxta illud. Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam: quosque magnus hic noster rex per nos, veluti per duces quosdam, sibi in milites assumpsit. Nam quod ait, elegit nobis, positum est, pro, in nobis, id est, per nos. ἑαυτῷ

Speciem Iacob quam dilexit. Neque hoc tantum, sed eos etiam per nos elegit, qui vtiliores erant de genere Iacob, quos dilectam speciem Propheta appellat, hoc est, formosos atque ornatos: virtutibus nimirum, atque ideo etiam maxime dilectos. Et superius quidem præposuit Iudæos, qui primi post Christi resurrectionem credidissent, nunc contra præponit Gentes, quod ex eis plures semper crediderint. Iudæi enim Gentibus comparati, minima quædam pars sunt fidelium. ὧν

Ascendit dominus in iubilo, dominus in uoce tubæ. Hoc in loco Christi ascensum in cœlos prænunciauit: quemadmodum & in vigesimotertio psalmo significauimus. Per iubilationẽ autem, & per tubæ vocem, voces intelligit præcedẽtium tunc Angelorum, iubilationem quidem, propter illa verba tunc ab Angelis prolata: Dominus fortis & potens, & dominus potens in prælio, quæ in victoriæ Hymnum dicta videntur. Iubilum enim victoriæ vocem esse diximus. Tubæ autem vocem dixit ob verba illa: Tollite portas principes vestras, & quę sequũtur. Præire enim solent tubicines, quoties exercituũ duces cum victoria in patriam reuertuntur. Vel aliter, per iubilum, & per vocem tubæ, Angelorum voces intellexit, quia huiusmodi verba clare ac manifeste ad omnes mundi fines per Apostolorum doctrinam peruenerunt.

Psallite deo nostro, psallite, psallite regi nostro, psallite. Cum præclara Christi opera & illorum magnitudinem narrauerit, summo deinceps cum studio vniuersum orbem aduocat

ad illius laudes. Hoc enim sibi vult repetitio illa verbi, psallite, id est, canite. Et deinde causam addit cur canendum sit.

Quoniam rex omnis terræ deus, psallite sapienter. Canite, inquit, deo regi nostro, id est Christo, quoniam rex est totius terræ. Data est enim mihi, inquit, omnis potestas in cœlo & in terra. Psallite autem non simpliciter, sed sapienter, hoc est, non lingua tantum, sed corde, & intellectu, intelligentes scilicet id quod canitis, & quæ nã sint præclara illius opera.

Regnauit deus super Gentes. Antea quidem deus Gentium etiam dominabatur, verum vt nolentium, & rebellium, nunc autem volentibus imperat, vt redemptor. Et quia duplicem Christus habet naturam ante incarnationem eum regnasse dicimus, vt deum, post resurrectionem vero regnum denuo assumpsisse, vt hominem, & ideò tunc ab eo dictum legimus: data est mihi omnis potestas. Data est autem super omnes gentes, quia in omnibus gentibus fideles reperti sunt. Et alibi quidem in vniuersum tota natio credidit, alibi autem pars maior, aut minor. In omnem enim terram exiuit Apostolorum sonus.

θρόνον *Deus sedet super thronum sanctum suum.* Thronus est regiæ dignitatis signum sedere autem stabilitatis indicium: & sensus est. Christum in hoc regno suo stabilem esse: iuxta quem sensum legimus apud Apostolum, ꝙ sedere illum fecit deus in dextera maiestatis in excelsis. Sanctum vero thronum dixit, veluti purum ac mundum omni acceptione personarum, atque alia omni exceptione carentem.

Principes populorum congregati sunt cum deo Habraam. Euangelicæ prædicationis vires magis etiam demonstrat, quod non idiotas tantũ & priuatos homines, sed principes etiã & reges ipsos attraxerit. Siquidé & eorum multi cũ Christo congregati sunt, & partiũ eius effecti. Deũ autem Habraã Christum appellauit, vt eundé eum esse significaret, qui olim Habraæ & posterorum eius deus fuerat, vtq; eundem esse ostenderet antiqui testamẽti legislatorem deũ, qui etiam & noui.

τῷ θεῷ οἱ ἀρχοντες *Quoniam fortes dei à terra uehementer eleuati sunt.* Congregati autem sunt cũ deo Habraam illi populorum principes, quoniã Apostoli (quos ea ratione fortes dei, hoc est robustos dei appellauit, quia sancti spiritus auxilio fortificati, dæmones & tyrannos vicerunt) quoniã hi inquam Apostoli, terrena

na ac mundana omnia superauerunt, nec voluptatibus vllis aut tribulationibus victi sunt, sed vita ac sermone semper claruerunt, atq; ideò per eos, summi etiam principes ac reges, ad Christum adducti sunt. Illud non prætereundum duximus ꝙ dictio dei genitiui casus est, quemadmodum expositio docuit, & ex græca lectione apertius patet.

Psalmus cantici, filiis Core, secunda sabbati.

Quid significet psalmus cantici, diximus in procœmio operis, ubi etiam declarauimus, quid sibi uelit inscriptio, filiis Core. Quod uero ait: secunda sabbati, diem illam signat, qua psalmus fuit decantatus. Sabbatum autem Iudæi totam hebdomadam appellant. Continet hic psalmus gratiarum actiones ex eorum persona, qui è Babylonica captiuitate in Hierusalem rursus reuersi sunt: tametsi omnibus etiam possit fidelibus aptari, qui ab Idolorum ac dæmonum captiuitate ad cognitionem dei redierint. PSALMVS XLVII.

MAgnus dominus. Potestate nimirum sapientiaq; & bonitate.

Et laudabilis ualde. Et valde dignus qui laudetur ob summa videlicet miracula, quæ operatus est in nobis. Obliuioni enim dati videbamur, & tamen mirandum in modum, & præter omnium opinionem ab exilio in patriam reuocati, & misericordiã consecuti sumus.

In ciuitate dei nostri. Dignus est autem qui laudetur in ciuitate Hierusalem, in qua cognoscitur & colitur. Neq; enim deum laudant qui eum ignorant.

In monte sancto eius. Cum ciuitatis meminerit, consequenter & montem ei vicinum, ac quodam modo vnitum nominat. Sæpenumero etiam appellatione montis Sion, ipsa Hierusalem intelligitur. Ciuitas autem dei dici potest Ecclesia fidelium, in qua deus creditur habitare, quæ etiam mons dicitur, quia supra terrena omnia vitia eminet, & in ipsum ferbitur cœlum.

Bene fundato exultatione uniuersæ terræ. In monte, inquam bene fundato, exultatione vniuersæ terræ, hoc est, cum gaudio ac delectatione totius orbis. εὐφραίνω

Montes Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni. Quoties quis mihi ex transuerso, atque ex latere conuersus est, ille ὄρη

latera

latera mea nõ temere à me appellari poteſt. Nam quod tranſ
uerſum mihi eſt, recte dicit ex latere mihi eſſe, & quia mons
Sion Aquiloni vento è directo aduerſus non eſt. Neque
enim Aquilo rectà contra eum ſpirat, ſed ex tranſuerſo, nil
admirandum ſi hunc montem Propheta latera Aquilonis ap
pellauit, dicens: Vos, ô montes Sion qui ex tranſuerſo Aqui-
loni eſtis, atque ex latere eius iacetis, ſcitote quia magnus do-
minus eſt & laudabilis valde, &c. Non illepide etiam mon-
tem vnà ac ciuitatem aduocat, & montem quidem plurali
numero montes dicit, iuxta Hebraicum idioma, vt ſæpe di-
ximus, magnum vero regem deum appellat, quia ſoli deo o-
blata ac dedicata erat Hieruſalem. Iuxta Anagogen per A-
quilonem, Diabolum ſæpe ſignificari intelligimus. Ab Aqui-
lone enim, inquit, accendentur omnia mala ſuper terram.
Item alibi, Aquilonem expellam à vobis. Latera autem, hoc
eſt, membra Aquilonis, Gentes erant. Ait igitur quòd mem-
bra diaboli, quibus olim ille dominabatur, effecta ſunt mon
tes Sion, hoc eſt, ſublimia quædam atque excelſa Eccleſiæ
cacumina, eo quòd à terrenis atque humi affixis rebus ele-
uati, ſublimes in altum conſcenderunt. Verum parum di-
xi, quòd excelſa facta ſint cacumina, cum potius facta ſint
ſedes ac diuerſorium Chriſti. Ex eis enim congregata eſt fi-
delium Eccleſia in qua inhabitat & reſidet Chriſtus domi-
nus.

ἀντιλαμ βάνηται *Deus in domibus eius cognoſcetur cum auxiliatus fuerit ei.* Pro
domibus in Græco legimus βαρέσι. Sunt autem βαρέις ma-
gnificæ ac ſplendidæ domus, per quas hoc in loco templum
ſignificatur, quod erat in Hieruſalem, in quo manifeſtare ſe
ac notum ſacerdotibus facere ſolebat deus, quando aduenien
te aliquo bello eis erat auxiliaturus. Hæc autem in laudem
ciuitatis dicta ſunt. Iuxta Anagogen per ciuitatem cõmunio
illa intelligitur, qua fideles in vita, atq; cõuerſatione ſua con
iunguntur. Eſt autem vna hæc ciuitas, propter fidei ac reli-
gionis vnitatem. Per domus autem, templa intelliguntur, quæ
in variis Mundi partibus à Chriſtianis erecta ſunt, in quibus
cognoſcitur, ac manifeſtatur Chriſtus, quoties adueniente
perſecutione ipſe Eccleſiam ſuam adiuuerit. Illud etiam ani-
maduertendum eſt, quòd vna eſſe fidelium Eccleſia dicitur,
& multæ: vna quidem, fide, & multæ propter varia, quæ
vbique

vbique locorum ſunt templa.

Quoniam ecce reges terræ congregati ſunt. Aduerſus ipſam
Hieruſalem: vel aduerſus Eccleſiam fidelium.

Conuenerunt in unum. Aduerſus Hieruſalem vel Eccleſiam
vt diximus. In vnum autem conſpirauerunt, & vna impetum
fecerunt, vt mutuo ſibi auxilium ferrent.

Ipſi uidentes ſic admirati ſunt. Dictio ſic, illud hoc in loco
ſignificare videtur, ꝙ tunc demum illi reges admirati ſunt,
poſtquam Chriſti potentiam viderunt. Nam antequam vi-
derent non admirabantur.

Turbati ſunt. Hoc eſt tumultuati ſunt.

Commoti ſunt. Quia à priori ſententia deſtitere.

Tremor apprehendit eos. Magno timore affecti ſunt.

Illic dolores ut parturientis. Afflictiones in eis erant, & do
lores & periculorum ſuſpitiones, quemadmodum parienti-
bus ineſſe ſolent.

In ſpiritu uehementi conteres naues Tharſis. In vehementi,
ac valido impetu iræ tuæ tam faciliter eos conteres, quã con-
terere ſoles naues Tharſis. Aiunt enim ſubintelligi debere di
ctionem, vt. Tharſis vero loci nomen eſt, vbi conſpicuæ atq;
excelſæ naues fabricari cõſueuerant. Vel aliter: Ipſas, inquit,
naues Tharſis, quę inimicos noſtros vehunt, tu conteres. Sunt
qui per Tharſim Carthaginem Libyę intelligant. Sunt & qui
Indiæ regionem eam eſſe dicant.

Sicut audiuimus ita & uidimus, in ciuitate domini uirtutum, in ci-
uitate dei noſtri. Hæc verba eorum nomine dicta ſunt, qui
inimicorum impetus effugerunt. Nos, inquit, in potentiſſi-
mi regis noſtri ciuitate omnia vidimus conſona iis, quæ au-
diuimus. Audiuimus enim ꝙ mirabilia quædam operatus eſt
pro populo ſuo: vnde & conſequenter admiranda multa con
ſpicimus, & in certiori fide confirmamur.

οὕτως καὶ εἴδομεν

Deus fundauit eam in ſeculum. Hæc verba ſoli conueniunt
Eccleſiæ fidelium. Portæ enim, inquit, inferni non præua-
lebunt aduerſus eam. Ipſa etenim Hieruſalem à fundamen-
tis euerſa ac ſolo æquata eſt. Quid igitur ad hæc dicere pote-
runt Iudæi?

Suſcepimus deus miſericordiam tuam in medio populi tui. Ex-
pectauimus, inquit, auxilium tuum & ſpe noſtra fruſtrati nõ
ſumus. Quidam tamen dictionem ὑπελάβομεν ſignificare di
cunt

λαοῦ

cunt hoc in loco idem, quod existimauimus, seu cognouimus, cum id verbum apud Græcos non tantum suscipere, sed suspicari etiam, atq; existimare significet.

Secundum nomen tuum deus, sic & laus tua in fines terræ. Quemadmodum nomen tuum, inquit, diuulgatum est, & pertransiit in fines terræ, propter opera nimirum tua admiranda, sic etiam diuulgabitur laus tua, quia omnes immensam potentiam tuam summis efferent laudibus.

Iustitia plena est dextera tua. Eo q̃ iure de iniquis omnibus vindictam sumas.

τῆς Ἰουδαίας

Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudææ. Per montem Sion, homines intelligit, qui illic habitant, & per filias Iudęę, mulieres ipsas, quas veluti viris timidiores, ac mœstiores, lætari etiam iubet. Nam si his etiam lætandum est, tanto magis viris. Vel per filias Iudeæ, ciuitates dicit, quæ sitæ erant circa Hierusalem, atque ei subiectæ. Possumus & per montem Sion vnicam fidelium Ecclesiam intelligere, vt diximus, & per filias Iudææ, filias confessionis & fidei, hoc est, fidelium animas: vel Ecclesias, quæ in variis mundi partibus fundatæ sunt.

Propter iudicia tua domine. Hæc est lætitiæ causa, quia æquissimo iudicio tuo inimicos nostros, pœnas nobis pendere compulisti.

Circundate Sion & complectimini eam. Hoc est, ipsam Hierusalem, quæ ob populi captiuitatem, iam penè erat diruta & post illius reditum instaurata, præterq; omnium opinionem amplior effecta est. Iubet igitur Propheta populum circuire eam, & inspicere quàm mirandum in modum pristinas vires receperit, & antiquum nacta sit decorem. Circundate autem & complectimini, hoc est, circunquaque eam spectate. Vel idem æquè hæc duo verba significant.

Narrate in turribus eius. Narrate, inquit, sedentes in turribus ipsius Hierusalē, quid antea passa sit à Babyloniis, quantisq; affecta sit malis, & q̃ nunc admirabilis sit facta. Chrysostomus, narrate in turribus eius, exposuit, pro, mensurate turres eius: ad quantam nimirum altitudinem perductæ sint.

Ponite corda uestra in uirtute eius. Mentem, inquit, adhibete & considerate quas nam vires & quam nuper potestatem haberet.

Et distribuite

Et distribuite domos eius. Quod latine domos, in Græco legimus βαρεις. Dicuntur autem βαρεις non solum domus & templa, vt diximus, sed etiam turres. Ait igitur distribuite vnicuiq; vestrum turres eius, vt commode vnusquisq; opus sibi commissum ædificare, ac perficere diligentissime possit.

Vt enarretis in progenie altera, quoniam hic est deus noster in seculum & in seculum seculi. Hæc omnia, inquit, quæ dixi perficite, vt summam hinc dei potentiā planè perspicientes, nepotibus, ac posteris vestris narretis, quòd hic deus in seculum est, hoc est, perpetuo. Verum hæc sic secundum historiam dicta sunt. Iuxta Anagogen iubet Propheta Apostolos, & doctores circuire Ecclesiam fidelium, propter hostes, qui & palam, & clam ei insidiantur. Per turres autem vniuersalis Ecclesiæ, singulas Ecclesias intellige, quæ vbique locorum deo dicatæ sunt, quas etiam βαρεις id est, domos appellat, & in eis narrare illos iubet magna dei prodigia, atq; eas etiam edocendas sibi partiri, & ponere corda, hoc est, animum adhibere, vt vires ei ac robur adiungerent, vt illa demum apte instructa ac perfecta, narrent etiam posteris diuinas laudes, vtentes nimirum ministerio ac lingua fidelium qui crediderunt.

Ipse pascet uos in secula. Ait enim ego sum pastor bonus. ποιμανεῖ

In finem filiis Core.

Præsens psalmus, de uniuersali iudicio tractat, in quo finis erit præsentis seculi, atque ideo in finem inscribitur. Reliquum autem inscriptionis clarum est, ex iis quæ in præcedentibus declarauimus.

PSALMVS XLVIII.



Vdite hæc omnes Gentes, auribus percipite omnes habitantes terram. Ad auditionē sermonis sui excitat Prophetavniuersam hominum naturam. Et quoniā gentes, diuersarum nationū homines sunt & differenti vtuntur lingua, ac moribus (ex eis enim quidā in oppidis congregati degunt, alij in agris, alij in vicis, nōnulli socialem vitā repudiantes, in speluncis aut rupium cauernis latitant) vt vno sermone in vniuersum omnes cōpræhenderet, addidit: omnes qui habitatis terrā, vbicunq; gentiū, vestrum quispiam sit, ne quis forte se non arcessitum

 queratur.

queratur. Et quod ait: auribus percipite, idem est quod audite, quanquam hic sermo vehementiam quandam indicet exauditionis.

Quique terrigenæ & filii hominum. Magnus Basilius per terrigenas, homines intelligit terrena sapientes, & mundanis rebus affectos, filios autem hominum, eos qui rationem ducem sequuntur. Proprium enim hominis est, vt è ratione omnia moderetur. Chrysostomus vero aliam expositionem tradidit dicens, quòd cum Propheta omnes in vniuersum homines conuocauerit, in ipso statim initio eos comprimit, si quis forte illis tumor, aut elatio in proximos obuenisset. Hoc autem agit dum in memoriam reuocat, quòd omnes è terra ac vili materia prodiere. Deinde ne illud quis fortassis putaret, quòd homines à principio, è terra, iuxta Græcorum fabulas pullulauerint, à quibus traditur satos olim homines fuisse, atque ita à terra productos, addidit, & filij hominum: ac si diceret. Audite homines, qui & terrigenæ estis, propter primum parentem de terra formatum, & filij hominum, propter aliorum hominum generationem, quæ mutua coitione, sexuum copula, in posteros emanauit.

Simul in unum diues & pauper. Non distinguo, inquit, diuitè à paupere. Aeque enim omnes aduocat sanctus spiritus. Animam enim tantum quærit intelligentiæ compotem, quã non diuitiæ exhibent, sed timor dei. Et quod dicit simul in vnum, idem est, quod vna.

Os meum loquetur sapientiam. Auditores excitat ad attentionem veluti qui de rebus non minimis tractaturus sit, sed de excelsis potius ac venerandis. Per sapientiam autem diuina intelligit eloquia, quæ sapientia sunt referta.

σωσιν *Et meditatio cordis mei intelligentiam.* Pollicetur se nihil temere sed accurate omnia dicturum. Meditatio, inquit, cordis mei, hoc est, diligens & attentamentis meæ consideratio, verba loquetur plenissima intelligentiæ. Vel loquetur verba, ad quæ percipienda multa erit opus intelligentia.

Inclinabo in parabolam aurem meam. Sermonem habiturus ad vos, inclinabo vicissim aurem animæ meæ in parabolam, quæ à sancto mihi spiritu suggeritur. Per parabolam vero hic ambiguum, atque ænigmaticum sermonem intelligit. Sunt enim prophetica omnia ambigua admodum, propter occultos

occultos sensus obscuritate verborum velatos. Fidem etiam sermoni suo, præstat his verbis, dum superne ea sibi denotat inspirari.

Aperiam in Psalterio propositionem meam. Per propositionẽ sermonem intelligit, ad exhortationem atque vtilitatem audientium propositum, ac prolatum. Aperiam igitur, hoc est, manifestabo hunc sermonem meum, vnà cum psalterij harmonia. Nam qui ianuam aperit, omnia manifestat, quæ intus sunt. Ex eo enim quod præcedit, denotauit id quod consequitur. Manifestaturum se autem id ait, cum harmonia & cantu, vt sermo suus iucundior sit: iuxta Anagogen ille aperire dicitur propositionem suam in psalterio, qui facit pariter & docet: cuius opera sermonibus congruunt. Ad melodiam enim psalterij excitandam manibus opus est, per quas operandi facultas designatur.

Cur timebo in die mala? Per interrogationem legenda sunt hæc verba. Vultis scire, inquit, cur mihi timendum sit in die futuri iudicij. Hanc enim diem malam appellat, quemadmodum & alibi in psalmo quadragesimo ibi, in die mala liberabit eum dominus, vbi diximus: audite igitur causam timoris.

Iniquitas calcanei mei circundabit me. Timeo, inquit, quia tunc iniquitas peccati mei, hoc est, quia peccatum meum circundabit me. Calcaneum enim posuit pro deceptione: quemadmodum & alibi in commemorato psalmo quadragesimo ibi: magnificauit aduersum me supplantationem, declarauimus. Quod tamen ex lectione Græca melius percipitur: cum Græca dictio πτέρνισμός, hoc est, supplãtatio ἀπὸ τῆς πτέρνης, hoc est, à calcaneo deducatur. Peccatum vero merito deceptio appellatur, quia peccãtem ipsum decepit. Vidisti sapientia plenum sermonem, quo Propheta, dum se timere introduxit, alios caute admonuit timere à peccatis, cum iudicium dei eiusmodi futurum sit, vt corrumpi non possit.

Qui confidunt in potestate sua, & in multitudine diuitiarum suarũ gloriantur. Subaudiendum est, hoc in loco, verbum, auscultent. Potestatis autem nomen large intelligendum est, ita, vt non tantum ad eos dirigatur sermo, qui in operibus, sed ad eos etiam qui in sermone potentes sunt. Simili modo diuitias dicit, non eas tantum, quæ in pecuniis aut aliis fortunæ bonis δυνάμει

consistunt, sed eas etiam quæ ad doctrinam & philosophiæ studia pertinent. His igitur ita singillatim conuocatis, sermonem prosequitur, dicens.

Frater non redemit, redimet homo? Illic, inquit, neque ipse etiam frater redimere fratrem potest à supplicio, frater inquam, qui sanguine nobis coniunctissimus est. Vires enim, & diuitiæ illuc nobiscum pariter non descendent, & si frater nō redimit, quo pacto alienus homo redemerit? huius autem versiculi verba diuisim legenda sunt, ita vt absolute, & cum determinatione dicatur: frater non redimit, & puncto facto, redimet homo? interrogatiue enunciando. Restat igitur, vt nulla illic speranda sit redemptio, cum in præsenti vita pœnitentiæ lachrymis tantum, venia impetrari possit. Ait enim alibi scriptura: si surrexerint Noe, Iob, & Daniel, filios suos & filias suas non liberabunt.

ἐξίλασμα ἑαυτῷ

Non dabit deo placationem sui. Nec frater, inquit, nec extraneus quis, illic dare poterit placationem, hoc est, redemptionem sui ipsius, cum ipse potius pœnas pariter daturus sit, vt pote peccatis obnoxius.

Et pretium redemptionis animæ suæ. Et non dabit pretium redemptionis, hoc est, non dabit redemptionem pro libertate animæ suæ, cum pro vnius hominis anima, vniuersus etiam orbis sufficiens pretium non sit. Quippe cum Saluator noster, hominum animas à sæuo dæmone in captiuitatem actas redempturus, terram non dederit, non mare, non ipsum denique orbem, sed suum pro nobis pretiosissimum sanguinem effuderit. Quam nam igitur redemptionem illic quispiam idoneam inuenire poterit? Tu vero ipsa etiam Prophetæ verba considera, quantam sub obscurioribus verbis sapientiam reconditam habeant.

αἰῶνα

Et laborabit in seculum, & viuet in finem. Cum pupugerit Propheta eos, qui pœnitentiam non egerunt in præsenti vita, nunc ad pœnitentes conuertitur, & futurorum spe, pœnitentiæ molestias consolatur. Et viuet, inquit, in seculum hoc præsens, ille nimirum qui pœnitentiam agit, & deinceps etiam viuet perpetuo. Hoc enim significant verba illa, viuet in finem. Vitam autem eam dicit, quæ propriè vita est, & sine labore. Ista enim præsens improprie vita dicitur, vt alibi tradidimus: per finem vero futurum seculum intellige, quo

quo præsens seculum terminatur.

Non uidebit corruptionē, cum uiderit sapientes morientes. Huiusmodi homo, qui de futuro iudicio certus est, cum viderit sapientes viros, ac virtute præditos mori, non existimabit se corruptionem eorum videre, eam dico corruptionem, qua amplius futuri non sunt: quinimmo arbitrabitur se immutationem videre à fragili hac & caduca vita ad stabilē quādam & incorruptam. Vel aliter: cum viderit sapientes mori, ac falsis huius mundi bonis priuari, non arbitrabitur animam pariter extingui cum corpore, quemadmodum viuentes homines mortem esse definierunt: quinimmo demigrationem esse censebit, & lætum quendam accessum ad vitam iucundiorem. Hæc autem ad magis simplicem psalmi intelligentiam dicta sunt. Magnus verò Basilius iuxta anagogen hæc dicta exponens, ait, quòd verba illa: redimet homo, & quæ sequuntur: de Christo prænunciata sunt. Quia enim captiui olim sub dæmonis detinebamur imperio, admonet nos beatus Dauid, quòd nullus frater: hoc est nullus propheta, ab huiusmodi nos poterit captiuitate liberare. Fratres enim nobis esse dicuntur prophetæ: quia propter nos venerunt, & quia eiusdem nobiscum sunt fidei. Et dum hoc admonet, illud pariter prædicit: quòd homo: hoc est, quòd Christus, qui verus ac perfectus est homo, quemadmodum, & verus ac perfectus deus, redimet nos. Verus enim ac perfectus homo, vere tantum dici potest, Christus: quia solus ipse humanitatis dignitatem à deo homini datam integram atque immaculatam seruauit. Merito igitur proprie homo dicitur, & ille solus est, qui non dabit deo placationem sui, neque pretium redemptionis animæ suæ. Peccatum enim non fecit. Pro nobis igitur, & non pro se ipso placationem dedit proprium sanguinem. Qui etiam laborauit in præsenti seculo: quando nimirum ex itinere fatigatus sedit super fontem. Et qui non videbit corruptionē, quando cæteri morientur. Neque enim, inquit, dabis sanctū tuum videre corruptionem.

καταφθορὰν

Simul insipiens & stultus peribunt. Hi pariter, inquit, diem suum obibūt, & segregabūtur ab iis, qui saluādi sunt. Insipiēs autem est quicunque deum non nouit, iuxta illud: dixit insipiens in corde suo, non est deus. Et stultus ille, qui deum

quidem nouit, sed terrenis tamen rebus affixus à cœlestibus animum auocauit.

Et relinquent alienis diuitias suas. Repente enim mortui, aliis diuitias relinquent, quas multo sibi labore parauerant.

Et sepulchra eorum domus illorum in seculum. Ipsi quidẽ magnificas sibi domos extruxere, quas cum alij possideant (eis nimirum mortuis) restat vt eorum sepulchra, domorũ eis vicem præbeant, per totum hoc præsentis vitæ seculum.

εἰς γενεὰν *Tabernacula eorum in generatione & generatione.* Rursus eandem repetit sententiam, & inane eorum consilium magis, ac magis carpit. Erũt enim illis, inquit, eorum sepulchra pro tabernaculis.

ἐπεκάλεσαν *Inuocauerunt nomina sua in terris tuis.* Cõsydera aliud prauitatis genus. Inanis etenim gloriæ cupiditate ducti, certis locis nomina sua indidere: perpetuam inde memoriam aucupantes. Byzantium siquidem à Byzante denominatum est: Diogenianus ager à Diogeniano: Hermonium theatrum ab Hermone: & sic alia complura loca: cum tamen eos magis oportuisset non inanium nominum, sed animarum suarum fuisse sollicitos.

Et homo cum in honore esset non intellexit. Cum esset homo in honore veluti qui solus ad dei imaginem creatus sit, non intellexit quanta insignitus fuerit gloria, sed illud negligens æmulari exemplar, ad cuius imaginem factus fuerat, quorsum abierit, specta.

κτήνεσι *Comparatus est pecoribus insipientibus, & similis factus est illis.* Comparatus est: hoc est, collocatus cum illis. Nam cum ratione à deo donatus esset, imperatumque ei fuisset, vt rationis sceptro vsus, brutis omnibus dominaretur, ipse abiectis proprij regni insignibus, sese inter pecora constituit. Nam & consyderationem omnẽ de rebus cœlestibus animo exuit, & irrationabilem animæ partem sibi dominam statuens, circa vilia, ac terrena versatus, brutorum instar, cupiditates sectatus est: & siue ira impulit, beluino furori paruit: siue immoderata vẽtris allexit ingluuies, nullum adhibuit modum: & ita demum libidine actus est, vt brutorum omnium insaniam excesserit. Per pecora autem in vniuersum omnia intelligit animantia.

Hæc uia eorum scandalũ ipsis. Hæc, inquit, similitudo, qua pecorum

pecorum ac brutorum desyderia & mores referunt, magno illis impedimento est, & damno ad profectum virtutis.

Et post hæc in ore suo complacebunt. Et postquam peruerse agendo similes facti sunt pecoribus, illud etiam mali addiderunt, vt proprio ore de commissis à se delictis glorientur. Hoc enim sibi vult quod ait: in ore suo complacebunt: quod certe grauiori damnatione dignum est, cum non ipsi solum mala agant, sed proprio etiam sermone ea prædicent, & extollant.

Sicut oues in inferno posuit. Cæterum deus illos, vt oues in infernum intrusit, cum scilicet irrationales facti sint, & sibi ipsis auxilio esse non possint. Vel, oues ideo eos appellauit, tanquam cruciatui, ac neci expositos. ἔθετο

Mors pascet eos. Cum oues dixerit, addidit, qui nam esset futurus pastor, similitudinem seu translationem seruans. Per mortem autem supplicium intelligit. Nunquam enim à pœnis absoluẽtur, qui ita mortui sunt. Pascet autem eos, hoc est, eos castigabit. Illud autem scire oportet, quòd per animæ mortem, & per animæ perditionem solet scriptura, supplicia ac pœnas animæ significare. ποιμανεῖ

Et dominabuntur eorum recti in matutino. In matutino dixit pro cito. Dominabuntur autem. hoc est, potentiores erunt. Sensus est igitur, quod qui recte vixerint, & virtute præstiterint, cito illis erunt potentiores: neq; illic tantum, vbi virtutis laurea reposita est, sed in hac etiam vita. quia & à diuino protegentur auxilio, & summo honore conspicui illis etiam videbuntur à quorum peruersitate superari non potuerunt. Exemplo tibi sit beatus Ioseph, qui cum in seruitute esset, impudica domina potentior factus est, & gloriosior.

Et auxilium eorum ueterascet in inferno. Veterascet, hoc est, prorsus fiet inutile. Nam quod vetustum est, inutile esse censetur: quod autem vtile non est, quasi iam non sit, abiicitur. Confidebant illi, inquit, in diuitiarum atque amicorum copia: quæ in inferno, aut nulla aut inutilis erit. Illic enim huiusmodi non admittuntur auxilia.

A gloria sua expulsi sunt. Non hæc tantum eis acciderunt, quia brutis se similes reddidere, verum & propriam amiserunt gloriam, ob quam ipsi periere. Summo enim studio tenebantur, vt memoriam sibi laudis pararent. Neque modo hanc ἐκ τῆς δόξης αὐτῶν ἐξώσθησαν

hanc amiserunt,sed & insuper ignominia tantum ac probris celebrem illam reliquerunt.

Verumtamen deus redimet animã meam de manu inferni, cum acceperit me. Hæc de Christi incarnatione prædicta sunt & de animarum liberatione,quæ tunc in inferno erant. Redimet,inquit,animam meam,quando per incarnationem me sibi in domicilium acceperit.

Ne timueris cum diues factus fuerit homo, aut cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quoniam cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. De iniusto homine sermonem habet, tametsi simpliciter de homine loqui videatur. Ne formides,inquit, aut cogites quòd humana deus bona non aspiciat. Nihil enim eorum descendet cum illo in infernum.sed nudus abibit relictis omnib⁹. Gloriam autem domus, magnificentiam seu fastum appellat, & viuendi superbiam. Vel aliter: gloria domus ipsius, domus sunt ornamenta,vt porticus, deambulationes, aurata tecta, pauimentum animalia illic lapillis distincta, prata, horti, seruorum greges, sumptuosa suppellex, & vasa, aut siquid aliud eiusmodi est. Gloria autem corporis,fortitudo est, pulchritudo, & proceritas. Gloria verò animæ,sola virtus. Restat igitur, vt verba illa prophetę:omnis gloria hominis.sicut herba,vel sicut flos herbæ. De corporis gloria dicta esse intelligantur.

Quoniam anima eius in uita ipsius benedicetur. Ipse enim dũ vixerit beatus dicetur,& laudabitur ab iis,qui ignorant,quæ nam sit vera vitæ beatitudo. Nam vbi mortuus fuerit contraria prorsus patietur.

Confitebitur tibi cum bene feceris ei. Verba hæc ad pauperem dicta sunt.vbi,inquit,bona,hoc est,grata ei feceris,tunc tantum tibi aget gratias. Nam postmodum despiciet, atque contemnet,tametsi in omni virtutum genere profeceris. Dicere etiam possumus,quod hæc verba per prophetã ad deum de iiusto homine dicta sint,ac si diceret: quoties prauo huic homini beneficium aliquod cõtuleris,tunc gratias tibi aget, verum si quæ illi calamitates obuenerint, ad blasphemias & maledicta confugiet:non sic autem iustus,sed benedicet dominum in omni tempore.

Introibit usque in generationem patrum suorum. Vbi mortuus

tuus fuerit ingredietur in infima terræ vsque in infernum, vbi est generatio patrum suorum.

Vsque in seculum non uidebit lucem. Donec, inquit, seculũ est:seculum vero semper est.nunquam igitur videbit lucem, vt potè missus ad tenebras.

Et homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est pecoribus insipientibus, & similis factus est illis. Rursus miseriam deplorat humanam, quòd homo scilicet qui modicum quid ab angelis minoratus est, & de quo Salomon: magnus homo,& honoratus vir:comparatus sit pecoribus,& similis eis sit factus.

Psalmus ipsi Asaph.

Quid sibi uelit inscriptio Asaph, abunde diximus in procemio operis. Ideo superfluum ducimus, ea iterum repetere. Non temere tamen hic psalmus collocatus est post proxime præcedentẽ, cum utrobique contestetur nos & reprehendat propheta. Tametsi illud quis fortassis diuersum esse dixerit: quòd illic humana omnis natura ad audiendum conuocatur, hic autem cœlum ipsum,& terra. Aduocabit enim,inquit,cœlum de sursum, & terram, & cætera. Et quòd in illo quidem in uniuersum quilibet,accusatur,qui praue uiuit,in hoc uero Iudæi tantum reprehendi uideantur. Est & alius propheta, qui deum simili modo iudicantem & reprehendentem introducit dicens: audite ualles & fundamenta terræ, quoniam iudicium deo est erga populum suum,& cum populo suo disceptabit. Et Esaias:audi cœlum, & auribus percipe terra. Familiaris enim est apud scripturam hic loquendi modus,quo ad timorem pariter, ac pudorẽ excitandum uti solet,dum facit, quòd ipsa etiam inanimata confessura sint,ipsos q; anima præditos homines iudicatura. Summam præterea dei in nos misericordiam propheta in eo demonstrat, dum illum nobis adeo condescendere tradit, ut nobiscum etiam iudicari uelit.

PSALMVS XLIX.

DEus deorum locutus est, & uocauit terram. Apud scripturam nomen deus quatuor assumitur modis. Et primo quidem deum illum dicimus, qui rerum omnium creator est,& dominus. Secundo per similitudinem atque imitationem, deum aliquẽ appellari videmus,vt in præsenti psalmo. Deus deorũ

locutus

locutus est: item, deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicabit, & ego dixi dei estis, & filij altissimi omnes: item, deis non maledices, & principibus populi tui non dices malum. manifestum enim est huiusmodi nomine eos vocari, qui per virtutem deũ verum imitãtur, quique veluti principes ac iudices, regendo, imperando, iudicãdo, deo similes facti sunt. Tertio modo deum dici inuenimus iuxta analogiam, eo modo quo Moyses Pharaonis deus dictus est: veluti qui magna aduersus illum miracula ac prodigia operabatur, qui eum castigabat, qui pro arbitrio flagella inferebat, qui sententiæ suæ prophetam habebat Aaron, & demum qui mortis & vitæ dominus ab illo esse ferebatur. differt autem hæc significatio à secunda, quia hic non simpliciter dicitur deus, sed cum adiectione, deus Pharaonis. Quarto ex colentium errore: iuxta quam significationem illud scriptum legimus, ite & clamate ad deos, quos elegistis: iterum non facietis vobis deos argenteos, aut aureos. Dicit igitur sanctus spiritus per prophetam nostrum Dauid, quòd deus principum omnium ac iudicum terræ creator, locutus est. quid autem sit locutus, alius propheta declarauit, vt sæpe diximus, audite, inquiens, valles & fundamenta terræ: & vocauit terram ad audiendum. Sed possumus etiã deorũ appellatione eos intelligere, qui ad imaginem dei procreati, integram atq; incorruptam illius imaginem seruauerũt, nec terreno eam fuco aut vitioso aliquo corruperunt pigmento.

A solis ortu usque ad occasum. Omnem, inquit, terram aduocauit. his enim terminis tota terra continetur..

Ex Sion species decoris eius. Verba hæc & quę sequuntur, per parẽthesim dicta sunt, & ꝓphetias cõtinent. sensus est, ꝙ sicut olim species ac pulchritudo diuini decoris fuit ex Sion: quia scilicet templum, quod ornamentum quoddam & gloria erat diuinæ maiestatis, olim in ea pulcherrimum effulsit: ita in posterum similiter species diuini decoris erit ex Sion: quia ex ea fulgentissimos lucis suæ radios Christus emissurus sit, Christus, inquam, summa diuini decoris species, & verum diuinæ maiestatis templum. per decorem enim hic diuinitatem intelligit. quid enim ipsa est diuinitate magis decorum?

Deus manifeste ueniet, deus noster & non silebit. Verba hæc secundi

secundi aduentus prophetiam continent. in primo enim aduentu incognitus venit Christus, & non manifeste: quinimmo ipsum etiam fallens diabolum. neque enim eum interrogasset, an esset filius dei, si ei cognitus fuisset. in secundo autem manifeste veniet cum potentia, & gloria multa. In primo igitur aduentu venit in personam serui, veluti venaturus eum, qui à se rebellauerat dæmonem. In secundo autem, veniet tanquam iudex totius creaturæ, & quemadmodum exit fulgur ab oriente, & videtur vsque ad occasum, ita erit aduentus filij hominis, omnibus nimirũ & formidabilis, & manifestus. & non silebit deus, hoc est, non perpetuo tanta patienti animo mala sustinebit.

Ignis in conspectu eius accendetur, & in conspectu eius procella uehemens. Terribilem dei præsentiam, atque intolerandam quodammodo esse prædicit his verbis. Talem etiam eum vidisse legimus prophetam Danielem, flumen, inquit, ignis trahebat ante eum, thronus eius flammæ ignis, rotæ eius, ignis comburens. procella autem, violentus est atque intolerabilis ventorum impetus. καυθήσεται καὶ γὺρ σφοδρὰ

Aduocabit cœlum sursum, & terram, ut diiudicet populum suum. Cœlum sursum dixit, pro eo quod sursum est. aduocabit autem cœlum & terram, vt populum suum praue viuentẽ diiudicet. diiudicare vero posuit pro redarguere. consydera etiã quòd Moyses populum introducens in terram promissionis, cœlum & terram testes pactionum assumpsit, tanquam firmiora ac durabiliora corpora, ac veluti ea, quę & peccatores & virtute præditos homines complectantur. huiusmodi autẽ figura Prosopopeia dicitur, quando videlicet inanimatis rebus animatam personam imponimus. προσκαλέσεται γὰρ οὐρανὸν ἄνω καὶ τὴν γῆν διακρῖναι

Congregate illi sanctos eius. Per sanctos, Israelitas intelligit, veluti deo sanctificatos prorsus atque oblatos.

Qui disponunt testamentum eius in sacrificiis. Qui testamentum dei quod cum illis disposuit, adimplent, ac peragunt in sacrificiis. per testamentum autem legem intelligit. ea enim seruantes, quæ in lege tradebantur de sacrificiis, vniuersam se existimabant legem adimplere: & in huiusmodi sacrificiis quasi religiosissimi, summopere gloriabantur. Congregate verò illi hos sanctos: illis nimirum diebus, qui propheticorũ sermonum lectioni dicati sunt. τὺς διατιθεμένους

Et annunciabunt

Et annunciabunt cœli iustitiam eius. Cum introducturus sit propheta deum in iudicio, præoccupat, & prædicit, quòd iuste omnia iudicabit. Ipsa enim, inquit, inanimata, illius etiam iustitiam annunciabunt. vel per cœlos, cœlestes, atq; in corporeos ordines intelligit, qui semper sunt apud deum.

Quoniam deus iudex est. Hæc est comprobatio diuinę iustitiæ. quia de⁹ qui iuste iudicaturus est, iudex erit. Ille enim iuste iudicabit, qui natura ipsa iustus est.

Audi populę meus & loquar tibi. Ex hoc loco verba dei incipiunt. iubet autem ante omnia attentionem eos præstare. Audi enim, inquit, hoc est, mentem adhibe.

Διαμαρτύρωμαι *Israel & attestabor tibi.* A communi sensu sumendum est verbum, audi. Et cum populum dixisset, proprium ac iucundissimum vnà nomen addidit, ò Israel, inquit, attestabor tibi, hoc est loquar ad te.

Deus deus tuus ego sum, Ego qui loquor ad te, sum deus tuus. perhorresce igitur. hoc autem dicit ad immensam longanimitátem suã demonstrandam, veluti, qui cũ propriis etiam seruis loquatur. ad maiorẽ præterea exprobrationem crassitudinis, atq; insensibilitatis eorum, repetiit nomen dei.

Non in sacrificiis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non hanc, inquit, redargutionem cõstituit vt accusarem te de neglectis sacrificiis. nam holocausta tua semper sunt in altari meo. Et quantum ad sacrificia pertinet, culpa cares: verum alia sunt in quibus te accusem.

Nõ accipiam de domo tua uitulos, neque de gregibus tuis hircos. Ne existimes, inquit, gratum mihi cultum impendere, aut mihi inseruire, dum studiose sacrificas. neque enim indigeo sacrificiis, cum nulla re deficiam: quinimmo, & omnia ego, etiam singulis præbeam. Quo circa nulla in posterum huiusmodi suscipiam sacrificia. Alibi etiam acerbius per Esaiam eosdem carpit, dicens: quid mihi multitudo sacrificiorũ vestrorum? plenus sum holocaustis arietũ: adipem agnorum, & sanguinem taurorũ atq; hircorum non volo. Quis enim exquisiuit hęc de manibus vestris? Iterũ per Hieremiam, dicẽs: quid mihi thus fers de Sabba, & cinnamomũ de terra longinqua? & rursus: nõ locutus sum ad patres vestros de sacrificiis, & de holocaustis non mandaui eis, & alia huiusmodi multa plæriq; prophetarum tradunt. Quod si quis à deo dicat per

dicat per Moysem in lege, tradita fuisse mandata de sacrificiis, illud ad hanc obiectionem dici poterit, quòd sacrificiorum lex, non principaliter, neq; ex primo proposito tradita est propter deum, ea ratione, quòd huiusmodi sacrificia illi placerent. neq; enĩ his rebus indigebat aut delectabatur de⁹: sed humanæ duritiæ misertus legem illam tradidit: cõsyderans enim Hebræos in Aegypto iam didicisse vti sacrificiis, & libẽter in eis versari, nec posse de facili ab his auelli, summa dispẽsatione ea, ad tempus concessit illud interim lucrifaciens: quòd ad sui cultũ ea transferret, ꝙ; illi sui sæpius meminissent, dum frequẽtioribꝰ sacrificiis interessent. nouerat enim hoc pacto intercedẽte aliqua oblectatione, pietatẽ ac religionem in deũ, in tam ingratis atq; obliuiosis animis diutius posse cõseruari: at nunc quãdo tam diuturno tẽpore, ac tantis signis vbiq; gentiũ factis homines iam in hoc confirmati sunt, quòd vnus est verus deus, denudat palam ille atque aperit nobis per prophetam sententiam suam, sacrificiorum superfluitatem clare omnibus annuncians. Cõfundantur igitur Iudæi, qui veritatem peruertunt: & lucem, quę in scripturæ verbis iacet, obtegunt atque abscondunt.

Quoniam meæ sunt omnes feræ agri, pecora in mõtibus & boues. τῶ ἀγρῶ κτήνη Ea, inquit, sacrificia non suscipiam, quoniam creata omnia, mea sunt. per feras autem agri, munda intelligit quadrupedia, quæ in agris pascuntur. solet enim scriptura nõ immitia tantũ ac syluestria animalia, sed mitiora, etiã ac domestica ferarum nomine appellare. Meas autem esse dico, quia huiusmodi omnia ego creaui. Quædam verò exemplaria habent: omnes feræ syluarum, & tunc immitia intelliges significari animalia. Siquidem agros, domestica prædia appellamus, & syluas, immitiora loca, in quibus feræ solent magis versari, & tunc expones, quòd non solum domestica prædia dei sint, sed etiam syluestria. His autem paucis animalium nominibus cætera omnia contineri voluit, quæ sacrificiis sunt idonea.

Cognoui omnia uolatilia cœli. Noui, inquit, hæc omnia ac veluti certissimus eorum dominus, enumerata ea habeo penes me.

Et pulchritudo agri mecum est. Per pulchritudinẽ agri, fructus intelligit qui in agris nascuntur, qui etiã pulchritudinẽ quandam,

quandam,atque ornamentũ agris omnibus præstant. Et quia Græca dictio ὡραιότης,non pulchritudinem tantum,sed tẽpestiuitatem etiam significat, quæ in agris id efficit, vt suis quęque temporibus miro ordine proueniant,dic quòd hanc tempestiuitatem deus secum esse dicit: quia in eius facultate est,eam præstare agris aut negare. Et consydera quã paucis omnium meminerit,quæ in sacrificio offerebantur. offerebantur enim ex quadrupedibus boues, hirci, atque oues: ex volucribus,columbæ, & turtures: & ex terræ frugibus, siligo,vinum,atque oleum.

Si esuriero non dicam tibi. Per ironiam hoc dicit, redarguens eorum crassitudinem, qui putabant egere deum sacrificiis ad manducandum,ac si diceret: tametsi tu id recte existimares, ego tamen à te nullum peterem cibum ad manducandum. Et causam subiicit.

Meus est enim orbis terræ & plenitudo eius. Cum igitur mea sit terra,sumam ego,si opus fuerit, à me ipso, quodcunque libuerit. sed quia nullis deus huiusmodi adiumentis indiget,audi quid dicat.

Nunquid manducabo carnes Taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Per interrogationem legenda sunt hæc verba. latius autem eorum amentiam redarguit: nunquid ego,inquiens,(quemadmodum falsi gentium dij) huiusmodi cibo, aut potu indigeo? quandoquidem multi etiam æquiores homines ea negligunt,& contemnunt?

πολλοὶ τῶν ἐπιεικεστέρων

Immola deo sacrificium laudis. Palam patet ex his verbis legalem cultum expelli,& euangelium introduci. Sacrificium enim quod per laudem fit, Christianis attributum est. per laudem vero benedictionem & gratiarum actionem intelligit. vtrunque enim debemus deo: benedicere ei nimirum,& gratias agere: quòd scilicet in esse producti sumus, cum antea non essemus: quòd vsui nostro necessaria possedimus, quòd cognitionis lumen accepimus, & quòd summis denique affecti sumus beneficiis.

Et redde altissimo uota tua. Id est orationes & preces pro salute tua.debes enim id facere. vel per vota,promissiones intellige,quas fecerat deo. Ita enim se facturos deo pollicebantur Iudæi, & nos etiam pollicemur, tanquam serui. deo autem is solus placet,qui virtute prædituς est, sed sacrificare animalia,

animalia,nullius prorsus est virtutis. Neque enim gentes ob sua sacrificia virtute præstare existimantur.

Et inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me. Sacrifica,inquit,hoc pacto,& redde deo quod debes,& tunc demum inuoca me,& eripiam te ex omni hominum aut dæmonum afflictione,& glorificabis me tanquam veracem, ac celerem adiutorem. obseruandum vero est, quomodo deus euangelici cultus nobis hic ianuam aperiens, statim etiam sanctæ trinitatis cognitionem tradiderit: sacrifica, inquit, deo,& redde altissimo vota tua, ac demum etiam inuocabis me.nec dico,quòd solum patrem deum dicere debeam⁹, aut solum filium esse altissimum, aut solum inuocare sanctum spiritum, sed quòd huiusmodi distinctione, distinctionem etiam nos personarum intelligimus.

Peccatori autem dixit deus,quare tu enarras iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum, tu uero odisti disciplinam & proiecisti sermones meos retrorsum. Per peccatorem hoc in loco Iudæorum sacerdotum ac Scribarum genus intelligit,qui legales iustificationes narrabant populo, quique ore tantum non etiam corde ex veteri testamento sententias atque authoritates afferebant, gloriabantur etiam in lege,ac veluti per eam prorsus iustificati essent,omne genus delicti committebant. idcirco de eis loquens dominus ad populum, dixit: quæ dicunt facite, sed iuxta opera eorum nolite facere. Quare,inquit,tu qui alios doces,eam disciplinam atque eam animi moderationem odisti, quã doces? cur proiecisti sermones meos retrorsum? hoc est cur expulisti atque odisti eos? retro enim expellere aliquem quis dicitur,qui illũ odit.repulisti autem dum ea non adimplesti,quæ illic mandantur.ore igitur ac lingua te fateris sermones meos susciperε,re ipsa autem abiicis eos prorsus & repellis. δικαιώματα

Si uidebas furem currebas cũ eo. Cerne hic veluti in tabula quadã peccatorũ colores. Si videbas,inquit,furem,vel vnà conspirabas, vel lætabaris, & placebant tibi illius actiones, dum non erudiebas eum, non castigabas, sed potius vitia eius contegebas.

Et cum adulteris portionem tuam ponebas. Eodem pacto communicabas adulteris, quo currebas cum fure. Per adulterum autem seu(vt verius in Græco habetur)per mœchum,

etiam fornicatorem intelligit, & quencunque alium intemperantem siue impudicum.

Os tuum abundauit malitia. Impletum est mendacio.

Et lingua tua complicabat dolos. Hoc per se clarum est.

κατελάλεις *Sedens aduersum fratrem tuum obloquebaris.* Cum aliis nimirum conspirans.

Et aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Idem rursus repetit, narratione sua accusationem augens. scandalum autem ponebas, hoc est, laqueum aut offendiculum aliquod.

Hæc fecisti & tacui. Longanimitate mea tuam expectans pœnitentiam.

ἀνομίαν *Existimasti iniquitatem, quòd ero tibi similis.* Tu nō modo ea operatus nō es, quæ recta sunt, & secundū virtutē: verū scelesta etiā cogitasti. scelus autē fuit cogitare ꝙ essem ego tui similis, & ꝙ cōsentire ac parcere deberem peccatoribus.

ἁμαρτίας σου *Arguam te & statuam contra faciem tuam peccata tua.* In die scilicet iudicij.

Intelligite hæc uos, qui obliuiscimini deum. Cōsyderate quæ dicta sunt vos qui obliuiscimini deum, & non animaduertis quàm longanimis sit in peccatis vestris.

Ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. O longanimitatem incomprehensibilem: adhuc tolerantia vtitur, cupiens illos in tuto esse, ne quando, inquit, ipse per violentos angelos repente rapiat animas vestras.

δοξάσει *Sacrificium laudis glorificabit me.* Iterum ea mandat, quæ ad nouū pertinent sacrificium. hoc enim, inquit, glorificabit, hoc est honorabit me, & non animalium sacrificia.

τὸ σωτήριόν μου *Et illic iter quo ostendam illi salutare meum.* Et illic, inquit, id est in eo genere sacrificij via quædam est ad salutem, per quā viam, ego sacrificanti cuilibet, eam salutem ostendam, quæ à me prouenit. quædā vero exēplaria habēt: & illic iter quod ostendam: & tunc expone subintelligendo, vt infra: & illic, inquit, est iter, iuxta quod iter ego ostēdam illi &c. Alia qua etiam exēplaria post verbum ostendam, punctū habent, post quod sequitur: illi salutare meum: viam autem ad salutem esse credimus, baptismum aut pœnitentiam.

ἐν τῷ εἰσελθεῖν, εἰσῆλθε *In finem Psalmus ipsi Dauid, cum ingressus esset ad eum Nathan propheta, quando ipse ingressus est ad Bersabee uxorem Vriæ.*

Inscriptio

Inscriptio, in finem, indicat psalmum hunc prophetias cōtinere, quæ lectorem moueant, ut earum finem inspiciat. Neque enim in hoc psalmo beatus Dauid medicinam tantum adulterii, & cædis, uulneribus salutarem construxit, sed de uariis etiam rebus in eo tractauit: quippe cum & instaurationem prædixerit Hierusalem, quæ facta est post populi reditum è Babylone, ubi captiuus detinebatur: gratia enim sancti spiritus in eo prorsus non defecerat, cum inter cætera uel illud cognosceret, quòd omnes delictorum sordes iamiam erat abluturus, & clarior etiam futurus, quàm antea fuisset. hac ratione restitui sibi non petiit sanctum spiritum, sed non auferri. uerum humilis hæc prophetæ nostri confessio omnibus potest accommodari peccatoribus. & eo quidem tempore fuit facta, quando Nathan propheta ad eum ingressus est, ut de commissis delictis illum reprehenderet. Tunc enim ad se ipsum rediit beatus Dauid. Nam hactenus delicti sui enormitatem minime perpenderat. Quod uero ait: quando ingressus est ad Bersabee: non hoc sibi uult, quòd statim post huiusmodi ingressum, ad eum uenerit propheta Nathan. interfuit enim quoddam temporis interuallum, ut traditur in primo Regum libro: sed illud aduerbium, quando, hoc in loco futurum aliquanto post tempus designat, ut sit sensus: composuisse eum hunc psalmū, postquam intrauit ad Bersabee & grauidam eam reddidit.

PSALMVS. L.

MIserere mei deus *secundum magnam misericordiam tuam.* Iuxta immensam, inquit, tuam misericordiam miserere mei. immensum enim est quod deliqui.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Supplicantium more eundem sæpius repetit sensum. & per iniquitatem pro qua. LXX. ἀνομίαν dixerunt, iuxta significationem Græcæ dictionis, preuaricationem legis intelligit in adulterio & cæde à se commissam. vtrunque enim lege vetabatur. vel, cum iniquitatem seu potius (vt diximus) ἀνομίαν se commisisse fateatur, consequenter illud etiam affirmat, se ἄνομον hoc est, tanquā exlegem esse, cum alienigenæ instar, qui sub lege non sit, nefanda hæc delicta commiserit.

Amplius laua me ab iniquitate mea. Venia quippe ei iā data fuerat per propheram Nathan dicentem deus abstulit peccatum tuū: verum præ maximo quodā ardore, amplius etiam

lauari cupit. vel amplius, expone, pro valde.

Et à peccato meo munda me. Rursus peccati nomine delictum à se commissum appellat, quod superius, iniquitatem: seu (vt diximus) ἀνομίαν, id est transgressionem legis appellauit. proprie enim ille peccare dicitur, qui legem trāsgreditur. solet autem propheta promiscue vti his nominibus.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatū meum contra me est semper Miserere mei, inquit, & munda me, quia perpetrati à me criminis oblitus nō sum, nec veluti de regia dignitate superbus, illud neglexi. Nam & si homines lateat, ego tamen illius enormitatem cognosco, ac conscientiæ meę oculis diu noctuq; illud cerno: quippe cum assidue ac peracerbe animam meā stimulet quæ res certam pœnitētiæ cōiecturam præstat, ac peccatorum etiam veniam conciliat.

Tibi soli peccaui. Cum rex sim & te solum commissorum à me scelerum iudicem habeam, tibi soli peccasse videor, hoc est, tibi soli iudici subiicior. cæterorum enim omnium ego dominus sum, & ob potentiam meam, licere mihi videntur, quæcunque libuerint. vel, quia leges tuas transgressus sum, iccirco tibi soli peccasse videor illarum legislatori.

Et malum coram te feci. Omnia enim vides non tantum quando ea fiunt, sed quando etiam futurum est vt fiant. hoc autem dicit, pudore seipsum confundens, qui deum videntem tantum committi facinus veritus non sit. illud autem consydera, quòd de vno tantum à se commisso crimine loqui videtur, cum tamen plura essent: ea nimirum ratione, quia vnum ab altero dependebat, quippe cum adulterio impulsus fuerit ad cædem.

Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. Delictum, inquit, quod feci coram te, fateor in caput meum commisisse, vt quoties tu mecum iudicaris, & quæ inter nos est causa discutitur, quòd scilicet tu me ex infimo, regem feceris, tantaque, ac tali gloria conspicuum: quodque ego cōtra, & leges tuas spreuerim, & te sceleribus meis ad irā cōcitauerim, vt in hoc, inquit, iudicio tu magis iustificeris, & ego vicissim, veluti erga tantum benefactorem adeo ingratus, magis condemner. ea enim fuit maligni dæmonis intentio, cum magna me vi ad peccandum impulit, ac superauit, vt meæ me constitueret condemnationis ministrum. Dicere autem

autem possumus iudicatum fuisse deum cum Dauid, quando Nathan prophera eum redarguit, quòd pro tantis beneficiis à deo acceptis ipse contra, prauis benefactorem actionibus remuneratus sit: vbi postquam dei iustificationes percensuit, condemnationem etiam addidit dicens: Hæc dicit dominus, ecce ego suscitabo in te mala ex domo tua: & alia, quæ plenius habentur in libris Regum.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Vt deum magis ad misericordiam traheret, natiuitatem suam commemorauit. Nam si Adam non peccasset, nunquam oportuisset illum Euæ coniungi. peccatum itaque copulā generauit: & copula rursum eos produxit, qui ex Adam & Eua nati sunt: & sic deinceps illi alios, atque alij alios, vsque ad Dauid. & licet nuptiæ nunc ob filiorum procreationem in honore habeantur, natura tamen ex peccato proueniunt. ex peccato igitur conceptus & genitus sum. nam quod secundo loco dicit, & in peccatis concepit me mater mea, Symmachus reddidit, & in peccatis genuit. nō est igitur magnum, si ego peccaui, naturæ conditionem sustinens.

Ecce enim ueritatem dilexisti. Hoc ad beati Dauid confessionem referendum est, de qua supra diximus. Ait enim, ego, quæ vera sunt fateor, me scilicet peccasse. hoc autem fateor, & non nego, quia tu veritatem dilexisti, & odisti mendacium. Illa autem verba, ecce enim, superflua sunt, tam in hoc versiculo, quàm in proximè superiori. Hebraicum enim est idioma, iuxtá quod superflua multa in oratione reperiri solent.

Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Hoc in sui ignominiam & confusionem dixit. adeo tu, inquit, dilexisti me, vt ineffabilia prouidentiæ tuæ arcana, per propheticum mihi spiritum feceris manifesta, ego tamen ingratus erga te esse apparui.

Asperges me domine hyssopo & mundabor. Varia à multis dicta sunt ad præsentis versiculi explanationem, nihil tamen ab eis adeo apertum traditur, vt contradictione omni prorsus careat. Ego autem prophetam puto his verbis de se ipso prædicere, quòd adhuc exactius ac perfectius absoluendus esset à crimine, & gaudio replendus. Quia enim lex im-

mundos quosdam, hyssopi aspersionibus mundari iubebat, ea nimirum ratione, quia hyssopus herba quædam est multum abstersiua, iuxta illius purgationis metaphoram ait: tu domine, ea me potissimum aspersione asperges, quæ perfectius omnes abstergit maculas: hoc autem fiet, per prolatam à te omnimodę absolutionis sententiam, vel per lachrymas pœnitentiæ: quippe cum & huiusmodi lachrymæ, vt dei donũ ab eo proueniant. nã si hæc à te mihi dona adfuerint in abstergendis meis maculis, hyssopi vicem prębebunt.

Lauabis me & super niuem dealbabor. Eundem prę gaudio sensum repetit.

ἀγαλλία στιν

Auditui meo dabis exultationem & lætitiam. Quia auribus animæ meæ te mihi peperciſſe instillabis exultatio autem & lætitia idem significant.

Exultabunt ossa humiliata. Ossa mea, inquit, peccatorum pondere depressa exultabunt, ac deposito eo onere alleuabũtur. per sua vero ossa, seipsum prorsus significat. aliqui autem dicunt, quòd illa verba, auditui meo dabis exultationem, ad saluatoris incarnationem pertinent, vt sit sensus: annunciabis mihi iucundissimũ gaudium, illam nimirum ineffabilem incarnationem, & tunc ossa mea, quæ nunc humiliata sunt, præ summa voluptate exultabunt & subsilient.

Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Omnia, inquit, peccata mea in conspectu tuo iacent: quia tu omnia conspicis, verum peto, vt aspectum ab illis tuum amoueas, & commissa à me scelera è libro deleas actionum mearum.

Cor mundum crea in me deus. Cor apud scripturam multa significat. aliquando enim pro singulari corporis mẽbro accipitur, aliquãdo vero pro interiori illa rationis atq; intellectus parte, à qua regimur, iuxta illud: quare cogitationes ascẽdunt in corda vestra? aliquãdo sententiã significat, & propositum, iuxta illud: cor autẽ eorum lõge est à me. Aliquando beneplacitũ & animi affectionem iuxta illud: inueni Dauid virũ secundũ cor meũ. & aliquando animã, vt hic: cor mundum crea in me deus. Non peto, inquit, vt aliam in me naturam crees, sed vt quam habeo, in antiquã restituas pulchritudinem. creabis autẽ cor mundum in me, si vetustatẽ illam, quæ ob peccatorũ sordes animæ meæ inhæret, ab ea prorsus abstuleris.

abstuleris. Crea igitur hoc in loco, dixit, pro restitue.

Et spiritum rectum innoua in interioribus meis. Innoua pro denuo immitte: Deinceps, inquit, immitte in me spiritum rectum, hoc est, directionis gratiam, quæ diabolicas in me omnes tortuositates dirigat. Per interiora autem, intimas animæ partes intelligit. Simile etiam his est, quod legimus apud Ezechielem dici ad eos, qui in Babylone erant. Dabo enim vobis, inquit, cor nouum, ac si dixisset, infirmum ac languidum cor vestrum, & promptitudinem vestram renouabo. ἐν τοῖς ἐγκάτοις μου

Ne proiicias me à facie tua. Quasi tua indignum custodia.

Et spiritum sanctũ tuum ne auferas à me. Non auferas à me, inquit, prophetiæ donum, ob scelera quæ commisi.

Redde mihi exultationem salutaris tui. Gaudium quod habebam? quia à te fueram conseruatus. Et considera quomodo his duobus versiculis, & non auferri, rogat, quod nunquam amiserat, & reddi postulat, quod iam fuerat ablatum, ante cõmissa enim crimina, in summa degebat lætitia, & tantum fuisset saluatorem consecutus.

Et spiritu principali confirma me. Robora me, inquit, gratia illa spirituali, quæ animi perturbationibus imperat, & dirigit ad meliora. Per hoc autem principale spiritualis directionis donum, variæ possunt intelligi virtutes, quę animabus nostris à sancto spiritu tribuuntur.

Docebo iniquos uias tuas, & impii ad te conuertentur. Hæc est etiam futurorum prophetia, quæ iam adimpleta est, quippe cum, simulac Euangelij prædicatio cœpit in gentibus seminari, Dauidici statim psalmi præcipui doctoris vicẽ eis præstiterint, ad parandas virtutes.

Libera me de sanguinibus deus, deus salutis mnæ. Iuxta historiæ sensum per sanguines, iniquam cædem intelligit, memoria nimirum repetens se Vriam occidisse. Iuxta Anagogen vero, dæmones, qui sanguine gaudent tam occisorum hominum, quàm immolatorum animalium, non immerito sanguines dici possunt. Et quod ait: Deus salutis meæ, sæpe diximus idem esse, quod deus saluator meus. Illa autem repetitio deus deus, vehemens cordis indicat desiderium.

Exultabit lingua mea iustitia tua. Ipsa etiam lingua mea, inquit, annunciatione lætabitur iustitiæ tuæ. Per iustitiam au- δικαιοσύνη

tem hoc in loco iustificationem intelligit sibi à deo concessam, hoc est, liberationem à peccato. Quædam vero exemplaria habent, iustitiam tuam: & tunc sensus est, quòd lingua mea exultationem sibi faciet, eam iustificationem quæ à te mihi est præstita, exultans nimirum & subsiliens propter eá, ad hymnos & laudes tibi decantandas.

Domine labia mea aperies, & os meum annũciabit laudem tuam. Præmonitus ego, inquit, à sancto spiritu, noui, quòd tu iterum aperies labia mea ad hymnos & laudes tibi concinendas, non secus atque aperta erant, ante commissa à me delicta. Nam in præsentia ob condemnationem tuam occlusa sunt.

Quoniam si uoluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Vide rursus brutorum sacrificia, quę à lege imperabantur, reprobari. Si voluisses ea, inquit, dedissem sanè, verum tu holocausta non suscipis, tametsi ea sint omnibus aliis sacrificiis honoratiora. Quod si quis obiiciat, beatum Dauid post huiusmodi verba deo sæpius sacrificasse, illud animaduertendum ducimus, quòd non ex proposito, neque ex propria voluntate id agebat, sed legis reuerentia, & quia noui sacrificij dies nondum venerat.

συντετριμμένον

Sacrificium deo spiritus contritus. Anima, inquit, quæ humilitate ac demissione quadam voluntaria cõtrita fuerit, gratum atque acceptabile deo sacrificium reddit.

ἐξουδενώσει

Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Sæpenumero, vt diximus, scriptura per cor, animam intelligit, eo quòd animæ sedes sit, & in eo potissimum diuersetur: atq; ideo vbi cor patitur, anima statim à toto euolat corpore. Non despiciet autem pro, non auertet, hoc est, suum ab eo non dimouebit aspectum.

ἀγάθυνον

Benefac domine in bona uoluntate tua Sion. Supplicat hoc in loco pro reædificatione Hierusalem, quæ futura erat post reditum è Babylone. Quædam vero exemplaria non in accusatiuo casu, sed in datiuo habent dictionem, Sion, quod ex lectione Græca melius percipitur propter articulum: iuxta quem & nos cõmodissime legere possumus primam literam. Benefac ipsam Sion, vel in datiuo. Benefac ipsi Sion, & tunc expone benefac, pro, bona facito. Aliud enim est hoc ab illo: iuxta quod alibi legimus. Benefac domine bonis & rectis

ctis corde. In bona autem voluntate tua, hoc est, auxilio, & ope tua.

Et ædificentur muri Hierusalem. Optantis sermo est, tametsi ex Græca lectione imperatiui modi esse videatur.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ. Tunc, inquit, iustum suscipies sacrificium. In alio enim loco nunc quàm in Hierusalem sacrificia tibi non rite offeruntur. Cum lex in ea tantum sacrificari posse mandauerit.

Oblationem & holocausta. Per oblationem ea intelligit sacrificia, quorum pars aliqua tantum offerebatur, per holocausta autem, ea quæ integra incendebantur.

ἀναφορὰν

Tunc imponent super altare tuum uitulos. Hæc quidem iuxta historiæ sensum dicta sunt. Iuxta Anagogen vero ea prædicit Propheta, quæ ad Ecclesiam fidelium & ad Euangelicum sacrificium pertinent. Et per bonam voluntatem, Saluatoris incarnationem intelligit, veluti bonum quoddam propositum, & per Sion, Christianorum conuersationem, per muros item Hierusalem, Episcopos & doctores. Et tunc, inquit, accipies sacrificium iustitiæ, hoc est, sacrificium vniuersæ virtutis, & oblationem, hoc est, sanctos confessores, & holocausta, hoc est, sanctos martyres. Illi enim oblationibus, isti vero holocaustis merito comparari possunt, cum vtriq; deo oblati, ac sanctificati sint, & confessores quidẽ ex parte, se deo obtulisse videntur, propter asseuerationem fidei, martyres autem ex integro, cum & animum pariter, & ipsum corpus in totum deo deuouerint. Vel per oblationes, membrorum extremitates intellige, de confessorum corpore detruncatas, per holocausta vero, integra martyrum incendia, aut cædes. Vel aliter: Oblatio virtutem quidem significat, sed ex parte deminutam, veluti si quis in coniugali, aut alio mundanæ vitæ statu virtutem præ se ferat, holocaustum vero perfectam virtutem, veluti si quis in virginitate, aut monastica degat conuersatione. Per vitulos etiam eos intellige, qui virtutum ministerio pasti ac cibati sunt, & effecti pingues gratia sancti spiritus, qui, dæmones, fortium vitulorum instar, cornu petunt, & denique eos omnes, qui actione & sermone perfecti sunt, qui etiam ad cœleste adducuntur altare in odorem suauitatis. Illud autem scire oportet, quòd multi sæpenumero futurum tempus indicatiui accipiunt pro optatiuo,

optatiuo, idioma id esse dicentes Hebraicæ linguæ, vt illud: Asperges me domine hyssopo,& mundabor,lauabis me &c. Pro eo quod est, vtinam me aspergas, atque vtinam laues & alia huiusmodi.

In finem psalmus intelligentiæ ipsi Dauid,quando uenit Doech Idumæus & annunciauit ipsi Saul, & dixit, uenit Dauid in domum Achimelech.

Cum fugeret Saulem beatus Dauid, atque (ut accidit) esuriret, profectus est Nombram ciuitatem sacerdotum, ad Achimelech Pontificem, ubi & panes propositionis comedit, & alia egit, quæ supra commemorauimus in expositione Psalmi tricesimitertii. Hunc cum uidisset Doech regiorum mulorum præfectus, omnia Sauli renunciauit. Qui hoc audito, adeò furere ac sæuire cœpit aduersus Achimelech, ut centum & quinquaginta Sacerdotes ad se adduci iusserit, & occidi à Doech, & in cuiuscunque ætatis homines in ea ciuitate sæuiri. Quod cum resciisset beatus Dauid, conscripsit hunc psalmum,ad eos consolandos,qui iniuria affecti fuerant. In finem inscribitur, quia ad eorum finem illos iubet aspicere, qui iniuriam intulerunt,atque interim patienter ferre,ac longanimes esse. Intelligentiæ autem,seu (iuxta aliam Græcæ dictionis συνέσεως significationem) prudentiæ. Ideo dixit, quoniam iis, qui iniuria affecti fuerant, multa opus erat prudentia atque intellectu, ut patienti animo illatas ferrent iniurias.

PSALMVS LI.

ὁ δυνα-στὴς

QVid gloriaris *in malitia potens?* Sermo est ad Doech, quem oportuerat potius malitiam suam obtegere,quàm de ea gloriari. Per malitiam autem omnem in vniuersum prauitatem intelligit. Potentem vero eum appellauit, ob familiaritatem atq; amicitiam, quam habebat cum Saule: vel potentem in lædendo ac maligne agendo.

ἀνομίαν

Iniquitatem tota die, iniustitiam cogitauit lingua tua. Pro cogitauit, Theodotio reddidit, locuta est. Quod vero ait: Tota die, Symmachus dixit, per singulos dies. Ordo est, lingua tua semper locuta est iniquitatem, iniustitiam, sine copula, pro eo,quod est,iniqua,& iniusta. Exprobrare autẽ Propheta videtur

detur illius vitam,ac conuersationẽ prorsus perditam. Neq; enim huiusmodi ciuitatem aliquando vastasset, si non perditis prorsus fuisset moribus.

Quasi nouacula acuta fecisti dolum. Dolum hic calumniam appellat,quam adeò potentem parauerat Doech, vt sacerdotum ciuitatem,instar nouaculæ deraserit, cum Sauli detulisset, Achimelech sacerdotem fauere partibus Dauid.

Dilexisti malitiã,super bonitatem,iniustitiã magis quàm loqui iustitiam. Malum potiusquam bonum semper amasti, & iniusta facere potiusquam iusta.

Dilexisti omnia uerba demersionis lingua dolosa. Omnia ver ba demersionis, quæ perimere ac delere homines solent, in quos, veluti quidam vnus fluctus, irruerint. Hæc enim omnia verba Doech. Dilexit in lingua dolosa, hoc est, in lingua moliente insidias. Aliqua vero exemplaria non in ablatiuo, sed in accusatiuo habent, linguam dolosam: & tunc diuides versiculi verba, vt sit sensus: Dilexisti etiam linguam dolosam.

καταπον-τισμῶ

Propterea deus destruat te in finem. Nimirum veluti male ædificatum,tametsi ob delationem à te factam Sauli regi, ad maiorem ab illo honorem prouectus fis. ℘ si verbũ destruat, & alia,quæ sequuntur,intellexeris non optantis esse,sed exerantis, prophetiam continebunt futuræ perditionis ipsius Doech.

καθέλοι-σε

Euellat te. Veluti in eius vinea male plantatum.

ἐκτίλαι σε.μετα-ναςθύσαι σε

Et emigrare te faciat à tabernaculo tuo. Id est animam tuam à corpore tuo. Vel emigrare te faciat à domo tua, & ab ea veluti mortuum efferri.

Et radicem tuam à terra uiuentium. Per radicem generationem,ac stirpẽ eius tam præteritam q̃ futuram intelligit. Radices enim Doech tam parentes dici possunt, quàm liberi ac posteri, parentes quidem, quia eum produxere, filij vero ac posteri, quia radix sunt aliorum, qui ab eis generantur. Per radicem igitur tam ascendentes, quàm descendentes, & omnem denique generationem significauit. Per terram autem viuentium, & præsentem terram intelligit, quam viui homines habitant, & cœlum, qui eorum locus est, qui semper viuunt.

Videbunt iusti,& timebunt. Videbunt integram perditionẽ Doech:

Doech. Vnde ineuitabilem pœnarum sententiam timentes, cautiores fient.

Et super eum ridebunt. Gaudebunt, inquit, cum eum tanti sceleris viderint pœnas dare: iuxta quam sententiam alibi dictum est: lætabitur iustus, cum viderit vindictam.

βουθὸν αὐτῶ

Et dicent, ecce homo, qui non posuit deum adiutorem sui. Quia me iniuria à rege affectum cælare noluit, sed prodere: quam ob causam deum sibi inimicum constituit, qui pro hominibus iniuria affectis pugnare solet.

Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum. Verisimile est autem hunc Doech fuisse diuitem. vel diuitias non auri dicit, aut argenti, sed malignitatis, & vitiorum: quibus supra, potentem eum esse dixit.

Et præualuit in uanitate sua. Quod pauloante diuitias, nũc vanitatem appellat, veluti quę illi in periculis minime erant profuturæ.

Ego autem quasi oliua fructifera in domo dei. Prędicit ea, quę ad se pertinent. Illi, inquit, adeo insanè aduersum me insidias disponunt, ciuitates perdunt, nemini parcunt, ego vero integer atque innocuus conseruabor, veluti oliua fructifera, cuius fructus non periit: conseruabor autem in protectione & custodia dei, non secus atque oliua in pingui horto conseruetur. Vel per domũ dei, tabernaculum intelligit: & prædicit, quòd deiecto Saule, & regnum ipse consecuturus sit, & ciuitates, & tabernaculum.

Speraui in misericordia dei in seculum, & in seculũ seculi. Nõ speraui ego in diuitiis, aut in robore, vt illi, sed in tua tantum misericordia, quam iis præstas, qui iniuriam patiuntur: sanè autem spem habeo, tam in præsenti seculo, quàm in futuro, cum omnes deus actiones nostras diiudicaturus sit.

Confitebor tibi in seculum, quia feci sti. Gratias tibi agã semper domine, quia feci sti: subintellige vindictam. Huiusmodi autem vox ab intimo videtur mihi prophetæ corde emissa, atque ideo deficere. Solent enim ij, qui vlciscuntur defectiua quædam verba proferre, veluti præ gaudio reliqua in eis verba intercidantur, vt illud: viderunt oculi nostri. Subintelligitur enim vindictam, vel quid simile. Præuidebat enim propheta insidiatorum, atque hostium suorum interitum.

Et expectabo nomen tuum. Hoc est, expectabo te vltorem. Est enim

Est enim circumlocutio. vel præ multa reuerentia nomen dei, pro ipso accipit deo.

Quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum. Quoniã, inquit, hoc vtilissimum est, apud eos, qui tibi sanctificati ac dicati sunt. Efferri etiam potest hic psalmus à quolibet fideli aduersus dæmonem, veluti aduersus eum qui iniqua assidua operatur, & dolosa: & vsque ad illa verba: & emigrare te faciat de tabernaculo tuo: facile omnia congruunt huic sensui. Per tabernaculum autem, principatum dæmonis intellige, quem in humanum habebat genus: & per radicem, huius principatus stabilitatem. Videbunt autem iusti omnes, inimici nostri dæmonis depressionem: & tunc magis timebunt dominum, qui opem ferre solet timentibus se. Per hominem etiam hoc in loco dæmonem intelligit, quemadmodum & alibi dicemus in psalmo LV. & quæ sequuntur omnia ad hunc sensum exponi possunt.

In finem pro Maeleth intelligentiæ ipsi Dauid.

ὑπὲρ μαελεθ

Hic psalmus idem est cum psalmo XIII. duobus tantum uersiculis exceptis, qui in hoc psalmo amplius habentur quàm in illo: eos tantum hic interpretabimur. Nam aliorum expositionem illic tradidimus. Hi autem uersiculi ea ratione amplius hic habentur, ne uideri possit idem psalmus superfluus esse, dum bis ponitur. Præterea ut doceret nos propheta, quod sensu differunt, tametsi uerborũ prolatione iidem esse uideantur. Ille etenim insaniam, ac furorem carpit, quo Sennacherib & Rhapsaces aduersus Ezechiam regem ferebantur, hic uero Iudæorum rabiem contra Christum. Quod si aliter se haberet, proculdubio huiusmodi superfluitas, neque interpretes neque ipsos etiam Iudæos latuisset. uerum excusationem nullam habent Iudæi, tametsi sponte sua cæcutiant. Aliam enim ac diuersam prorsus inscriptionem uterque eorum sortitus est. Præsens itaque inscriptio, ad finem nos iubet inspicere propter prophetias, quæ hic aduersus Iudæos prædicuntur: ueluti monens lectorem ut illarum finem animaduertat. Quod uero ait: pro Maeleth. Idem sibi uult, ac si dixisset, de chorea. Christianis etenim, cum legitur hic psalmus, exultandum, ac chorea quodammodo utendum est, propter finẽ, atque euentum rerum, quæ in eo prædictæ sunt. Exultabit, inquit, Iacob & lætabitur Israel. Israelis enim populus pro populo accipitur Christiano,

tur Christiano, ut diximus in psalmo XIII. intelligẽtiæ etiã ideo inscriptus est: quia multa lectori opus est intelligentia in his discernendis. Nam licet uerborum prolatione eadem esse uideantur, quæ in hoc, & quæ in XIII. habentur psalmo, sensu tamen differentias habent mysterio refertas. Sed illos iam uersiculos exponamus, quos amplius hic haberi diximus.

PSALMVS LII.



Dixit insipiens in corde suo, non est deus, corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, in iniquitatibus. Vide, quę exponendo diximus in psalmo XIII. quod vero hic: in iniquitatibus: ibi dixit: in studiis.

Non est, qui faciat bonũ. In cõmemorato psalmo dixit: non est qui faciat bonitatem.

Deus de cœlo prospexit super filios hominũ, ut uideret' si est, qui intelligat, aut qui exquirat deũ. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem? qui deuorant populum meum in cibo panis? Deum non inuocauerunt, illic timuerunt timore, ubi non erat timor. Vide, quæ in XIII. psalmo dicta sunt.

διεσκόρπισεν

Quoniam deus dispersit ossa eorum, qui hominibus placent. Iudæos carpit, quos studiosos esse dicit, vt hominibus placeãt, tametsi latina dictione, non ita significanter id vitium exprimi potest, quàm græca, quæ vnico vocabulo, ἀνθρωπάρεσκους huiusmodi homines appellauit. Hoc autem vitium sæpenumero Christus Iudæis exprobrauit, hypocritas eos appellans, & secundum adspectum iudicantes: qui etiam vt Cæsari placerent, clamauerunt: non habemus regem, nisi Cæsarem: item ad Pilatum: si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Quorum Iudæorũ ossa, hoc est, quorum tribus, quibus ipsi quasi membris quibusdam consistebãt, deus dispersit. Dispersi etenim sunt per orbem, vt omnibus seruirent nationibus vel ideo dispersos eos fuisse dicit quia Romanorũ gladio perditi, ac discerpti, canibus & volucribus laniandi relicti sunt.

Confusi sunt, quoniam deus spreuit eos. Confusione atque ignominia pleni esse apparuerunt apud omnes gentes, veluti omnium hominum, infelicissimi. Huiusmodi autẽ calamitatem ea ratione passi sunt, quia Christus spreuit eos, in opprobrium

probrium illos vniuerso orbi præbens.

Quis dabit ex Sion salutare Israel, cum conuerterit dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israel. Horũ etiam verborum expositionem in sæpe commemorato tradidimus psalmo.

In finem in hymnis, intelligentiæ ipsi Dauid, cum uenissent Ziphæi, & annunciassent Sauli, nonne ecce Dauid absconditus est apud nos?

Fugiens Saulem beatus Dauid, profectus est in eremum Ziph. Ziphæi uero amicitiam fingentes, Sauli significarunt, latere illum apud se. Hoc audito Saul cum exercitu illuc contra eum proficiscebatur, uerum bellum, quod à Philistæis repente superuenit, Saulem diuertit, ne tunc ultra illum persequeretur. Tanto itaque beatus David liberatus periculo, aufugit, & præsentem psalmum in gratiarum actionem compositum deo dicauit: quo adiutore omnes Saulis insidiæ facillime semper dissolutæ sunt. Atque ideo in hymnis inscribitur. Confitebor enim, inquit, nomini tuo domine, quoniam bonum est, quoniam ex omni tribulatione eripuisti me. *In finem uero ideo dixit, quia ad finem tendebant, quæ hic prædicebantur: prædicebatur autem inimicorum ipsius destructio. Conuertet enim, inquit, mala inimicis meis, & in inimicis meis uidit oculus meus: quæ uerba dilucide locis suis exponemus. Intelligentiæ autem, siue, ut alibi diximus, prudẽtiæ ideo inscriptum est, quia prudẽtis uiri est huiuscemodi tempore amissis omnibus, liberatorem deum laudare, eumque ueluti iudicem optimum aduocare.*

PSALMVS LIII.



Deus in nomine tuo saluum me fac. Salua me, inquit, propter nomen tuum. Saluatoris etenim, & misericordis, & iusti nomen habes. Præsto igitur mihi adsis, quoniam vndique mihi incumbunt insidiæ.

τῷ δυνάμει σου κρινεῖς

Et in potentia tua iudicabis me. Et cum potẽs sis, recte, noui, iudicabis me, simul cum iis, qui opprimunt infirmitatem meam, (Saulem dico,) & vindictam facies. Est autem indifferens constructio huius verbi iudicabis. Posuit enim iudicabis me, pro iudicabis mihi: hoc est, iudicium mihi facies.

Deus exaudi orationem meam, auribus percipe uerba oris mei.

Verba

Verba illa exaudi,auribus percipe, & alia huiuſmodi,non videntur mihi inter ſe ſenſu differre,ſed intentionem, atque conſtantiam precum ſignificare: quemadmodum in principio quarti pſalmi,& XVI.& LIIII. & in multis aliis locis videre licet: tametſi nonnulla à ſtudioſis viris inueniri poſſit differentia. Per orationem autem,hoc in loco,eam intelligere poſſumus,quæ mente & animo fit: & per verba eas preces,quæ labiis effunduntur, cuiuſmodi erant verba illa: deus in nomine tuo ſaluum me fac,& ſiquid aliud huiuſmodi eſt.

Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me,& fortes quæſuerunt animam meam. Saulem, & eius complices ita appellat, alienos quidem,quaſi animo,à ſe alienatos, atque inimicos: fortes vero,eo quòd apparatu bellico præſtabant. Vel per alienos, Ziphæos intelligit, veluti à vera ac recta beneuolentia alienatos: per fortes vero. Saulem & ſocios eius, vt diximus.

Et non propoſuerunt deum in conſpectu ſuo. In mente, inquit, atque in animo ſuo deum ſibi non conſtituerunt, quemadmodum ij faciunt,qui deum timent. Hi etenim aſſidua cogitatione illum ſibi ante faciem animarum ſuarum conſtituunt,prohibereque atque vetare illum putant ne proſiliant ad mala.

ἀντιλή-ψωρ *Ecce enim deus adiuuat me, & dominus defenſor eſt animæ meæ.* Superflua eſt coniunctio enim. Accepta autem beatus Dauid certitudine de ſuperno auxilio, præ lætitia illud omnibus palam annuntiat, dicens:ecce &c. quæ dictio hoc in loco temporis propinquitatẽ ſignificat,quaſi dicat, nunc.

ἀποστρέ-ψει *Conuertet mala inimicis meis.* Illa nimirum mala, quæ illi aduerſum me meditabantur,in eos conuertet.

Et in ueritate tua diſperde illos. Per veritatem hoc in loco iuſtitiam intelligit. Vel aliter:quia veritas delet atque extinguit mendacium, tu in eo quòd verax es, eos diſperde, qui mendaces ſunt. Ziphæi enim magna ſe affectos eſſe beneuolentia erga beatũ Dauid mentiti fuerant,ſimiliter & Saul: qui ſæpenumero verbis confirmauerat ſe nullas de cætero aduerſus eum inſidias moliturum eſſe.

Voluntarie ſacrificabo tibi. Voluntarie:hoc eſt, prompto ac læto animo, non tantum veluti mandato legis coactus, quantum

quantum ex ardore quodam animi. Tibi igitur ſacrificabo, veluti ſummo ac potentiſſimo eorum defenſori, qui iniuriam patiuntur.

Confitebor nomini tuo domine. Hoc eſt gratias agam tibi.

Quoniam bonum eſt. Gratias nimirum tibi agere. Bonum enim eſt,inquit alibi,confiteri domino.

Quoniã ex omni tribulatione eripuiſti me. Interrupto etenim nunc Saulis impetu quo in me ferebatur,in aliud bellũ eum diuertiſti.

Et in inimicis meis diſpexit oculus meus. Animæ nimirum oculis: ac veluti propheta, Ziphæorum ac Saulis interitum cernens. Sermo autem defectiuus eſt, & ſic intelligitur:oculus meus,inquit,diſpexit ac vidit in inimicis meis: ea omnia nimirum,quæ optauit,vel ea omnia quæ paſſuri ſunt:quemadmodum etiam tradidimus in pſalmo XXIIII. Efferri etiam à nobis poteſt hic pſalmus aduerſus dæmones, qui à deo alieni ſunt vt rebelles ei atque aduerſarij:& fortes ſimiliter ſunt ad patranda ſcelera tanquam incorporei ſpiritus, & tanquam huius etiam mundi principes. ὧν τοῖς ἐχθροῖς μου ἐπιθυμῶν

In finem in hymnis intelligentiæ ipſi Dauid.

Hunc pſalmum pari modo conſcripſit beatus Dauid, cum Saulem fugeret,& uagabundus in eremo diuerſaretur. Verum, dum proprias paſſiones narrat propheta,quodammodo Chriſti paſſiones deſcribit. Atque ideo in finem inſcribitur,& in hymnis, & intelligentiæ. Auditorẽ enim ad eorũ finem remittit, quæ de Chriſto hic prædicta ſunt:ſuadetq;,& hortatur nos ad illius laudes qui propter nos tantas paſſiones ſuſtinuit. Cum intelligentia etiam omnia hæc audirã admonet,propter umbram,atque obſcuritatem prophetiæ.

PSALMVS LIIII.

EXaudi deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationẽ meã, intende mihi, & exaudi me. Huiuſmodi verba, ac ſententiam expoſuimus ſuperius in ſecũdo verſiculo pſalmi LIIII. obſeruandũ eſt tamen,quod in pſalmo XVI. alius ac diuerſus eſt verborum ordo, atque hic habeatur. Prius enim ibi ponitur: Exaudi;deinde,intende, & poſtremo loco, auribus percipe:ita vt manifeſte pateat nullã eſſe apud pro-

phetam harum dictionum differentiam.

ἀδολεχία

Contristatus sum in meditatione mea. Quod latine hic meditationem legimus, græcæ habetur ἀδολεχία quæ dictio proprie.quidem nugacitatem, seu (vt alij propius huic sensui reddiderũt) argutationem significat, & apud prophetam nostrũ sæpenumero pro assidua meditatione reperitur:iuxta quod alibi dicit:& meditabar in iustificationibus tuis. Nam quod ait,meditabar græce legitur ἠδολέχουν. Contristatus sum,inquit,in meditatione mea, cogitando quonam pacto, euitare possem inimicorum insidias: cumque nullam artem, aut consilium reperirem,contristatus sum. ἀδολεχία etiam pro sublimiori illa ac diuiniori contemplatione accipitur, iuxta illud:exiuit Isaach, vt meditaretur in agro, inclinante iam die. In græco enim eadẽ dictiõe ibi ꝓphetã vsũ videm⁹.

Et turbatus sum à uoce inimici, & à tribulatione peccatoris. Inimicum Saulem appellat tanquam insidiatorem:item & peccatorem:eo quòd lændendo innocentem delinqueret. Tanto autem grauius etiam peccabat, quãto non tantum innocens erat beatus Dauid,sed de Saule etiam bene meritus. Benefactorem enim ille suum atque innocentem quærebat interimere. Per vocem igitur inimici, Saulis contumelias intellige,& per tribulationem,persecutionem ipsam.

ἀνομίαν

Quoniam declinauerunt in me iniquitatem. Quia Saulis amici mouerunt iniquitatem in me:hoc est,quoniã crimen mihi imposuerunt, dicentes me insidias tẽdere aduersus Saulem. Quædam vero exemplaria,iniquitates,habent in recto casu: & tũc expone,quòd iniquitates,hoc est iniqui homines,mei sunt cõtra me. Sæpenumero enim iniustitiam dicimus pro iniusto homine. Nam cum aliquem vehementius volumus carpere,non sceleratum eum,sed scelus ipsum appellamus.

ἐνεκότουν μοι. κότος ἀπὸ τῦ κῆδαι

Et in ira oderant me. Et dum irascerentur, memoriã odij conseruabant, quod ex dictione græca ἐνεκότουν significãtius exprimitur:quæ ex sui etymologia constantiorẽ ac diuturniorem quandam irę atque odij sedem denotare videtur.

Cor meum turbatum est in me. Per cor, animam intelligit, quam turbatam esse dicit,veluti in inimicorum insidiis assidue versatam.

Et formidò mortis cecidit super me. Verum quomodo alibi dicit,non timebo milia populorum circunuallantium me? & alia

alia huiusmodi multa:& nunc aperte timorem fatetur? quia scilicet sentiens tunc diuinum auxilium,summa erat plenus fiducia. Aliquãdo tamen diuina dispensatione derelictus est: vt illius patientia, atque constantia in inuocatione diuini nominis clarior appareret.

Timor, & tremor uenerũt super me. Idem rursus repetit intensiorem indicans formidinem. Formidine etenim aucta timor obuenit,timore vero adaucto,tremor insequitur.

Et contexerunt me tenebræ. Tenebræ nimirum mœstitiæ, ac doloris,quæ non mediocriter humanos animos obtenebrant,atque confundunt.

Et dixi quis dabit mihi pẽnas, ut colũbæ? & uolabo, & requiescã? Columbæ sibi pennas non temere petiit beatus Dauid. Celerrimi enim est volatus columbæ: mansuetum præterea est, domesticumque,ac simplex animal: quemadmodum & ipse erat Dauid. Et volabo,inquit, in loca tuta,& requiescã:hoc est,quiete fruar:à tanto scilicet timore,ac labore liberatus.

φυγαδεύων. ἀπὸ ὀλιγοψυχίας ἀπὸ καταιγίδος καταπόντισιν

Ecce elongaui fugans, & mansi in solitudine. Fugans dixit pro fugiens,seu fugam arripiens.

Expectabam deum,qui saluum me facit à pusillanimitate, atque à tempestate. Commorans ego in deserto, nullum alium hactenus mihi adiutorem expectaui, quàm te solum deum. Per tempestatem vero vehementem tentationum procellam intelligit.

Demerge domine, diuide linguas eorum. Quæ sequuntur aduersus Iudæos dicta sunt,& de Christo. Demerge,inquit, ô domine, linguas eorum, qui filium tuum blasphemant. Demerge autem eas linguas: hoc est, mitte in profundum, fac illas in profundo proprij gutturis suffocari: & diuide eas,faciens, ne vnà amplius in eandem sententiam conueniant, adeo, vt aduersus saluatorem de cætero conspirare non valeant. Quòd sanè eis accidit, postquam à Romanis deleti sunt.

Quoniam uidi iniquitatem, & contradictionẽ in ciuitate. Quoniam propheticis,inquit, ego oculis vidi in ciuitate Hierusalem: iniquitatem quidem, dum inique, me vitæ authorem studerent interimere, contradictionem vero, dum saluberrima docenti aduersarentur.

Die ac nocte circũdabit eam super muros eius. Diũ,inquit,ini-

 quitas,

quitas,quam diximus, eam ciuitatem vsque ad muros continebit.Iniquissimi itaque fuerunt Iudæi etiam post Christi mortẽ,donec Romani misso exercitu eos prorsus dissiparũt.

καὶ *Et iniquitate,& labor in medio eius,& iniustitia.* Rursus iniquitatem eorum exprobrat,illos eo magis redarguens,quo, cum viuere se gloriarentur secundum legem, iniqua semper magis agebant:& cum dixerit, quòd iniquitas eam circundabit vsque ad muros,docet quomodo illa eadem non discedet à medio ciuitatis : quinimmo illic similiter permanebit. & iniquitas quidem versatur in iudiciis , labor autem in insidiis,& machinationibus,quas aduersus innocẽtes moliuntur:iniustitia vero,in auaritia , atque amore plus possidendi.

Et non defecit de plateis eius usura, & dolus. In omni ciuitate latæ quædam viæ sunt,quæ plateæ dicuntur:sunt & aliæ angustiores. Et per plateas quidem currus transeunt, eas nos ἐξαίρους appellamus: per angustiores vero incedimus . Plateas autem hoc in loco appellat : quia fora illic erant venalia,& cõmercia.Vsuram etiam illis exerceri dicit , quia sub mutui prætextu vsuras clam exigebãt: quod in lege vetitum erat . Dolum etiam ibi adfuisse asserit , ob fallacias , quas in mutuis commerciis struebant,vel,ob omne aliud insidiarum genus:& hoc pacto vniuersa illic vitia adesse testatur.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi,sustinuissem utique & si is,qui oderat me,super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Quæ sequuntur ex Christi persona proferẽda sunt aduersus Iudã.Et quod ait, maledixisset, seu iuxta aliam græcæ dictionis significationem,exprobrasset, posuit pro spreuisset,& calumniatus esset:quod vero ait: magna locutus fuisset: expone, pro impudenter , & minaciter locutus esset.Vtrunque enim ille scelus commisit . Nam & apud Iudæos probrosa retulit de Christo, & comminatus est se eum illis ad necem daturũ: illa etiam dictio,quoniam, hoc in loco, narratiuæ coniunctionis vim habet , vt alibi dictum est.

Tu uero homo unanimis,dux meus,& notus meus. A communi sensu sumendum est verbum , maledixisti . Vnanimem autem dixit,pro amico. Ducem vero suum Iudam appellat, quia illum simul cum aliis apostolis ducem fidelibus constituerat. Constitues enim eos,inquit, principes super omnem terrã.Notus etiã meus,hoc est,mihi cognitus, ac familiaris.

Qui

Qui simul mecum dulcorabas cibos. Qui cum vnà mecũ esses dulcorabas,hoc est,præparabas cibos,Nam quod præparatur,dulcius sentitur.Per cibos autem euangelicam doctrinam intelligit, qua fideles animæ alebantur. Hanc etenim doctrinam ipse etiam Iudas, vtpote apostolus, & ad prædicandum missus antea dulcorabat: hoc est , gratam & iucundam Christo reddebat. ἡλίκα-νας

In domo dei ambulauimus cum consensu. Vnanimiter,inquit, in templum profecti sumus . Te etenim mihi adeo familiarem habebam,vt à latere meo nunquam paterer diuelli.

Veniat mors super eos. Hæc igitur cum præuidisset beatus Dauid, imprecatur deinceps, in Iudam, in Caipham, in Annam,atque in cæteros Christi interfectores Iudæos.

Et descendãt in infernum uiuentes. Sed quomodo descendent viuentes in infernum , si mors,quam imprecatus est in eos venerit? quia nimirum eorum aliqui violenta morte interimendi erant . Mortem etenim non naturalem aliquam imprecatur, sed violentam . Et alij Romanorum timore in prærupta sese contulerunt,in cauernisque & in speluncis vixere, fame & siti atq; formidine cruciati, vt in sua refert Iosephus historia . Huiusmodi autem foueas,ac speluncas propheta infernũ appellauit . Nam & illic demum sepulti sunt. Illius enim vitæ duritiam non ferentes , cito ibidem perierunt. Alij dicunt,quòd ex quo,& Iudæi & dæmones insidias aduersus Christum moliti sunt , quòd Iudæis quidem mortem imprecatus est, mortem dico pœnarum ac suppliciorũ, dæmonibus vero descensum ad infera terræ viscera , quòdque hos dęmones viuentes appellauit,veluti immortales. Descendant inquit,in infernum viuentes iuxta eorum naturam.

Quoniam malitia in habitaculis eorum , in medio eorum. Quoniam malitia versatur in eorum habitaculis , atque in media eorum ciuitate , ac si dicat:eorum malitia non tantum in superficie est, atque extrinsecus, sed in medio:hoc est, in profundo, atque in cordibus eorum. Per habitacula autem , seu (vt significãtius græca dictione exprimitur,) per παροικίας habitationes & domos temporarias intelligit , veluti breui perduraturas & cito perdendas. πονηρία

Ego ad deum clamaui, & deus exaudiuit me. Certior factus de diuino auxilio , ait:exaudisti me . Verum iuxta altiorem

sensum dicamus: Ego quidem, inquit, clamaui ad patrem, & filius exaudiuit me. Ipse etenim filius Iudæos perdidit: iuxta quod alibi ex eius persona scriptũ legimus: tu autem domine miserere mei & resuscita me, & retribuam eis.

Vespere, & mane, & meridie narrabo & annunciabo, & exaudiet uocem meam. Tempora significat magnarum trium synaxeum, quas nos congregationes, seu collectas vocare possumus, vespertinum nimirum, matutinum, & ministerium. Narrabo, inquit, mirabilia dei, & annunciabo ea omnibus, qui mecum erunt, ita vt idem, sit narrare quod annunciare. Vel narrabo quidem antiqua, annunciabo autem ea, quæ postremo in me facta sunt.

ἐν πολλοῖς

Redimet in pace animam meam ab appropinquãtibus mihi: quoniam in multis erant mecum. In pace, hoc est, sine labore. Appropinquãtes autẽ eos vocat, qui erant cum Saul, tanquã sibi cognatos atque olim commilitones: deinde propinquitatis rationem ponit: quoniam, inquit, simul cum multis aliis militibus antea mecum fuerant: hoc est, quoniam mecum connixerant, & mecum commilitauerant.

Exaudiet deus & humiliabit eos, qui est ante secula. Ipse etenim deus fecit secula: non mirum igitur, si ante ea fuisse dicitur.

Non est enim eis commutatio, neque timuerunt deum. Immutatio, inquit, nulla eis est, à malitia ad bonitatem, à vitio ad virtutes, sed immutabiles permanent. Ad hunc enim sensum Symmachus reddidit. Possunt etiam hæc verba proferri aduersus Christi occisores Iudæos, contra quos, cum superius imprecatus fuerit, modo ait, exaudiet me Christus, & humiliabit eos: quemadmodum factum videmus. Alij etenim eorum sublati sunt, cæteri vero, qui relicti fuere, dispersi per orbem abiecti, atque humiliati, omnibus seruiunt nationibus. Et quod ait: qui est ante secula: ad Christi diuinitatẽ referatur. Ipsi enim Iudæi ex sola Iesum matre principiũ habuisse affirmabant. Et quod sequitur: non est illis commutatio: alium sensum habet, intelligẽdo etiam de Iudæis. quia enim Christus pro vniuerso genere humano in commutationem datus est, & Iudæi commutationem hanc: hoc est, ipsum dominũ Iesum recipere noluerunt, restat, inquit propheta, vt nulla amplius alia eis sit commutatio.

Extendit

Extendit manum suam in retribuendo. Extendit deus potestatem, ac vires suas in puniendo, vt condigna nimirum peccatoribus retribuat supplicia.

Profanauerunt testamentum eius. Saul & complices profanauerunt, hoc est, spreuerunt legem dei, qua mandatur: diliges proximum tuum, & alia huiusmodi. Christi autem occisores spreuerunt Euangelium. profanum autem appellatur, quod commune est, & non sacrum.

ἐβεβήλωσαν

Diuisi sunt ab ira uultus eius, & appropinquauerunt corda eorum. Iudæi, inquit, diuisi sunt ab ira vultus Christi. quia cum Romani eos obsiderent, inter se diuisi sunt. Quidam enim eorum illa se pati dicebãt propter Christum: inter quos erat Iosephus: qui etiam in illo opere suo de expugnatione Hierusalem, Christum ferè deum esse testatus est: & corda eorum veritati appropinquauerunt, dum cogitarent, quòd Christus esset deus. appropinquare enim illi dicuntur veritati, qui saltem dubitare incipiunt.

ηγγισαν αἱ καρδίαι αὐτῶν

Molles facti sunt eorũ sermones super oleum, & ipsi sunt iacula. Hoc de omnibus Christi interfectoribus in vniuersum dictum est: qui antequã eum occiderẽt blandos ei, ac leues sermones loquebantur. Rabbi eum appellantes, & dicentes: scimus quia verax es & verbum dei in veritate doces, & alia huiusmodi. qui tamen re ipsa erant, veluti acutissima quædam iacula, & illius sanguinem appetebant. Dici etiam possunt hæc verba de Saule, qui prophetæ nostro blande sed simulate loquens dicebat: fili Dauid, & alia huiusmodi.

Iacta cogitatum tuum in domino, & ipse te enutriet. Omnibus, qui insidiis impetũtur, communem admonitionem præbet. ipse enim, inquit dominus, si in eo fiduciam habueris, enutriet te: quòd si nutriet, induet etiam, & si induet, custodiet insuper, & liberabit.

Non dabit in seculum fluctuationem iusto. Non ad multum, inquit, tempus dabit iusto tempestatem aut procellam tentationum. Ait enim Apostolus, fidelis deus, qui non permittet non tentari supra id, quod possumus. dixit autem deum non daturum tentationes, non quia ipse eas immittat, sed quia permittens eas à dæmone nobis inferri ipse illas quodam modo videtur immittere, cum prohibere potuisset & non prohibuerit,

Tu autem deus deduces eos in puteum interitus. Eos dico, qui aduersus innocentes tendunt insidias. per puteum autem interitus, vastas quasdã, ac veluti ob loci profunditatem ineuitabiles pœnas intelligit: quia siquis in puteum ceciderit non de facili illinc exitus pateat.

Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. Atqui in psalmo septuagesimosecũdo de huiusmodi hoĩbus Propheta dicit, quòd dies pleni inuenientur in eis: verum ibi plenos dies dixit, respiciens non ad vitæ sed ad vitiorum, ac malitiæ mensuram. illorum enim dies vitiis pleni erant: hoc autem in loco ait, quòd præuidens deus scelerum immensitatem, eos ante tempus euellet, ne scilicet magis peccent: vnde diuina castigatio eis efficitur in misericordiam. & sermo iste non vniuersalis, tametsi in pluribus id contingat. nonnullos enim cum suis vitiis videmus consenescere. hoc autem dixit, vt sanguinolentos, ac dolosos viros perterrefaceret. viros autem sanguinum, & dolosos dixit, veluti viriliter agentes circa dolos, & cædes: & per dolum omne vitium intelligit. & quemadmodum sæpenumero virum pacis, dictũ reperimus apud scripturam, pro viro pacifico, ita & virum sanguinum nunc poni videmus, pro viro sanguinario, hoc est pro eo, qui sanguine delectatur.

Ego autem sperabo in te domine. Hæc est consueta inuocatio beati Dauid, qui cum sæpius illius spei fructum expertus fuerit, quæ in deum est, in posterum & stabilem in eo spem collocat, & colocasse eam confitetur. Congruit etiam hic psalmus omnibus fidelibus, paucis tantum exceptis, quæ in progressu declarando significabimus: verum nõ omnia rursum exponemus. sed obscuriora tantum. nam quæ facilia sunt, sinemus intelligi iuxta expositionẽ iam traditam. Contristatus sum in meditatione mea, hoc est, in conuersatione, quam habui dum in cogitationibus essem perturbatissimis, affectibusque ac passionibus plenis. Huiusmodi enim cogitationes meæ, subsecuta pœnitentia, dolorem mihi afferunt. Vel quia, vt superius diximus, Græca dictio ἀδολεσχία non tantum meditationem sed nugacitatem etiã, aut argutationem significat, iuxta alium sensum, dic: contristatus sum in intempestiuo sermone meo, quo assidue in quotidianis colloquiis superflue vtor, & turbatus sum ab inimici mei, & ab iniqui

iniqui ac peccatoris dæmonis suggestione: Elongatus etiam sum à deo, & adhæsi diabolo, prauis nimirum actionibus meis, & mansi in solitudine: seu (vt expressius, in Græco habetur) in eremo, hoc est, in deserto, atq; in sterilitate virtutũ. demerge domine, & diuide linguas eorum: dæmonum nimirum, ita vt conspirare amplius non possint, aut contexere insidias aduersum me. Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate, hoc est, in communi illorum conuersatione. iniquè enim agunt, dum peccant: & diuinis contradicunt mandatis, dum ea transgrediuntur: per muros autem ciuitatis, eos dæmones intelligere possumus qui inter illos potentiores sunt. Et quod ait, calorem esse in medio illius ciuitatis, propter eos dictum est, qui strenue cum illis decertant. plateæ item illius ciuitatis, dæmonum viæ sunt, vtpote, diuinæ illi viæ oppositæ, quam arctam esse legimus in euangelio. Vsura etiam, quæ augmentum sorti apponit, augmentum significat priorum scelerum. Quodvero ait. quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, & quæ sequuntur vsque ad illa verba: veniat super illos mors, dicta sunt ex persona Christi aduersus Iudam, vt diximus. Veniat autem mors super eos, dæmones nimirum, hoc est, ad omnimodam prorsus redigantur inefficaciam. Et quod sequitur, & descendant, &c. iam superius exposuimus. & quod ait: quoniã malitia in habitaculis eorũ, alio modo legi potest: quoniam malitia in peregrinationibus eorum. dictio enim Græca παροικία, peregrinationem, & incolatum significat. per peregrinationes igitur dæmoniorũ, illorum insultus atq; appropinquationes intelligit, quas in nos faciunt. eosdem etiã esse intelligit, quos appropinquantes appellat, eo quòd impetu semper in nos feruntur: & quod ait, & in multis erant mecũ: immutatis præpositionibus expone, pro, cum multis erãt in me, hoc est, aduersus me, ac si dicat: & multi contra me cõuenerunt. Non est illis cõmutatio, hoc est, immutatio à malitia ad bonum, vt prædiximus. Profanauerunt testamẽtum eius: pro spreuerunt. Et appropinquauerũt nobis corda eorum, hoc est, eorum consilia. Et molles ac lenes nobis facti sunt eorum sermones: dum sua nobis instillant consilia. Initio etenim nobis, inanibus quibusdam verbis blandiũtur, sed re ipsa tandem desinunt in malum.

In finem pro populo, qui à sanctis elongatus est, ipsi Dauid, in tituli inscriptionem, cum tenerent eum Allophyli in Geth.

Quemadmodum coniunctim positos uidimus eos psalmos, quibus inscriptum est intelligentiæ, ita etiam coniuncti habentur ii, quibus inscribitur, in tituli inscriptionem: quorum præsens primus est, qui ad populum pertinet Iudaicum, quando captiuus erat in Babylone, & elongatus fuerat à sanctis, hoc est, à templo atque ab omnibus sacris, quæ erant in Hierusalem. quam ob causam etiam in finem inscribitur, quia ad finem eorũ tendebat, quæ in eo de populo prædicta fuerant. Nomine uero populi, omnes in uniuersum intelligere possumus, qui ad tempus à sanctis hominibus elongati sunt, dum captiui sub peccati iugo detinentur. Et quod ait, pro populo: idẽ sibi uult, ac si dixisset, ex persona populi. Deinde secunda sequitur inscriptio: ipsi Dauid in tituli inscriptionem, &c. Ita ut duplex etiam sit psalmi argumentum. Diximus in psalmo XLIII. *quòd beatus Dauid fugiens Saulem profectus est in Geth ad Achis Philistæorum regem, quodq; cum suspicio orta esset, eum esse Dauid, qui Goliam occiderat, & periclitari cœpisset, insaniam finxit: quodq;, quasi comitiali morbo laboraret, dimissus est, & præter opinionem seruatus. eo igitur tempore, hunc psalmum præsentibus suis tunc, & futuris populi afflictionibus accommodatum conscripsit. cupiens præterea tam amplum dei in se beneficium perpetuo prædicari debere, ea psalmo, quæ uidimus, uerba præposuit: in tituli, seu potius in statuæ, aut columnæ inscriptionem: quemadmodum per Græcam dictionem συλογραφίαν uerius alibi diximus significari, ac si diceret, in sempiternã huius facti memoriam. hunc autem loquendi modum sumptum putamus, ex metaphora eorum, qui lapideis, aut æneis columnis uerba quædam inscribebant in æternum posteris monumentum.*

PSALMVS. LV.

MIserere mei deus, *quoniã conculcauit me homo.* Cõculcauit, expone pro cõtriuit. Quod si sermo ex captiui populi persona proferatur, per hominẽ, Babyloniorũ regem intellige: si vero ex peccatorũ persona, diabolum, quẽ aliquãdo scriptura sub hominis appellatione expressit, veluti in parabola Zizaniorũ. inimicus enim, inquit, homo hoc fecit. postremo si ex beati Dauid persona legeris: per hominẽ Saulem intellige. & tunc, quòd ait, conculcauit, expone, pro, spreuit: iuxta quod

quod alibi scriptum est: qui filium dei conculcauit.

Tota die bellans afflixit me. Tota die dixit pro quotidie. bellans, autem: hoc est, lædens, seu impetum faciens.

Conculcauerunt me inimici mei tota die. Siue Babylonios intelligas, siue diabolicas potestates, siue ipsum Saulem.

Quoniã multi bellantes aduersum me ab alto. Per altitudinẽ hoc in loco potestatẽ, ac vires intelligit. vel ideo dixit, alto, qm̃ qui ex alto pugnãt certiori ictu feriũt, qui inferius sunt. ἀπὸ ὕψους

Dies non timebo, ego autem sperabo in te domine. Dies, hoc est, fœlicitatem, ac prosperam fortunam, consolans enim se ipsum, liberationem suam prædicit, affirmans minime se inimicorum suorum prosperitates formidare. ἡμέρας

In deo laudabo sermones meos. Laudabo hic posuit pro ornabo. laudabiles, inquit, eos faciam in eo, dum loquuntur de deo. Solus quippe ille sermo meritò videri potest ornatus, qui dei meminerit. vel aliter: quia gloriatus fuerat beatus Dauid dicens: dies non timebo, castigat nunc sermonem suum, dicens: in deo laudabo, hoc est, extollam, & magnificabo sermones meos.

In deo speraui non timebo, quid faciat mihi caro. Carnem dicit, pro carnali homine, qui affectibus, ac passionibus subiectus sit.

Tota die sermones meos abominabantur. Hoc est despiciebant, siquid nimirum ego dixissem. id autem agebatur eo quòd negligerent me.

Aduersum me omnes cogitationes eorum in malum. Vt mihi mala inferrent, vt me affligerent.

Inhabitabunt, abscondent. Assidebunt mihi: atque insidias & laqueos occulte disponent.

Ipsi calcaneum meum obseruabunt. Iter, inquit, vitæ meæ inuestigabunt, vt suis me laqueis comprehendant: quibus verbis varias illorum indicat insidias.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo impelles eos. Quemadmodum illi, inquit, latentes in insidiis expectauerunt me, ita & tu impelles eos, hoc est, expelles, & quod ait: pro nihilo: idem est quod, de facili. ὥσεις & non σώσεις

In ira populos confringes. Tu iratus, victos exercitus, & innumerabilem populorum multitudinem conteres.

Deus uitam meam annunciaui tibi. Conuersationẽ tibi meã significaui,

significaui, secundum quam iamdiu viuo.

Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, quemadmodum, & in promissione tua. Tu vidisti, inquit, lachrymas meas, quemadmodum pollicitus olim es in promissione tua. Legem enim statuens dixisti de omnibus qui iniuriam patiuntur: clamabit ad me, & ego exaudiam eum. Misericors enim sum.

Conuertentur inimici mei retrorsum. Hoc est fugient. Prædicit enim, quod futurum erat. Secundum Anagogen vero dicere possumus, ꝙ quemadmodum dæmones præire nos solent, quoties nos superauerint, & viam nobis ostendere quæ ducit ad perditionem: ita quoties à nobis victi fuerint, retro, post nos consequuntur oblatrantes.

In quacunque die inuocauero te, ecce cognoui quoniam tu deus meus es. Quoties, inquit, ardenti te animo inuocauero, statim cognoui, hoc est cognosco, ꝙ tu deus meus es. Posuit enim tempus pro tempore: sed quomodo cognosco? dum scilicet exaudies.

In deo laudabo uerbum, in domino laudabo sermonem. Verbum laudabo, eundem hic sensum habet, quem superius diximus in versiculo, in deo laudabo sermones meos, & per verbum, breuiorem orationem intelligit, per sermonem vero, longiorem.

In deo speraui, non timebo, quid faciat mihi homo. Ille nimirum homo, de quo in principio dixit, quoniam conculcauit me homo.

ἀινέσεώς σου *In me sunt deus uota, quæ reddam laudationis tuæ.* In mea, inquit, memoria illæ laudationis tuæ promissiones sunt, quas me redditurum affirmo. Pollicitus enim fuerat beatus Dauid se deum benefactorem suum laudaturum esse.

Quoniam eripuisti animam meam de morte. Animam meam, hoc est, meipsum: ꝙ si animam vi sua significari velis intelligere, per mortem peccatum intellige, veluti quod primo omnium parenti mortis causa extiterit.

Oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Per lapsum, aut præceps aliquod intellige, aut laqueum, & per pedes, huius vitæ viam.

Placebo coram domino in lumine uiuentium. Illud primo animaduertendum ducimus, quòd Græca dictio εὐαρεστήσω non solum

solum significat placebo, sed etiam gratum faciam. Iuxta quē sensum, quæ deo, inquit, grata sunt, faciam, donec lucē hanc video, quæ viuentibus lucet. Nam post mortem nullum erit amplius gratificandi tempus. Et aliter: per viuentium lucem, mandata dei intelligit. Præceptum enim domini, inquit, lucidum illuminans oculos. Item lucerna pedibus meis verbum tuum. Vel gratus atque acceptus apparebo in æterna illorum luce qui perpetuo victuri sunt.

In finem ne corrumpas ipsi Dauid in tituli inscriptionem cum fugeret à facie Saul in spelunca. Μὴ διαφθείρῃς

Psalmum hunc conscripsit beatus Dauid, cum præter omnem spem periculum effugisset, quod sustinuerat in spelunca deserti Gad: quando scilicet ipso illic latitante ingressus etiam eo est Saul, & pernoctauit, ut prædiximus. Inscribitur etiam hic ut proxime præcedens, in tituli inscriptionem, eadem nimirum ratione, quam ibi diximus. Item in finem, quia ad finem eorum tendebat, quæ de gentium Ecclesia in eo prædicuntur. Et quod legimus, ne corrumpas, seu (ut aliter exponi potest Græca dictio) μὴ διαφθείρῃς, ne perdas, per se priuatim legendum est. Ea enim nocte beatus Dauid cum gladio ira commotus supra Saulem adstabat. Verum huiusmodi uerba crebro canens, furorem atque iram omnem repressit, & inimico parcens non interemit. Huiusmodi igitur uerba etiam psalmo inscripsit, docens quomodo ipse iram superauerit, & admonens hoc pacto cæteros omnes, ne corrumpant seu perdant, hoc est, ne abigant patientiam. Illud scire oportet quòd hunc psalmum conscripsit postquam de spelunca egressus est, centesimum uero & quadragesimum primum cum adhuc in spelunca esset atque in angustiis, & quasi ab inimicis conclusus.

PSALMVS LVI.

Miserere mei deus, miserere mei, quia in te confidit anima mea. Repetitio illa, miserere mei, intentum supplicantis animum indicat. Nulla alia, inquit, in te confido nisi in te solo. Miserere ergo mei, postquam huiusmodi persecutionem sustineo.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Per vmbram alarum dei, diuinam protectionem, atque custodiam intelligit, de qua multa diximus in psalmo decimo-

sexto ibi:

sexto ibi: In protectione alarum tuarum proteges me. Aquila autem insidias dixit, quod Septuaginta hic: iniquitatem reddiderunt. Insidias vero eas intelligere possumus, quas inuisibiles æquè atq; visibiles aduersum nos inimici struunt. Omnino autem tunc transibunt, quando resoluto corpore, à deo quis in cœlo coronabitur.

Clamabo ad deum altissimum, deum qui benefecit mihi Altissimum appellat, quòd cœlos omnes longe transcendat. Qui benefecit mihi, eo quòd antea etiam dignum me suo fecerit auxilio.

ἔσωσε *Misit de cœlo, & saluauit me.* Robur mihi è cœlo demisit. Neq; enim humano auxilio liberatus sum, cum mihi in spelunca periculum immineret.

Dedit in opprobrium conculcantes me. Quia cum Saul & comites eius rescissent quod gestum fuerat, magna se ignominia affectos putarunt, eo q̃ tantam rei bene gerendę occasionem amisissent, vnde ridiculi prorsus censerentur. Quid autem sit conculcare, diximus in superiori psalmo.

Misit dominus misericordiam suam, & ueritatem suam, & eripuit animam meam, de medio catulorum Leonum. Cum superius simpliciter dixerit deum misisse, nunc addit quid miserit. Illud autem animaduertendum ducimus, quòd multis in locis Prophetæ per veritatem, iustitiam intelligit, vt hic. Ex veritate enim deprehenditur iustitia. Misit deus igitur misericordiam, vt mei misereretur. Item, & iustitiam vt eos condemnare, qui mihi iniuriam intulerunt. Catulos autem Leonis, ipsos appellat comites Saulis, quia robore ac viribus præstabant, ferique erant, ac sanguinarij, cuiusmodi sunt Leonum catuli. Possunt etiam hæc verba intelligi, vt dicta sint ex persona Ecclesiæ, quæ læta canet. Pater misit filium, qui me iam penè perditam saluauit, & dedit in opprobrium dæmones olim conculcantes me. Per misericordiam vero, & veritatem consubstantialem filium intellige. Misertus enim nostri est, cum perditi essemus, & assumpta humana natura nostra, dixit: Ego sum veritas, qui etiam aliquando iustitia appellatur. Ipse enim, vt inquit Apostolus, factus est nobis sapientia à deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, & iuxta hunc sensum per catulos Leonum, ipsos dæmones intellige.

Dormiui

Dormiui conturbatus. Quando nimirum Saul & comites eius ingressi sunt, in speluncam. Tunc etenim paululum dormiebam, sed præ summo turbatus sum periculo, quod mihi vndique imminebat.

Filii hominum, dentes eorum, arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. O filij hominum, inquit, audite. Dentes enim eorum, qui mihi scilicet non secus, ac feræ quædam insidiantur, arma sunt, & sagittæ, & quę sequuntur. Per dentes autem, & per linguam, eorum sermones significauit, quia calumniis & dolosis quibusdam detractionibus vulnerant, & (quantum in se est) interimunt. Arma autem hic ea non dicit, quæ seruandi, sed quæ lędendi causa deferuntur.

Exaltare super cœlos deus, & super omnem terram gloria tua. Vt sublimis, & supercœlestis ab omnibus cognoscaris, qui te hactenus non nouerunt, & magnificentia tua per vniuersam diuulgetur terram, postquam tam admiranda operaris. Quidam sermonem hunc ad Christum referri putant, vt sit sensus: Postquam incarnationis perfecisti mysterium, restat, vt rursus illuc in cœlum ascendas, vnde descendisti, honorque ac gloria tua per totam percrebrescat terram.

ἐπὶ τοὺς οὐρανοὺς καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν

Laqueum parauerunt pedibus meis, & incurauerunt animam meam. Laqueos quosdam, inquit, ac plagas, mihi venatores contexerunt, quibus artificiosissime dispositis humiliauerunt me. Huiusmodi autem verbis multiplices inimicorum insidias significat.

Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam. Struxerunt ante me periculum, in quod ipsi inciderunt. Ego etenim euasi illæsus, illi vero periclitati sunt, dum essent in manibus meis.

Paratum cor meum, deus, paratum cor meum. Proruptus sum ego, inquit, pasthac, vt aduersus omnes resistam insurgentes in me tentationes, cum te mihi defensorem habeam. Vel ad laudem tuam paratus sum, aut ad voluntatem tuam perferendam.

Cantabo & psallam in gloria mea. De his verbis psallo & canto iam sæpe alibi diximus. Per gloriam autem suam, propriam intelligit prudentiam, propter quam tantopere apud omnes claruit.

ψαλῶ καὶ τῇ δόξῃ μου

Exurge

Exurge gloria mea. Per gloriam rursus spirituale donum intelligit.

Exurge psalterium, & cithara. Per Psalterium animam, per citharam vero corpus ipsum intelligit, iis nimirum rationibus, quas in tricesimosecundo, quadragesimosecundo, & quadragesimooctauo psalmo tradidimus. Excitat autem seipsum propheta ad dei laudes, vt spiritu, anima, ac corpore, benefactorem suum laudet.

Exurgam diluculo. Cito nimirum.

Confitebor tibi in populis, domine, psallam tibi in gentibus. Confitebor, hoc est, gratias agam. In populis, hoc est, inter Iudæos. Inter Iudæos etenim, atque inter Gentes beatus Dauid gratias semper agit atq; psallit deo.

Quoniam magnificata est usq; ad cœlos misericordia tua, & usq; ad nubes ueritas tua. Eadem ferè habentur in psalmo trigesimoquinto ibi: Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes: vbi vide. Multam autem esse dicit ac sublimem veritatem ac misericordiam dei, ita vt à terra ad nubes & ad ipsum etiam cœlum pertingat.

μὴ διαφθείρῃς

In finem, ne corrumpas, ipsi Dauid, in tituli inscriptionem.

Eiusdem est hic psalmus argumenti, cum superiori psalmo: atque eandem ideo sortitus est inscriptionem.

PSALMVS LVII.

Εὐθείας

Si uere utiq; iustitiam loquimini, recta iudicate filii hominum. Primum quidem ad Saulem, & sodales eius sermonem dirigit, deinde ad omnes alios qui eorum improbitatem æmulantur. Ait igitur: si vere, & quod iustũ est, loquimini, dicẽtes, eam vos ob causam, me persequi, quod vobis prior insidias struxerim, aut grauem aliam offensam intulerim, vos ipsos mihi iudices statuo, vnum tantum est, quod posco, vt vera decernatis iudicia, hoc est, vt rectas pronuncietis sententias, declarantes qua nam in re, me minus æquum noueritis.

Συμπλέκουσι

Etenim in corde iniquitatem operamini in terra, iniustitias manus uestræ complicant. Reticet, quòd nullam queant iniuriæ causam afferre, quasi id subintelligatur, & sermonem suum prosequitur,

prosequitur, dicens: Etenim in corde iniquitatem meditamini, & manus vestræ iniustitiam operantur. Et quod ait, complicant, ex metaphora eorum dixit, qui laqueos tendunt, aut plagas: ob variam nimirum consiliorum calliditatem. Quod vero ait, in terra, dictum est, quia in terra hæc peragunt. nam in inferno & si animorum prauitas omnino non cessabit, ipsa tamen male agendi facultas prorsus aberit.

Alienati sunt peccatores à uulua. Inuehitur in pertinaces ac fixos in peccatis homines, & paucis docet, cuiusmodi essent, & quam passi sunt ruinam. Ab ipsis, inquit, incunabulis alienati sunt à deo: iuxta quod scilicet præscitum erat à deo, illos mox alienandos, ac misere perdendos esse.

Errauerunt ab utero. Ab Ecclesia nimirum. Vteri enim ac muliebrium locorum Ecclesia eis instar est, qui à deo adoptantur, quippe quæ mirifico baptismatis lauacro, in nouos homines eos format. Errauerunt igitur à via mandatorum dei aberrantes ex tunc, non operibus, vt diximus sed præscientia dei. Ita enim alibi apud Hieremiam à deo dici legimus: priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te.

Locuti sunt falsa. Non ab vtero falsa locuti sunt sed simulac ad grandiorem ætatem peruenere.

Furor illis secundum similitudinem serpentis. Aiunt serpentem vbi in aliquem cœperit furere, nunquam iram aut furorem deponere, donec venenum intulerit, aut rabiem mors ademerit. Furor æquè igitur his implacabilis est. Perseuerant enim irati, & dolos perpetuo moliuntur.

Quasi Aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Furoris similitudinem ad ipsam etiam Aspidem transfert. Furor eorum, inquit, quasi furor Aspidis surdæ: non Aspidem dico quæ natura surda sit, sed quæ data opera, atque astu quodam audire renuit, atq; ideo consequenter addidit, atque obturantis aures suas. Deinde tempus enarrat quando maxime obsurdescet.

Quæ non exaudiet uocem incantantium, & uenefici, incantata à sapienti. Per incantantes eos intelligit, quos incantatores seu præstigiatores appellamus, qui carminibus quibusdam, aut præstigiis repentium, ac venatorum animantium furorem cohibent. Suis enim artificiis eorum sæuitiam placant, atque hoc pacto ea venantur, & ad medicorum vsum asser-

φαρμακοῦ τε φαρμακευομένη παρὰ σοφοῦ

uant. Aspis igitur, & illa potissimum quæ Palamnæa appellatur, certis id coniecturis prænoscens, obstruere aures suas solet, atque hoc pacto eorum artes euadere. Ordo autem verborum huiusmodi est. Quæ Aspis non exaudiet vocem incantantium, & non exaudiet vocem venefici, tametsi incantata sit, ac præstigiis illecta à sapienti viro. Sapientem quippe hic ipsum artificem, ac veneficum appellat, veluti illius artis peritum. Commode vero serpentis & Aspidis, exemplum adducit, cum Saul & irasceretur, vt Serpens, & obsurdesceret, velut Aspis, cum blandos ac mellitos beati Dauid sermones sperneret, quibus tanquam suauibus quibusdam atque efficacibus carminibus emollire illum ac delinire contenderat: veluti cum Saulem principem ac regem suum appellabat, se vero seruum, canem mortuum, & prorsus abiectum.

Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum. Per dentes pernitiosas, ac validas eorum vires intelligit, & expositas ad patranda scelera. Et cum dentium meminerit, ipsum etiam os addidit, quo complectendi, atque comprehendendi facultas indicatur.

Molas leonum confregit dominus. In superiori psalmo catulos leonum eos appellauit, in præsenti vero leonum dentes habere illos dicit. Cæterum in hoc versiculo eandem repetit sententiam, quam in præcedenti vidimus: quemadmodum sæpenumero diximus prophetam facere. Nam & molæ, maiores dentes sunt. Potes etiam per dentes intelligere eos tantum hic dici qui cibum conterunt, per molas vero eos, qui interiores sunt, quos etiam molares, aut leoninos appellamus: ita vt per huiusmodi dentium distinctionem, maiores & minores offensiones intelligi possint. Illud etiam considera quomodo aliquando Propheta in futuro tempore dicat, conteret: & aliquando in præterito, confregit. Huiusmodi enim est Prophetarum mos: vt sæpius diximus.

Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens. Aquam hic non fluminis dicit, aut fontis, sed aquam intelligit à quopiam effusam aut fortuito eiectam, ac statim dispersam. Et quod ait, ad nihilum deuenient, seu (vt Græcè vnico verbo dicitur) adnihilabuntur, expone. Pro spernentur, & nihili fient.

Intendet

Intendet arcum suum donec infirmentur. Intendet contra eos deus suam in inferno potentiam, atq; eos percutiet. ἐκτονεῖ

Quasi cæra liquefacta auferentur. Auferentur, inquit, de facili, instar liquantis cæræ. Ita enim meretur immitis ac sæuus eorum animus. Nam simul ac cæra igni admota fuerit, continuo liquescit. ὡσεὶ κηρὸς τακεὶς

Cecidit ignis super eos & non uiderunt solem. Cæræ meminit, modo ignem addit, ignem appellans vltionem à deo illatam. Confestim igitur à conspectu ignis perierunt, ita vt ad sequentē diem nō peruenerint. Per solem enim diē intelligit. ἔπεσε πῦρ ἐπ' αὐτοὺς

Priusquam intelligant spinæ uestræ Rhamnum. Apostrophe vtitur Propheta. Cōuertit enim sermonem suum ad Saulem. Ignis iste, inquit, super vos decidet, priusquam peccata vestra in immensum creuerint. Vt autem clarior fiat sensus quem dicimus, illud animaduerte, quòd scriptura sæpe per spinam, peccatum intelligit. Rhamnum autem Dumorum quoddam genus est. Quod maximis, atque acutissimis refertum est aculeis. Ait igitur, ignis ille, quem diximus, prius irruet, quàm spinæ vestræ, hoc est, peccata vestra, intelligant Rhamnum, id est, priusquam ad summum deueniant cumulum, eo modo quo tenuiores spinæ tandem adauctæ Rhamni speciem gerunt, quod & re ipsa accidit. Nam Saul postmodum non diu vixit. πρὸ τοῦ συνιέναι

Quasi uiuentes, quasi in ira absorbet eos. Ignis ille nimirum, quem diximus. Quasi viuentes autem ideo dixit, quòd ab eo tempore, quo Saul à Phitonissa interitum suum præsenserat, præcognita morte, quasi non viuere videbatur. Et quasi in ira, propter violentum genus mortis. Absorbetur etiam dixit, indicans quàm facile deo esset pro libito illos perdere. ὡσεὶ ζῶντας ὡσεὶ ἐν ὀργῇ ἀπέστειλε

Lætabitur iustus, cum uiderit uindictam. Iustum hic eum appellat, cui in iuria nectuntur insidię. Lætabitur autem, non in lapsu aut ruina prauorum hominum, sed in æquissima dei iustitia, qui iniuriam passos homines non despexit, ne impiis impune peccantibus, infirmorum animi læderentur.

Manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Non lauabit manus intingens eas in sanguine, sed veluti innocens in ipso sanguine, manus suas lauabit. Hunc autem loquendi modum alibi vidimus, in psalmo vigesimoquinto ibi: Lauabo in innocentibus manus meas. Alij dicunt ita intelligi debere,

 quòd

quòd dum peccatoris sanguis effundetur, iustus lauabit manus suas, hoc est, mundabit actiones suas, factus nimirum cautior ex cruciatibus peccatori illatis, lætabiturque, non quod gaudeat eum pœnis affici, sed quia illius exemplo ipse fit prudentior ac securior. Similiter & lauabit manus suas, quia actiones suas mundabit, dum peccator ille occiditur, hoc est, dum punitur.

Et dicet homo, si utique est fructus iusto, utique est deus iudicans eos in terra. Et sapiens, inquit, vir aliquis, eum victorem esse conspiciens, qui antea opprimebatur, huiusmodi argumento iter sibi ad virtutem parabit, si aliquis, inquiens, est fructus iusto, si vlla iusto præmia sunt reposita (clarum est autem quòd vindicta illa, quam deus de iustorum inimicis sumit, loco fructus iustis viris reputatur) necessario & illud dicendum est, Deum esse, qui in hac vita tam iniustos iudicat quàm iustos: vnde huiusmodi rationem considerãs, ardentior fiet ad sectandas virtutes.

In finem ne corrumpas, psalmus ipsi Dauid, in tituli inscriptionẽ, quando misit Saul & custodiuit domum eius ut interficeret eum.

Saul liuore succensus aduersus beatũ Dauid frequentissimas ei tendebat insidias, cum autem una dierũ arreptum Saul iaculum in illum immisisset, declinato ictu euasit beatus Dauid, & in domum suam abiit. Perseuerante autem regis ira, mandatum est, ut diligenti militum custodia illius domus obseruaretur ne scilicet effugeret. Quod cernens Melcho eius uxor & Saulis filia, uiro omnia renunciauit, atque ei per fenestram effugium parauit, quemadmodum in primo Regum libro latius continetur. Cum igitur tunc aufugisset beatus Dauid præsentem psalmum composuit. Et quod psalmo inscripsit, in finem, ne corrumpas, alio modo exponendum est, quam alibi exposuerimus. Iubet enim nos Propheta ad tentationum finem restituere longanimitatemq; ac patientiam non abiicere. Et quod sequitur, ipsi Dauid in tituli inscriptionem, intellige ideo dictum esse, quia elaboratus, atq; compositus fuerit hic psalmus, in perpetuam rerum memoriam, quæ tunc ei contigerunt.

PSAL.

PSALMVS LVIII.

Eripe me de inimicis meis deus, & ab insurgentibus in me, libera me: eripe me ab operantibus iniquitatem, & de uiris sanguinum salua me. Insurgentes illos appellat, qui contra eum impetum fecerant, Saulem scilicet, & eius milites: vel dæmones etiam qui commissorum scelerum erant participes, eosdem etiam appellat operantes iniquitatem, & viros sanguinum, eo quod iniquum sit insidias tendere aduersus innocentem. Sanguinum autem vir ille dicitur, qui in sanguinis effusione lætatur.

Quoniam ecce uenati sunt animam meam. Quoniam, inquit, vt perspicuũ est, omnem adhibuerunt operam, vt me domi incluſum comprehenderent, tametsi tuo adiutus subsidio euaserim. ἐθήρευσαν

Irruerunt in me fortes. Fortes appellat eos ob diuitiarum abundantiam, & militum copias. In his etenim robur, ac vires pugnantium consistere ab omnibus existimatur.

Neque iniquitas mea, neq; peccatum meum. Subintellige in causa est. Neq; enim inique egi, neq; peccaui contra illos, vt causam aliquam haberent, cur in me tantum sæuirent. Quod siquis differre existimet iniquitatem à peccato, per illam grauius delictum, per hoc, leuius erratum intelliget.

Sine iniquitate cucurri, & direxi. Absque peccato cum eis conuersatus sum, atque ideo direxi, hoc est, actiones meas ad virtutem dirigendo me omnibus æquum præbui. Vel sine iniquitate direxi, hoc est, virtute duce recta opera egi. Christo etiã conuenientissime omnia hæc possunt verba aptari. Neq; iniquitas mea, neq; peccatum meum. Sine iniquitate cucurri & direxi, & similiter, quæ sequuntur.

Exurge in occursum meum, & uide. Veni, inquit, & occure mihi fugienti, & vires præsta, & vide quæ nam patiar. Hæc autem dici à Christo, humano more propheta introducit, vt alibi sæpe diximus. Diuinitas enim omnia cernit, & mutari non potest.

Et tu domine uirtutum deus Israel intende ad uisitandas omnes gentes. Virtutes appellat Angelicos ordines. Vel deum virtutum, hoc est, deum potestatum seu potentiarum proeo dixit, quod est, deus potens, vel deus potentiæ largi-

tor. Deinde eum rogat, vt aduentu atque incarnatione sua visitet omnes gentes, quemadmodum futurum esse præuidebat.

Ne miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem. Iis nimirum, qui pertinaces sunt in malo, quales erant Saul & socij, Anna, Caiphas, & dæmones, atq; hæc facito, vt cæteri homines hoc exemplo prudentiores fiant.

ὡς κύων *Conuertentur ad uesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt ciuitatem.* Ad vesperam, hoc est, sero aliquando. Prædicit enim futurum esse tempus, quando Iudæorum aliqui ex dispersione sua reuertentur in Hierusalem, & nullis in ea inuentis cibis, quia ciuitas sub externorum erit imperio, misere esurient: quinimmo nec illic persistere poterunt, sed vt profani, atque ideo reiecti, extra muros ciuitatis iacentes mœrebunt, quod etiam impræsentiarum eis accidere videmus. Canis vero similitudine vsus est, quòd famelicum animal sit, & impudens.

Ecce loquentur in ore suo. Sententiam nimirum ferentes aduersum Christum, veluti cum cruci illum affigi instantissime postulauerunt. Obseruandum vero est, vt prædiximus. quòd dictio, ecce, abundat sæpe, apud Hebræos, atque vt plurimum est superflua.

Et gladius in labiis eorum. Gladium appellat acerbissimum sermonem nefariæ illius sententiæ, quam pauloante prædiximus.

Quoniam quis audiuit? Huiusmodi, inquit, ab eis proferuntur verba, quia eorum iudicio, nullus audiuit, nullus, inquam, qui Christum iniuriis oppressum posset eximere. vnde Symmachus pro, quis, nemo transtulit. Putauit enim, inquit, Christum à nemine adiuuari debere.

Et tu domine deridebis eos. Hoc est simile ei quod alibi legimus in secundo psalmo. Qui habitat in cœlis irridebit eos.

Ad nihilum deduces omnes gentes. Quæ Euangelij prædicationem non suscipiunt, quæ tuis resistunt seruis. Vel per gentes, dæmonum cateruas intelligit.

τὸ κράτος μου πρός σε φυλάξω *Imperium meum ad te seruabo.* Hæc aiunt beatum Dauid dicere de se ipso. Regnum, inquit, quod mortuo Saule, mihi debetur, temere non inuadam, neque ego ideo illũ occidam: quinimmo

quinimmo illud totum tuo relinquam arbitrio. Ita enim hoc in loco, sibi vult verbum: seruabo. Quod vero ait: ad te, dictum est pro, apud te.

Quoniam tu deus adiutor meus es. Quoniam tu, inquit, qui omnia moderaris, auxilio mihi es.

Deus meus, misericordia eius præueniet me. Vide, inquit, quali perfruar deo, qui tam præsto semper mihi est, vt summa sua misericordia meas longe præueniat preces.

Deus meus ostendet mihi in inimicis meis. Subintelligendũ est aliquid: verbi gratia: ostendet mihi quæcunque optauero: vel, quodcunque decens fuerit, vt videám. Huiusmodi figuram loquendi vidimus in psalmo 111.ibi: & in inimicis meis dispexit oculus meus. ἐν τοῖς ἐχθροῖς

Ne occidas eos nequando obliuiscantur legis tuæ. Disperge eos in uirtute tua, & depone eos protector meus domine. Vide miram prophetæ patientiam, quam & nos imitari decet. Rogat enim pro inimicis ne occidantur, ne morte præuenti obliuiscantur mandatorum dei. Nam qui moritur diuinæ legis obliuiscitur: vnde alibi: quoniam non est in morte qui memor sit tui: sed victos ad hoc tantum dispergi, deiici, atque humiliari rogat, vt probiores reddantur: & ipse quidem Dauid ita optabat. Deus autem iustum protulit iudicium, & eos qui insanabiles erant, occidit: alios vero, qui aliquando futurum erat, vt meliores fierent, effugere permisit: atq; hoc pacto supplicanti prophetæ annuit. Et quod ait: depone: dictũ est pro, deprime, atque humilia. τῷ νόμῳ σου

Delictum oris eorũ, sermo labiorum suorum. Rursum ad sermonem redit de Christi interfectoribus, dicens, quòd peccatum oris eorum, fuit impius ille sermo quẽ aduersus Christum protulerunt, dicentes: Crucifigatur, aut siquid aliud eiusmodi est. λόγος

Et comprehendantur in superbia sua. Symmachus transtulit cum superbia sua. Iactabant enim atque inaniter gloriabantur, quòd nepotes essent Habraam, & qui soli diuinam legem haberẽt: à Romanis tamen expugnati pœnas dedere.

Et de execratione & mendacio annunciabuntur in consummatione. Per execrationem nunc blasphemiam intelligit, quam impie in Christum euomuere: mendacium vero illud dicit, quod finxere, attestantes prohibere Christum dari sensum

Cæsari. Palam etenim mandauerat dominus, dicens: reddite, quæ Cæsaris sunt, Cæsari: sensus est igitur, quòd propter blasphemiam & mendacium Iudęi omnibus sermo erunt, & fabula. Neque enim amplius præclara eorũ gesta narrabuntur, sed eorũ destructio, quam hic cõsummationẽ appellauit.

In ira consummationis, & non erunt. Non simpliciter dixit in consummatione, sed in ira consummationis. Et quod ait: non erunt, ideo dictum est: quia deinceps amplius simul cõuersaturi non erant vt antea, neque communem rem publicam habituri.

Et cognoscent quoniam deus dominatur Iacob & finium terræ. Per deum hoc in loco Christum intelligit.

ὡς κύων *Conuertentur ad uesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt ciuitatem.* Prophetiam superius dictam huiusmodi verborum repetitione confirmat.

Ipsi dispergẽtur ad mãducandũ. Ii qui ex eis relicti fuerint, propriam non habentes ciuitatem, dispergentur, & miserorum instar ipsa etiam alimenta mendicabunt.

Quod si saturati non fuerint & murmurabũt. Redarguit eos, quòd maiorum more adhuc murmurent etiam post dispersionis castigationem. Murmurabunt enim, inquit, & tunc contra deum.

Ego autem cantabo uirtutem tuam. Cantabo, id est, canticis laudabo.

Et exultabo mane misericordiam tuam. Exultabo, inquit, in tua misericordia, vel, in tuam misericordiam. Mane autem dixit, pro cito. neque enim sero mei misereberis. Quod vero ait: exultabo misericordiam tuam, promiscua est atque indifferens constructio.

Quoniam factus es adiutor meus, & refugium meum, in die tribulationis meæ. Adiutor meus es, tibi psallam, quoniam deus adiutor meus es, misericordia mea. Hęc omnia per se clara sunt. Gratias enim deo agit vt benefactori.

In finem ĩs qui commutabuntur, in tituli inscriptionẽ, ipsi Dauid in doctrinã, quãdo incendit Mesopotamiã, Syriã, & Syriã Sobal, & cõuertit Ioab, & percussit iuxta uallem salinarum duodecim milia.

In finem quidem, quoniã ad eorum finem respicere iubet prophetа

pheta quæ in psalmo prædicta sunt. Prædicit enim posteris captiuorum Iudæorum reditum ex Babylone, & reædificationem ciuitatis Hierusalem. Quod uero ait: iis, qui commutandi sunt: idem est, ac si diceret: iis, qui ex seruitute ad libertatem redituri sunt. Et in tituli inscriptionem: hoc est, in indelebilem ac perpetuam tanti beneficii memoriam. Et quod ait: ipsi Dauid: authoris nomen indicat, ac si dicat, psalmus elaboratus ipsi Dauid. In doctrinam: hoc est, ut doceat: Gratias nimirum agere, aut pœnitentiam. Et quæ sequuntur, tempus indicant, quando compositus est psalmus. Verum quæ hic de Mesopotamia Syria, & de Syria Sobal, & de ualle Salinarũ dicta sunt, in nulla historia aperte traduntur, nisi fortasse aliqua obscura habeantur in secundo regũ libro: attamen uerisimile est & gesta hæc fuisse omnia, & omissa cum multis aliis. Vallis autem salinarum locus est, sed loci appellatione habitatores loci intelligit: & numerum interemptorum ponit. Magnus uero Basilius uerba illa: iis qui commutabuntur: de christianis intelligit dicta esse, propter immutationem scilicet quæ fit in baptismo, & propter liberationem à dæmonum seruitute. Hanc expositionem ultimo loco tractabimus: in præsentia autem priorem prosequemur iuxta quam psalmum hunc pertinere diximus ad captiuos, qui erant in Babylone.

PSALMVS LIX.

DEus *repulisti nos, & destruxisti nos.* Repulisti, quia te irritauimus: & destruxisti, tradens nos in captiuitatem Babyloniis. Spoliati enim sunt Iudæi tunc regno, & viribus.

Iratus es, & misertus es nobis. Iratus es, quia peccauimus: & interea tamen misertus es nobis, dũ non perdidisti nos simul cum multis aliis, in quos amplius sæuit furor tuus: quinimmo à graui seruitutis iugo liberasti, cupiens hoc pacto meliores nos ac prudentiores fieri.

Conquassasti terram, & conturbasti eam. Per conquassationem, & conturbationem terræ, Iudæorum destructionẽ intelligit: qui in ipsa tunc erant ciuitate: captiuitatẽque ac dispersionem hominum. σωίσεις

Sana contritiones eius, quia cõmota est. Cum terræ conquassationem dixerit, consequenter contritionem, & commotionem addit, quas terræmotus solet efficere. & significare videtur euersionem Hierusalem.

Ostendisti populo tuo dura. Dura: hoc est, laboriosa. Omnia autem

autem ea intelligit, quæ ad obsidionem, ad captiuitatem, & ad seruitutem pertinebant.

Potasti nos uino compunctionis. Per vinum compunctionis, calamitates intelligit: atque angustias, quæ compunctionem afferunt, & pœnitentiam eorum delictorum, ob quæ deum contra se prouocauerant.

Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus. Illi, inquit, qui effugerunt interitum, signum à te quoddam vitæ habebant sibi latenter, veluti seruis tuis insignitum: ob quod, cum hostes manus cõsererẽt circa mœnia, occisi non sunt sed seruati. De hoc signo etiam legitur Ezechiel, quando ait: occidite ad exterminationem, illis autem, quibus est signum in fronte, nolite appropinquare. Per faciem vero arcus, ipsam sagittam intelligit, veluti quæ arcui præeminet: vel circumloquendo, per faciem arcus, ipsum arcum intelligit. Et dum arcum dixit, omne armorum genus significauit, quasi totum à parte.

ὅπως ἂν — *Vt liberentur dilecti tui.* Hæc fuit causa cur signũ datũ sit.

σῶσον τῇ δεξιᾷ σου — *Salua dextera tua, & exaudi me.* Per dexteram, potentiam intelligit. Exaudi etiam me populum tuum in captiuitate constitutum.

Deus locutus est in sancto suo. Superiora quidem ex captiuorum persona dicta sunt, huius autem versiculi verba ab ipso proferuntur propheta: qui seipsum hic sanctũ: hoc est, deo sanctificatum, ac dedicatum appellat. Vel, deus locutus est in sancto suo, pro: deus per sanctum spiritum suum mihi locutus est: & in summa illud affirmat, quòd à deo ea sibi fuerunt reuelata, quæ modo dicturus est. Quæ autem ea sint, audi.

Lætabor. Quod scilicet ij, qui in præsentia captiui sunt, mihi aliquando conciliandi sint.

Et partiar Sicima. Sicima ciuitas est tribus Ephraim. Hãc inquit, ciuitatem, ab inimicis eam occupantibus, liberabo, & partiar eam populo meo ad habitandum.

Et uallem tabernaculorum metiar. Vallis tabernaculorum locus est iacens ante Sicima, quem se deus captiuis mensura pariter diuisurum pollicetur. Et duobus his locis, vniuersam Iudæam significauit, veluti à parte totum.

Meus est Galaad, & meus est Manasses. A minori ad maiorem

iorem ascendit, atque à posteriori ad priorem: quippe cum Galaad progenitorem suum haberet Manassem. Per Manassem vero vniuersam Manasses tribum intelligit: & per alia patriarcharum nomina, alias insigniores tribus, per quas reliquæ etiã cõprehenduntur. Ait igitur, meus nunc est totus populus, tametsi aliquãdo eũ repulerim, quãdo me irritauit.

Et Ephraim fortitudo capitis mei. Per caput hoc loco imperium intelligit: quemadmodũ ipse etiam Symmachus transtulit, & sensus est: quòd potentissima pars regni Iudæorum, in iis consistit militibus, qui sunt de genere Ephraim. Hoc autem pronomine, meus, vendicare sibi videtur deus eorum regnum: tanquam proprius ille sibi sit populus: ex quo maiorem illius etiam fiduciam præstat.

Iudas rex meus. Ex tribu Iuda erit rex populo Israel. Nã & post captiuitatem, Zorobabel qui de tribu Iuda erat, rex constitutus est. Hoc etiam in loco, pronomen, meus, regnum illud proprium quodammodo ipsius dei esse ostendit.

Moab lebes spei meæ. Lebes genus est vasis ad ministeria: per quod indicare videtur: quòd Moabitarum populus sibi subiiciendus esset, & ministraturus. Spei meæ: hoc est, ministraturus iis, qui in me sperauerint, vel iis, in quibus ego spero, quòd mei futuri sint. — λέβης

In Idumæam extendam calciamentum meum. Per calciamentum iter intelligit. Hanc, inquit, Idumęam populo meo pariter subiiciam, cum eo ad bellum simul proficiscens.

Mihi alienigenæ subditi sunt. Moabitæ, & Idumęi, de quibus diximus: & alij circumuicini populi. Et quod ait: subditi sunt: prophetico more dixit, præteritum, pro futuro, tempus ponens.

Quis deducet me in ciuitatem munitionis? Sermo est ex captiuorum persona. Munitionis autem ciuitas dicebatur Hierusalem: quia fortissimis erat mœnibus circundata, & vndique bene munita. Præ summa autem lætitia hæc verba proferre introducuntur, cum antea in captiuitate detinerentur, vnde nulla fugæ spes apparuerat. — περιοχῆς

Quis deducet me usque in Idumæam? Ita vt non tantum in patriam restituamur. Sed proximos etiam circunquaque vicinos populos subiugemus.

Nonne tu deus qui repulisti nos? Per interrogationẽ hoc legendum

gendum est,& simili modo subsequens versiculus. interrogant autem quasi aliunde futuram huiusmodi salutem non expectarent,quam à deo.

Et non egredieris deus in uirtutibus nostris. Huiusmodi verba vidimus in psalmo XLIII. vbi ea exposuimus.

Da nobis auxilium de tribulatione,& uana salus hominis. Hoc in loco superflua est coniunctio illa, &. Symmachus autem ita reddidit: tu da nobis auxilium: vana est enim salus ab homine.

In deo faciemus uirtutem,& ipse ad nihilum deducet omnes tribulantes nos. Faciemus,pro, adipiscemur seu possidebimus. nam ex nobis infirmi sumus. Et hoc pacto quidem primam expositionem exegimus, de captiuis in Babylone tempore regis Zorobabel: aptari autem possunt, vt diximus, huius psalmi verba ipsis etiam fidelibus, qui olim sub dæmonum captiuitate detinebãtur, ita vt ex eorum persona dictum sit: tu deus repulisti nos olim, antequam fidem haberemus: & destruxisti nos permittens bellis,& mutuis cædibus nos perimi, ac multis aliis huiuscemodi malis. Et iratus quidem es quia te creatorem nostrum ignorauimus, & misertus es nostri,cum antea à dæmonibus deciperemur.concussisti autem terram,& conturbasti eam: quando nimirum tu in terra nobiscũ cõuersabaris, & docebas populos.fama etenim operũ, & sermonum tuorum tunc omnes conturbauit, qui erant in terra. Sana igitur afflictiones eorũ,quas ideo sustinent,quòd à recta via declinarunt. Tu ostendisti nobis per euangelium vias duras: arctam illam nimirum viam,& conculcatam. Et potasti nosvino cõpunctionis euãgelico.prædicatio etenim, compunctionis vinum dicitur,quia & lætificat, & ad peccatorum pœnitentiam pariter adducit. Dedisti metuentibus te, significationem illam nimirum quæ per sigillum diuini baptismatis fidelibus omnibus insignitur, & figuram viuificæ crucis: ita vt tanto signo muniti, à maligni dæmonis arcu effugerimus. Et quæ sequuntur simili modo expone. illa etiam verba: deus locutus est in sancto: expone vt iam prædiximus,eo tantum excepto,quòd per deum, Christum intelliges. Similiter &verba illa,exultabo,partibor etiam Sicimam Iudæorum ciuitatem,fideli meo populo Christiano: & vallem tabernaculorum etiam dimetiar. Christiani etenim omnia ea

loca post modum possederũt, & ibidem ecclesias erexerunt. Quod verò ait: meus est Galaad, & meus est Manasses, & quæ sequuntur: ex persona Christi dicta sunt,docentis,se secundum hominem, Iudæorum affinem esse. hac etenim de causa suos eos esse dicit. vel aliter: dic, quòd Christus illos sibi adsumit,suos esse eos dicens, propter fideles, qui ex eis crediderunt. Calciamentũ autem diuinitatis,humana Christi caro erat,quæ ferebat deum,& ad varia accedebat loca,& ad varias gentes etiam alienigenas,subiiciens eos, ac ducens ad fidem. cupiens deinde propheta ea oculis atque ipso sensu cernere,quæ in spiritu viderat: quis, inquit, deducet me in ecclesiam fidelium euangelij legibus bene moderatã, Christique sanguinem,baptismate,cruce,angelis,& doctrina munitam? Quæ ecclesia munitionis ciuitas, seu(vt propius poscit Græca dictio)ciuitas complexus dici potest,eo quòd omnes complectatur virtutes. Et quis deducet me in terram infidelium, vt ex infideli videam fieri fidelem? nonne tu deus, qui repulisti nos? hoc est, qui cognatos ac posteros meos Iudæos, vt Christi interfectores proiecisti. Reliqua ex fidelium persona dicta sunt, exceptis paucis, vt supra diximus. περιοχὴ.

In finem,in hymnis,Psalmus ipsi Dauid.

In finem etiam hic Psalmus nos iubet aspicere,ob prophetias,quæ in eo traduntur: effeturq; ex populi persona, qui captiuus detentus est in Babylone. illorum enim reditum in patriam prædicit. Inhabitabo,inquit,in tabernaculo tuo in secula: atque ideo summa consequentia post superiorem collocatus est. Christiano etiam populo recte accommodatur. In hymnis inscribitur, quia benefactorem deũ laudat,& illius beneficia commemorat. obseruandum uerò est, quòd psalmi,quibus inscriptum est,in hymnis,ipso tantum humano ore canebantur,absque organorum modulatione: illi autem quibus inscribitur: in hymnis,psalmi,una cum musico canebantur instrumento.

PSALMVS LX.



Exaudi deus deprecationem meam, intende orationi meæ. De his verbis,exaudi,& intende,diximus in psalmo XVI.

A finibus terræ ad te clamaui. Per fines terræ iuxta

iuxta historiæ sensum Babylonem intelligit, quæ in vltimis mansuetioris huius regionis nostræ partibus sita est: iuxta Anagogem verò cogitationes terrenas, quæ efficiũt vt procul elongemur à deo.

ἐν τῷ ἀκη διάσαι

Dum tristè esset cor meum in petra exaltasti me. Per petram, fidem intelligit, qua in deum habet: propter illius nimirum soliditatem securitatemque ac sublimitatem. quoties enim, inquit, ob præsentes angustias fatigatus aut contristatus sum, ad summam quãdam à deo mihi immissam spem euehebar, veluti ad solidissimam quandam petram, atque ad tutissimum refugium.

Deduxisti me quia factus es spes mea. Dux mihi olim fuisti ad bona. te enim vnicum salutis meæ authorem futurum sperabam.

Turris fortitudinis à facie inimici. A communi sensu sumendum est, verbum factus est. Turrim autem fortitudinis à facie inimici, dixit, pro: turrim fortem coram inimico, adeo vt illum arcere possit.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula. Iam diximus in his verbis prophetiam contineri de reditu populi ex Babylone, & restitutione in patriam. per tabernaculum autem templum dei intelligit. Et in secula dixit pro perpetuo. verum huiusmodi prophetia propter prauos Iudæorum mores in nos cecidit. Illi enim iamdiu perditi à Romanis in templo amplius non habitant, quod ab ipsis prorsus fundamentis euersum est, sed fidelis ac Christianus populus in templo dei semper, & vbique inhabitat: cum ab eo per totum orbem Christo erecta sint templa in quibus assidue deum colit.

ἐν σκέπῃ

Protegar in protectione alarum tuarum. Simile est quod legimus in psalmo XVI. ibi, & in protectione alarum tuarum proteges me: quæ verba ibi exposuimus.

τὴν εὐχῶν

Quoniam tu deus exaudisti orationes meas. Quando scilicet inuocaui te.

Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum. Per hæreditatem iuxta historiæ sensum, inferiorem hanc Hierusalem intelligit, & supernam, iuxta Anagogen. venite enim, inquit, benedicti patris mei hæreditate paratum vobis regnum.

Dies super dies regis adiicies. Dies, inquit, plurimos adiicies ad dies vitæ regis Zorobabel, propter summum eius in te amorem,

te amorem, & propter illius summam prudentiam. Quæ sequuntur non conueniunt antiquo regi Zorobabel, sed nouo nostro Zorobabel Christo domino secũdum carnem. Nam & Zorobabel Christi tenuit figuram, dum captiuos qui in Babylone erant in patriam adduxit, quemadmodum, & Christus fidelẽ populum, qui sub errore ac fallacia idolorum, ac dæmonum captiuus detinebatur, in cœlum reduxit, vbi nostra erat patria. Superne enim anima nobis omnibus à deo data est.

Annos eius usque ad diem generationis, & generationis. Erunt, inquit, anni eius vsque ad vltimum diem duarum generationum: antiqui nimirum populi & noui, hoc est, ad ipsam vsque consummationem. eo vsque enim hæc atque illa extendetur generatio.

Permanebit in seculum in conspectu dei. Verba hæc superiorem versiculum declarant. ex omnibus autem regibus qui à seculo fuerunt, solus Christus viuit coram deo. nam & si mortuus sit, resurrexit tamen post tres dies, & sedet à dextris dei.

Misericordiam, & ueritatem eius quis exquiret? Quis intelliget? vere nullus. est enim quoddam misericordiæ pelagus. adeo autem veridicus est vt veritas ipsa appelletur. verum de illius misericordia, & veritate dictum est, in psalmo LVI.

Sic psallam nomini tuo in secula. Psallens tibi, inquit, vt nunc facio, in perpetuum te laudabo.

Vt reddam uota mea de die in diem. Hoc est, vt successiuis diebus adimpleam quæ pollicitus sum. promiserat autẽ beatus Dauid sæpe in præcedentibus psalmis. se perpetuo deum laudaturum esse.

In finem pro Idithum psalmus ipsi Dauid.

In finem inscribitur propter finem prophetiæ, quæ in eo continetur. Machabæorum enim pugnam prædicit, quam pro religione susceperunt. & quod ait: pro Idithum, idem sibi uult ac si dixisset, ad Idithũ. ab eo enim decãtatus est hic psalmus. Erat autẽ Idithũ princeps chori, ut in procœmio operis prædiximus. Exhortatur etiam nos propheta hoc psalmo ad patientiã atq; ad spem in deo collocandam.

PSALMVS. LXI.

Nonne deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Verba hæc proferuntur ex persona cœtus Machabeorum, aduersus inimicos tyrannos conantes auertere eos à lege dei atque à moribus patriis. Et iis omnibus in super accommodari possunt, qui imitati fuerint illorum pro virtute cõstantiam. per interrogationem vero proferenda sunt. Nonne, inquiunt, deo potius obtemperabimus, iubenti non recedẽdum esse ab eius legibus? certe obtemperabimus. ab illo enim vniuersa pendet nostra salus.

ὀυ μὴ σαλευθῷ ἐπὶ πλεῖον

Etenim ipse deus meus, saluator meus, & adiutor meus, non fluctuabo amplius. Amodo, inquit, non timebo, tametsi antequã in huiusmodi calamitates inciderẽ, humano more timuerim. fluctuationem enim hic timorem appellauit.

φραγμῷ ὠσμένῳ

Quousque irruitis in hominem? interficitis omnes uos tanquam parieti inclinato, & maceriæ impulsæ? Quousque, inquit, in infirmum hominem eo modo impetum facitis, quo irruit quis in parietem ad ruinam vergẽtem, aut in maceriam concussam? in hæc etenim irruere solemus, vt prorsus euertãtur. Et quod ait, quousque, illos indicat persæpe irruisse. deinde iis, quæ in medio dicta sunt, per parenthesim à communi sensu addenda est dictio, quousque, vt huiusmodi efficiatur sentẽtia: quousque vos omnes interficitis, quousq; sanguini, ac cædibus vacatis? propriam vero infirmitatem fatentur, parieti inclinato & depulsæ maceriæ se comparantes: quia in deũ peccauerant: & idcirco multa mala passi fuerant.

τιμὴν

Verum tamẽ honorem meum cogitauerunt repellere. Inimici mei, inquit, meditati sunt vt à me abiicerent seruitutem quã in deum habeo, & illa me potissimum re studebant spoliare quæ summo mihi honori est, & gloriæ. Nam si sermo honori est, vt regi deseruiat, quanto magis siquis seruiat deo?

Cucurrerunt in siti. Non simpliciter, inquit, me aggressi sunt, sed summo cum desyderio festinarũt. Desyderiũ enim sitim appellauit. omni autem artificio Antiochus, & ministri eius machinati sunt, vt Machabæis persuaderet deum suum contemnere quemadmodũ in historia tradit Iosephus, quam de Machabæis conscripsit.

Ore suo benedicebãt, & corde suo maledicebant. Proprio ore adulantes

adulantes me laudabant, corde vero contemnebant, quod alteram fidem sectarer: & palam quidem consilium suũ mihi impertiri videbantur, & mecum eadem sentire, secreto tamẽ veluti inimicissimi fallacias componebant.

Verumtamẽ deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patiẽtia mea. Ab ipso est patientia, quia inter calamitates mihi constantiam præstat. Hæc autem mutuo inter se cõsilia agitabant, ad maiorem se magnanimitatẽ alter alterũ excitãtes.

Quoniam ipse est deus meus, & saluator meus, & adiutor meus, non recedam. A seruitute, inquit, dei ad Antiochi iugum nunquam desciuero.

μὴ μετανασεύσω

In deo salutare meum & gloria mea. In deo, inquit, situm est, quòd ego salutẽ & gloriam consequar, & nõ in hominibus. vel, in deo habeo salutem & gloriã, & nulla alia in re.

Deus auxilii mei. O deus adiutor meus. vocant enim eum sæpius præ summa voluptate, quam ex sermonibus de eo habitis consequebantur.

Et spes mea in deo est. Eandem ob summam lætitiam sententiam repetunt, palam ac libere spem in deo suã profitẽtes: alios præterea ad sui æmulationem excitantes, addunt.

Sperate in eo omnis congregatio populorum, effundite coram illo corda uestra, quoniam deus adiutor uidetur. Per corda hoc in loco, preces, atque obseruationes intelligit: vnde alibi ait, Effundam coram eo orationem meam. syncera etenim supplicatio de medio solet cordis proficisci. effundi autem dicuntur preces, eo quòd sermo effluere quodammodo videtur ab ore. vel aliter: educite atq; euacuate coram eo occultos cordis vestri affectus, synceram agentes confessionem.

Verumtamen uani filii hominum. Dictio verumtamen superius quidem superflua iacet, sed hoc in loco idem significat, quod vere. Cum enim admonuerit propheta, vniuersum humanũ genus quid facto opus sit: & deinde intellexerit prauos homines sibi obtẽperaturos non esse, sententiam aduersus eos profert, dicens: quòd vere vani sunt filij hominum, veluti, qui in vanissimis rebus peruerse operantur. vanum autem est quod inutile est, & infructuosum.

τοῦ ἀδικῆσαι

Mendaces filii hominum in stateris, ut iniuste agant. Mendaces sunt in eorum iudiciis. per stateras enim iudicia ipsa intelligit. Corrupta est in eis, inquit, iudicij sedes. instabilia et-

enim eligunt pro ſtabilibus,& mala pro bonis : & adeo mendaces ſunt,vt ſeipſos in primis iniuria afficiant,dum virtutibus ſe priuant.ſermo autem hic prauos omnes in vniuerſum tangit: ſed præcipue Antiochum & ſocios, qui ob auaritiam Iudæis iniuriam inferebant.

ἐκ

Ipſi ex uanitate in idipſum. Ex vanitate,inquit,hoc eſt, ob vanitatem ipſi eadem ſentiunt,vt iniuriam inferant.in idipſum enim omnes feruntur,eadem ducti vanitate.

Nolite ſperare in iniuſtitia & in rapinas nolite concupiſcere. Admonet beatus Dauid omnes homines in vniuerſum, & diuitias iniuſtitiam appellat, eo quòd vt plurimum ex iniuſtitia proueniant.quod vero ait:& in rapinas:præpoſitio,in,eſt ſuperflua,vt ſenſus ſit: rapinas ne concupiſcatis.

ἐὰν ῥέῃ

Diuitiæ ſi fluant nolite cor apponere. Si diuitiæ, inquit, ab his ab illos transferantur,vt perſæpe accidit,cum inſtabilem & fluxam habeant naturam: vel ſi ab aliis fluant in vos,nolite vllo modo affigere eis cor veſtrum,vt ſtudioſe eis incumbatis.Quædã vero exẽplaria habent, nolite corde apponi,ac ſi dicat nolite ex toto corde,atq; animo eis prorſus inhærere.

καὶ σοῦ κύριε τὸ ἔλεος

Semel locutus eſt deus,duo hæc audiui,quòd poteſtas dei eſt, & tua domine miſericordia. Verba hæc nõnulli de dei ſententia dicta eſſe intellexerunt,& ſenſum eſſe: quòd ſimul cum minatoria dei ſententia vna ſemper auditur illius comminationis ſolutio.hac etenim ratiõe deus cõminatur, vt commutato delinquentium propoſito,nullus minis amplius relinquatur locus.Poteſt autem qui ſemel loquitur plura eodem ſermone proferre,& ſermonis ſeries plura continere. quo circa duo hæc,quę ſe audiſſe aſſerit propheta, ad eundem debẽt ſermonẽ referri,quem ſemel, hoc eſt, vna quadam vice deus locutus eſt: tametſi hæc dictio ſemel hoc in loco melius exponi poſſit,pro conſtanter. Deus,inquit,conſtantiſſime mihi per ſanctum ſpiritum locutus eſt. quæ nam autẽ ſint, duo hęc,poſtmodum declarat dicens:quòd ſolus deus potens eſt, & quòd ſolus miſericors : quo ſermone hoc indicare nobis voluit propheta: quòd deus potens eſt, qui inimicos noſtros repellat,& qui noſtri miſereatur,& docent pariter, quòd veluti potentem eum timere debemus,& ad eum confugere tãquam ad miſericordem. intelligere etiam poſſumus ſimpliciter, deum duo hæc locutum eſſe ad Moyſem. huiuſmodi enim

enim ſententiam ſepenumero ab eo Moyſi dictam legimus, vt eam populo annunciaret.

Quoniam tu reddes unicuique ſecundum opera ſua. Tu enim futuro iudicio condigna vnicuique pro operibus retribues, ſiue bona ea fuerint,ſeu mala.

Pſalmus ipſi Dauid cum eſſet in deſerto Iudææ.

Fugiens Saulem beatus Dauid,occupauit deſertum quod ſiccitatis dicitur,ſeu ſqualloris, ubi hunc pſalmum compoſuit:quo & ſummũ omnibus amorem declarauit,quem erga deum habebat, & perſecutorũ ſuorum pariter ruinam prædixit,docens: quòd nobis hoc pacto in deſerto ac ſterilitate uoluptatum erga deum affectis,deſtruentur ac fugabuntur ſimiliter tam inuiſibiles quàm uiſibiles inimici. Quædã uero exẽplaria habent in deſerto Idumææ. ueriſimile eſt autẽ deſertũ illud antea Idumææ regionis fuiſſe,& deinde Iudææ partem effectum eſſe.

PSALMVS. LXII.

ὀρθρίζω

DEus deus meus ad te de mane ſurgo. Ad te,inquit, tempeſtiuus feſtino, qui & diluculum & mane diei diceris.experrectus enim à ſomno ſtatim cogitationibus meis tibi adſum, conuerſationemque hanc & ſermonem,quem tecum habeo,quibuſcunque aliis rebus & negotiis præpono,& pro totius diei primitiis tibi offero.

σε

Sitiuit te anima mea. Per ſitim, dilectionis vehementiam ſignificat,de qua dictũ eſt in pſal. XLI.in tertio verſiculo.

Quàm multipliciter tibi caro mea. Pro quàm multipliciter, Theodotion tranſtulit,quàm ſæpiſſime,hoc eſt, aſſidue.tibi, inquit,aſſidue intentus,in tui dilectionem feror. per carnem enim ſuam,& per animam ſuam, circunloquendo ſe ipſum paſſim intelligit.dictio autem,quàm multipliciter,immenſitatem demonſtrat dilectionis.

In terra deſerta,& inuia, & inaquoſa. In hoc,inquit, deſerto,vbi nũc moror,ita me gero,vt locꝰ qui alioqui oñi ,prſus vacat ſolatio,meũ erga te deſyderiũ minime imminuat.

Sic in ſancto apparui tibi. Hoc pacto diſpoſitus apparui tibi in tabernaculo cum,vt lex mandat, colerem te.per ſanctum enĩ ipſum intelligit tabernaculũ,& ſenſus eſt.ꝙ tũc in tabernaculo,& nunc in deſerto, æqualem erga deum affectionem

& beneuolentiam conseruauit.

Vt uiderem uirtutem tuam & gloriam tuam. Hoc autem facio vt virtutem ac potentiam tuam videam aduersus inimicos meos, quos à te fugandos spero, & similiter vt videam gloriam tuam, dum omnes te glorificant, quòd adiuues sperantes in te.

Quoniam melior est misericordia tua super uitas. Vitas deliciis deditas dicit & voluptatibus. præstat, inquit, vt in deserto tuam consequar misericordiam, quàm si in deliciis ac voluptatibus humanis degam.

Labia mea laudabunt te. Et ideo, inquit, ego te laudabo.

Sic benedicam te in uita mea. Sic, vt nũc facio, syncere nimirum, atque ex tota anima.

In nomine tuo leuabo manus meas. Ad te vnum, inquit, manus meas extendam. vel, inuocato tuo nomine, eas extẽdam, & nullum aliud poscam auxilium.

Quasi adipe & pinguedine repleatur anima mea. Eo pacto, quo adipe quis repletur & pinguedine, eodem opto, vt anima mea, tua repleatur misericordia. de ea etenim sermo erat.

Et labiis exultationis laudabit os meum. Et de cætero, inquit, exultantibus labiis te laudabo.

ἐμνημόνευον ἐμελέτων *Si memor eram tui super stratum meum, in matutinis meditabar in te.* Si memor tui sum cubans in lecto, in matutinis etiam meditor in te, hoc est, inuenior cogitare de te, & sensus est, quòd memor dei erat & cum somnum caperet, & rursus cum expergefieret, ita vt somn⁹ dei memoriã minime intercideret. optimũ est igitur, vt qui somnum vult capere, cũ dei memoria id faciat, quæ prauas ac turpes solet imaginationes auertere. immutatũ est autem tempus verborũ, memor eram, & meditabar, pro memor sum, & meditor.

Quoniam fuisti adiutor meus. Hoc autem facio, quia te vnũ adiutorem habeo, & deinceps aliud mihi opus nõ est, quàm vt tui memor sim. cætera enim omnia & superflua reputo & inutilia.

σκέπῃ *Et in protectione alarum tuarum exultabo.* De alarum protectione diximus in psalmo XVI.

Adhæsit anima mea post te. Desyderij nimirum vinculo adeo alligata, vt à tui memoria diuelli nusquam possit.

ἀντελάβετο *Me autem adiuuit dextera tua.* Ex hoc loco prædicere incipit, au-

cipit, auxilium sibi à deo prestitum, Saulisque, ac cęterorum inimicorum interitum.

Ipsi uero in uanum quæsiuerunt animam meam. Cùm auxilio mihi sit deus.

Introibunt in inferiora gladii. Mortui etenim descendent in infernum.

Tradentur in manus gladii. Dixit eos interituros nunc, & mortis genus narrat. gladium autem metaphorice manus habere finxit, vt illius ictũ ineuitabilẽ esse indicaret, veluti qui quasi manu quadam illos apprehensurus, atq; adacturus sit.

Partes Vulpium erunt. Vbi, inquit, occisi fuerint, Vulpes sibi in cibum, eorum diuident cadauera. vel, ideo partes vulpium futuros dicit, quia non à fortibus & generosis occidẽdi essent inimicis, sed à pusillis quibusdam, imbecillibusque atque dolosis, quales esse vulpes nouimus. ab huiusmodi itaque, inquit, inimicis dilaniabuntur: & Palæstinos mihi videtur populos subsignare, à quibus Saul cum filiis, atque exercitu trucidatus est.

Rex uero lætabitur in deo. Seipsum regem appellat, veluti diuina sententia iam vnctum in regem. lætabitur autem non in eorum morte, quemadmodum postea re ipsa declarauit, lugens ac plangens: sed lætabitur in deo. qui liberauit diligentes se. per regem etiam hoc in loco quemlibet intelligere potes, qui affectibus, ac passionibus propriis dominatur: iuxta quem sensum expone sequentem versiculum: quòd illi etiam laudandi sunt, qui iurauerint in deo, id est, qui vitam deo pollicentur virtute pręditam, & qui quod polliciti sunt, operibus confirmant.

Laudabuntur omnes, qui iurant in eo. Olim mos fuit vt iurarent per reges, veluti per salutem, aut caput regis. Viuente igitur Saule periculum ei fuisset, qui per Dauid regis salutem iurasset. Mortuo, inquit, Saule ille laudabitur vt amicus & beneuolus, qui per Dauid regis salutem iurauerit.

Quoniam obstructum est os loquentium iniusta. Morte nimirum obstructum est os hominum loquentium iniusta aduersus ipsum Dauid, cum calumniarentur, eique detraherent, atque inuicem de illius morte tractarent. Et hęc quidem expositio ad visibiles inimicos pertinet. Cæterum de inuisibilibus simili modo exponi potest: verum quòd hic legimus:

 introibũt

introibunt in inferiora terræ, tunc expone, hoc est, in ipsum Tartarum. quia (vt dicit Apostolus Petrus) missos illos deus tradidit in Tartarum ad iudicium. Tartarum vero sub terra esse dicunt. Gladium etiam tunc expones, pro supplicio.

In finem psalmus ipsi Dauid.

Hic psalmus eandem, quam præcedens tractat materiam. easdem enim beatus Dauid inimicorum insidias carpit, & ab eis se liberandum prædicit. Atque ideo etiam in finem inscribitur.

PSALMVS LXIII.

Exaudi deus uocem meam, dum oro ad te, à timore inimici eripe animam meam, protege me à conuentu malignantium, à multitudine operantiũ iniustitiam. Per conuentum, congregationem, atq; ordinẽ militum intelligit: Cætera vero per se clara sunt.

Quoniam exacuerunt, ut gladios, linguas suas. Vt de facili nimirum calumniari possent, & contexere insidias. & similia videntur hęc verba iis, quæ vidimus in psalmo LVII. lingua eorum gladius acutus.

Intenderunt arcum suum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. Immaculatum dixit, pro innocentem, & seipsum intelligit. ordo autem fit per hyperbaton, hoc modo, parauerunt arcum suum, vt latenter sagittarent innocentem hominem, & amaram rem, hoc est, grauem ac molestam esse ait, quòd huiusmodi vsi sint apparatu. appositiue enim id dictum est, & per parenthesim. graue etenim est, & dolosi cuiuspiam opus, vt in occulto sagittis quempiam impetat, qui sibi nihil cauet. per arcum vero linguam intelligit, quam & gladium appellauit, veluti quæ proximum adeo lædit, vt penè interimat, & arcum similiter, quia de longe ferit. in aperto etenim laudabant eum inimici, ac benedicebant, clam vero, ac latenter mala conspirabant.

Subito sagittabunt eum, & non timebunt. Statim, inquit, nec præcauentem eum sagittabunt, nullam, aut dei iram, aut humani iuris legem timentes.

ἐκραταίω σαν *Stabiliuerunt sibi sermonem prauum.* Prauum insidiarũ consilium sequi decreuerunt, vt omnino perficiendum.

Narrauerunt ut absconderent laqueos. Symmachus reddidit, con-

dit, consuluerunt. Consuluerunt etenim, vt laqueos absconderent & plagas, dum collocarent insidias.

Dixerunt: quis uidebit eos? Quis vltor nimirum, aut vindex illius erit, quem occidere conantur? ac si dicant, nullus huiusmodi vindex eos videbit.

Scrutati sunt iniquitatem. Perquisiuerunt iniquitatem, vt ea vterentur.

Defecerunt scrutantes scrutinia. Hoc est, defatigati sunt, quærentes dolosas artes. ἐξερευνῶντες ἐξερευνήσεις καὶ καρδία

Accedet homo, & cor profundum, & exaltabitur deus. Ad prauos istos talia molientes accedet homo aliquis, illorum prauitati, aduersum me inseruiturus, & homo iste, erit cor profundum, hoc est, magni ac profundi consilij & vergentis ad malum. Nam & profunda inueniuntur ad malum consilia. Cum vero apparuerit huiusmodi hominem consilium suum non posse perficere, tunc magnificabitur deus, qui cõprehendit sapientes in astutia eorum, qui inefficaces fuisse ostendet eorum insidias. Verisimile est autem aliquos fuisse qui vt inimicis gratificarentur accesserint, & operam suam aduersus iustum polliciti sint.

Sagittæ paruulorum, facta sunt uerbera eorum. Inefficaces nimirum. Huiusmodi enim sunt paruulorum ictus. Vel etiã, propter percutientium infirmitatem. Per verbera autem hic, afflictiones intellige.

Et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. Per linguas, ipsas intelligit calumnias, & conspirationes, quæ per linguam contexuntur. Hæc etenim sunt linguæ opera. Infirmatæ igitur sunt linguæ eorum in eis: nequeuntes scilicet aliquid amplius facere.

Turbati sunt omnes qui uidebant eos. Ij, inquit, qui tales ac tantos homines conatibus suis omnibus frustratos viderunt, non mediocriter perturbati sunt.

Et timuit omnis homo. Omnis homo qui eos viderat, in se ipso conterritus est, cognoscens ꝙ deus eorum omnium vindex esset, qui iniuria opprimerentur.

Et annunciauerunt opera dei. Et alij miracula omnia annunciauerunt, quæ propter me deus operatus est.

Et facta eius intellexerunt. Et cognouerunt qualia faciat dominus adiuuans seruos suos. Futura autem dixit, vt iam

facta lege scilicet prophetiæ.

Lætabitur iustus in domino, & sperabit in eo. Lætabitur & sperabit, vbi magnum dei studium in me viderit.

Et laudabuntur omnes recti corde. Ii, inquit, qui obliquum nihil, aut tortuosum ferunt in corde, qualis erat beatus Dauid, ab omnibus semper laudabuntur, veluti eis deus præsto semper futurus sit. Quàm bonus enim, inquit, deus Israel iis, qui recto sunt corde? Quidam ea verba, accedet homo, intelligunt dicta esse de Iuda, qui cum deprauato esset animo, ad Christi aduersarios profectus est, & pollicitus, se illum eis traditurum esse. Verum Christus ex eo magis magnificatus atque exaltatus est. Multa siquidem & summa admiratione digna, miracula tam moriens, quàm resurgens, operatus est, quæ illius gloriam prædicant. Nam quòd supplicia sustinuerit, eius gloria non minuitur, cum & diuinitas ipsa minime læsa sit, & humanitatis excellentia ac nomen eius tolli ideò non potuerit, vt putarant. Hæc autem omnia cum cernerent Gentiles, & insuper ipsos Christi crucifixores tradi viderent Romanis in interitum, turbati sunt, & timuerunt Christum dominum, ob quem Iudæorum genus tantis affectum est suppliciis. Et iuxta hunc sensum per iustos, fideles omnes ex Gentibus intelliges, qui per fidem iustificati sunt, qui etiam vt recti corde, lætabuntur in Christo, eo quòd in corde suo nunquam à recta illa fide declinauerunt, quam semel professi sunt.

In finem psalmus Cantici ipsi Dauid.

In finem etiam inscribitur hic psalmus, quia captiuorum reditum prædicit, qui in Babylone erant, ex quorum persona fuit à Prophetа conscriptus. Futuram etiam Gentilium religionem, ac fidem interserit, quæ omnia ad finem suum tendebant. Quid autem sit psalmus Cantici in proœmio operis dictum est.

PSALMVS LXIIII.

TE *decet hymnus deus in Sion.* Illic etenim te coli debere mandasti.

Et tibi reddetur uotum in Hierusalem. Vide prophetiam de reditu. Iuxta Anagogen per Sion & per Hierusalem, vniuersalis fidelium Ecclesia intelligitur,

intelligitur, & templa etiam, quæ priuatim erecta sunt in variis mundi partibus.

Exaudi orationem meam. Orationem de his rebus, pro quibus semper ad te preces fundo.

Ad te omnis caro ueniet. Prophetia hic traditur de salute Gentium: per carnem etenim ipsas gentes intelligit, vt totum à parte: vel quia olim viuebant carnaliter. Vel fortassis sermo est de vniuersali corporum resurrectione.

Verba iniquorum præualuerunt super nos. Blasphemiæ inimicorum quas aduersum nos atq; aduersus ipsum deum fundunt, præualuerunt super nos, hoc est, oppresserunt nos, cum non auderemus contradicere, veluti serui effecti. Et quia in Græco, pro verbo, præualuerunt, legimus, ὑπερδυνάμωσαν. potest id verbum aliter exponi, vt sensum etiam contrarium faciat, & sententia sit, quòd verba iniquorum valde fortes nos reddiderunt, ita vt fidutiam præstiterint, quòd deus huiusmodi iniurias, inultas non dimittet. Quædam autem exemplaria habent, verba iniquorum valde infirmos nos reddiderunt. ὑπερδυνάμωσαν

Et impietatibus nostris tu propitiaberis. Tu, inquit, iis ignosces peccatis, propter quæ nos effecti sumus captiui, vnde etiam liberabis nos.

Beatus quem elegisti & assumpsisti, habitabit in Aulis tuis. Beatus, inquit, Iudæorum populus, qui ex omnibus gentibus à te electus est, & tuus populus appellatur. Ex captiuitate etenim reuocatus, rursum cum honore habitabit in Hierusalem, quã Aulas dei esse dixit, propter celeberrimum templum, quod in ea deo dicatum erat. Iuxta Anagogen vero, de nouo loquitur populo, quem dominus ex Gentibus sibi in hæreditatem elegit, & per Aulas, Ecclesias intelligit, quę vbiq; locorum Christo erectæ sunt. Intelligi etiam possunt hęc verba, vt vnicuiq; aptentur fideli, qui pie ac religiose viuat, qui electus dicetur, & assumptus ad cœlestem Hierusalem, vbi Aulæ dei sunt mansiones iustorum. αὐλαῖς

Replebimur in bonis domus tuæ. Per domum dei & inferiorem hanc, & supernam Hierusalem intellige, & templa, quæ vbique locorum sunt. Bona autem domus dei, sacra sunt dogmata, ac cætera spiritualia ac tẽporalia bona, quibus frui ac delectari deus hominibus tribuit. His autem bonis replendum

dum etiam populum Propheta asserit, simulac ab inimicorum seruitute fuerit liberatus.

Ἐν δικαιοσύνῃ

Sanctum est templum tuum, mirabile in iustitia. Per templum similiter & illud intellige, quod est in inferiori Hierusalem, & quod in superna, & alia etiam templa quæ variis mundi locis sunt Christo dicata. Sanctum autem templum appellat, quòd illius esse dicitur, qui sanctus est, & quia plenum est sanctimonia. Et mirabile in iustitia, propter iustos viros, qui in eo versantur. Vel templum dei esse intelligit, viros omnes virtute præditos, qui habitaculum dei merito dici possunt, & sancti quidem sunt, ob vitæ munditiam, mirabiles vero ob summam integritatem, ac summam iustitiam.

Ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ ἡ ἐλπὶς πάντων τῶν ἐν θαλάσσῃ

Exaudi nos deus saluator noster, spes omnium finium terræ, & eorum qui in mari sunt procul. Est & hæc prophetia de gentibus, quæ crediderunt. Exaudi, inquit, tu nos, qui in posterum futurus es omnium spes. Fines autem terræ, homines appellat qui terræ fines incolunt. Per eos vero quos in mari procul esse dicit, insulanos intelligit. Dictio autem procul, distantiam seu interuallum à terra denotat. Disiunctæ enim sunt insulæ à terra continenti.

Præparans montes in fortitudine sua. De diuina nunc pertractat potentia, collaudans eam, atque extollens. Quod vero ait: præparans, Symmachus dixit, stabiliens. Subintelligitur autem substantiuum verbum, est. Deus, inquit, ille est, qui stabiles reddit montes, ita vt nullis, tametsi validissimis, ventorum flatibus dimoueri possint, aut fluctuare.

δυνάστης

Accinctus in potentatu. Zonæ instar, inquit, circundatus es, in potentatu, hoc est, in immensa potentia, tam in iis, quæ ad creatas res pertinent, q̃ ad quæcunque alia. Alibi etiam huiusmodi ferè vtitur sermone, cum dicit, indutus est dominus fortitudinem & præcinxit se.

Qui conturbas profundum maris. Maris profundum ita conturbat, vt arena, quæ illic iacet sursum feratur, tanta perturbatione commota. Illud igitur ex huiusmodi prophetæ nostri verbis considerandum est, q̃ venti nulla propria virtute sed mandato dei, mare atq; alia elementa conturbant.

τὶς ὑποστήσεται

Sonos fluctuum eius quis sustinebit? Cum graues videlicet sint, terribiléq; & ferri nequeant.

Turbabuntur gentes. Propter nouum atque insuetum prædicationis

dicationis genus, quo maiorum religio & antiqua patriæ consuetudo destruetur, atque in aliam immutabitur.

Et timebũt qui habitant fines à signis tuis. Ii, inquit, qui extremos terræ fines incolunt, timebunt præ multitudine miraculorum, quæ passim in tuo fient nomine. Quòd si ij timebunt, qui extremas orbis partes habitant, quanto illi magis, qui in medio eius versantur? & nos quidem hęc de admirandis Christi operibus prædicta fuisse affirmamus: Hebræi vero de iis, quæ à Moyse gesta sunt, verum reprobantur, atque conuincuntur ex sequentibus. πόρατα

Exitus matutini & uesperæ delectabis. Populum, inquit, tuum delectabis, tam in exitu matutini temporis, quando & mane dici dicitur & dies progredi incipit, quàm etiam in exitu vesperę, hoc est, in ipso vespere. Prædicitur autem hoc sermone, quòd delectabuntur tam in principio quàm in fine diei. Delectabuntur autem in diuinis laudibus, atque in sacris canticis. Aliqui, per exitus matutini, & per exitus vesperæ, orientales atque occidentales terræ partes intelligunt. In altera enim parte mane oriri videtur, in altera prodire nox. Incarnatione atque conuersatione tua, inquit, tam eos delectatione afficies, qui orientem habitant, quàm eos qui occidentem. Quæ sequuntur primo iuxta historiæ sensum exponemus, deinde iuxta Anagogen.

Visitasti terram & inebriasti eam. Post reditum, inquit, è Babylone, tu regionis Iudææ curam suscepisti, quæ iam pene exaruerat. Aqua etenim & pluuia eam inebriasti.

Multiplicasti locupletare eam. Multiplicasti pluuiã, vt vberiorem eam redderes frugum copia.

Flumen dei impletum est aquis. Iordanis etenim inundauit, quod celeberrimum est Iudææ flumen.

Parasti cibum eorum, quoniam ita est præparatio. Cibum eis, inquit, præparasti, qui è Babylone reuersi sunt. Hoc pacto etenim fit præparatio, terra nimirum antea à te per pluuiam inebriata.

Sulcos eius inebria, multiplica germina eius. Cum terræ feracitatem prædixerit, eam postmodum fieri rogat. τὰς αὔλακας αὐτῆς μίβυσον. γενήματα

In guttis suis lætabitur germinans. Lætabitur, inquit, terra in guttis suis, hoc est, in iis aquis quæ propter eam mittuntur. Ob rorem quippe qui super eam cadet, multam herbam germinabit.

germinabit. Quòd autem ait, lætetur terra: metaphorice dictum est.

ἐν τοῖς γαγόσι χρησότητος

Benedices coronæ anni bonitatis tuæ. Sanctificabis, inquit, totum illius anni circulum, illius anni dico, qui à tua nobis donandus est bonitate.

Et campi tui implebuntur ubertate. Vbertate, hoc est, fructuũ abundantia.

Pinguescent speciosa deserti. Per desertum hoc in loco ipsam intelligit Hierosolymam, à Babyloniis in desertum ac solitudinem redactam. Per speciosa vero deserti, eas regionis partes quæ omnibus anni temporibus aptiores, atque elegãtiores sunt: hoc est, quæ sunt magis fructiferæ. Vel quia græca dictio ὡραῖα non tantum speciosa significat, sed tempestiua, dic, quòd per tempestiua deserti, fructus ipsos intelligit veluti tempestiue ad maturitatem perductos.

Et exultatione colles accigentur. Metaphoricus etiam sermo est: & est sensus, quòd ex omni latere vniuersi homines passim exultabunt. Et quia campos & speciosa deserti dixerat, nunc addit & colles, & paulo post vlterius progrediens, ipsas etiam valles addet.

Induti sunt arietes ouium. Induti nimirum lanarum copia, quæ de pascuorum prouenit pinguedine. Per arietes vero, omnifariam greges significauit.

Et ualles abundabunt frumento. Hoc per se clarum est.

Clamabunt, etenim hymnum dicent. Quod reliquum est, inquit, ij, qui & libertate, & tanta à te frugum copia donati fuerint, ex intimo corde tibi gratias agentes, clamabunt, laudabuntque te, veluti saluatorem ac benefactorem suum. Abundat enim hoc in loco, dictio, enim. Verum hæc iuxta historiæ sensum dicta sunt: iuxta anagogen vero omnia hęc prophetiam continent de prædicatione euangelica. Illa etiam verba: visitasti terram: possunt ad vnigeniti personam referri, qui vniuersam terram, & omnes gentes in ea habitantes visitauit, & de quo dictum est: quòd visitauit nos oriens ex alto: qui etiam inebriauit terram vino illo compunctionis, de quo in sexto versiculo diximus psalmi LVIIII. sensum tradentes anagogicum. Multiplicauit præterea irrigationem euangelicam, vt terram illam, quam diximus, virtutum fructibus fœcundaret. Flumen autem dei, saluator noster est Iesus,

Iesus, & aquę fluminis, multiplices sunt eius doctrinæ. Fluminis enim, inquit, impetus lætificat ciuitatem dei, quemadmodũ in XLV. psalmo declarauim⁹. Ab hoc flumine, riuuli quidam defluxerũt, sancti nimirum apostoli, qui vniuersam postmodum terram irrigarunt. Tu etiam præparasti, inquit, rationalem cibum, sacris ac diuinis dogmatibus tuis confectum, & tradidisti eum apostolis, modum nimirum ac rationem docens, quibus esuriẽtes pascere animas oporteret: quoniam veri cibi prępparatio huiusmodi est, vt eo nimirum modo conficiatur, quo tu præparasti & non aliter. Per sulcos etiam illius terræ, profunda hominũ corda intelligimus: quos sulcos adeo irrigari iubet propheta, vt diuino amore inebriẽtur, vtque ab omni recedant duricie, & ad mansuetudinem molliantur. E iusdem præterea germina, virtutes sunt, veluti elegantissimi fidei fructus: & guttas eius eas esse intelligim⁹, quæ à doctrina sacræ stillãt disciplinæ, vel sublimiores sensus, à diuinis emanantes scripturis, qui roris instar fidelium animas impinguant, & præterea quibus terra illa, quam diximus, germinans lætabitur. Annus item benignitatis, optimum prædicationis tẽpus significat, cuius anni corona Christus est, eo quòd ipsius tantum Christi sermonibus, atque operationibus prædicationis tempus ornatur, ac decentissimum redditur. Hæc autem verba ad patrem referenda sunt: tu, inquit, pater ei benedices: hoc est, laudabis eum, sicuti & feciſſe eum legimus, quando ait: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. De campis autem, collibusq;, & vallibus, in summa id dicendum videtur, quòd vniuerso illo sermone sancti spiritus annuntiatur aduẽtus, eo quòd aduẽniente spiritu, loca omnia fidelibus replenda erant. Campi quidem eccleſiarum, ministris: montes autem, Anachoretis: valles vero iis sanctis, qui habitant in speluncis. Omnes autem huiusmodi fideles pinguedo quædam & fertilitas his locis futuri erant, & exultationem atque abundantiam præstituri. Vel aliter, per cãpos, humiles animas intelligere possumus, quæ sublime nihil cogitant: & per montes, elatiores alias, quæ ad inanes doctrinas & ad exteriorem hanc mundi sapientiam eleuatę sunt: per valles vero, deiectiores quasdam animas, quæ in profundum peccatorum prolapsæ sunt. Speciosa autem illius terræ, quæ deserta esse dicitur virtutibus,

animæ

animæ illę sunt, quas aptas atque idoneas esse dicimus ad ferēdos fructus. Arietes etiam ouium, apostoli sunt, veluti duces quidam ac principes rationalium Christi gregum: qui arietes induti sunt sancti spiritus gratiam, qua in die Pentecostes in omnes fideles diffusa est: iuxta quod legim⁹ ad eos dictum fuisse à domino: vos autem sedete in ciuitate Hierusalem, donec induamini potentiā ex alto. Vel episcopi & sacerdotes, qui vbique terrarum sunt, quique induerunt Christum per baptisma. Quicunque enim, inquit, in Christū baptizati estis, Christum induistis. Illud etiam dicere oportet, quòd nullibi in historia reperim⁹, quòd populus qui ex Babylone reuersus est, huiusmodi abundantiā habuerit: ex quo sequitur, quòd anagogicus sensus huic psalmo magis congruere videtur.

In finem canticum psalmi resurrectionis.

In finem inscribitur propter prophetias, quæ in eo cōtinētur, quæ ad finem tendebant, ut alibi diximus. Prædicit autem & gentiū fidē, & martyria quæ pro Christo multi fideliū passuri erant. Quid autē sit canticum psalmi, dictum est in proœmio operis. Resurrectionis uero dixit pro, transmutationis. In eorum enim personam cōscriptus est, qui à Babylonica seruitute in propriam patriam translati fuerāt ita ut ab unoquoque eorū qui reuersi sunt proferri possit. Et nihilominus congruit etiam unicuique resurgenti: hoc est, commutato à peccatis, in quibus olim, ueluti passionum sagittis confossus, captiuus detinebatur à dæmone.

ἀναστάσεως ἀντὶ τοῦ μεταναστάσεως

PSALMVS LXV.

IVbilate deo omnis terra. Quid sit iubilatio diximus in secundo versiculo psalmi XLVI. iubet autē propheta victoriæ laudes deo canere, quia & inimicos, à quibus acti fuerant in captiuitaē, formidine affecit, & ipsos Iudæos à durissima seruitute liberauit. Per omnē autē terrā oēs homines intelligit qui sunt in terra. Et hoc pacto Symmachus reddidit. In his autē verbis prophetia continetur, vocationis gentium.

ψάλατε

Psallite nomini eius. Expositionem vide in quarto versiculo IX. psalmi.

Date gloriam laudi eius. Hoc est honorem & magnificētiam. & sensus est, quòd gloriose ac magnifice eum laudent, & non humano more.

Dicite

Dicite deo, quàm terribilia sunt opera tua. Quæ nimirū olim tam in Aegypto, quàm alibi gentium operatus es.

In multitudine uirtutis tuæ mentientur te inimici tui. Et sensus est, quòd cognitione dei vbique gentium diuulgata, multi veritatis inimici summam illius potestatem timētes, quam habet in regno fidelium, mentientur seu simulabunt deum: hoc est, fidem ipsam, quā in eo habere, se falso asserēt. Ipsam etenim hypocrisim ac simulationem hoc in loco mendaciū appellauit. Et sanè quàmplurimos huiusmodi simulatores videre licet tam Gentiles quàm hæreticos.

ψεύσονταί σε

Omnis terra adoret te, & psallat tibi. Clarius atq; apertius hic traditur Gentium vocatio. Adorent autē primo: hoc est, tibi subiiciantur, & deinde psallant. Summa autē fidutia hęc fieri mandauit propheta, veluti qui certus erat futuri iudicij.

Psallant nomini tuo altissime. Simile est quod legimus in IIII. versiculo IX. psalmi. Præ grandi autem lætitia, reminiscitur prodigiorum dei, & psallere omnes iubet, ac redēptorem deum laudare.

Venite & uidete opera dei. Quę vbiq; gētiū operatus est, summa admiratione digna. aduocat autem vniuersas gentes.

Quam terribilis in consiliis super filios hominū. Symmachus reddidit in machinationibus: hoc est, in inuētionibus. Terribilis est igitur deus in cōsiliis, seu in inuētionibus, eo quòd magnis quibusdā artificiis vtitur, quoties ei placuerit populum suū saluare: veluti ea sunt quæ aduersus Aegyptios adinuenit, conatus atque astutias omnes humanas semper vincens. Antiqua deinde connumerat miracula.

ἐν μηχαναῖς

Qui conuertit mare in aridam. Hoc factū est in mari rubro, vt habetur in Exodo. posuit autem tempus pro tēpore. Nam dictio, conuertit, præsentis est temporis hic: vt ex græca dictione perspicitur: & posita est pro præterito.

In flumine pertransibunt pede. Hoc vero accidit in Iordane cum transiret arca: & tempus etiam hoc loco posuit pro tempore, pertransibunt, pro pertransierūt: maiores nostri nimirum. Pede autem, hoc est, pedestres. Et dum pedestres incessisse eos dicit per flumen, per siccam eos ambulasse significat. Illorum autem miraculorum meminit, quæ in eo reditu facta sunt, putās gestarum illic rerum memoriam ad præsentem reditum in patriam pertinere, dum exemplo eorum,

δμεταστρέφων

quæ

quæ tunc gesta sunt, faciliorem hunc reditum demonstrat. Symmachus vero hic tempus seruauit. trãstulit etenim: Qui transmutauit mare in aridam: item: & flumen pertransierũt.

ἐπ' αὐτῷ, τῷ δεσπόζοντι ἐν τῇ δυναστείᾳ αὐτοῦ, τοῦ αἰῶνος,

Ibi lætabuntur in ipso dominante, in potentatu suo seculi. Ibi, hoc est, in eo loco, ad quem festinamus. Per potentatum vero dei, diuinam intelligit potentiam, veluti immensam, atque inuictam. Dominatur autem deus tam præsenti quàm futuro seculo, veluti is, cuius regnum infinitum est.

Oculi eius in gentes respiciunt. Tanquam ad eos, quos in hæreditatem est possessurus, & vendicaturus per fidẽ. Agnoscas igitur ô Iudæe, quomodo protectionem & custodiam suam deus à te auertit, & ad Gentes transtulit.

Qui exasperant non exaltẽtur in semetipsis. Quod reliquum est, inquit, Iudæi in seipsis, hoc est, apud seipsos non eleuentur, quasi soli ipsi sint, qui à deo sint cogniti. Exacerbantes autem eos appellat, veluti qui semper murmurabant aduersus deum, atque ei contradicebant. Similiter & alij prophetæ exacerbantem domum, eos appellauere. Vel aliter: Iudæi illi exacerbantes dici possunt, seu potius, vt græca dictio magis proprie significat, amaricantes, qui Christo in cibum amarissimum fel dederunt, & acetum in potum. Aenigmatica autem, atque admodum obscura sunt hæc prophetæ verba ob eas rationes, quas alibi prædiximus. Quicunq; etiã fuerit fidelis, qui deum sui custodẽ habeat, exacerbantes appellare potest tam ipsos dæmones, quàm inimicas ac barbaras gentes.

παραπικραίνοντες

Benedicite gentes deum nostrum. Gentes dico, ad quas custodia & protectio dei pertransiuit.

Et auditam facite uocem laudis eius. Hoc est maiori voce extollite. vel, auditam facite vocem laudis iis hominib⁹, qui post vos futuri sunt.

Qui posuit animam meam ad uitam. Per vitam, libertatem intelligit: quoniam seruitus, vt sapientes dicunt, morti similis est.

εἰς σάλον

Et qui non dedit in fluctuationem pedes meos. Qui conuersationem, ac vitam meam à pietate ac religione ad impietatem peruerti non permisit.

Quoniam probasti nos deus. Hæc verba præstantissimis quibusdam sanctis accommodari possunt, quales fuere Daniel

niel & tres pueri, & alij huiusmodi. Deinde connumerant genera disciplinę. Probasti nos, inquiũt, in tentationib⁹: hoc est, exquisiuisti quo nam modo fidẽ ac patientiã haberemus.

Igne nos examinasti sicut examinatur argentum. Hoc propter caminum ignis dictũ est, in quo fuerunt tres pueri. Possumus etiam per ignem, ipsam tribulationem, atque calamitatum flammam intelligere.

Induxisti nos in laqueum. Hoc propter lacum leonum dictũ videtur, in quẽ Daniel immissus est: tametsi omne aliud afflictionis genus intelligi possit.

Posuisti tribulationes in dorso nostro. Plagas nimirũ & verbera, quibus premebamur. Verisimile est autem eos verberibus sæpe fuisse afflictos. Vel per tribulationes, omne calamitatum genus significat, per dorsum autem, totum hominem, veluti totum à parte.

Imposuisti homines super capita nostra. Subiecisti nos inimicis nostris, dedistique eis, vt conculcaremur. Metaphoricus enim sermo est. Olim nanque reges qui aliquos deuicerant, solebant in triumphis captiuorum capita conculcare.

Transiuimus per ignem & aquam. Per ignem & aquã, varias calamitates intellige, & quia animam incendunt, & quia demergunt & suffocant. Illud quęrendum videtur, cur deum potius accusent Iudæi, eique calamitatum suarum causam adscribant, potius quàm Babyloniis, à quibus afflicti fuerãt. Deo etenim dicunt: igne nos examinasti, item induxisti nos in laqueum, & alia huiusmodi. Ad quod dicendum est: illos deo omnia hæc ascribere, quia cognoscebant ab illo fuisse. vt inimici tanta potuissent aduersus se: permittit autem sæpenumero seruos suos castigari.

Et eduxisti nos in refrigerium. Et tamen tu nostri misertus in refrigerium nos postea adduxisti. Illud etiam animaduertendum, quòd verba illa: probasti nos, & quæ sequuntur, vsque ad illa: eduxisti nos, vt Paulus docet, prædicta sunt, ex persona martyrũ Christi. Hæc etenim omnia Christi martyres diuisim saltem sustinuerunt.

Introibimus in domum tuam in holocaustis. Iuxta historiam verba clara sunt, iuxta anagogen domus dei cœlum est. Holocausta autem perfectæ sunt operationes virtutum, quas iusti ac sancti viri deo sacrificant.

Reddam tibi uota mea quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in tribulatione mea. Per vota promissiones intelligit. Quod vero ait: locutum est, os meum, declarando dixit, priora illa verba: distinxerunt labia mea.

Holocausta medullata offeram tibi. Non simpliciter dixit holocausta, sed pinguia. Est autem pinguis illa virtutis operatio, quæ excellens est, & præ omnibus præcipua.

Cum incenso arietum offeram tibi boues cum hircis. Iuxta historiam quidem, vt alibi diximus, manifesta sunt sacrificiorum genera. Offerebantur enim omnia, quæ hic commemorantur in sacrificiis. iuxta anagogen vero, incensum dici potest bonus ille odor, qui ab anima mũda, ac pura spirat: Arietes vero, principaliores animæ cogitationes, quæ veluti cornu quodam carnales feriunt passiones: & boues, ipsius corporis operationes. Est etenim bos terræ operator, & hominis corpus, è terra creatum est: & terram colit. Per hircos autem supplicationes intelligimus pro peccatis, quoniam pro peccatis hirci olim immolabantur. Omnia hæc, inquit, tibi offeram, vbi me ab inimicorum seruitute liberaueris.

Venite, audite, & narrabo uobis, omnes qui timetis deum, quanta fecit animæ meæ. Ordo huius versiculi sit per hyperbaton, vt sit sensus: venite, & audite omnes, qui timetis deum: & narrabo vobis quanta fecit animæ meæ: hoc est, quãta fecerit mihi. Vel per se simpliciter legendum est, quæcunque fecit animæ meæ: hoc est, quęcunque fecit mihi bona. Deinde narrat, quomodo hæc sibi præstiterit beneficia.

Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui sub lingua mea. Exaltaui, inquit, linguam meam, inuocando illum mihi in auxilium. obseruandum vero est, quòd præpositio, sub, posita est p præpositione, in: ac si diceret: in lingua mea: & simile est, quod alibi legimus: sub lingua eius labor & dolor: item: venenum aspidum sub labiis eorum.

Iniustitiã si aspexi in corde meo, nõ exaudiat me dominus. Quãdo, inquit, deum rogabam, iniustum tunc aut iniquum quippiam in corde meo non consyderabam, sermoniq; suo propheta fidẽ faciẽs, ait: si huiusmodi alicuius rei mihi fui conscius, nunquam me in posterum deus exaudiat, quando eum inuocabo.

Propterea exaudiuit me deus. Quoniam scilicet puro ac mundo

mundo corde ei preces obtuli. Si aliquid ab eo igitur consecuturi sumus, munda nos cum conscientia oportet ad eum supplicantes accedere.

Intẽdit uoci orationis meæ. Simile est quod legimus in tertio versiculo quinti psalmi.

Benedictus deus qui non amouit orationem meã. A se, inquã, eam non amouit.

Et misericordiam suam à me. A communi sensu sumendum est verbum: non amouit.

In finem in hymnis psalmus cantici.

In finem inscribitur, quoniam dei uerbi incarnationem prædicit, ad cuius finem respicere lectorem iubet: in hymnis uero, quia laudãdum illum esse admonet. Quid autem sit psalmus cantici, diximus in proœmio operis.

PSALMVS LXVI.

Deus misereatur nostri & benedicat nobis. Præuidens propheta diuinæ incarnationis mysterium, adimpleri supplicat, quod præuidet. Et primo quidem deum petit: vt humanæ misereatur naturæ, quæ sub sæua dæmonis detinebatur tyrannide: deinde benedici etiam, hoc est, sanctificari eam rogat. Quid autem sit benedicere, vide in. v. versiculo psalmi x x.

Appareat uultus eius super nos. Vultus seu facies patris, filius ἐπιφάνεια est. Qui vidit enim, inquit, me vidit & patrẽ meum. Optantis igitur in morem propheta ait: appareat vultus eius: hoc est, vtinam illuceat nobis vultus patris, ipse scilicet filius, suanimirum incarnatione: & super nos illuceat, qui in terra sumus. Vel, vultus eius: hoc est, vultus Christi secundum carnem, ipse videlicet Christus nobis illuceat.

Et misereatur nostri. Bis deum rogat vt sui misereatur, veluti optatæ rei valde cupidus.

Vt cognoscant in terra uiam tuam. Hoc, inquit, atque illud fieri opto, vt homines qui in terra sunt, cognoscant viam vitæ, ac conuersationis tuæ, per quam tu ambulasti, & quam tu ostendisti discipulis. γνῶσιν

In omnibus gentibus salutare tuum. Atque vt homines, inquit, in omnibus gentibus cognoscant incarnationem tuam, quæ propter nos facta est. Hãc etenim salutare appellat, quia propter eam saluamur.

Confiteãtur tibi populi deus, confiteãtur tibi populi omnes. Po-

puli quidem simpliciter dicti,ij intelligendi sunt,qui ex circuncisione:populi autem omnes,ij qui ex gentibus credidere,veluti plures ex multis nationibus congregati. Confitean tur autem:hoc est,gratias agãt,& laudent, quòd propter eorum salutem humanam carnem assumpturus es.

Lætentur, & exultent gentes. Hæc clara sunt. De lætitia autem,& exultatione,plerunque alibi diximus.Deinde causam lætitię addit.

κρινεῖς εὐθύτητι, ὁ δικαιώσεις

Quoniam iudicabis populos in rectitudine, & gentes in terrâ dirriges. Quoniam Iudæos,qui olim populi tui fuerunt, iuste iudicabis: eo quòd te non susceperint. Et existens in terra, diriges gentes ad semitam virtutum. Vel,diriges gentes, quæ in terra sunt.

Confiteãtur tibi populi deus, cõfiteãtur tibi populi omnes. Eandem rursus sententiam repetit, vt celeres populos faciat, & promptiores eos reddat.

Terra dedit fructum suum. Hominibus etenim à deo benedictis, terra abunde fructificauit. vel fructum terrę homines appellat, qui è terra nati sunt, quique per tribulationes, & virtutum exercitationes deo in fructũ dati sunt. vel per fructum,ipsum Christum intelligit.

Benedicat nos deus, deus noster, benedicat nos deus. Vide apertum ac denudatum sanctissimę trinitatis mysterium,hac triplicatione deus,deus,deus.

Et metuant eum omnes fines terræ. Ea triplicatione quidé vt diximus tres expressit personas,singulari autem sermone, eum,non eos,adorari iubens, diuinitatis vnitatem significauit. Nam & si vnaquęque personarum deus sit,omnes tamen personæ non tres dij,sed vnus esse deus dicuntur.

In finem psalmus cantici ipsi Dauid.

In finem quidem inscribitur,quia saluatoris aduentum,& dæmonum destructionem manifestius prænunciat: quid autem sit psalmus cantici,iam alibi diximus. PSALMVS LXVII.

EXurgat deus,& dissipentur inimici eius. Cum dæmones in humanum genus tyrannidem exercerent,nec homo aliquis,nec angelus captiuis hominibus opem ferret,vocat propheta in auxiliũ, ipsum omnium creatorem,rogãs eum, vt celeriter

ter exurgat. Surrectionem autẽ in deo, sanè & digne deo intelliges, motum quendam esse ad delinquẽtium vindictam. Et licet verbum,exurgat,imperatiui sit modi,vt ex græca lectione aperte dignoscitur,sensum tamen optantis habet hoc in loco:& simili modo alia sequentia verba:quemadmodum & multis aliis in locis reperitur:vbi etiam diximus. Inimici autem dei,proprie dæmones sunt,veluti rebelles, ac deo aduersantes.

Et fugiant,qui oderunt eum à facie eius. Fugiant à presentia & conspectu dei, illius, vultum in carne ferre nequeuntes. Quòd etiam re ipsa accidisse videmus: cum ficubi Christus coleretur,illius adeo præsentiam fugerent dæmones, vt retro nunquam conuerterentur.

Sicut deficit fumus deficiant. Quemadmodum deficit fumꝰ spirante vento,ita etiam hi dæmones deficiant, impulsi nimirum ac dissipati à sancto spiritu.

Sicut liquefit cera à facie ignis, sic pereãt peccatores à facie dei. τήκεται Quemadmodum,inquit,aspectu ignis cæra liquescit,ita dæmones à conspectu Christi,qui ignis consumens est,defluẽtes euanescant. Et quod ait:pereãt:non ideo dixit,quia prorsus delendi sint dæmones,ita, vt amplius, nulli sint, sed quia in eisdem amplius locis non regnabunt. Eosdem etiam dæmones propheta peccatores appellat, quia & primi omnium in deum peccarunt, & quia peccatorum inuentores merito dici possunt & magistri.

Et iusti lætentur. Per iustos,eos intelligit,qui per fidem in εὐφρανθήσονται Christum erant iustificandi. Hi igitur destructa dæmonum tyrannide lætentur.

Exultent in conspectu dei & delectentur in lætitia. In conspectu dei,qui eos nimirum protegit,& custodit,iuxta illud: oculi domini super iustos. Verba autem exultent,delectẽtur, & lætentur,idem significant:cõiuncta tamen summam gaudij indicant intensionem.

Cantate deo. Vos,qui huiusmodi gaudio digni facti estis.

Psallite nomini eius. Hoc declarauimus in tertio versiculo VIII. psalmi.

Iter facite ei,qui ascẽdit super occasus,dominus nomen illi. Ad ἐπὶ δυσμῶν apostolos est sermo, quo iubentur vt ad gentes excurrant, & viam animarum,ipsarum scilicet gentium,per prędicationẽ

aduenienti Christo præparent. Simile illud est, quod apud Esaiam ex persona præcursoris dictum legim⁹: parate viam domino: viam, inquit, Christo facite, omne impedimentum ex ea, atque offendiculum auferentes. Ascendere autem eum dixit super occasus, quia cum inaccessibilis lux sit, & sol iustitiæ, super hominum animas ascendit, & per fidem in his animabus habitauit, quæ antea occasus, hoc est noctes merito dici poterant, propter obscuritatem atque caliginem erroris, quo olim circunfusæ detinebantur. Vel, occasus dixit, pro vniuerso mundo, iuxta illud: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Tenebras etenim illic euangelista vniuersum orbem: hoc est, vniuersos mundi homines appellauit. Deinde etiam illius nomen dicit, quòd scilicet dominus omniũ ac deus est ille, qui ascẽdit, vt diximus.

Et exultate in conspectu eius. Hoc paulo superius in tertio versiculo exposuimus.

ταραχθή τωσαν *Turbentur à facie eius patris orphanorum ac iudiciis uiduarum.* Quod ait, à facie eius, exposuimus superius in secundo versiculo. Patris autem & iudicis appellatione, & summam illũ prouidentiam, & curam habere demonstrauit, & iudicandi insuper potestatem exercere. Nam & curam eorum habet deus, qui omni videntur ope destituti, & iudex etiam eorum est, qui per alicuius iniuriam opprimuntur. Orphanos præterea, ac viduas eos appellat, qui ex gentibus crediderunt, alterũ quidẽ, eo quòd patrẽ olim suũ, diabolũ videlicet, abiecerũt, alterũ vero, quia fideles animę, quę crediderũt, ipso prorsus viduatæ sunt diabolo, quem antea sponsum habebant, & cui adhęserant: quippe cum post prædicationẽ & baptisma, alium patrem aliumque sponsum, loco priorum receperint: ipsum nimirum deum, quem in patrem quidem acceperunt veluti curatorem, & prouidentiam necessariorum omnium habentem, atque in sponsum, cui vt castæ virgines coniungantur per fidem.

Deus in loco sancto suo. In cœlo nimirum, & subintelligitur, verbum, est. Nam cum dixerit: exurgat deus: item: iter facite ei qui ascendit super occasus: necessario subdidit: deus in loco sancto suo: vt doceret, quod ille deus, qui existit in cœlo, vbi locum sanctum suum esse dicimus, idem ille est, qui exurgit in auxilium, & qui ascendit super occasus, & qui

qui administrat, quęcũq; ei grata sunt, nulla vtens loci mutatione, nullo transitu. est etenim incircũscriptus deus. Simile etiã illud est: Nemo ascẽdit in cœlũ, nisi qui descẽdit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo in terra etenim cõuersans dei fili⁹ in cœlo erat indiuisus à patre. Dicitur etiã locus sanct⁹, ecclesia fideliũ, & quilibet fidelis vir religiosus, ac deo grat⁹.

μόνοτρόπους *Deus habitare facit unius moris homines in domo.* Vnius moris homines eos esse intellige, qui iusti sunt ac virtute præditi, veluti omni prorsus malitiæ duplicitate ac doli complicatione carentes, vni tantum rei, hoc est, diuino cultui incumbentes. hos etenim homines deus in ea domo habitare facit, de qua Apostolus Paulus dicit: quòd habitationem ex deo habemus non manu factam, æternam in cœlis. Symmachus vero pro hominibus, quos vnius moris esse dixit propheta, seu vnanimes, monachos reddidit: quasi ab omni mũdano negocio prorsus segregatos, ac solitarios: quosq; singulariter deus habitare facit in paruis domiciliis. & iuxta hunc sensum prędicare videtur propheta Anachoretarũ vitam.

Educens uinctos in fortitudine. Educens, hoc est, liberans, eos nimirum, qui peccatorum suorum cathenis, & dæmonum vinculis, hoc est, affectibus seu passionibus, ac peccatorum perturbationibus vincti, atque alligati sunt: quo sermone fideles intelligit, qui ex gentibus congregandi erant. Educit autem eos in fortitudine, hoc est, in diuina virtute, ac potentia, qua tyrannum deuicit. vel etiam, in virtute sermonis euangelici.

Similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris. Non solum, inquit, tu gentiles educis è vinculis, sed & ipsos etiam ex circuncisione Iudæos, quos exasperantes appellat, seu exacerbantes, ea ratione quam diximus in psalmo LXV. Possunt etiam verba hæc ita intelligi, vt prophetiam continuant, de vniuersali mortuorum resurrectione: quòd scilicet deus ex monumentis omnes vinctos mortis vinculo, educet, ac suscitabit, & quòd similiter educet Iudæos. illa autem verba, qui habitant in sepulchris, ad maiorem declarationem dicta sunt, & per ea omnes homines significare voluit, qui mortui fuerint, vbicunque id eis acciderit, aut in terra, aut in mari, aut in igne.

Deus cum egredereris in cõspectu populi tui, cum pertransires in

deserto,terra mota est, etenim cœli distillauerunt. Quãdo dixisti ad Iudæos,ecce dimittitur domus vestra deserta,& quando Hieremiæ prophetia ex persona Christi prolata,finẽ accepit,quæ dicit: quoniam dereliquerunt domum meã, diuisi hæreditatem meam. Tunc etenim postquã egressus es, recedens à conspectu populi,qui eousq; tuus fuerat,& pertransisti ad ecclesiam ex gentibus congregatam , quæ olim deserta erat,ac nuda omni scientia,atq; cognitione dei,sterilisq;,atque infructuosa germine virtutum,tunc, inquam, postquam existi,terra commota est,passionis nimirum , & resurrectionis tempore.& cœli distillauerunt,descendente sancto spiritu in Apostolos, in die Pentecostes . vel terra commota est, pertranseuntibus gẽtibus ab errore ad veritatem, & stillauerunt Apostoli aquam prædicationis,qua fideles irrigabantur animæ. Apostoli etenim cœli esse dicuntur, & quia cœlestia sapiunt, & quia quibuscunque terrenis rebus supereminent. illa autem coniunctio,enim,superflua est.

A facie dei Sinai, à facie dei Israel. A facie dei circunloquendo dixit,pro ab ipso deo,vt fit sensus:hæc facta sunt ab eo,qui est deus montis Sinai . ipse etenim idem est , qui & deus Sinai dicitur, & deus Israel. Horum autem nominum meminit propheta,quia & in mõte Sina,deus miracula operatus est,& quia apparuit Israel , hoc est, patriarchæ Iacob. est enim idem deus , qui hæc omnia operatur , & non est alius deus,præter eum.

Pluuiam uoluntariam segregabis deus hæreditati tuæ. Per hæreditatem dei,gentes intelligit,iuxta illud : Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam:per pluuiam vero euangelicum sermonem , quo duriores irigantur , ac molliuntur animæ: quam euangelij pluuiam appellat voluntariam , eo quòd Mosaica lex non data erat ex mera dei voluntate , sed potius ex dispensatione . neque enim optabat , aut volebat deus sacrificia,aut alias eiusmodi varias obseruationes , quæ habentur in lege.quis enim hæc exquisiuit ? & rursus alibi dominus. Adduritiam vestram Moyses hæc scripsit , ab initio autem non erat sic. Euangelicæ autem prædicationis sermo,diuinæ prorsus congruit voluntati. Vel volũtariam ideo appellat,quia lex etiam inuitos iubebat legem seruare , alioquin lapidabat,cædebat,incendio perdebat,& sæuissime denique

nique occidebat, Prædicatio autem euangelica neminem cogit,sed volentibus tantum offertur.

Et infirmata est,tu uero perfecisti eam. Infirmata est , & debilitata, ac diu oppressa idolorum tyrannide. tu vero sanam eam,& perfectam reddidisti , per baptismi regenerationem, renouans nimirum eam, & super solidam mandatorum tuorum petram stabiliens.

Animalia tua habitabunt in ea. Ii nimirum qui à te spirituali cibo aluntur,quique animam,hoc est, vitam habent in te. vel, per animalia Christi , Apostolos intellige , quos Abacuch equos appellauit : induxisti , inquiens, in mare equos tuos, mare appellans, amaram, salsuginosamq; , ac sterilem olim gentium infidelitatem.

Parasti in bonitate tua pauperi deus. Per pauperem , gentilem populum intelligit , qui nullas olim spirituales diuitias acceperat.neque enim legem habebat,aut prophetas,sed prę summa dei benignitate aliæ eis paratę fuerunt diuitiæ : illa nimirum pluuia voluntaria.

Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa. Hoc ad Apostolos pertinet,quibus, cũ piscatores essent,atq; idiotę,subministrauit deus sapiẽtiæ verbũ,atq; hoc tanta cũ virtute,vt multa etiã,atq; admirabilia operarentur miracula.

Rex uirtutum dilecti. Dilectum appellat vnigenitũ filiũm deum, de quo dictũ legimus à patre : Hic est filius meus dilectus.per virtutes vero dilecti,ipsos apostolos intellige, veluti illius milites. eos etenim vt milites susceperat, vt summa vi,ac potentia aduersus dæmonum impetum resisterent. harum autem virtutum ipse deus pater,rex dicitur esse, regno hoc nimirum sibi per filium parato.

Speciei domus diuidere spolia. Dabit,inquit,eis de° verbũ, vt inimicorũ exuuias diuidant:ipsas nimirũ gentes . deuictis enim dæmonibus expoliarunt eos apostoli, & ab illis homines eos abstulerũt , qui illis antea inseruiebant . Dabit,dico, deus apostolis verbum,vt inimicorũ spolia diuidant,formosissimæ ac speciosissimæ fideliũ ecclesiæ : in qua veluti in decentissima domo Christus dominus habitat : quemadmodum & nos diuisa ea esse cõspicimus. Apostolorũ enim alter gentẽ illam,& alter alterã ad fidẽ adduxit.possumus etiã per speciẽ domus,euangelij pulchritudinẽ intelligere,quo veluti

quopiam

ἁρπαδότητι

quopiam instrumento apostoli hæc spolia diuiserunt: verum tunc non speciei legendum est, sed specie. vtraque enim lectio Græcis potest verbis accommodari.

Si dormiatis inter medios cleros. Dormire in præsenti loco posuit pro mori. sermo enī prophetę est ad apostolos, dicētes, ita demū adducētur vobis hęc spolia, si moriemini inter medios cleros, hoc est, inter medias gētes, quę in clerū, hoc est, in sortem, vobis datæ sunt. & sanè quidem prædicantes occisi sunt. vel aliter: si dormieritis, hoc est, si immorati fueritis. immoratur enim & diutius permanet, qui dormit.

πτέρυγες

Alæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Columbā putamus Christū esse, ob eius nimirū mansuetudinē, ac patientiā. per huius autem columbæ alas, Christi corpus intelligere possumus, veluti exteriorem, seu magis extremā partem: per posteriora autē dorsi, quæ Græci vnico vocabulo μεταπφρενα dicūt, & nos possumus scapulas dicere, animā Christi intelligit, tanquā interiorē, ac magis tectā partē. splendidū, inquit, atq; elegās est Christi corpus, & argenti instar refulget. omni enī caret peccati macula, verū ipsa etiā anima, nō minori luce, ac fulgore splēdescit, cū purissimo possit auro cōparari. ab ipsa enim diuinitate, cui vnita, atq; coniuncta est, huiusmodi lucis radios sumit. palloré vero auri dixit, quia pallere solet aurum, quod purissimum est. Alij præcedentē versiculum huic cōiungentes, ita exponūt: si stabiliti fueritis in medio duorum testamentorum, veteris nimirum, & noui, stabilis enim ac immobilis permanere videtur, vt diximus, qui dormit: & sortes merito appellari possunt duo testamenta, cum illud antiquo populo ante crucem, alterum nouo populo, post crucem, in sortem data sint. si igitur constiteritis in medio vtriusque testamenti, & quod nouum est, veteri consonum credideritis. (vetus etenim figura est, & nouum veritas,) tunc alæ columbæ, hoc est exteriores, ac simpliciores sancti spiritus sensus, splendidi esse vobis videbuntur, & scapulæ, hoc est, interiores, & magis mysticæ contemplationes, instar pallidissimi, ac purissimi auri fulgorem, ac lucem suam vobis demonstrabunt. & quanquam vtrūque ex his metallis splendidissimum sit, auri tamen splendor intensiorem præ se fert fulgorem. per columbam vero, sanctum spiritum intelligunt, qui in columbæ specie super Christum

Christum descendit, cum baptizaretur.

Dum discernit cœlestis reges super eam, quasi niue dealbabuntur in Selmon. Per reges, ipsos etiam Apostolos intelligit, eo quòd cœli regnū hæreditarunt: quos etiā in psalmo XLIIII. principes appellauit. prædicit igitur futurum in die Pentecostes sancti spiritus in Apostolos aduentum. Quando cœlestis, inquit, deus mittet ac diuidet, hoc est, quando sortientur reges super eam: super eam, inquam, hæreditatem, hoc est, super gentes, quæ hæreditas Christi sunt: quod tunc futurum erat, quando ad Apostolos diceretur: euntes docete omnes gentes: tunc reges illi, veluti niue quadam dealbabuntur, hoc est, clari ac splendidi fient, per gratiam scilicet sancti spiritus. & locum etiam addidit, dicens: in Selmon. ipsam autem intelligit Hierusalem, vbi post domini assumptionem, discipuli consederunt, donec induti sunt virtutem ex alto. obseruandum est autem, quod dictio, dum, sæpenumero futurum tempus designat, vt in præsenti loco: dum discernit, hoc est, postquā discreuerit. hanc autem obseruationem, tradidimus etiam in inscriptione psalmi quinquagesimi.

χιονωθήσονται

Mons dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis. Montem dei ecclesiam fidelium appellat, veluti à terrenis eleuatam, & contemplatione, atque actionibus suis tendentem in cœlum. Dei etiam eam esse dicit, quasi propriam eius effectam, atque in illius potestatem delapsam: pinguem etiam ob spiritualis pabuli, quod in ea est, tum abundantiam, tum etiam excellentiam: & deinde coagulatā, seu (vt magis posci Græca dictio) caseatam eam esse dicit ob soliditatem dogmatum, quæ in ea sunt. Caseus etenim, sicuti à coeundo dictus est, aut à lacte coacto, ita etiam soliditatem quandam significat. Postremo pinguem rursus appellat, ob charismatum ac donorum sancti spiritus abundantiam. variis vero laudibus hunc montem laudat, atque exornat propheta ob varias nimirum, ac multiplices illius virtutes.

τετυρωμένον

Quare suspicamini montes coagulatos. Ad ecclesiæ inimicos est sermo. quare, inquit, suspicamini? hoc est, quare opinamini, alios etiam montes caseatos, quam hunc nostrum montem?

Mons in quo beneplacitū est deo habitare in eo. Mons, inquit, quem

quem deus voluit ſuum eſſe, vt illic habitaret, hæc, inquiens, Requies mea in ſeculum ſeculi.

Etenim dominus habitabit in finem. In finem, hoc eſt, perpetuo. Quid ad hoc dicent Iudæi? Neque enim habitauit perpetuo dominus in Sion, ſed certo ac finito tantum tempore.

Τὸ ἅρμα τοῦ θεοῦ μυριοπλάσιον

Currus dei in infinitum multiplicatus. Cum ſuperius dixerit, iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſus, nunc in ſpecie, currus dei meminit. Per currum vero dei, eos omnes intelligere poſſumus, qui fidei habenas ſuſcepere, quique ad ſuaue Chriſti iugum iuncti ſunt, aſcenſoremq; & aurigam eum habent. Huiuſmodi enim homines, currus dei dici poſſunt: quinimmo & currus multiplicatus ab antiquo illo iuſtorum curru, qui inter Iudæos erant.

Χιλιάδες δύθυνοντῶν ἐν σινᾷ ἐν ἁγίῳ

Millia abundantium. Subintellige verbum ſunt. Abundantium vero vbertate, ac fertilitate virtutum.

Dominus in eis: in Sina erat in ſancto. Subintellige relatiuũ, qui, vt ſit ſenſus: Ille dominus in eis eſt, qui olim erat in ſancto Sina: & abundat altera præpoſitio, in. Vnus igitur atque idem deus eſt ille, qui tunc in Sina, & qui modo legem ſtatuit. Sanctum autem Sina appellat, veluti ſanctificatum, ipſius dei præſentia, atque ei dicatum.

ἠχμαλώτευσας αἰχμαλωσίαν

Aſcendiſti in altum, captiuaſti captiuitatem. In altum, hoc eſt, in crucem, vel in cœlum. Aſcenſus autem hic, libertatem oſtendit, dum ait: aſcendiſti, ſponte tua nimirum. Tu etiam ipſum diabolum, qui tyrannidem in nos exercebat, crucis iaculo confodiſti, & gentium captiuitatem captiuaſti, quam ille antea captiuauerat, eos ſibi in ſeruitutem redigens. Propterea ipſe dominus alibi ait, cum autem exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.

Cepiſti dona in hominibus. Verum apoſtolus Paulus hunc referens verſiculum, non cepiſti, ait, ſed dediſti, & vtrunque factum eſt. Nam ab iis, qui ad ſe accedunt deus fidem, & gratiarum actionem capit, & eis contra multiplicia tribuit chariſmatum dona.

Τῶ κατασκηνῶσαι

Etenim non credentes vt inhabitares. Accepiſti enim eos homines, qui primum non credebant. Accepiſti autem eos vt inhabitares in eis, ſi te dignum effecti eſſent habitaculum.

ἡμέραν καθ' ἡμέραν

Dominus deus benedictus, benedictus dominus de die in diem. Vide ſermonem de ſancta trinitate: Dominus deus & dominus.

nus. Sic enim Moyſes dixerat: Dominus deus tuus, deus vnus eſt. Et cum laudandum eum eſſe dixiſſet de die, hoc eſt, per totam diem, dictionum obſcuritatem declarauit, addens, in diem. Alij autem verba hæc, de die in diem, ſimpliciter intelligunt, pro ſemper, & per dierum ſucceſſionem.

Κατευοδώσατε σώζειν

Proſperum iter nobis faciat deus ſalutarium noſtrorum, deus noſter, deus ſalutis. Hoc etiam in loco contemplari licet ſermonem de Trinitate. Nam ter hic inuocatur dei nomen. Et quia in Græca lectione dictio, ſalutarium, & dictio, ſalutum, ſolo accentu differunt, aliqui etiam deum ſalutum legunt, & ſenſus idẽ eſt. Et quod ſequitur: Deus ſalutis, ad eũdẽ ſenſum pertinet, ac ſi diceret: Deus ſaluator noſter, & deus ſaluans.

Et domini domini exitus mortis. Ad poteſtatem, inquit, dei pertinet, vt à morte quis ad vitam educatur. Per mortem vero, & illam intelligere potes, quæ corporis operationes extinguit: ipſam nimirum naturalẽ mortem. Et illam, quæ virtutũ operationes in anima mortificat, quam appellamus peccatũ. Ab vtraque enim morte poteſt nos deus liberare. Intelligi etiam poſſunt hæc verba, vt prophetiam contineant de ſaluatoris reſurrectione, qui primus exiit à morte. Ea etenim ſuperata in ſua carne, rurſus reſurrexit.

Verumtamen deus confringet capita inimicorum ſuorum. Principaliores, inquit, atque efficaciores dæmonum potentias confringet, quas capita ideo appellauit, quia in capite potiores, ac præcipuæ ſunt noſtri corporis vires. Abundat autem hoc in loco dictio, verumtamen. Huiuſmodi autem confractionem capitum, nõ intelliges corporalem eſſe, cum corporibus careant dæmones. Sed intellectualiter, cum & ipſi intellectuales ſint ſubſtantiæ.

Verticem capilli perambulantium in delictis eorum. Confringet, inquit, deus capita inimicorum perambulantium verticem capilli, hoc eſt, conculcantium verticem comæ, comæ dico quorumlibet delinquentium. Capillum enim hic dixit pro coma. Conculcare vero delinquentium comam dicuntur dæmones, eo quod peccatores quoſq; veluti ſibi ſubiectos conculcãt. Poſſumus etiã immutato ſermõe, aliter exponere: quod cõfringet Dominus capita hominũ perambulantiũ, hoc eſt, inueſtigantiũ in delictis humanis capillum verticis, hoc eſt, tenuiſſima quæque hominum peccata. Exquirunt etenim dæmones,

dæmones, etiam hæc minima, quoties animã viderint rationem deo esse reddituram.

ἐκ *Dixit dominus, ex Bassan conuertam.* Bassan confusionem significat, seu sordes. Conuertit igitur deus eos, qui fideles fuerunt ex gentibus ab Idolorum confusione, atque à sordibus peccatorum.

ἐν βυθοῖς θαλάσσης *Conuertam in profundis maris.* Conuertit autem eos deus à sordibus, vt diximus, atque hoc in sacro baptismatis lauacro, quod profunda maris appellauit. In eo etenim deus amarum ac sanguinosum demersit peccatum, quemadmodum & Michæas Propheta prædixit. Ipse, inquiens, conuertet nos, & miserebitur nostri, & dissoluet peccata nostra, & proiicientur in profunda maris. Per profunda etiam maris, peccatorum profunditatem, hoc est, grauissima quæque delicta, possumus intelligere: à quibus delictis conuertit nos deus, ad virtutis lucem adducens. Et iuxta hunc sensum quod dicit in profundis, expones, pro ex profundis, vt sit præpositio pro præpositione.

Vt intingatur pes tuus in sanguine. Hoc autem facies, ô domine, vt sæuos prorsus superes dęmones. Est enim sermo metaphoricus, & tractus à strenuorum militum certamine, qui cum fuerint victores, cæsorum hostium cadauera conscendunt, & in defluenti sanguine pedes intingunt. Huiusmodi translatione vtitur Esaias, ex persona Christi dicens: Conculcaui eos in furore meo, & deduxi sanguinem eorum in terram, & aspersa sunt vestimenta mea, in victoria. Sensus igitur præsentis versiculi est, quos eos prorsus superabit. Vel aliter: intelligendo de Christo: per Christi pedem, ipsam possumus Ecclesiam intelligere: quæ per fidem eum vbique fert. Ipsius etenim Ecclesiæ caput est Christus, & ipsa rursus Christo pedum vicem præstat. Hæc igitur Ecclesia intincta est in Christi sanguine, eo nimirũ signata, atque intincta, vt quemadmodum ferrum tinctura, sic & ipsa eius sanguine consolidata fuerit, ac roborata. Vel etiam martyrum sanguine, tametsi intellectualiter dæmonũ sanguinem intellectualiter occisorum, possis etiam intelligere.

Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. A communi sensu rursum sumendum est verbum, vt intingatur. Canes autem Christi, Episcopi sunt, qui insidiatores expellunt, & rationales greges custodiunt. Horum igitur canum intellectualis lingua intincta est, in sanguine nimirum, qui profluebat ex inimicis. Subaudiendum est enim aliquid ex præcedenti versiculo. ita vt ordo, ac sensus perfectus sit: vt intinguatur, inquit, eorum lingua ex inimicorum sanguine, ab ipso deo patre nimirum adiuta. Est autem hic sermo metaphoricus. Cæsis siquidem inimicis, cædentium canes lambere solent occisorum sanguinem, & illorum cadauera dilaniare.

Visi sunt incessus tui deus. Per incessus hic actiones Christi in carne conuersationemq; ac vitam eius intelligit, quorum omniũ spectatores Apostolos fuisse legimus, iuxta quod per alium Propheta dicitur: post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est. Ἐθεωρήθη σαν αἱ πορεῖαί σου

Incessus dei mei, regis mei, qui est in sancto. Vide, quam ingenue beatus Dauid, Christum fateatur deum esse, veluti, qui certissimam futurorum habebat scientiam. Sanctum autem patrem ipsum appellat, in quo filius ineffabiliter est. Ego enim, inquit, in patre, & pater in me est.

Præuenerunt principes coniuncti psallentibus. Apostolos principes appellat, quemadmodum & alibi: Constitues, inquit, eos principes super omnẽ terram, & diximus in psalmo quadragesimoquarto. Hi igitur principes, omnes alios credentes in fide præuenerũt. Per psallẽtes vero, ipsos Prophetas intelligit, eo q̃ omnia cecinerint, ac prędixerint, quę ad Christum pertinebant. His igitur Prophetis Apostoli coniuncti fuerunt, hoc est, proximi ac vicini extiterunt, quia & tempore, & prædicatione illos consecuti sunt.

In medio iuuencularum tympanistriarum. In medio Iudaicarum synagogarum, quæ propter vitæ, atque conuersationis imperfectionem, adulescentulæ adhuc, hoc est, imperfectiores fuisse dicuntur, & tympanistriæ, quia non tam spirituale quam corporale obsequium, atque cultum deo in religione sua exhibebant, ex corporea enim pelle conficitur tympanũ. Vel in medio Ecclesiarum, quæ vbique locorum sunt. Quæ adulescentulæ etiam dici possunt, ob nouam puramq; ac synceram fidem, & tympanistriæ, quia in dei obsequium corpus suum mortificant. Tympana etenim ex mortui corporis pelle confici solent.

In Ecclesijs benedicite deo. Hic sermo, legalis cultus cessationem

tionem prædicit,& Eccleſiarum multitudinem,quæ in variis orbis partibus erigendæ erant. Nam olim vnicum tantum erat omnibus Iudæis templum.

ἐκ *Domino ex fontibus Iſrael.* Domino rurſum benedicite ex legis,ac prophetarum libris,ex quibus veluti quibuſdam fontibus perennibus,Iſraelitico populo, dei doctrina, atque cognitio perpetuo ſcaturiebat, ex quibus fontibus ſancti patres ac deo pleni,multa haurientes, hymnos in dei laudem compoſuerunt.

Ibi Beniamin aduleſcentulus in mentis exceſſu. Illic, inquit, in Eccleſiis Beniamin aderat, Apoſtolus ſcilicet Paulus, qui de tribu fuit Beniamin, & aduleſcentulus, ſeu (vt magis poſcit,Græca dictio) Iunior dicitur, quia vltimus omnium Apoſtolorum ad fidem acceſſit. Et in mentis exceſſu, ſeu (vt νεώτερος proprie eſt Græca dictio) in ecſtaſi, propter raptum eius ad tertium cœlum,de quo ipſe ait:ſiue in corpore,ſiue extra corpus,neſcio:deus ſcit.Nam & in beato Paulo ea impleta ſunt, quæ de Beniamin à Iacob patriarcha in benedictionibus prædicta fuerant:Beniamin lupus rapax mane comedet, veſpere diuidet cibum. Ipſe ſiquidem Paulus ab initio, lupi inſtar, Eccleſiam vaſtabat, furore, atque cædibus pene eam deuorans, & tandem conuerſus, non tantum his cædibus abſtinuit,ſed ſpiritualem cibum atque cœleſtem panem Eccleſiæ fidelibus,per vniuerſum orbem, vt fidelis ac prudens diſtributor,diuiſit.

Principes Iuda duces eorum,principes Zabulon,& principes Neptalim. Ipſarum, inquit, Eccleſiarum duces erunt Apoſtoli. Apoſtolos enim intelligit, dum trium harum tribuum principes nominat. Nam & Iacobus, & cæteri fratres domini è Iudæ tribu fuerunt, Petrus, Andreas, Ioannes & Philippus ex vico erant Bethſaida,Matthæum,& Iacobum Alphæi degiſſe legimus in Capharnaum:Simon autem Zelotes Cananæus fuit. Omnia autem hæc loca in Galilæa erant regione, quæ Zabulon,& Neptalim tribubus in ſortem obuenerat. Similiter & alij Apoſtoli ex his tribubus originem trahebant. Et principes eos appellauit,non quòd ciuitatibus & locis illis dominarentur,ſed quia excellentiores, atque honoratiores erant,animi nobilitate. Vel ſubintellige dictionem,ex,vt ſit ſenſus, quòd principes fuerunt ex tribu Iuda, ex tribu Zabulon,

Zabulon, ex tribu Neptalim.

Manda deus uirtuti tuæ. Hæc ad patrem dicta ſunt,vt filio mandet ea,quæ ad prædicationem pertinerent. A me ipſo etenim,inquit Chriſtus, nihil loquor, ſed quæcunque audiero à patre. Quòd autem Chriſtus virtus dei dicatur, Apoſtolus docuit,dicens de eo,ꝙ dei virtus eſt,& dei ſapientia.

Confirma hoc deus,quod operatus es in nobis,à templo tuo in Hieruſalem. Hæc ad filium dicta ſunt, vt Euangelij prædicationem,quod in nos. Vel propter nos operatus eſt, validiorem,ac potentiorem reddat. Vel confirma quod operatus es à templo tuo,hoc eſt, quod perfeciſti per aſſumptam humanitatem, quæ templum dicitur,ac tabernaculum diuinitatis. Nam quod ait, à templo tuo,exponi debet, hoc eſt, per templum tuum,quod templum,hoc eſt,quod corpus tuum,habitauit in Hieruſalem. Ego enim, inquit, conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.

Tibi offerent reges munera. Gentium nimirum reges. Munera autem, quæ obtulerunt hi reges, templa ſunt, & prædia deo dicata,& varia alia dona ab eis diuino cultui pie oblata. Hæc autem munera ſtatim offerent,cum primum te immortalem eorum eſſe regem, & deum cognouerunt. Quanquã & immutato verſiculorũ ordine,aliter poſſim⁹ exponere, vt ſenſus ſit: ꝙ ab hoc terreſtri tuo templo, reges ferent tibi dona, in ſupernam Hieruſalem,quia per terreſtrium horum munerum oblationem, acceſſum & gratiam apud deum in cœlo conſequentur.

Increpa feras arundinis. Fac obmuteſcere,inquit, intellectuales leones,immittes nimirum ac ſæuos dæmones,qui veluti quidam leones,in arundinibus latent,dum in leuitate,ac ſterilitate inſtabilium, atque inconſtantium in fide hominum, latebras ac nidos ſuos faciunt: iuxta quod de diabolo ſcriptum legimus, apud beatum Iob, quòd ſub omni dormit arbore,apud arundinem, & papyrum, & caricem. Huiuſmodi etenim ſermone, requieſcere dæmonem intelligimus, in iis hominibus, qui plantarum, quas ſupra commemorauimus proprietates ſeruant,qui ſcilicet,aridi ſunt,ad ſerendas virtutes, & quia ſuccum atque humorem multum habent ad nutriendas voluptates. Huiuſmodi etenim proprie-

tatis, & naturæ sunt papyrus, & carex.

Congregatio taurorum in uaccis populorum ut excludantur qui probati sunt argento. Per tauros, pontifices & scribas & reliquos Iudæorum principes intelligit, veluti temerarios ac cornu ferientes. Per vaccas vero, seu (vt potius Græca dictio significat) per iuuencas populorum, plebis multitudinem intelligit, quæ illis suberat. Præsunt enim in armentis tauri & subsunt iuuencæ. Et sensus est: Quòd ij, qui cæteris dignitate præeminebant, fuerunt in medio populorum, vt Apostolos excluderent, hoc est, vt impedirent eos à prædicatione verbi, Apostolos dico qui argento, hoc est, qui in fide, aut virtute probati sunt. Legimus enim in actis, quòd cum principes sacerdotum, & seniores vocassent Apostolos, & verberibus cecidissent, iusserunt ne loquerentur in nomine Iesu. Argento autem probatos dixit, pro, probatos tanquam argentū. Est enim Hebraicæ linguæ proprium idioma. Vel subintelligendo dictionē, quasi alia potest reddi lectio, vt sit, qui probati sunt, quasi argentum.

δάμαλις

Dissipa gentes, quæ bella uolunt. Intellectuales nimirum & sensibiles gentes.

Venient legati ex Aegypto. Per Aegyptum omnes Gentiū regiones intellige, quibus intellectualis Pharao, dæmon dominatur. Ex hac etenim Aegypto venturos esse prædicit fideles ad Christum, pro toto orbe intercessuros.

χεῖρα αὐτῆς

Aethiopia præueniet manum suam deo. Præueniet, hoc est, extendet. Nam qui manum extendit, præuenire quodammodo illud videtur, quod procul iacebat. Ab eo igitur quod consequitur, significauit id quod præcedit. Extendit autem Aethiopia Candacem illum, quem manum nunc propheta appellat, veluti potentem inter Aethiopes. Vis etenim, ac robur hominis in manu potissimum dignoscitur. Potens autem erat ille Candaces, cum post reginam in imperio primus haberetur. Aliqui per Aegyptum vniuersum dicunt orbem significari, eo quòd intellectualis Pharao totius orbis dominaretur, & per Aethiopiam eiusdem orbis fines denotari. Sunt enim Aethiopes in orbe omnium hominum extremi, qui orientem incolunt & occidentem. Reminiscentur enim, inquit, & conuertentur ad dominum, vniuersi fines terræ. Et iuxta huiusmodi expositionem, quod ait: Præueniet manum suam:

suam: simpliciter ac iuxta literam intellige, quòd supplices ad Christum manus extendet, fidelis scilicet iam effecta.

Regna terræ cantate deo, psallite domino. Hic versiculus ad duorum præcedentium declarationem consequitur. Vniuersas etenim gentes promiscue canere Christo iubet, & psallere.

κατὰ ἀναβολὰς

Qui ascendet super cœlum cœli in orientem. Qui ascendit in cœlum in orientem, hoc est, palam, ac manifeste, omnibus videntibus Apostolis, qui in terra erant, & videntibus etiam omnibus incorporeis angelorum ordinibus. E cœlo etenim descendens in terram, descendit in occidentem, hoc est, clam & latenter ab omnibus, velataque & obtecta ineffabili quodammodo illius diuinitate. Ascendens vero è terra in cœlum, palam ascendit, & hoc est, quod ait, ascendisse in orientem. Alij ideò dictum esse putant, in orientem: quia Christus in orientali Hierusalem ora esset, quando in cœlum assumptus est. Ita enim iacere dicunt ad Hierusalem montem Oliuarum. Cœlum vero cœli illud appellat, quod est supra firmamentum, quodque ante omnes alios cœlos creatum est. Illud enim firmamenti cœlum dicitur. Nam per firmamentum, nostrum cœlum intelligimus.

Ecce dabit uoci suæ uocem uirtutis. Vox Christi, Apostoli sunt, qui Christi loquuntur sermones. His igitur in die Pentecostes sanctum dedit spiritum, quem hoc loco beatus David virtutis vocem appellat, iuxta quod Lucas ait, quòd factus est repente de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis. Sonus autem voci simillimus est. Virtutis vero vocem dixit, quia & ipse dominus virtutem eum appellauit dicens: donec induamini virtutem ex alto. Vel aliter: per vocem dei præcursorem Ioannem intellige, de quo dictum est, ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, per vocem vero virtutis, ipsum Christum, eo quòd post salutares illius sermones, diuina quædam vis ac virtus consequebatur. Nam simulac aliquid ab eo dictum erat, statim etiam opere adimplebatur.

Date gloriam deo. Ad fideles sermo est, mandans vt deum glorificent, qui tantam illis impertitus est misericordiam.

Super Israel magnificentia eius. Magnalia, inquit, dei iis

hominibus innoteſcunt, qui diuinæ contemplationi vacauerint. Iſrael etenim interpretatur mens videns deum, ille vero qui affectibus, ac paſſionibus fuerit obcæcatus, contemplari non poterit quanta ac qualia deus ob noſtram ſit operatus ſalutem. Et quod, ait: ſuper Iſrael dixit pro, ipſi Iſrael. Vel aliter: ſuper fidelium Eccleſiam, quæ mente ac ſpiritu Chriſtū videt, fiunt mirabilia dei, quorum contemplatione digna eſſe ſemper reputatur.

Et uirtus eius in nubibus. Per nubes, hic ipſos etiam Apoſtolos intelligit, veluti ſupra exiſtentes atq; eminentes à terrenis negotiis, ac veluti ſpirituali, aqua plenos, quam ex ſancti ſpiritus profundis hauſerunt, vt animarum arua ac campos, hoc eſt, vt ipſos credentes irrigarent.

Mirabilis deus in ſanctis ſuis. Soli, inquit, ſancti deum admirantur. veluti qui magnificas atq; ampliſſimas illius admiſtrationes ſoli pro animi dignitate concipere ac comprehendere poſſint. Mirabilis igitur atq; admirandus eis eſt.

Ipſe dabit uirtutem & fortitudinem populo ſuo. Nouo nimirum populo: virtutem quidem vt ab idolorum errore & ſeductione eripiantur, fortitudinem vero vt per eam in ſyncera fide conſtanter poſſint permanere.

Benedictus deus. Qui rite omnia adminiſtrauit, qui creauit nos, & denuo iterum reparauit, qui tantis populum ſuum donis dignum effecit. Et hæc quidem huius pſalmi expoſitio eſt iuxta Anagogen. Verum & Iudæi iuxta hiſtoriam rebus ſuis accommodare eum conantur. Sed exequi propoſitum non poſſunt, ſcire igitur decet, quo pacto illius ſenſum detorqueant. Aiunt enim: exurgat deus in auxilium corporalis Iſrael. Et per inimicos, Philiſtæos aut alios alienigenas populos intelligunt, quos etiam eſſe eos dicunt, qui deum oderunt, & peccatores inſuper & iniquos. Per iuſtos vero omnes probos ac virtute præditos viros intelligunt, qui tunc erant inter Iudæos. Et quod ait, Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſus: aiunt de Arca dictum eſſe, cum ſanctus ſpiritus parari viam iuſſerit, per quam deus erat aſcenſurus, atque hoc in occidentali parte Hieruſalem. Ita enim ſitum fuiſſe templum dicunt in quo tandem arca quieuit. Deus in loco ſancto ſuo, hoc eſt, in templo, qui Iudæorum populum (quos vnanimes, ſeu vnius moris homines appellari dicunt, quia in

quia in vnum deum credunt) habitare facit in domo, hoc eſt in templo ſuo. Deinde ea connumerari: dicunt, quæ in exitu Aegypti contigerunt. Magna enim vi eduxit deus Iudæos de Aegypto, ſeruitute antea illic alligatos, quos & paulopoſt exaſperantes appellari dicunt, ratione quam alibi diximus, & ſepulchrorum habitatores, eo q; dum in Aegypto eſſent, tanquam pene mortui reputabantur, & nihil per ſe poterant operari. Egrediebatur autem tunc deus coram populo in columna nubis & ignis, & ſimul cum populo pertranſibat in deſertum. Tunc etiam terra concuſſa eſt, facta nimirum valdiſſima quadam tempeſtate in monte Sina, & cœli deſtillauerunt manna. Per voluntariam vero pluuiam, gratam aquam intelligunt, quæ fructuum præſtitit copiam. Et infirmata eſt, eorum nimirum hæreditas, quando in Aegypto variis calamitatibus atque afflictionibus fuit percuſſa. Perfecit autem eam deus muniens & corroborans eam regno. Per animalia vero dei, ſe ipſos intelligunt, veluti deo dicatos. Præparaſti etiam, inquiunt, tu deus ea bona pauperi populo tuo, erranti in deſerto, & certam adhuc regionem non habenti. Et per euangelizantes, antiquos prophetas intelligunt, qui populo annunciabant, vt inimicorū ſpolia diuiderent, & ad templi pulchritudinem atque ornatum ea deputarent. Qua in re falſa dicere conuincuntur, cum nulla fuerint ſpolia, quæ illi ad decorem templi obtulerint, ſed vt diximus, Anagogice hæc omnia intelligenda ſunt. Per dilectum etiam, ipſum Dauid intelligunt, aut Salomonem, & verba illa, ſi dormieritis inter medios cleros, ita exponunt, ſi ſtabiliti fueritis in medio prædiorum terræ promiſſionis, quæ prædia vobis in cleros, hoc eſt, in ſortes contigerunt, adeo veſtræ augeſcent diuitiæ, vt alæ columbarum, quas prædiuites viri gypſinas ſuper tecta in ſummæ fœlicitatis ſignum infigere ſolebant, futuræ ſint deargentatæ, & ſcapulæ, ſeu poſteriora dorſi, pallidiſſimo ac puriſſimo auro ornanda. Verum nullibi legimus Iudæos huiuſmodi ritum aliquando ſeruaſſe, vt columbas in domorum tectis infigerent. Dum diſcernit, hoc eſt, dum eligit cœleſtis deus reges ſuper Hieruſalem, ſplendeſcent & lucebunt illi reges in ea. Montem etiam dei Sion, appellat montem pinguem, quia paſcentia illic pecora facile pingueſcant, & montem coagulatum ſimiliter, ſeu caſeatum, quia paſcuo-

rum abundantia assidue lac præbeat. Verum quod dicitur: etenim dominus habitabit in finem, vt iam prædiximus, ab eis recte exponi non potest. Per currum etiam dei seipsos intelligunt, quasi in ipsis solis deus requiesceret, & quem currum multiplicatum esse dicunt in infinitum, hoc est, valde numerosum, & millia etiam abundantium diuitiis in eis esse: item quòd dominus ille in eis est, qui olim fuit in Sina, cum eorum progenitoribus. Et ad deum deinde sermonem dirigunt, dicentes: ascendisti in altum, hoc est, sublimis atque excelsus, reputatus es supra omnes. Captiuasti captiuitatem per populum tuum, qui hostes tuos deuicit. Accepisti dona, hoc est, oblationes, deo dicatas, & eos homines qui tibi antea non parebant, accepisti in seruos, vt inhabitare eos faceres simul cum populo tuo, atque ei seruire. Quæ sequuntur manifesta sunt. A domino autem sunt exitus ac viæ mortis, qui conteret alienigenarum capita, & verticem capilli hominum perambulantium in peccatis. Decreuisse etiam olim deum dicunt, & dixisse. Conuertam, hoc est, eripiam populum meum, & saluum educam è Bassanitide regione, in qua Oggigas regnauit, & conuertam eum ex profundo maris sanguinum. Riui enim sanguinum tunc inundarunt, iis interfectis, qui cum Og rege erant, vt pes tuus ô Hebræe intingatur in iugulatorum hominum sanguine, & ipsa etiam lingua canum tuorum, ex eodem inimicorum sanguine per ipsum deum intingatur. Itinera autem esse dicunt dei vias, hoc est, dei vestigia olim in monte Sina. Ascendit enim, inquit, in monte Moyses & Aaron, & quæ sequuntur. Et paulo post, & viderunt locum vbi steterat deus Israel, & quæ sub pedibus eius opus lapidis Saphyri. Per sanctum vero, ipsum intelligunt cœlum. Sequitur: Præuenerunt populum, ipsius populi principes. Inter canendum etenim deo, atque inter psallendum, adstiterunt propius psallentium choro, in medio iuuencularum tympanistriarum, & accidisse hæc intelligunt, post transitum maris rubri, quando Maria soror Aaron, prima inter alias adolescentulas cœpit canere canticum. Et quod sequitur: In Ecclesiis benedicite deo, nullo pacto, suo possunt accommodare proposito. Et Beniamin pro tota tribu intelligunt, & adulescentiorẽ, seu iuniorem appellari dicũt, quia cæterorum fratrum iunior fuerit. In extasi ve-

vero & mentis excessu, eum fuisse dicunt, eo quòd huius tribus milites in certamine furere quodammodo, atque extra se rapi videbantur: verum frigida admodum huiusmodi videtur expositio. Principes etiam Iuda regnasse dicũt in populo Hebræorum: principes autem Zabulon, & Neptalim ideo aiunt hic fuisse commemoratos, quia cæteris insigniores harum tribuum homines videbantur, ob summam, quam in bello semper ostenderunt, strenuitatẽ. Deinde manda, inquiunt, deus virtuti tuæ: hoc est, angelis tuis. Virtus enim dei angelus: manda iuquam ea quæ ad defensionẽ nostrã pertinent: & confirma regnum, quod in nobis iam parasti, si non propter nos, saltẽ propter celebre templũ tuum. Ita enim intelligunt illa verba: à tẽplo tuo. Tibi etiam ferent reges munera. vt Salomonis tẽpore factũ est, ab Hyrã rege Tyri, qui ligna ad constructionẽ templi cedrina obtulit. Perferas autem harundinis, immites gentes intelligunt, quæ in occultis, atque accessu difficillimis locis habitabant. Cõgregationem etiam taurorum seipsos esse asserunt, veluti duces quosdam inter subiectos populos confidentes, & congregationẽ conuocãtes, eosque dirigentes, ac cõseruantes: vt excludant, hoc est, vt ex clausura liberent populum probatum in munditia fidei, tanquam argentum. Quod sequitur: venient legati ex Aegypto: impletu esse dicunt Salomonis tẽpore, quãdo Aethiopia suam ad Salomonẽ manum: hoc est, quando vim ac potentiam suam misit: illam scilicet reginam quæ visitatura venit Salomonẽ: & quæ sequuntur eodẽ conãtur tenore, rebꝰ suis accõmodare: quanquã, vt diximus, cõuincatur nõ posse. Illud profecto admiratione dignũ est, quomodo sanctus spiritus anagogicũ sensum cum historico cõplicauerit, & precipuis quibusdã locis meram anagogen, omni prorsus nudam historia apposuerit, ad conuincendum aduersarios Iudæos.

In finem pro iis, qui commutabuntur, psalmus ipsi Dauid.

In finem inscribitur ob prophetias hic contentas, quæ ad finẽ tendebant. & pro iis, qui commutabuntur, quia rerum mutationem pertractat. Conscriptus autem fuit ex populi persona, qui captiuus erat in Babylone, & mutatione facta à seruitute liberatus, & in patriam restitutus est. Accommodari etiam potest cuilibet fideli, qui à uisibi-

lium atque ab intuisibilium hostium oppressione fuerit liberatus.

PSALMVS LXVIII.



Saluum me fac deus quoniam intrauerunt aquæ usque ad animam meam. Per aquas, tentationũ ac calamitatum affluentiam intelligit, quæ ab inuisibilibus, vt diximus, seu à visibilibus inimicis ꝓueniant: quarum calamitatũ profunditas, aquarum instar, facillime omnes suffocat, qui in eam inciderint. Huiusmodi aquæ, inquit, totum me obtexerunt, & ad ipsam vsque animam peruenerunt: quo sermone doloris sui vehementiam demonstrat.

ὑπόστασις *Infixus sum in limo profundi, & non est subsistẽtia.* Quædam exemplaria habent: infixus sum in materia. Græcæ enim dictiones ἰλὺς & ὕλη (quarum prior limum, altera materiã significat) modica & literarum & vocum differentia distinguuntur. Quocirca scriptorum vitio facilè introducta est lectionis varietas. Verum vtcunque legas, fecem illam prophera metaphorice significare voluit, quæ sub ꝓfundo aquæ esse solet. Qui igitur in huiusmodi fece, infixi sunt, subsistentiam, hoc est, stabilitatem nullam inueniunt, ipsa nimirum fece, ob cœnosam ac fluxam illam materiam, semper magis infra se considente.

εἰς τὰ βάθη *Veni in profunda maris, & tempestas demersit me,* His tribus proximis versiculis eandẽ propheta vbique repetiit sententiam, multiplicibus absorptum se esse asserens calamitatibus, quas variis explicare conatur nominibus: aquas primo eas appellans. eo quòd impetu quodam, aquæ instar defluũt, & suffocant: deinde limum profundi, propter infinitatem. & tertio, profunda maris, ob copiam atq; amaritudinem aquarum: postremo etiam tempestatem, ob summam huiusmodi calamitatum vehementiam.

Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ. Clamans scilicet ad te, vnde assiduo atque intenso clamore effectus sum raucus.

Defecerunt oculi mei. Fatigati nimirum ac debiles effecti dum intenti te intuentur.

Dum spero in deum meum. Hoc mihi accidit quia in te tantum spero. A te solummodo, opem, & posco & expecto, atq; ideo intentus te intueor.

Multiplicati

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis: inualuerunt inimici mei, qui persequuntur me iniuste. Et multi, inquit, sunt, & potentes, qui persequuntur me, & sine causa oderunt me. ἐκραταιώθησαν

Quæ non rapui, tunc exoluebam. Metaphoricus est sermo, desumptus ab iis, qui ea reddunt quæ nunquam abstulerunt: & sensus est: quòd earum rerum causa se pœnas dare dicit, pro quibus ipse molestiam alicui aliquam nunquam intulerat. Et quòd ait: tunc exsoluebam: ad illud tempus referendũ est, quando pœnæ huiusmodi ab eo exigebantur.

Deus tu nosti insipientiã meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Tu, inquit, nosti omnia, tu insipiẽtiam meam cernis, & siquid aduersus eos aut imprudenter egi, aut deliqui, nihil prorsus te latet.

Non erubescant super me, qui sustinent te domine, domine uirtutum. Quod ait super me, est constructio indifferens, pro, in me. Non erubescant igitur in me, quasi id auxilium non sim consecutus quod à te expectabam. Illi, inquam, non erubescant in me, qui sustinent: hoc est, qui expectãt te sibi adiutorem futurum. Dominum autem virtutum seu potentiarum, eum appellauit, veluti qui saluare omnes potest, qui illum inuocant. μὴ αἰσχυνθείησαν

Neque confundantur super me, qui quærũt te, deus Israel. Similis est sententia, quam in præcedenti habuimus versiculo. Illi vero quærere deum dicũtur, qui in angustiis atque afflictionibus propriis, eum inuocant.

Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. De opprobrio dictum est in psalmo XLIIII. ibi: quoniam exprobrabant mihi inimici mei, dicentes: vbi est deus tuus? post opprobrium vero, sequitur confusio.

Extraneus factus sum fratribus meis, & hospes filiis matris meæ. Quæ sequuntur manifeste Christo congruunt. Quidam vero & superiora ei esse applicanda contendunt, veluti passo lege humanæ naturæ. Per fratres autem Iudæos intelligit. Eundem enim omnes progenitorem Habraam habebant, quos simili modo matris suæ filios appellat, ob Sarram cõmunem omnium matrẽ. Hi igitur fratres sui extraneum eum reputarunt, cum dicerent: hunc nescimus vnde sit: & rursus: nonne benedicimus quia Samaritanus es, & dæmonium habes. ξένος

bes.atque ideo ipse etiã Ioannes euangelista dicebat:in propria venit & sui eum non receperunt.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me. Hoc impletum est, quando magna cum authoritate ementes & vendentes expulit de tẽplo. Meminerunt enim,inquit,discipuli,quod scriptum erat: zelus domus tuæ comedit me: zelũ appellans iustam illam indignationem, quam conceperat, quia nullam dei templo reuerentiam exhibebant.

Opprobria exprobrantium tibi,ceciderunt super me. Hunc etiam versiculum magnus Paulus Christo accõmodauit,scribens ad Rom.dicit igitur Christus ad patrẽ: opprobria tua reputaui mea esse,quia scilicet vnum sumus:ea autẽ dico opprobria, quę idololatrę homines in te iactabãt,infirmitatẽ tibi exprobrantes, quasi in vna Iudæorum gente tantum colereris & pauci te in orbe homines adorarẽt. Quo circa ego in vniuersas nationes tui cognitionem expandi.

Et operui in ieiunio animam meam. Maceraui atque afflixi me, quando quadraginta diebus ieiunaui, & aliâs sæpenumero.

Et factum est in opprobrium mihi. Et hoc ieiunium factum est mihi in opprobrium,Hinc etenim infirmum me ac debilem esse dęmon suspicatus est,& veluti simplicem ac nudum hominem exprobauit,& multipliciter tentauit.

Et posui indumentum meum saccum. Per saccum assumptam carnem intelligit.ita enim eam appellauit propter illius asperitatem & tactui resistentem naturam.

ἦδολέσχουν ἐν τοῖς πύλαις

Et factus sum eis in parabolam,aduersum me nugabantur,qui sedebant in portis. & in me psallebant,qui bibebant uinum. Verisimile est,quòd Christus post mortem factus sit in parabolam Iudæis,& quòd aduersus inimicos eadẽ imprecarẽtur, qualia Christum pati viderant,quodque eadem ferè dicerentur & vociferarentur ab iis, qui conciliis & conuentibus eorum intererant apud templi ianuas,vbi eiusmodi hominum cœtus conuenire atque congregari solebant. Neque eos etiam Christi famæ atque honori peperciſſe verisimile est,qui cõmessationibus & sympositis vacabant, cum huiusmodi homines vino vires præstante, facillime carmina ac cantus soleãt cum immodestia ac mordacitate componere.

τῇ προσευχῇ μου πρός σε κύριε

Ego autem oratione mea ad te. Alterũ explicuit propheta sermonem

sermonem ex Christi persona, & rursus alterum assumit,dicens:ego autem cum hæc scirem ante passionem meam,oratione mea ad te: subintelligitur, orabam, seu eleuatus sum. Deinde ipsa orationis verba apponit.

Tempus beneplaciti domine. Simile illud est, quod dixisse eum legimus apud euãgelistam:pater venit hora. Per beneplacitum enim, crucis mortẽ intelligit. Nam beneplacitum idem æque significat quod bona voluntas. Bona autem voluntas fuit,quod per huiusmodi mortem nos,qui antea mortui eramus ob peccatum,ad vitam rursus simus restituti.

ὁ θεὸς

Deus in multitudine misericordiæ tuæ exaudi me. Prædiximus,quòd Christus lege humanæ naturæ orabat, & liberari optabat à tentationibus, quemadmodũ euangelica docet historia. Hoc autẽ dictũ videtur esse illi simile:salua me propter misericordiam tuam.

In ueritate salutis tuæ saluum me fac à luto, ne infigar. Sola enim illa vera est salus,quæ à te est. Homo etenim hominem iuuare non potest. In veritate igitur salutis tuę. hoc est,in vera salute tua. Est etiam propriũ hoc Hebraicæ linguæ Idioma. Quod autem superius limum appellauit,nunc lutum dicit. Eadem enim loquendi figura nunc vtitur, qua illic vsum eum videmus.

ἐρυσθείην

Liberer ab iis qui oderunt me,& de profundis aquarũ. Oderunt autem eum tam visibiles quàm inuisibiles inimici. Per profunda vero aquarum, occultas insidias intelligit. Nam quod profundum est,abditum atque occultum videtur.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum. Iam diximus quòd hæc omnia metaphorice ac figurate dicta sunt.

συχέτω

Nec contineat super me puteus os suum. Ne relinquar in tẽtationum fouea. Is etenim,qui in puteum cadit, solamen aliquod,vel modicum habet,quoad putei os apertum est. Nam vbi id occlusum fuerit,statim desperare incipiet de salute.

Exaudi me domine, quoniam bona est misericordia tua. Quoniam tua,inquit,misericordia indigeo.

Secundum multitudinem miserationum tuarum, respice in me. Ea verba: secundum multitudinem miserationum tuarum: exposuimus in psalmo quinquagesimo & quæ sequuntur in psalmo vigesimoquarto.

Ne auertas

Ne auertas faciem tuam à puero tuo quoniam tribulor, uelociter exaudi me. De verbis, ne auertas faciem tuam, diximus in psalmo XXVI. per puerum autem hic, vnigenitum intelligit filium.

Intende animæ meæ, & libera eam. Intende ei in calamitatibus constitutæ.

Propter inimicos meos libera me. Ne morte lętentur mea.

Tu enim cognoscis opprobrium meum, & ignominiam meam, & confusionem meam. Nosti quanta mihi exprobrent, voratorē ac vini potatorem appellantes, publicanis, ac peccatoribus amicum, dæmoniacū, & deo contrarium. tu etiam nosti quomodo me confundant, hoc est, quanta (vt eis videtur) ignominia me, ac pudore afficiant.

In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me. Me, inquit, affligunt coram te, te, inquam, vidente ac discernente omnia. vel, sunt in conspectu tuo., hoc est, effugere à te nequeunt. Quod siquis addubitet quo pacto nō potuerit Christus post tot ac tantas supplicatiões, calamitatum ac tentationum molestiam euitare, animaduertat quòd Christus vt homo, rogabat non incurrere in tentationes, vt huiusmodi supplicandi normam nobis traderet: quia spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: & quoniam ob nostram salutem illū pati oportebat, passiones nostras libens in se susceptt, & dei patris voluntatem, humanæ suæ præposuit voluntati. orans etenim dicebat: Pater si possibile est transeat à me calix iste: & demum addidit: Pater mi, si non potest transire à me, nisi bibero illum, fiat voluntas tua.

ה חרפה *Opprobrium expectauit anima mea, & miseriam.* Præuidebam olim, inquit, hæc omnia. dicebat enim discipulis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum, & quę ibi sequuntur.

Et sustinui, qui simul contristaretur, & non erat, & qui consolaretur, & nō inueni. Sustinui pro expectaui posuit, seu pro quęsiui. hoc autem accidit, quando assumpto Petro, & filiis Zebedæi, cœpit contristari, & mœrere. tunc enim, inquit, dixit eis Iesus, tristis est anima mea vsq; ad mortem, expectate hic & vigilate mecū, & progressus modicum, cū orasset, venit ad discipulos, & inuenit eos dormientes, & dixit Petro, sic non potuistis

potuistis vna hora vigilare mecum?

Et dederunt in cibum meum fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Ait enim Ioannes euangelista post hæc cum sciret Iesus, quod iam omnia impleta sunt, vt impleretur scriptura, dicit: sitio. Vas igitur erat aceto plenū. illi autem cum implessent spongiam aceto, circumposito hyssopo, obtulerunt eius ori. per scripturam enim Ioannes præsentem versiculum intellexit. Matthæus etiam dederunt, inquit, ei bibere acetū, cum felle mistum. & Marcus rursum: cum accurrisset vnus, & implesset spongiam aceto, imponens ei arundinē, potum ei dabat. in cibum autem & in potum, hoc est, vt manducaret, & biberet. & Iudæi quidem simul cum aceto fel in potū dederunt. acetum enim, inquit, erat felle mistum, verum noster propheta in cibum ea distinxit, & in potum. dicere etiam possumus, quod postquam saluator se sitire dixit: Iudæorū illudentium, alij acetum tantum attulerunt, ad bibendum, alij vero fel ad manducandum: & quod alij insuper fel aceto miscuerint, vt quod per se acerbum erat, & molestum, amarulentius etiam redderetur. verisimile est etiam quòd Iudæi ad maiorem irrisionē Christo prius fel porrexerint, vt comederet, ne insuauis fortasse fieret potus si ieiunus adhuc potum sumpsisset.

Fiat mensa eorum in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. Per mensam, aliqui lętitiam significari dixerunt, contra vero dolorem, & tristitiam per illa tria, laqueum, retributionem, scandalum, vt sensus sit: vtinam eorum gaudium in afflictionem, & calamitatem immutetur. læti autem esse solent, qui sunt in mensa, cōtra mœsti, & tristes qui in laqueo aut retributione pœnarum sunt, aut in scandalo. possumus & altius contemplando, per mensam, sacras intelligere scripturas diuinitus inspiratas, quæ singulis diebus Iudæis olim in synagogis præbebantur. harum enim cognitio intelligentiū nutrit corda, verum Iudæi se illis nutriri existimantes, & gloriantes, ac iactantes se per eas conuicturos esse Christianos, ab eis potius veluti à quibusdam laqueis irretiti, atque inuoluti sunt, cum clare atque aperte scripturæ omnes de Christo loquantur. Atque hæc expositio quantum ad laqueum, recte hactenus procedit, quantum autem ad retributionem, dic quod Iudæi retributionem receperūt, dum pœnas luunt,

quia

quia huiusmodi scripturas intelligere noluerunt: quodq; in scandalũ factæ sunt,dum ab illis scandalũ Iudæis generatur, eo quod iuxta nudum ac literalem sensum omnia intelligunt,quæ in eis de Christo dicta sunt, qualia ea sunt quæ de Christi aduentu apud alium prophetã dicta habentur, quod simul pascet tunc lupus cum oue, & pardus requiescet cum hædo,quod leo & bos vnà comedent paleas, & alia huiusmodi,quæ tamen iuxta sublimiorem sensum in Christo perfectissime sunt adimpleta, tametsi ipsi qui iuxta corporis sensum omnia intelligunt, offendantur hac prophetia, & perquirant, quomodo iam hæc in Christo adimpleta sint, & scandalizentur credentes hæc nondum fuisse adimpleta. illa autem verba,fiat, obtenebrentur,& alia,quæ sequuntur, tametsi vocem habeant imperatiui modi,hoc tamen loco futuri significationem retinent,pro,fiet,obscurabuntur, & cætera.prædicunt enim futura mala, quæ illos comprehensura erant.verisimile est etiam Christum vti deum,omnia imperare,quæ futura sunt.

Obtenebrentur oculi eorum, ne uideant. De animæ oculis sermo est. obtenebrentur autẽ,quia lucem illã videre noluerunt,quæ illuminat omnem hominẽ:& quia ipsum etiam iustitiæ solem intueri noluerunt,oculos etenim habentes, non viderunt,& habentes aures non audierunt,sicuti & ipse Hesaias,& Christus etiam eis exprobrauit.

Et dorsum eorum semper incurua. Ab eo quod consequitur denotauit id quod præcedit.hoc etenim sermone seruitutem voluit nobis propheta significare. illud autem eos omnes vt plurimum consequitur,qui serui sunt, vt onere, aut alio laboris seu calamitatis genere oppressi,curuati incedant. Cõsydera etiam quanta cura sermonem suum aduersus eos perstringat propheta,dum ait: semper incurua,ac si diceret, eos amplius à seruitute liberandos non esse,tametsi sæpenumero in præteritum fuerint liberati,sed ad ipsum vsque mundi finem,in quacũque orbis parte fuerint aliis nationibus seruiẽt.

Effunde super eos iram tuam,& furor iræ tuæ cõprehendat eos. Vnum atque idem dicunt hi duo versiculi,eo excepto, quòd secundus vehementiori vtitur loquendi modo.

Fiat habitatio eorum deserta, in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet. Per habitationem, vniuersam appellat Hierosolymam,

lymam, in qua omnes Christi occisores habitabant: per tabernacula vero,priuatas eorum domos intelligit. Et sanè ita effectum est.nemo enim in eis amplius habitauit,post euersionem illam à Romanorum exercitu illatam. Hæc autem verba Apostolus Petrus proditori Iudæ accommodauit tanquam vni ex iis,qui Christum occiderunt.

Quoniam quem tu percussisti ipsi persecuti sunt. Percussisti dixit,pro percutere permisisti. Sic etiã Zacharias dixit: percutiam pastorem & dispergentur oues gregis, & Hesaias alibi: Dominus tradidit eum pro peccatis nostris. est etiam & hæc Hæbraicæ linguę proprietas,vt ei,qui permittit,factum adscribat,eo quòd prohibere potuit,& non prohibuit. quod vero persecuti sunt, expone,pro,grauibus afflixerunt pœnis: vel persecuti sunt,quousque occiderint.

Et super dolorem uulnerum meorum addiderunt. Auxerunt mihi vulnerum dolorem,addendo opprobria: vel super vulnerum dolorem,addiderunt calumniam dicentes, quod sepultum me discipuli furto subtraxissent,& negantes me vere resurrexisse.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. Per iniquitatem,hic multi calamitatem intelligi dicunt,quemadmodum etiam in psalmo LVI.ibi,donec transeat iniquitas: vbi diximus,augebis tu,inquit,eorum calamitates, quia & ipsi afflictiones mihi etiam augebant.

Et non intrent in iustitiam tuam. Non ingredientur,inquit, vt iustificentur à te,& consequantur misericordiam, eo modo quo eam omnes illi consecuturi sunt, quibus à te dicetur: venite benedicti patris mei. Aliqui vero iustitiam hic accipi dicunt,pro euangelio. est etenim euangelium iustitia, eo quòd omnes æque vocat ad salutem, & omnes suscipit, qui ad illud accedunt.

Deleantur de libro uiuentium. Hic est ille liber de quo legimus,quod cum iratus esset deus aduersum populum, qui vitulum fecerat,& dixisset ei Moyses,siquidem dimittis eis peccatum,dimitte,si minus,dele me de libro,quem scripsisti, respondit ei deus: siquis peccauerit coram me, delebo eum de libro meo. Vnus est itaque liber in quo omnes scribuntur, qui vita digni sunt,& quẽ propheta hic viuentiũ librũ,appellauit,prædicens illos nõ diu post morituros esse. Alius etiam

liber

liber est,in quo iusti omnes scribuntur, quem nobis significauit propheta dicens.

Et cum iustis non scribantur. De hoc autem libro locutus est Christus,quando ad Apostolos dicebat: gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.ait igitur eos morituros esse, & cum peccatoribus connumerandos. Est & tertius liber, in quo peccatores scribuntur. iudicium enim,inquit,sedit, & libri aperti sunt.per libros autem scriptura variam, ac multiplicem dei cognitionẽ figurate intelligit.

Pauper & dolens sum ego. De Christi paupertate diximꝰ, in psalmo xxi.& nũc etiam dicemus, quod summus rex regum Christus, de pauperrima matre natus est, non in domo aliqua,sed in spelunca: positusque non in lecto,sed in irrationalium animalium præsepio,vilissimis ac contemptibilibus pannis induebatur,nulloque comitatus seruo circumibat,atque ipso etiam carebat tugurio,& ab aliis alimenta ei præstabantur. Erubescant igitur qui gloriantur in diuitiis. dolere vero eum introducit propheta,ob sacratissimi corporis passiones,quas propter nos sustinuit. hactenus autem ex vnigeniti filij persona sermonem fecit,quæ sequuntur ex ecclesiæ persona conscripta sunt.

Salus tua deus adiuuit me. Illa,inquit salus,quæ à te proficiscitur,ab errore,in quo eram,me liberauit.

Laudabo nomen dei met cum cantico, magnificabo eum in laude, & placebit deo super uitulum nouellum cornua producentem,& ungulas. Vide euangelicum sacrificium legali præponi, & rationale,irrationali,noua autem cornuum, atque vngularum productio,vigoris seu roboris indicium est.& subnotare videtur propheta his verbis futuram legalis cultus extinctionem.cornua siquidem & vngulæ,emortuæ quædam partes sunt in corpore.

Videant pauperes,& lætentur. Per inopes,& pauperes, fideles intelligit, vt diximus, in psalmo ix. videant,inquit, quecunque propter eos deus passus est,& quæcunque etiam præclara administrauit.

Quærite deum,& uiuet anima uestra. Beatã ac felicem vitam viuet.

Quoniam exaudiuit pauperes dominus, & uinctos suos non neglexit. Qui nam autem ij sint, quos vinctos vocat, diximus in psalmo

psalmo sexagesimoseptimo.

Laudent eum cœli, & terra, mare, & omnia repentia in eo. Quasi non sint satis angeli neque homines ad agendum gratias deo, ipsa etiam conuocat propheta elementa ad dei laudes,eo ordine,quo eorũ meminit Moyses in Geneseos principio.& improprie ipsos pisces, appellauit repentia: atque ita fortassis ob piscium multitudinem.

Quoniam deus saluam faciet Sion. Nouam nimirum Sion, id est ecclesiam fidelium,vel ipsam Hierusalem saluã faciet, hoc est,conseruabit,sibi ipsi videlicet Christo, cui soli illius cura commissa est, & non alteri: tametsi modo impii illius dominentur regionis.

Et ædificabuntur ciuitates Iudææ. Mihi templa nimirum, atque hoc à Christianis.

Et inhabitabunt ibi & hæreditate acquirent eam. Christiani videlicet.

Et semen seruorum tuorum possidebit eam. Serui autem Christi, Apostoli sunt. Paulus enim,inquit,seruꝰ Iesu Christi.eorum vero semen,Apostolici discipuli,tanquam ab eis per baptisma spirituali semine regenerati.

Et omnes qui diligunt nomen tuum habitabunt in eã. Christiani scilicet nomen tuum inuocantes. verum quemadmodum fidelium multi huius psalmi principium vsq; ad versiculum: Extraneus factus sum fratribus meis:contendunt referri debere ad Christum,ita Iudei contra,captiuo in Babylone populo,omnia applicant,quæ illinc sequuntur vsque ad finem psalmi: Extraneus,inquiunt, factus sum, seu (vt magis posit Græca dictio ἀπηλλωτριωμένος.)alienatus sum à fratribus meis, quia mihi concessum non est, cum eis viuere. diuersis si quidem dominis seruiebamus,& quia seruorum cognationem lex nulla nouit.eadem sententia in proximo illic repetitur versiculo. Mecum præterea templi desolationem reputans, non mediocri consumor dolore, & opprobria tua deus,quæ à Babyloniis sustines,cum arcere nõ possim,propria reputaui: vnde etiã amisso cibi appetitu, lassus cõtabui. verũ illi magis me exprobrabãt, veluti incassum ieiunarem. & in afflictionis indicium induebar sacco. quæ sequũtur apertiora sunt. Deinde ait,orabam etiã ad te, quoniã tempus est bonę volũtatis,hoc est,tẽpus misericordiæ. quæ sequũtur

expone,vt iam prædiximus, præterquã quod filium nõ naturã intelliges,sed adoptione.filius enim,inquit, primogenitus meus Israel.vel aliter:puerũ,id est seruum.opprobrium etiã, inquit,& varias afflictiones expectaui, propter te, quasi captiuus:& ideo quęsiui aliquem,qui cõsolaretur,& non inueni,cum non concederetur mihi, vt commode cum cognatis meis versarer.& dum ea exponunt verba: Dederunt in cibũ meum fel,& in siti mea potauerunt me aceto, labuntur non mediocriter,dum ex populi persona dictũ putant, quod Babylonij amarũ populo poculum, quasi seruo cuipiam proiecerint,& quod sitienti acetoso potauerint vino,& quod ob varias afflictiones factũ sit,vt cibus ei amarus,& potus videretur acerbus.quod vero sequitur: fiat mẽsa eorum &c.iuxta priorem expositionem intelligunt, & proxima his verba imprecationẽ continere dicunt aduersus Babylonios.per habitationem vero, ciuitatem intelligunt Hierusalem . illũ præterea populũ,inquiunt,quẽ tu erudisti,&castigasti,seu quem castigari permisisti, grauissimis Babylonij afflixerunt supplicijs,& prioribus doloribus ipsi plura semper addiderunt. in eo etiam versiculo qui dicit: & placebit domino super vitulum nouellum: pari labuntur errore.& quæ sequuntur,gratiora eis sunt, veluti magis cõsona reditui ex Babylonica captiuitate . Nos autem accuratam sanctorũ patrum opinionẽ sequentes, eam expositionem veluti tutiorem amplectimur, quam superius retulimus.

In finem psalmus ipsi Dauid in rememorationem.

Hunc psalmum beatus Dauid iisdem penè sententiis,ac uerbis cõposuit, quæ alibi per eum dicta esse uidemus in Psalmo. XXXIX. *promptumq; ac præ manibus eum semper habebat, quoties delicti reminiscebatur,quod aduersus Vriam cõmiserat.illum etenim ueluti potens aliquod carmen aduersus dæmones canebat, tanquã aduersus eos hostes,qui se in illud barathrum coniecerant.hoc igitur psalmo deum rogat,ut sui amplius dæmones nõ dominentur. Alii autem dicunt,quod quoties ei in memoriã ueniebant quanta ab inimicis temere passus fuerat,hunc psalmũ tunc canere solebat. in finem autem ideo inscribitur,quia oratio & preces,quæ in eo continentur ad certum finem tendẽbant,quem etiam consecutæ sunt.*

PSALMVS LXIX.



Eus in adiutorium meum intẽde. In psalmo autẽ trigesimonono, dixit. Domine ad adiuuandum me intende.

Domine ad adiuuãdum me festina. Idem significant quod accelera,vt eruas me. quæ verba habentur in psalmo trigesimo.

Erubescant & confundantur,qui quærunt animam meam. Hęc verba habentur etiam in prædicto psalmo trigesimonono.

Conuertantur retrorsum,& confundantur, qui uolunt mihi mala. Hæc similiter illic habentur,eo excepto, quod verba illic optantis sunt,quæ hic imperantis: quod ex græca lectione clarius dignoscitur : vt optans igitur hoc poscit propheta,tametsi imperare videtur.

Conuertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge,euge. Simile est, ferant confestim confusionem suam qui dicunt mihi,euge,euge.

Exultent,& lætentur in te omnes, qui quærunt te deus. In illo psalmo pro,deus,positum est,dominus.

Et dicant semper magnificetur dominus qui diligũt salutare tuũ. Et in illo rursus,pro domino,dictum est,deus.

Ego autem inops sum, & pauper,deus adiuua me. In illo autẽ pro,deus adiuua me,dicitur,dominus sollicitus est mei.

Adiutor meus,& liberator meus es tu, domine ne tardaueris. In illo pro liberator,protector dicitur, & pro, domine, deus meus.

Ipsi Dauid psalmus filiorum Ionadab, & aliorum,qui primo captiui facti sunt, apud Hebræos caret inscriptione.

Ferunt beatum Dauid conscripsisse hunc psalmum ex persona filiorum Ionadab, & aliorum , qui primo à Babyloniis in captiuitatem ducti sunt.hanc autem inscriptionẽ LXX. interpretes præsenti psalmo imposuere,cum omni prorsus inscriptione carere eum apud Hebræos inuenissent.posteri autem Ionadab summo tunc in honore erant apud cæteros captiuos,ex quorum omnium persona,ut diximus, petit à deo propheta,de hostium potestate liberari , & salutem consequi.Possumus & nobis præsentis psalmi uerba,accommodare aduersus uisibiles,atque inuisibiles inimicos.

PSALMVS. LXX.



N *te domine speraui, non confundar in æternum, in iustitia tua libera me, & eripe me: inclina ad me aurẽ tuam, & salua me.* Hæc omnia verba habentur in psalmo trigesimo, & pro salua me, ibi est: accelera, vt eruas me.

Esto mihi in deum protectorem, & in locum munitum, ut saluum me facias. Ibi non munitum locum dixit, sed locũ refugij.

παρανομοῦντος καὶ ἀδικοῦντος — *Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.* Ibi fortitudinem dixit pro firmamento:

Deus meus libera me de manu peccatoris, & de manu inique agentis, & iniusti. Tales enim erant, qui eis dominabantur.

ὑπομονὴ — *Quoniã tu es expectatio mea domine.* Dictum est in psalmo trigesimooctauo, ibi: & nunc, quæ expectatio? mea nonne tu deus? item in psalmo vigesimoquarto, ibi: & te expectaui tota die.

Domine spes mea à iuuentute mea. Hoc per se clarum est.

ἐπιστηρίχθην — *In te firmatus sum ex utero.* Neque in te tantũ speraui à iuuentute, sed ex ipso materno vtero, hoc est, ex eo tempore quo natus sum, in te solo stabilitus sum, veluti super quodam sustentaculo ac munimine mihi à parentibus meis tradito. ex quo iudicare videtur pios se ac religiosos parentes habuisse. vel aliter: cum octaua die vniuersos infantes circumciderent, ex ipso quasi vtero, eos domino dicabant. illud autem scire oportet, quod verba hæc, ex vtero, item, de ventre matris meæ, & alia huiusmodi, per hyperbolen, hoc est, per excessum in veteri scriptura dici solent, intelligendique ac cogitandi initium ac tempus significant, illud nimirum tempus, quo cogitare quis ac sapere incipit. simile quid legimus apud beatum Iob: Si buccellam, inquit, meam comedi solus, & orphanis non tribui, si non ex ventre matris meæ dux illis fui, & cætera. impossibile est autem, ab ipsa natiuitate huiusmodi aliquid efficere. Restat igitur vt hic loquendi modus illud tempus significet ex quo quis sapere incipit.

De uentre matris meæ tu es protector meus. Si enim diuina virtus fœtum non custodisset, si infantẽ non seruasset, si puerum non protexisset, perisset sanè inter varios casus aliquo infortunio. hi vero tres versiculi paucis mutatis habentur etiam

etiam in psalmo vigesimoprimo. verum illic omnia ad Christum referuntur.

In te laudatio mea semper. In te, inquit, hymnos ac laudes meas semper fero.

Quasi prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis. Ego, inquit, squalidus, atq; afflictus & deformis effectus sum, præ ieiunio saccoq; & tristitia: atq; ideo à multis quasi monstrũ quoddam existimatus sum, tametsi re vera non ita essem, sed sic viderer: imprudentibus nimirum ac viliori multitudini. per multos enim scriptura solet sæpe vilissimos quosque intelligere. Paulus etiam consona prophetæ nostri verbis de multorum opinione loquẽs dicebat: nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo.

Impleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Impleatur imperantis verbum est, sed positum pro optatiuo, vt diximus. implebitur autem si seruitute, qua nunc premor liberatus fuero. tunc etenim ore diuinarum laudationum pleno, cantabo in hymnis magnam potẽtiam tuam, & quæcũque alia in tui gloriam, à religiosis viris cõmemorari solent, aut cogitari de te. vel, per gloriam, simpliciter magnitudinem intelligit. & non semel tantum laudabo, sed perpetuo id faciam. ita enim Symmachus ea verba reddidit, quæ hic habentur, tota die.

Ne proiicias me in tempore senectutis. Tu, inquit deus, qui à iuuentute mea adiutor mihi fuisti, non proiicies me in tempore senectutis. iamdiu etenim consenui tam diuturno Babylonicæ seruitutis tempore. est autem verisimile, quòd hæc verba per prophetam dicta sint, quasi ex persona seniorum populi. Cæterum corporis quidem senectus omnibus nota est, & palam patet, animæ autem senectus est peccatum, eo quod non secus virtutis operationes comprimat, atque corporis actiones, senectus.

ἐν τῷ ἐκλείπειν — *Cum deficiunt uires meæ ne derelinquas me.* Hic versiculus ad proxime præcedentis declarationem consequitur, siue de animæ, seu de corporis viribus eum intelligas.

Quoniam dixerunt inimici mei mihi, Mihi dixit, pro in me, seu propter me. dixerunt autem mutuo inter se.

εἱφυλάσσοντες — *Et qui obseruabant animam meam consilium fecerunt in unum.* Repetitur hic atque exponitur sententia prioris versiculi. nã

quod ait: consilium fecerunt in vnum, ad expositionẽ positũ est verbi, dixerunt: per obseruãtes autẽ, hoc in loco, insidiatores intelligit, visibiles nimirum atq; inuisibiles inimicos.

Dicentes deus dereliquit eum, persequimini, comprehẽdite eum, quoniam non est, qui eripiat. Hi sunt inimicorum sermones, persequimini, inquiunt, quia si populus fugam acceperit, vos persequimini, & comprehẽdetis eum. Nam cum deus, quem venerantur, eos dereliquerit, nullus aderit amplius, qui eos liberet.

Deus meus ne elongeris à me. Tametsi grauis sit peccatorum meorum odor, ac molestus, & te compellat, vt auertaris à me, quod alius etiam propheta ad Iudæos dicebat, peccata vestra, inquiens, diuidunt & disiungunt vos à deo: quæso tamen atque oro ne elongeris à me. elongatur autem deus non loco, aut essentia sua. (est etenim incircunscriptus deus atque indefinitus,) sed tantum prouidentia.

Deus meus in auxilium meum intende. Hic etiam versiculus, habetur in præsentis psalmi principio.

Erubescant & deficiant qui calumniantur animam meam. Pro deficiant, Symmachus dixit, consummantur: animam autem meam, hoc est, me ipsum, per calumniantes vero tam inuisibiles quàm visibiles inimicos intelligit.

Induantur rubore, & confusione, qui quærunt mala mihi. De rubore & confusione dictum est, in præcedenti psalmo. ea autẽ verba, qui quærunt mala mihi: exposita fuerunt in psalmo trigesimoseptimo, inuenies etiam in psalmo centesimo octauo, induantur calumniantes me confusione, & operiantur sicut diploide pudore suo.

Ego autem semper sperabo in te, & adiiciam super omnem laudem tuam. Quia quod votis expetiueram, adeptus sum. omnem autem laudem ideo dixit, quia non sermone tantum aut verbis sed operibus etiam laudetur dominus. & ideo saluator noster dicebat: vt videant bona opera vestra, & glorificẽt patrem vestrum, qui in cœlis est.

Os meum annunciabit iustitiam tuam, tota die salutem tuam. Quando videlicet, & inimicos condemnaueris, & nos saluaueris.

γραμματείας ἐν δυναστείᾳ

Quoniam non noui literaturas, introibo in potentatu domini. Cum pollicitus sit propheta se annunciaturum esse iustitiam dei, &

dei, & salutem quam ab eo fuerat consecutus, & postmodum se ad hoc minus idoneum esse perspexerit, sermonem suum temperat, & moderatius loquitur, dicens: nunquam didicisse se disciplinas, aut scientias, vt condigne possit diuinas virtutes annunciare, & quòd ideo, vt pollicita à se adimpleat, ingredietur in diuina potestate, qua fretus, huiusmodi prouinciam tentabit. Dictio autem, quoniam, abundat, vel confirmantis aduerbium est, pro vere. Aliqui etiam dicunt, ꝙ dictio, quoniam, hoc in loco rationem reddit, atque ita intelligentes, punctum ponunt, post dictionem literaturas, & coniungunt, quod sequitur. Alij vero per literaturas, seu potius iuxta aliam Græcæ dictionis γραμματείας, significationem, per scribarum scripturas, mandata intelligunt. Scribæ etenim ter in anno populum iubebant ingredi in templum, quod erat in Hierusalem. Ego, inquit, posthac non ob scribarum iussa, sed ex diuina potentia illuc ingrediar.

Domine memorabor iustitiæ tuæ solius. Nunquam huiusmodi iustitiæ tuæ obliuiscar, quinimmo in mente eam semper retinebo. Solius autem dixit ac si diceret, tu solus nostram & inimicorum causam iudicabis, & nullus alius, atq; ideo non humanæ iustitiæ, sed tuæ solius recordabor.

Deus meus, quæ docuisti me à iuuentute mea, & usque nunc, annunciabo mirabilia tua. Hæc quæ sequuntur dicta esse intelliguntur, ex persona beati Dauid, & constructio fit per hyperbaton, deus meus annunciabo mirabilia tua, quæ docuisti me à iuuentute mea & vsque nunc. Mirabilia autem appellauit omnia admiranda opera, quæ ob Israelitici populi salutem, deum fecisse legimus, vel etiam quæcunque temporibus suis contigerant.

Et usque ad senectam & senium deus meus ne derelinquas me. Per senium extremam senectutis partem intelligit, vnde senior populi. Qui autem à deo eousque fuerit protectus, amplius non derelinquetur. Vel indeterminate intelliges dictionem vsque, quemadmodum sæpe apud scripturam reperitur, & coniunctim ac sub eodem sensu, intelligantur verba quæ sequuntur.

Donec annunciem brachium tuum generationi omni quæ uentura est. De brachio quidem dei dictum est, in psalmo quadragesimotertio. De ventura autem generatione in psalmo vige-

 simoprimo

simoprimo quædam autem exemplaria habent donec annunciem,& quædam,donec annunciauero.

Potestatem tuam & iustitiam tuam deus usque ad altissima. A communi sensu sumenda sunt verba illa, donec annunciem. Dictio autem potestas, hoc in loco posita est, vt exponat & declaret dictionem, brachium. Iustitiam autem tuam vsque ad altissima,hoc est,quæ ad ipsa vsque attingit altissima. Vel ordo fiat per hyperbaton, iustitiam tuam, quæ est vsque ad altissima. Per altissima vero ipsos cœlos intelligit. Diuina autem iustitia ascendisse dicitur vsque ad cœlos, eo ꝙ cœlestes virtutes eam intelligunt, & congaudent super eam. Quæ sequuntur rursum ex populi persona efferri debent.

Quæ fecisti mihi magnalia. Quæ posuit pro quanta. Cum affectu etenim,atque ex corde hæc legenda sunt. Aliqui post verba illa,& iustitiam tuam, perfectum ponunt punctum, & quæ sequuntur huic versiculo coniungunt, quæ fecisti mihi magnalia, Aquilam in hoc secuti,vt sit sensus:magna & grandia beneficia,quæ in me contulisti, tam admiranda fuere, vt eorum fama ad ipsas etiam cœlestes potestates peruenerit. Imagine etenim me tua honorasti, & regē me eorum omniū constituisti,quæ in terra sunt, alimenta etiam præstas, protegis,custodis,atq; eripis à periculis,& alia demum mihi huiusmodi multa impertiris.

Deus quis similis tibi? Nemo scilicet.

Quantas ostendisti mihi tribulationes, multas, & malas. Hæc verba etiam cum affectu legenda sunt. Et cum dixerit,quantas, infert demum, multas & graues. Neque enim beneficiis tantum affectus sum, sed etiam calamitatibus afflictus ac malis, alterum quidem bonitate tua, alterum vero prauitate mea.

Et conuersus uiuificasti me. Conuersus scilicet ad me, à quo antea auertebaris. Et quia Græca dictio ἐπιστρέψας vtranque significationem recipit, dicere possumus, quòd dum me conuerteres ad te,viuificasti me, ab imminenti scilicet me morte eripiens. Per mortem autem omnifariam calamitates atque afflictiones de more intelligit, quemadmodum contra,per vitam, sæpenumero intelligi videmus, liberationem à malis.

Et de Abyssis terræ rursum reduxisti me. Abyssos terræ, & infernum,

infernum,& lacum, & sepulturam,& alia huiusmodi nomina, sæpenumero apud scripturam pro vastis atque immensis calamitatibus poni videmus:vnde apud Ezechielem dicit dominus ad Hebræos, aperiam sepulturas vestras, & educam vos de Babylone.

Multiplicasti in me magnificentiam tuam. Hoc est, largam atq; abundantem fecisti. ἐπ' ἐμέ

Et conuersus consolatus es me, & ex abyssis terræ iterum deduxisti me. Verba hæc soli fidelium populo recte accommodantur,quem in ignorantiæ, atq; in idolorum tenebris olim errantem Christus conuertit, & aduocauit in salutem, & consolatus est eum dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis,& ego quiescere vos faciam. Quem etiam iuxta carnis naturam mortuum eduxit dominus è sepultura. Nam dum corpus suum Christus mortuum viuificauit, & resurgere fecit e sepultura,atque immortalitate donauit, consequenter etiam omnibus,qui diuina gratia digni sunt huiusmodi resurrectionem effecit esse communem, quod ex verborum etiam repetitione perspicuum esse potest. Neq; enim hæc verba superflue repetita videri debent, sed illud denotare,quod diximus, præsertim cum dictio,iterum, hoc in loco immutationem sensus significet.

Etenim ego confitebor tibi in populis domine. Superflua est, hoc in loco,dictio,enim,quemadmodum etiam aliis in locis tradidimus. Ait igitur beatus Dauid,ꝙ deinceps acturus est gratias deo,in populis, non in vno tantum populo, neque in solis Iudæis, sed in omnibus gentibus, quod etiam manifestius dicit circa finem psalmi decimiseptimi.

In uasis psalmi ueritatem tuam deus. Per vasa psalmi, varia musicorum instrumentorum genera intelligit. Iuxta Anagogen vero,vasa psalmi,fideles omnes sunt, quorum animas in summam harmoniam ac consonantiam concinnans & in vnum colligens beatus Dauid perpetuas deo laudes psallit. A communi autem sensu sumendum est verbum confitebor. Et consequens quidem fuerat, vt tertium casum Propheta redderet constructioni, vbi quartum apposuit. Dictio siquidem, confitebor,idem significat, quod gratias agam. Gratias, inquit,agam veritati tuæ, quoniam tu verax deus es, non tantum quia verum, te esse asseramus deum, sed etiam, quia

omnia

omnia à te promissa summa cum fide adimples.

Psallam tibi in cithara sanctus Israel. Hæc verba ad declarationem dicta sunt præcedentis versiculi, vbi ait, confitebor tibi in vasis psalmi. Est etenim cithara, vas seu instrumentum quoddam musicum, quo psalmos etiam canebant: per citharam vero reliqua musicorum instrumentorum genera intelligit. Hoc autem in loco per citharam regium organum, psalterium videlicet, puto intelligi: vt ex iis patet, quæ in proœmio operis tradidimus. Hæc etenim de causa solum hoc instrumentum tanq̃ cæteris omnibus excellentius cõmemorauit. Verum vt nobis etiam hæc psalmi verba accõmodemus, per vasa psalmi, os, labia, & linguâ intelligemus, & quæcunq; alia sunt vocis organa: per citharâ vero, animam ipsam. Sanctus autem Israel ille est, qui Israelẽ sanctificat. Dicitur etiã deus sanctus, & homines sancti, illa quidẽ vt sanctificans, isti vero vt sanctificati, ille natura, isti adoptione seu participatione. Et quod hoc verum sit audi Apostolum, de Christo dicentem, qui factus est nobis sapientia à deo iustitia & sanctificatio, & redemptio: sapientia quidẽ Christus fuit, iis, qui sapientiores effecti sunt, & iustitia iustificatis, sanctificatio autem & redemptio iis, qui sanctificati sunt, & redempti.

ὅταν ψάλλω quum cãtauero

Exultabunt labia mea cum psalluero tibi. Per labia eius intelligere possumus fideles omnes, quorum linguis psallere eum semper videmus deo.

Et anima mea, quam redemisti. A visibilibus nimirum, atq; ab inuisibilibus inimicis.

Sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam. De his verbis tota die, sæpe diximus idem significare, quod semper. Meditabitur autem, hoc est, loquetur seu reminiscetur.

Cum erubuerint & cõfusi fuerint, qui quærunt mala mihi. Hæc inquit, quæ pollicitus sum, faciam, quando ab inimicis prorsus fuero liberatus. Superius autem de diuina iustitia dictum est, & de iis, qui quærunt mala.

In Salomonem psalmus ipsi Dauid.

Docuimus in proœmio operis hunc psalmum non esse Salomonis, nunc illud etiam dicemus, quòd neque ad ipsum pertinet Salomonẽ.

Neq;

Neq; enim Salomonis fuit qui permanserit cum sole, quippe qui iam diu mortuus est, neq; etiam fuit ante lunam, nec dominatus est finibus terræ, neq; ante solem fuit nomen eius. Et quia Salomon interpretatur pacificus, manifestum est hunc psalmum in Christum dictum esse. Ipse etenim est pax nostra qui fecit utraq; unum, quiq; intermedium maceriæ parietem dissoluit, quemadmodum magis particulatim ipsius psalmi uerba demonstrabunt.

PSALMVS LXXI.



Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Præuidens beatus Dauid summa Christi mysteria, optat atque orat ea accelerari, & ipsi Christo tanquam homini ea dari, quæ semper habebat, vt deus. Ita etiam Christus dixit de patre, q̃ omne iudicium sibi dedit, vt filio. & rursum: data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Regem autem & regis filium, Christum appellat, tanquam deum, & dei filium. Per iudicium vero ipsam iudicandi facultatem intelligit. Quod vt magis declararet, addidit: iustitiam. Christus etenim iustus iudex est, vt deus, verum vt homo id acceperat à patre. Ego enim, inquit, constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Potest & Christus secundum humanitatem appellari rex, veluti qui de tribu erat regia, & regis filius, tanquam filius Dauid. Liber enim, inquit, generationis Iesu Christi filij Dauid.

Vt iudicet populum tuum in iustitia & pauperes tuos in iudicio. Κρίνειν Hęc est causa, cur petat beatus Dauid Christo tribui iudicandi facultatem: vt scilicet iudicet &c. Per populum autem, fidelem populum intelligit, qui licet Christi, hoc est, filij populus appelletur, dicitur etiam & patris: omnia, inquit, mea tua sunt, quem etiam populum, alio nomine appellat, pauperes dei, quia fideles veri, omnes propter deum pauperes facti sunt. Per iustitiam autem dei, futurum iudicium intelliges: in quo vnicuique condigna deus pro meritis reddet, quod paulopost magis declarat, dicens: In iudicio: vt iudicet autem eos, cum diabolo nimirum, & cum Iudæis, atque aliis fidei inimicis. Alij per populum, Iudaicum intelligunt, qui olim dei populus dicebatur, & per pauperes, nouum populum ex Gentibus congregatum, de cuius paupertate, diximus in nono, & vndecimo psalmo. Vt iudicet eos, alios quidem

dem iusto iudicio condemnans, alios autem ad salutem iustificans.

Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam. In prosopopeiæ speciẽ, montes iubet suscipere pacem erga Christi populum, & colles iustitiam: & montes quidem, pacificã eis vitam præstare, expulsis nimirum seditiosis, ac malignis dæmonũ spiritibus, colles vero iuste eis deseruire, quasi creatoris dei seruis. Per montes etiam & colles tanquam eminẽtiores, omnem terram comprehendit, in qua, habitaturi erãt anachoretę, atque eremitę, & omnes Christi milites. Vel per montes quidem, archangelos intelligit, tanquam eminentiores, & superiores potẽtias, per colles vero, ipsos angelos, tanquam illis subiectos. Eleuati tamen sunt vtrique eorum ordines à terrenis, non secus ac montes, & colles à terra. Hos igitur deinceps iubet, vt pacifice se habeant cum Christi populo, vtque iustam illi ac debitam, quasi ipsius domini hęreditati, opem ferant. Prius nanque inimice nobiscum agebãt angeli, ob veterem nimirum impietatem. vel per montes, reges ac duces excellentiores quosque intellige, per colles vero, alios principes illis subiectos. Multi enim eorum venerũt ad fidem, pacifice agentes atque erga Christi populum benignissime se habentes.

Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperũ. Per pauperes, populi rudiores quoslibet Iudæorum intelligunt: qui intellectu & prudentia erant pauperes, dum nudæ legis literæ insistentes, ad occultas sancti spiritus diuitias prospicere non valebant: per filios autẽ pauperum, fideles in Christum intelligit, quorum parentes pietate ac religione pauperes fuere, nullas habentes diuitias veræ cognitionis dei. Vel ipsos etiam apostolorum discipulos. Piscatores etenim erant apostoli, & aspectu viles. Illos igitur, vt infideles condemnabit, hos vero saluabit, vt fideles.

Et humiliabit calumniatorem. Diabolum nimirum, qui deũ ipsum primo calumniatus est, inuidiose illum vetuisse asserens, ne homines de ligno sumerent: & qui nunc passim omnes etiam calumniatur. Vnde iuxta nominis etymologiam, vere ac proprie diabolus appellatur. Idem enim est Græcis diabolus, quod latinis calumniator.

γενεᾶς γενεῶν

Et permanebit cum sole & ante lunam generationes generationum. Ostendere volens propheta Christi diuinitatem sine principio esse, & sine fine, duobus magnis luminaribus eam comparauit: quando quidem inter omnes visibiles creaturas potiora exempla aut diuturniores similitudines inueniri nequiuerint. Permanebit, inquit, cum sole, hoc est, erit, donec erit sol. Est autem peculiaris quidam loquendi modus apud scripturam sacram, vt tempus vsque ad aliquid determinet, & quod sequitur, non neget, vt alibi latius diximus, & dicemus: & hoc pacto quidem Christi perpetuitatem explicat ex parte finis. Deinde etiam declarat quomodo sit absque principio: & dicit, quòd erat ante lunam. Quod vero ait: generationes generationum: idem sibi vult, ac si dixisset, per spatia spatiorum: hoc est, per immẽsa atque infinita temporum interualla: Per generationem etenim, temporis spatium intelexit, verbi gratia, quãtum vna hominum generatio: hoc est, quantũ vnus homo potest superuiuere. Vel aliter: solem accipe pro diuinitate, cum vt theologus Gregorius dixit, id sit deus inter intellectuales creaturas, quod sol inter sensibiles. Cum hac autem diuinitate perpetuo permanet Christi humanitas, ex quo ei semel est coniuncta, & ab ea nunquam separatur: & per lunam ipsam fideliũ ecclesiam intellige, ante cuius faciẽ & coram qua, Christus erit in generationes generationum, hoc est, perpetuo. Nam quemadmodum luna à sole, ita ecclesia à Christo altero iustitiæ sole, lucem accipit: vnde eos omnes illuminat, qui in erroris sunt nocte, rectum illis videlicet callem demonstrans.

Descendet sicut pluuia in uellus, & sicut stilla stillãs super terrã. σαγὴν Docet quomodo diuina verbi incarnatio latẽter ac clam facta sit: descendente nimirum verbo insensibiliter in virginis vterum. Pluuia etenim absque vllo strepitu in lanæ vellera descendit: atque eodem pacto stilla quę in terram cadit. Verum per stillas minutissimas illas guttas, seu potius rores intelligit, qui ante pluuiam ex interuallo sparsim in terram cadunt.

Orietur in diebus eius iustitia & multitudo pacis donec auferatur luna. πλῆθος Nato etenim Christo varia gentiũ regna, in vnam Romanorum monarchiam deducta sunt. Exiit enim, inquit, edictum à Cęsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Tunc igitur ciuitates, quæ inter sese antea inimiciti as exercuerant,

cuerant, vno tantũ imperatore omnia moderante, mutua iuſtitia ac pace vtebantur. Et quod ait, donec auferatur luna: poſuit pro donec luna ab officio ſuo ceſſet: quod nimirũ accidit in die cõſummationis. Sol quippe tunc obtenebrabitur & luna non dabit lucem ſuam. Quòd ſi iuſtitia & pax modo omnibus non permanent vſq; ad tẽpus conſummationis, ſed multæ adhuc hodie ciuitates inter ſe inimice agunt, non mireris. Neq; enim de vniuerſali iuſtitia propheta loquitur, aut de vniuerſali pace, ſed de ea, quæ inter veros erit fideles, & Chriſti ſeruos. vel aliter: de iuſtitia, & de pace loquitur, quæ in deũ eſt: quippe cũ iuſte hoc eſt, cõdigne vnius diuinitatis ſancta trinitas tũc fuerit adorata, & pax facta ſit cœleſtiũ & terreſtrium, quæ vſq; ad ſeculi conſummationẽ permanebit.

Et dominabitur à mari, uſque ad mare. Mare & mare, propter aquarum multitudinem oriẽtalem, atque occidentalem Oceanũ appellat. Hi etenim fines ſunt ac termini, quos quis longitudini orbis terræ poteſt adſcribere. Latitudinis autem terminos eadem ratione arcticum atque antarcticũ Oceanum dicemus. Aiunt etenim Oceanum in orbem, vniuerſam terram ambire.

ἀπὸ ποταμῶν

Et à fluminibus uſque ad terminos orbis terrarum. Eundem ſenſum repetit: & quod ibi maria appellauit, nũc dicit flumina, veluti partes quaſdam Oceani fluminis. Fines autem terræ ab orientali quidẽ Oceano, heſperius, ab arctico autem, Antarcticus: & rurſus econtrario, vt ita dicam, à fluminibus ad flumina. vel aliter: flumina hic Iordanẽ appellat, & plurale numerum poſuit pro ſingulari, iuxta hebraicæ linguæ idioma. Ab illo etenim flumine cœpit Chriſtus in cęteris ſibi hominibus dominium parare: quãdo ſancto ſpiritu in columbæ ſpeciem deſcendente pater filio ſuperne teſtimoniũ præſtitit. Baptizabatur enim tunc à Ioanne in Iordane.

Coram illo procidẽt Aethiopes. Duplex eſt Aethiopum genus, vt diximꝰ in pſalmo LXVII. Alij enim in extrema oriẽtis, alij in extrema occidẽtis parte habitant. quòd ſi extremæ omniũ gentes Chriſtum adorabũt, multo illæ magis, quæ in medio orbis ſunt. vel per Aethiopes, ipſos dæmones intelige, qui nigri prorſus, Aethiopũ inſtar, apparere ſolent, ob eorum nimirũ caliginẽ, & tenebras. & q̃ ait, cadẽt, expone pro, adorabunt, ſi de veris Aethiopum populis verſiculum intelligas:

ligas: quia ſi Aethiopes, eſſe dicas dæmones, tunc expone, cadent, pro deſtruentur atque humiliabuntur.

Et inimici eius terram lingent. Et Iudæi, inquit, Chriſti occiſores iugulabũtur. Solent enim qui violenta morte pereũt, præ graui dolore terram mordicus appræhendere. vel, quia dum euangelij prædicationem oppugnãt, multi eorum conuertentur, & ſanctorum Chriſti templorum ſolum ac pauimenta exoſculabuntur. vel rurſus, per Chriſti inimicos, dæmones intellige, qui à ſanctis viris in terram deiicientur, atque adeo conculcabuntur, vt ipſam humum lambere videãtur, dum illinc exurgere nequeunt.

Reges Tharſis, & inſulæ munera offerẽt, reges Arabum, & Saba dona adducent. Per Tharſis, expoſitores omnes Carthaginis ciuitatem intelligunt, quæ eſt Libyę caput, & per Saba, ciuitatem quãdam Indorum celeberrimam. Inſigniorum igitur regum memoriã faciens propheta, alia pariter regna omnia denotaſſe videtur: quod ex ſequentibus etiam manifeſtius apparet, dum collectim vniuerſos reges atque vniuerſas gentes connumerat: quemadmodum in XLIX. pſalmo declaraui mus. Inſulas autem, omnes intellige quæ in mari ſunt. Vere autem quęlibet gens Chriſto dona tulit, hęc quidem templa, illa alias oblationes, & alias virtutes, & hi quidem ſenſibilia, alij vero intellectualia dona obtulerunt.

Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruiẽt ei. Nondum tamen omnes eum adorauerunt, tametſi ex omni gente ſit, qui adoret, & ſeruiat, vt in LXII. pſalmo prædictum eſt. Similis eſt autem hic verſiculus, verbis illis, quæ à patriarcha Iacob de Chriſto prædicta ſunt: & ipſe, inquit, erit expectatio gentium.

Quoniam eripuit inopem à potente, & pauperem cui non erat adiutor. Inopem & pauperem hic chriſtianum populum appellat, vt in IX. atque in XXXIX. pſalmo diximus. Per potentem vero ipſum intelligit diabolum, qui diu olim humano generi, atque vniuerſo orbi dominatus eſt. vel timorẽ potentibus propheta his verbis iucutere voluit, veluti Chriſtus iis omnibus opem laturus ſit, qui ab eis oppreſſi fuerint.

Parcet pauperi, & inopi, & animas pauperũ ſaluas faciet. Eandem repetit ſententiã: & inopem quidẽ Iudaicũ populũ appellat, veluti eum, qui, iuxta Græci nominis etymologiam,

ab ope

ab ope atque à diuitiis ceciderit diuini auxilij. Pauperē vero Gentilem populū. vtrunque enim populum miseratus est deus. Propter vniuersum etenim humanum genus incarnatus est, verum Iudæos qui eum non receperunt, dimisit, gentes vero quæ ad eius fidem accurrerunt, saluauit. vel aliter: eripiet Christus, parcet, & saluabit, eos nimirum omnes, qui propter ipsum inopes facti fuerint, & pauperes.

Ex usuris & iniustitia redimet animas eorū. Per vsuras, auaritiæ vitium intelligit, quod inter cætera pessimum est. Iniustitiæ autē nomine, omne aliud genus peccati in vniuersum comprehendit. Omnis enim qui peccat, iniuste agit, atq; iniuriam facit, sibi ipsi nimirum, aut alteri. Ab his autem peccatis redemit omnes Christus euangelicis præceptis.

ὄνομα αὐτοῦ *Et honorabile nomen eius coram illis.* Et vere adeo honoratum est hoc nomen apud fideles, vt pro summa dignitate eis sit, & ad amplissimā nobilitatē reputetur, quòd ab eo Christiani appellentur.

Et uiuet. Dicunt aliqui his verbis idem significari, quod alibi dicitur: & regni eius non erit finis: ego autem puto illius resurrectionē hic signari, & quòd mortuus denuo viuet.

Et dabitur ei de auro Arabiæ. Arabia olim auro abundabat, & felix ideo atq; aurea dicebatur à Graiis. Per hanc autem prouinciam, veluti in Asia celebriorem, indicare videtur, quòd omnis regio munera offeret Christi templis. Vel aliter: Arabes primi omnium gentium, Christi fidem receperunt, edocti nimirum à Paulo, quemadmodum ipse ad Galatas scribens testatur, dicens: cum autem ei placuit, qui me segregauit ex vtero matris meæ &c. non contuli carni, & sanguini, neque ascēdi in Hierosolymam, sed abij in Arabiam.

Et orabunt de ipso semper. Christiani semper orabunt de ipso, seu pro ipso: hoc est, pro ea, quę ab ipso est salute, vt scilicet eos adiuuet & saluet. Aliqui autem hoc dictum ad prophetas referunt, quòd præuidentes aduentum domini rogabunt ac supplicabunt patrem vt celerius filium mittat & dęmonis tyrannidem destruat.

Tota die benedicent eum. Hoc est, semper eum fideles laudabunt.

Erit firmamentum in terra, in summis montium. Christus erit firmamentum in terra, hoc est, iis, qui sunt in terra, firmans nimirum

nimirū eos & stabiliens, qui antea quasi nutātes circunferebantur à dæmone: & quod ait: in summis montium, posuit pro vsque ad summa montium: quod propter sanctos eremitas dictum est, & alios dei milites, qui illic habitaturi erant, veluti eos quoqueesset stabiliturus.

Superextolletur super Libanum fructus eius. Libanum dixit propter summam eius altitudinē. Fructus, inquit, Christi, mirum in modum augescet. Per fructum vero Christi, euangelicam doctrinam intelligit. Vel aliter: Libanū hic, pro idolorum cultu posuit, eo quòd huiusmodi mōs olim idolis plenus esset. Sensus est igitur: quòd fructus Christi, hoc est, Ꝑ prædicatio euangelica, vt diximus, superextolletur super Libanum, id est, superabit cultum idolorum.

Florebunt de ciuitate quasi herba terræ. Ciuitatē indefinite dixit, eo quòd de omni ciuitate fideles florere debebant, atq; hoc tanta cum copia, vt floridissimæ, ac densissimæ herbæ comparari possent. Possumus etiam per ciuitatem, ecclesiam intelligere, tametsi nonnulli ipsam intelligant Hierusalem, ex qua Iudæi floruerunt: qui crescente postmodum euangelij prædicatione instar herbæ celerrime perierunt. ὡσεὶ χόρτος

Erit nomen eius benedictum in secula. Hoc per se manifestū est. Laudabitur autē vbiq;, & perpetuo à fidelib⁹. Per nomen autem eius, nomen Christi intelligit aut nomen Iesu. ἔσται

Ante solem permanet nomen eius. Illud dico nomē dei permanet ante solem, quo ipse se in monte appellauit, Moysi loquens, quando ait: ego sum, qui sum. Item qui est, mittit me. Quòd si de Christi nomine hoc dictū putes, ante solem expone, pro supra solē, hoc est, amplius quàm sol. Nam in cōsummatione seculi. Sol cadet, & cætera astra. Hoc autem Christi nomen, semper firmum, atque integrum & omnibus notum permanebit.

Et benedicentur in eo omnes tribus terræ. Benedicētur, hoc est, sanctificabuntur, vel gratias consequentur. Glorificamur etenim, dum christiani dicimur. Et hoc est, quod deus Habraæ pollicitus est pro eius semine, quod est, Christus. Per tribus autem terræ, varias gentium nationes intelligit.

Omnes gentes beatificabunt eum. Hoc est laudabunt. μακαριοῦσιν αὐτὸν

Benedictus dominus deus Israel, qui facit mirabilia solus. Ecce quòd quæ occulta erant, reuelauit: dominum illum esse prędicans,

dicans, & deum Israel, vt ostenderet quòd Christus, idem ille est deus, qui olim dicebatur deus Israel, & qui mirabilia olim propter illum operatus est. Quod vero ait, solus, ad distinctionem aliorum deorum dictum est, qui falso dei appellantur.

τῆς δόξης

Et benedictum nomen gloriæ eius in seculum, & in seculum seculi. Per Christi gloriam, eius possumus incarnationem intelligere, & omnes pariter eius passiones, quæ ad eandem incarnationem pertinent, & propter quas glorificatur à fidelibus, quòd tanta ac tam grauia sustinuerit propter nos, qui deus erat. Nomen autem huius gloriæ, Christus est, qui & in præsenti seculo benedicitur, vt superius declarauim⁹, & multo magis benedicetur in futuro, quando nullus ei maledicet, omnibus nimirũ tunc ei subiectis. Possumus etiã per eius gloriam, circumloquendo ipsum Christum intelligere.

Et replebitur gloria eius omnis terra, fiat fiat. His verbis omnium gentium fides prædicitur. Ita etiam ad Moysem dixit deus: viuit nomen meum, quoniam implebitur gloria mea omnis terra. Hoc & Esaias propheta audiuit, clamantibus Seraphim, Sanctus Sanctus Sanctus, dominus, deus sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. Illam aurem repetitionem verbi, fiat, intellige prout declarauimus, in fine psalmi XL. illud etiam scire oportet, quòd Hebræi diuidunt Dauidicos psalmos in quinque libros, quodque quatuor primos libros habere dicũt in fine vltimi psalmi, fiat fiat. Et primi quidem libri finem esse dicunt psalmum XL. secundi LXXI. tertij octogesimum octauum, quarti CV. quinti autem libri finis vltimo clauditur psalmo.

Defecerunt hymni Dauid filii Iesse, psalmus ipsi Asaph.

Docuimus in proœmio operis, omnes psalmos compositos fuisse à beato Dauid, quomodo igitur nunc præsenti psalmo inscribitur, quòd defecerint? quia scilicet non defeciſſe psalmos, sed hymnos dicit. Siquidem psalmorum alios, ueluti hymnos ac laudes ipse sua deo canebat cithara, alios uero cantorum ducibus canendos præbebat, sicuti præsentem psalmum, & undecim alios sequẽtes, quos unius chori cantorum principi Asaph modulandos dedit, item aliis alios, quẽadmodum ibidem pleniùs diximus. Dictio igitur defecerunt, non negat sequentes

negat sequentes psalmos compositos fuisse à beato Dauid, sed ab eo negat fuisse decantatos. Illud autem admiratione dignum est, quomodo sancti spiritus gratia multiplicibus hominum affectibus, ac uariis animorum ægritudinibus, multiplicia etiam ac uaria per psalmos pharmaca miscuerit, sicuti in præsentiarum facit. Pertinet enim hic psalmus ad pusillanimes, & ad eos, qui in imperscrutabilibus dei iudiciis facile scandalizantur, dum scilicet cernunt deum, prauorum hominum quam plurimos non tantum tolerare, sed scelestissimos ac nefandissimos quosque feliciter persæpe uiuere, contra autem probos in afflictionibus, & calamitatibus ut plurimum constitutos esse, & penè negligi ab eo. Efferendus est autem hic psalmus, ex Israelitici populi persona, qui captiuus detinebatur in Babylone, & ex illorum præsertim, qui in toto illo populo magis pii in deum, ac magis religiosi fuerunt: tametsi unicuique etiam fideli accommodari possit, qui proximi sui pusillanimitatem studeat consolari.

PSALMVS LXXII.

QVam bonus deus ipsi Israel. Dictio, quàm, confirmantis vim habet hoc in loco. Vere, inquit, bonus est deus populo Israel: quippe qui per afflictiones, & calamitates eum erudit, & castigat, quique salutem ei excogitat. Neq; enim ex odio castigat aliquem deus, aut dirigit, sed præ amore & dilectione.

Is qui recto sunt corde. Cum deus adeo bonus sit, vt docuimus, talis etiã esse iudicatur ab iis, qui recte sentiunt. Cordis etenim appellatione hic, mens & cogitatio ipsa intelligitur.

Mei autem penè moti sunt pedes. Per pedes hic cogitationes intelligit, veluti quæ animæ nostræ religionẽ pedum instar, regunt, ac sustinent. Penè, inquit, peruersus, ac penè lapsus sum, vt nullam deum crederem mundi habere prouidẽtiam. Quod autem latinus interpres dixit, moti sunt, Græca dictio ἐσαλεύθησαν aliquanto significantius exprimit, & nos propius dicere possumus fluctuarunt.

Penè effusi sunt gressus mei. Per gressus simili modo cogitationes intelligit, seu opiniones, & sententias animi. Effusi autẽ sunt, pro euanuerunt. Euanescit enim, quod effunditur. Deinde causam etiã infert ob quã in huiusmodi fuerit periculo, vt fluctuarent eius pedes, & effunderentur eius gressus.

Quoniam zelaui propter iniquos, pacem peccatorũ uidens. Per

ὅτι τοῖς

zelum,

zelum,iram illam sæpe intelligimus,quæ à recta ratione aduersus aliquid irrationabiliter factũ proficiscitur. Quoniã, inquit, aduersus iniquos hostes nostros iratus sum: & mea quidem sententia non temere, eo quòd pacem eos agere videbam,& à potentioribus nunquam vexari,& quia vt securi ac tuti multa fruebantur quiete, tametsi omnium hominum essent perditissimi.

ἀναλυσις *Quoniam non est renuitio in morte eorum.* Quoniam mors, inquit,quæ eis obuenit,abnuenda,aut respuenda non est,veluti quæ & secundum naturã aduenit, & nulla cum violẽtia.

Et firmamentum in plaga eorum. Nec vlla,inquit,diuturnitas aut perseuerantia est in eorum plaga. Nam etsi aliquando calamitate aliqua affliguntur,statim tamen ab afflictione liberantur.

In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Neque sunt,vt cæteri hominũ in laboribus. Est etenim proprium ac peculiare omnium hominum, vt labores sustineant:at illi absque vllo labore possident bona,& communi omnium hominum sententia, eo modo non affliguntur,quo alios vt plurimum affligi videmus.

Propterea tenuit eos superbia eorum in finem. Omnia eis,inquit,secunda obueniunt, & ampliori idcirco superbia detinentur.

περιεβάλοντο *Induti sunt iniustitia,& impietate sua.* Adeo,inquit, superbi sunt,& temerarij,vt impietate atque iniustitia, non secus ac veste aliqua operiantur. Et dum indui eos dicit impietate & iniustitia,summã vndique huiusmodi vitiorum amplitudinẽ videtur significare. Hac autẽ loquendi metaphora sæpenumero alibi prophetam vsum videmus, veluti quando ait:induantur cõfusione,& pudore:item,induantur,qui calũniantur me,confusione, & operiantur quasi diploide pudore suo: & rursus:induit maledictionẽ,vt vestimẽtum, & alia huiusmodi. Hoc autem in loco,posuit pro,ostentare & gloriari.

ἐξελεύσεται *Egredietur quasi ex adipe iniustitia eorum.* Ac si diceret ampla,& abundans erit eorum iniquitas. Pinguedo etenim,quę profluit ex adipe,copiam atq; abundantiã quandã significat. Vel per adipem,indolentiã,ac delicias eorũ intelligit, dicés: quòd tanta eorũ iniquitas,ex multis prouenit deliciis, atque ex multa petulantia. Et iuxta hunc sensum abundat dictio, quasi.

quasi.& quod ait,egredietur,dixit,pro, egressa est, tẽpus ponens pro tempore. Et ita reddidit Symmachus. vnde & verbum flagellabũtur cõsequenter expones, pro flagellati sunt.

διαθέσιν *Transierunt in dispositionem cordis.* Venerunt,inquit,in habitum iniustitiæ. Per dispositionem etenim seu per habitudinem cordis,habitum intelligit ad malum.

ἐν πονηρίᾳ *Cogitauerũt & locuti sunt in prauitate.* Præmeditati, inquit, & cum consideratione locuti sunt praua. Neq; enim inconsulto,aut raptim,sed summo cum studio omnia egerunt.

Iniustitiam in excelsum locuti sunt. Hoc est aduersus deum altissimum,dicentes nimirum eum deum non esse. Iniustitiã vero eos locutos esse dicit,quia iniustitia summa est, priuare deum gloria,& creatis,ab illo rebus eam præstare. Ille autem loquitur iniustitiam in altum, seu in excelsum, qui aliquid deo attribuit, quod diuinitate indignum sit.appellatur etiã diuinitas altitudo,quia altius ea nihil est, aut sublimius.

Posuerunt in cœlum os suum,& lingua eorum pertransiit in terram. Per cœlum quidẽ deum intelligit, qui in cœlis habitat:per terram verò,homines in ea commorantes, ac si diceret:os suum blasphemantes aduersus cœlestem deum mouerunt,& lingua eorum similiter aduersus terrenos homines desæuiit. Ij etenim,quibus omnia secunda erant,& qui incũbebant deliciis,multa ducti temeritate, & deum cõtumeliis, & homines calũniis infectabãtur. Vel propter philosophos dictus est hic sermo, qui posuerunt in cœlum os suum, dum ausi sunt de deo, & de diuinis rebus philosophari, & lingua eorum pertransiit in terram, dum terrena de deo nugarẽtur. vel aliter:astrologos carpit, qui os suum posuerunt in cœlũ, dum nimis curiosè astra ac stellas contemplãtur,quæ in cœlo sunt: & lingua eorum pertransiit in terram, dum inanibus nugis vniuersum complent orbem.

ἐνταῦθα *Ideo conuertetur populus meus huc.* Hæc verba dicta sunt, per prophetam ex persona dei. Propterea,inquit,hoc est,ob prædictam inimicorum iniquitatem,populus meus,ille nimirum,qui in captiuitate constitutus est, conuertetur in patriã suam. Ita enim significat quod ait, cõuertetur huc. Ibi enim erat beatus Dauid cum psalmum hunc componeret: in Hierusalem scilicet.

Et dies pleni inuenientur in eis. Pleni, hoc est, impleti, ad

vitæ nimirum mensuram. vel pleni operibus virtutũ: & sensus est. quòd consenescent, vel quòd placebunt deo. Intelligi etiam possunt hæc verba, vt aduersus inimicos dicta sint, quòd dies eorum in eis inuenientur pleni in malis, ita vt ad eorum prauitatem nihil desit.

Et dixerunt quomodo nouit deus? Quotquot in populo erãt magis pusillanimes, aut minus prudentes, tanta cernentes facinora, quanta barbari illi committere audebant aduersus viros illos sanctos, dicebant: quomodo nouit deus hæc? Et quomodo tolerat? vere hæc deus non nouit.

ἐν τῷ ὑψίστῳ

Et si est scientia in altissimo. Subaudiẽdum est verbum exquisiuerunt. Scientiam autem eorum dicit, quæ aduersus eos facta fuerant.

κατέσχον

Ecce hi peccatores & abundantes, in seculum possederunt diuitias. Ita enim considerantes intra se dicebant: ecce quòd hi Babylonij peccatores sunt, & tamẽ in præsenti seculo abundant, & diuitias possident. Vel possederunt in seculum, pro diu, & longo tempore. Huiusmodi etiam verba à Hieremia propheta ad deum dicuntur. Quare, inquit, via impiorũ prosperatur? abundarunt omnes, qui reprobant reprobationes? plantasti eos & radicem miserunt.

ἄρα ματαίως

Et dixi, nunquid in uanum iustificaui cor meũ? Ego, inquit, qui aliquanto maiores animi ac prudentiæ vires me habere confido, fluctuaui cogitationibus meis, & dixi: nunquid frustra cor meũ ab omni iniustitia emundaui, & iustum esse effeci?

ἐν ἀθῴοις

Et laui in innocentibus manus meas. Et dixi, nunquid incassum laui manus meas inter innocentes viros? quid autem sibi velint hæc verba, diximus in psalmo vigesimoquinto. à cõmuni autem sensu tam hic, quàm in duobus sequentib⁹ versiculis, subintelligendum est: nunquid in vanũ? Nam & hæc verba dubitatiue legenda sunt.

Et flagellatus fui tota die. Ieiunio nimirum, & vigiliis, & aliis huiuscemodi afflictionibus, quas assidue sectandæ virtutis gratia sustineo.

ἔλεγχός μου

Et repræhensio mea in matutinis. Repræhensio mea, quàm ego mihi ipsi adueniente mane adfero. Repręhẽdere etenim soleo me ipsum, quòd in præteritum deo restiterim, quodq; vitam ac conuersationem eo dignam non exhibuerim.

Si dicebã narrabo sic, ecce generationẽ filiorũ tuorũ reprobaui.

Si in me

Si in me ipso, inquit, dicebam, quòd aliis ita essem dicturus, quemadmodũ cogitaui: quòd scilicet in vanũ iustificaui cor meum, & reliqua: ecce ꝙ reprobaui generationẽ filiorũ tuorum, seu (vt propius poscit Gręca dictio ἠσυνθέτηκα) ecce ꝙ incomposita. hoc est, nõ vtilia, & non grata cogitaui populo tuo. per generationẽ enim filiorum dei, populus intelligitur Israeliticus. ita enim deus ipse eũ alibi appellauit, dicẽs: fili⁹ meus primogenitus Israel, itẽ alio in loco: filios genui, & exaltaui. vel aliter: filij dei sunt, qui creatorem eum agnoscũt, & illius obseruant mãdata. quædam autem exemplaria, non ἠσυνθέτηκα, habent in prima persona sed ἠσυνθέτηκας. Et quoniã Græca hæc dictio, nõ tantũ reprobare significat, aut incõposita seu inutilia cogitare, vt diximus, sed etiã pactionibus ac promissis non stare, consequenter alia fieri potest huius versiculi lectio, videlicet: ecce quòd generationi filiorum tuorũ pacta rupisti. Et tũc expone, si in me ipso dicebã: me ita aliis esse dicturũ, quòd scilicet frustra iustificaui cor meũ, &c. vt supra exposuimus: ecce quòd iuxta hanc narrationem meam huic populo tuo rupisse videris ea fœdera, quę olim cum Habraam, & progenitoribus nostris pepigeras, de terra, scilicet promissionis, & de generatione nostra, & quod perpetuo hanc terram essemus possessuri.

Existimaui, quod cognoscerem. Speraui, inquit, scire me posse, & cognoscere id de quo dubitabam.

ὑπέλαβον τοῦ γνῶναι ἐνώπιόν μου

Hoc, labor est coram me. Verum hoc, vt id scilicet cognoscam de quo dubitaui, laborẽ non modicum secum habere videtur. difficillimum enim est, vt cognoscatur.

Donec intrem in sanctuariũ dei. Labor vero iste eousq; mihi erit, donec ingressus fuero in templum Hierusalem, vbi populus sanctificari solet. Antiqua enim hæreditate ac solita felicitate recuperata, cognoscam, quòd non frustra iustificaui cor meum.

Et intelligam in nouissima eorum. Verba hæc manifestã continent prophetiã, prædicit enim se huiusmodi delinquentiũ finem perspecturum esse. de Babyloniis autem sermo est, quorum felicitas, & imperium finem habitura erant: quẽadmodum etiam postea factum est. Nam Cyrus Persarum rex deuictos illos perpetuæ tradidit seruituti: & Israeliticum populum, quem captiuum reperit in Babylone, in patriã restituit.

εἰς τὰ ἔσχατα

ſtituit. Iuxta Anagogen, per ſanctuarium dei, futurum intelligimus iudicium, in quo vnicuiq; deus condigna retribuet, pro meritis. verbũ enim Græcum, ἁγιάζω, quod paſſim omnes interpretãtur ſanctifico, vnde ἁγιαστήριον, ſanctuarium, perſæpe etiam idem ſignificare inuenitur, quod determino. non mirum igitur ſi ἁγιαστήριον pro iudicio accipitur, cum in eo omnium hominum præmia, aut ſupplicia determinanda ſint. tunc igitur vel ipſi etiam puſillanimes intelligent, quid nam proſit virtus, & obſit vitium.

Verumtamen propter dolos. Ob eorum nimirum dolos.

κακὰ *Poſuiſti eis mala.* Manifeſtius ex hoc loco Babyloniorum deſtructionem prædicit. Superflua tamen eſſe videtur, dictio illa, verum tamen, quemadmodum iuxta Hebraicum idioma ſæpenumero alibi inuenitur. Symmachus pro verũtamen, vere dixit, & paraſti, pro poſuiſti.

ἐν τῷ ἐπαρθῆναι *Deieciſti eos dum eleuarentur.* Cum in altum iam eleuati eſſent, diuitiisque, & omni felicitatis genere ſublimati, tu eos rurſus confregiſti.

Quomodo facti ſunt in deſolationem ſubito? Eorũ deſtructionem præuidens propheta, tam repentinam mutationem admiratur.

Defecerunt, perierunt, propter iniquitatẽ ſuam. Verbũ perierunt, ad maiorem declarationem poſitum eſt, verbi defecerunt. idem enim hic ſignificant. hac autẽ repetitione propheta ſummum quoddam gaudiũ, atq; alacritatem demonſtrat.

ὡσεὶ ἐνύπνιον ἐξεγείροντος *Quaſi ſomniũ exurgentis.* Aliquid ſubintelligendũ eſt, verbi gratia: Babyloniorum felicitas: ac ſi diceret, quod quemadmodum is, qui per ſomnũ, gratum quid videt, ac delectabile, ſtatim cõtriſtatur, cum à ſomno exurgit, quaſi inani delectatiõe detentus ſit, ita etiã Babylonij decurſa eorum felicitate, inanem plorabunt ſe habuiſſe fortunam. huiuſcemodi enim ſunt humanæ omnes delectationes, ſomniis ſimiles, ob earum nimirũ inſtabilitatem, & frequentiſſimas mutationes.

Domine in ciuitate tua imaginem eorũ ad nihilũ rediges. Propter ciuitatem tuam Hieruſalem eorum fœlicitatem reprobabis: quam ideo imaginem appellauit, quia humana fœlicitas, vera fœlicitas non eſt, tametſi eſſe videatur: ſed vt imago, aut vmbra, imitatur tantum fœlicitatem. per ciuitatem autem hoc in loco, intelligere potes populi ciuilitatem, vel ipſam

ipſam ſupernam Hieruſalem.

Quia inflãmatum eſt cor meum. Ardenti ſcilicet quodã zelo, quod etiam in initio pſalmi dixit: quia zelaui ſuper iniquos, pacẽ peccatorũ videns. eandẽ enĩ hic repetit ſententiã.

Et renes mei commutati ſunt. Per renes concupiſcentiã intelligit, vt etiam alibi diximus. antea, inquit, ea concupiui, quæ erant bona, poſtmodum vero non eadem amplius, quæ bona erant optaui, ſed quæ eſſe videbantur bona, quando ſcilicet inimicorum pacem zelaui.

Et ego neglectus ſum, & non cognoui. Hic verſiculus, & reliqua, quæ ſequuntur, tempus reſpiciunt poſt reditum è captiuitate. Neglectus enim, inquit, & proiectus ſum à te tunc propter peccata mea, atque ideo illuminatione tua priuatus, id non cognoui, de quo dubitaueram. Symmachus pro, neglectus, dixit, indoctus eram. καὶ οὐκ ἔγνων

Vt iumentum factus ſum apud te. Ego, inquit, in præteritum inſipiens tecum fui, verum deinceps iudicia tua curioſe amplius non inueſtigabo, ſed iumenti inſtar, omiſſa omni curioſitate, tuam ſequar voluntatẽ. cognoui etenim quòd ſumma cum ratione ac iudicio, omnia adminiſtras. laudabile eſt autem, vt apud deũ nos ipſos exiſtimemus, vt iumẽta, tametſi cõtrà criminoſum ſit, vt iumentũ haberi, apud dæmonem, vt alibi vidimus in pſalmo quadrageſimo octauo, ibi: homo cũ in honore eſſet, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Et ego ſemper tecum. Subintelligitur verbum, ero: te nimirum ſemper cogitans, & loquens, quæ tua ſunt, atque à tui memoria nunquam recedens.

Tenuiſti manum dexteram meã. Tu, inquit, optimi ductoris inſtar, manum meam apprehendiſti, & de terra, ac ſeruitute Babyloniorum me eduxiſti. vel per dexterã manum, meliores ac laudabiliores actiones ſignificat, quibus tu eduxiſti me, benigno nimirum animo eas ſuſcipiens.

Et in conſilio tuo deduxiſti me. Et conſilium mihi ſubminiſtraſti, quo duce per tot gentium regiones in patriam deductus ſum. ἐν βουλῇ

Et cum gloria ſuſcepiſti me. Et honoratum mihi in ciuitatem tuam introitum donaſti. is enim populi reditus in patriam, celeberrimus apud omnes effectus eſt. Regia etenim edicta

edicta,quæ pro populi reditu à Cyro emanarunt,ad vniuersas orbis nationes dirigebantur.

Quid enim est mihi in cœlo,& à te quid uolui,super terrã. Hęc verba quidam ita intelligũt, vt à deo ad humanam naturam dicta sint: quid mihi,inquit,aliud in cœlo est,ab angelis,nisi cultus, adoratio, atque obedientia? Et à te quid nam aliud volui in terra? quàm vt eadem mihi præstares, quæ ab angelis mihi sunt in cœlo? Vel aliter: quid mihi in cœlo aliud curæ est, quàm tu ipsa natura humana? Et à te quid nam aliud vo'ui,quàm vtilitatem, & commodum tuum, & ad hunc sensum Aquila interpretatur. verum, vt in vniuersum dicam: sæpenumero apud prophetas defectiuos quosdam reperimus sermones.ob Hebraicæ etenim linguæ angustiam, à qua vetus testamẽtum in Græcam linguam translatum est,impossibile fuit paribus dictionibus amplam æque, ac claram significationem reddere.

Defecit cor meum,& caro mea. Consumptum est cor meum. igne etenim quodam ac desyderio tui extabuit,& caro mea idem etiam passa est,dum corpus multis in doloribus, atque angustiis versatur.

Deus cordis mei. Circumlocutione vtitur, ac si diceret, ô deus meus. Verba autem hæc desyderio, atque affectu plena sunt.

Et pars mea deus meus, in seculum. O deus,inquit, qui es pars mea,id est sors,seu hæreditas mea, vel quem diuitiarum ac thesauri semper loco habui.

Quoniam ecce qui elongant se à te pereunt. Peccatores elõgari dicũtur à deo non loco,sed conuersatione:quemadmodum contrà ille appropinquari deo dicitur, qui virtutes sectatur. Ita enim peccata diuinũ conspectum refugiunt,vt tenebræ lucem,& quantum quis elongatur à deo,tantum perditioni appropinquat.dictio autẽ, quoniam hoc in loco cõfirmat.idem enim significat,quod vere. perire etiam hic posuit pro decidere à salute.

Disperdidisti omnes qui fornicantur à te. Per fornicationem à deo hic,rebellionem, atque abscessum ab eo intelligit, seu idololatriam,atque omnem alium dæmonum cultum, quẽadmodũ alibi apud Hieremiam habetur: profecta es,inquit, in omnem montem altum,& sub quocunque ligno nemoroso,& fornicata es illic: & rursus,& fornicata es lignum,& lapidem:pro eo quod est,adorasti lignum,& lapidem. Ecclesia etenim sponsa Christi dicitur,eique per fidem & per mandatorum obseruationem est coniuncta.

Mihi autem adhærere deo bonum est. In sponsæ nimirũ morem deo coniungi,& nunquam ab eo separari.

Ponere in domino spem meam. Nunquam enim concepta spe frustratus sum,quoties in eo speraui. bonum igitur atque vtile est,ita facere.

Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Vt tua securus protectione,narrem mirabilia omnia, quæ fecisti laude digna.vel aliâs, vt scriptis meis laudes eas exponas, quæ tibi debentur. omnes autem ideo dixit, quoniam dei laudes tot sunt, quot eius potentiæ. vt annunciem autem eas in portis Sion,id est in portis Hierusalem. duplici enim nomine appellata est ea ciuitas: Hierusalem nimirum, & Sion, à vicino monte.per filiam autem Sion, ipsa Sion intelligitur, quemadmodum per filium hominis ipse homo, iuxta Hebraicum idioma. solebant autem antiqui iuxta ciuitatis aut templi portas, concilia ac cœtus hominum congregare,& illis quæcunque noua contingebant narrare. Iuxta Anagogen per portas Sion, particulares Ecclesias intelligimus, quæ in variis sunt orbis partibus. per eas etenim vt per portas quasdam ingredimur in supernam Hierusalem.

Intelligentiæ ipsi Asaph.

De Asaph alibi dictum est. *Intelligentiæ autem ideo dixit, quia multa lectori opus est intelligentia.ea enim in hoc psalmo tractantur,quæ ad ultimam Iudæorum captiuitatem, atque ad illam Hierusalem destructionem pertinent, quæ à Romanis facta est. Nam etsi antea à uariis fuerint sæpenumero captiuati nationibus, nunquam tamen tanta eis,ut tunc accidit calamitas. nam & in perpetuum abiecti sunt,& incensum est templum,& destructæ domus, & omnia depopulata, quodq; malorum omnium illius gentis euidentius signum est,nullus deinceps inter eos propheta extitit. Illud autem animaduertendum est,quòd dum hic psalmus Iudæorum annunciat calamitates,fidelium una prædicit salutem.*

PSALMVS LXXIII.

Vt quid deus repulisti in finem. Prophetarum more, narrat, vt iam facta, quæ futura erant. Dignum est autem vt admiremur bonitatem dei, qui cum Iudæorum infidelitatem præuideret, tam aperta prophetia ac futurarum calamitatum prædictione à tanta illos nitebatur sæuitia atque impietate auertere, qua aduersus saluatorem vsuri erant, tametsi ob arbitrij libertatem, quam homini deus dedit, illi in prauitate sua immutabiles perstiterint. Hos etiam sermones summo cum dolore Propheta enunciat, populi vicem plorans, qui grauissima quædam ac miserabilia passus erat. Possumus aliter intelligere hæc verba: vt ex prudentiorum Iudæorum persona dicta sint: nec tantum repulisti, inquiunt, sed in finem repulisti, quod omnimodam prorsus destructionem significat. Nam & si prius eos sæpe repulerat, non tamen in finem. Vnicuiq; enim captiuitati certum tempus per Prophetas statuerat. Illa autem verba: vt quid, interrogatiua quidem esse videntur, & rationem indagare, sed iuxta vsum Hebraici idiomatis diuinam misericordiam conciliant.

Iratus est furor tuus, super oues pascuæ tuæ. A communi sensu rursus sumendum est: vt quid? de ira autem, & furore dei, in sexti psalmi principio dictum est. Per oues etiam, ipsum populũ intellige, & per pascua, sacra scripturæ eloquia, quibus animas suas illi omnes nutrire solent, qui secundum legem dei viuunt.

Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Quã, inquit, congregationem ab initio, hoc est, olim, ac primo, vt possessionem quandam habuisti. Et subsignare videtur ꝑ aliam ex Gentibus Ecclesiam possessurus sit.

Redemisti virgam hæreditatis tuæ. Priora connumerat beneficia. Per virgam autem, regia dignitas significatur, seu ipsum regnum, vt in quadragesimoquarto psalmo dictum est. Aquila pro virga hæreditatis, sceptrum dixit sortitionis. Hebræorum autem regnum intelligit, vel etiam populum ipsum sub rege constitutum, qui hæreditas domini dictus est: quia, vt ait Moyses, facta est pars domini populus eius, Iacob: funiculum hæreditatis eius, Israel. Redemit autem eos deus sæpenumero ex bellis, atq; captiuitatibus.

Mons

Mons Sion, hic est, in quo habitasti in eo. Mons Sion ille celeberrimus hic est, in quo fecit deus prædictam hæreditatis suæ virgam habitare. Vel in quo, tu habitasti. Dictio enim Græca, κατεσκήνωσας, vtranque interpretationem recipit. & quod ait, in eo, expone, vt diximus, alibi, exponentes illum versiculum, cuius maledictione os eius plenum est. Et præmittit Propheta inter prima verba montis memoriam, vt dedicati deo montis commemoratione illum sibi magis redderet beneuolum.

Leua manus tuas in superbias eorum in finem. Destruat prorsus ait, inimicorum elationes, qui capta Hierusalem procaciores effecti sunt, ac magis temerarij, & insipienter aduersus te inflati. Leua autem manus tuas, ex metaphora eorum dictum est, qui manus in altum tollunt, vt verberibus inimicum deiiciant.

Quanta malignatus est inimicus in sancto tuo. Per inimicum, Titum Imperatorem intelligit, & per sanctum, templum ipsum, quod ab illo tandem destructum est, postquam multa alia nefanda scelera in eo patrasset. Quanta autem dixit pro, heu quanta. Νοῦ

Et gloriati sunt, qui oderunt te in medio solennitatis tuæ. Paschæ festiuitatem intelligit. In illius enim solennitatis medio Titus obsedit Hierusalem, & Iudæos festiuitatem illam celebrantes captiuos fecit. Considera autem, quo pacto in paschatis solennitate Iudæi pœnas dederint, in qua dominum crucifigentes tam immensum scelus patrarant.

Posuerunt signa sua, signa, & non cognouerunt, quasi in exitu desuper. Vnusquisque ordo militaris signo suo vtitur, quod hastili infixum ante aciem præmittitur, vt cohors internoscatur à cohorte: id vexillum appellamus. Hæc igitur vexilla, Romanorum acies ingredientes in Hierusalem fixerunt in exitu, hoc est, in portis ciuitatis: quinimmo & desuper ipsas portas. Abundat autem dictio, quasi. Erexerunt autem hæc signa sua, signa, hoc est, in signum victoriæ, ac pro trophæis, idque nondum ab iis cognitum fuerat, qui erant intra ciuitatem: eo ꝑ circa solennitatem occupati, nullis aliis rebus animum intendebant. Vel non cognouerunt, ipsi scilicet inimici, quo pacto ceperint ciuitatem. Id quippe ea ratione non accidit, quod Iudæorum deus impotens esset, aut infirmus, ὑποφαίνω

sed ob

sed ob Christi cædem illos deus pœnas luere permisit.

Quasi in sylua lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum. Instar, inquit, syluæ lignorum, illius ianuas prorsus excidebant. In idipsum, id est, vna omnes.

Λαξευτη ρίω

In securi & uecte confregerunt eam. Securi quidem, tecta, ac domorum, & ciuitatis ianuas, & quæcunque alia lignea subuertebant, vecte vero muros, mœnia, & lapidea quælibet. vectis enim seu (vt in Græca lectione habetur) λαξευτήριον quoddam instrumenti genus est quod & ad incidendos lapides idoneum est, & ad mœnia diruenda. Confregerunt autem, hoc est, deiecerunt.

Incenderunt in igne sanctuarium tuum. Per sanctuarium templum intelligit, quemadmodum in præcedenti psalmo diximus.

In terram profanauerunt tabernaculum nominis tui. Profanauerunt, hoc est, profane, atq; impie illud solo æquarunt. Exquisito autem loquendi modo dicit, tabernaculum nominis dei. Nullum enim diuinæ substantiæ tabernaculum esse potest, cum natura illa diuina immensa sit & incircunscripta: vnde eleganter tabernaculum nominis dei dixit. Aliqui vero Prophetam dicunt circunlocutione vti, & tabernaculum nominis dei, pro tabernaculo dei dixisse.

Εἶ συγγένεια

Dixerunt in corde suo cognationes eorum simul. Omnes inimicorum cognationes mutuo inter se simul dixerunt. In corde autem suo, hoc est, ex toto corde, atq; ex tota animi promptitudine. Dictio autem, venite, quæ sequitur, vetat ne exponere possimus, dixerunt, pro cogitauerunt, nisi quis eam non in vim verbi, sed aduerbialiter esse positam dicat, pro, eia age. Quid autem dixerint, audi.

πάσας τὰς ἑορτὰς

Venite quiescere faciamus omnes festiuitates dei in terra. Omnes nimirum legales cultus ac cærimonias illius dei, quē Iudæi colunt: hoc autem perficiemus, si leges, ac mores, & remp. eorum deleuerimus, quemadmodum permittente deo effecerunt.

Σημεῖα αὐτῶν

Signa eorum non uidemus. Miracula scilicet quæ Iudæi deum suum olim in parentum suorum gratiarum operatum esse asserebant. Hæc enim miracula Romani milites, qui obsidebant Hierusalem, negant vsquam se vidisse. Nihil huiusmodi, inquiunt, eorum deus aduersus nos operatus est.

Non

Non est amplius Propheta. Amplius pro deinceps. Vere autem hoc à Propheta nostro ex illorum persona prædictum est. Neque enim tunc vllus inter Iudæos erat Propheta, qui aut aduersus Romanos prædicaret, aut Iudæos iuberet confidere.

Et nos non cognoscet amplius. Cumque nullus deinceps Propheta futurus sit inter eos, consequenter nullus etiam ea amplius cognoscet, quæ ad nos pertinent, aut quem exitum habitura sint. Et quod ait, amplius, idem est quod in posterum.

Vsquequo deus improbabit inimicus? Vsquequo te & nos pariter improbabit, quasi infirmos atq; imbecilles?

Irritabit aduersarius nomen tuũ in finem? Blasphema assidue aduersus te verba proferet, atq; ad iram te irritantia, tametsi tu & longanimis sis, atq; illos ob eorum delicta, multa huiusmodi facere permittas.

Vt quid auertis manum tuam & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem? Obseruandum est, quòd hæc verba, in finem, quę sæpius in præsenti psalmo posita sunt, perpetuam Iudęorum abiectionem notant. Manum autem eandem appellat quam & dexteram. Sinus autem dei est bonorum omnium thesaurus, & manus dextera, illam operationẽ significat, quæ diuina bona dispensat, & sensus est. Quare bona tua nobiscũ plus non participas, vt olim agebas? & est metaphoricus sermo, tractus ab iis, qui sinum habuerunt multiplicibus bonis plenum: vnde certo tempore amicis largiebantur: Nam si irasci eos contingat, manum à sinu auertent, nec illuc amplius eam mittent, vt consueta amicis bona largiantur.

Deus autem rex noster ante seculum. Ante seculum impropriè dixit, pro à principio. Quo pacto enim ante seculum rex esse potuit creaturæ, cum nulla adhuc sensibilis esset creatura. Vel per seculum, præsentem vitam intellige, vt sit sensus: Ante vitam nostram, seu à progenitoribus nostris deus, rex fuit generationis nostræ. Libenter autem illius meminit, eo quòd in memoriã reuocet eundem hunc deum esse, qui progenitorum suorum tempore multa in eorum gratiam miracula operatus est.

Operatus est salutem in medio terræ. In medio terræ dixit pro palam atque in omnium hominum conspectu, & in specie libertatem

cie libertatem Iudæis præstitam intelligit ab Aegyptiaca seruitute.

Tu roborasti in potentia tua mare. Hoc est tu diuisas maris rubri partes solidasti. Murus enim, inquit, à dextris, & murus à sinistris potentia nimirum tua concretus est, qui aquarum defluxum continuit.

Tu contriuisti capita draconum in aquis. Per dracones, Aethiopes intelligit, ob summam eorum prauitatem, & per draconum capita, eos milites, tribunos, centuriones & duces, qui à Pharaone missi sunt ad persequendum populum Israel, qui plebis comparatione, vt digniores, capita appellari poterant. Hi omnes igitur inundante aqua contriti sunt & perierunt.

τῶν κεφαλῶν

Tu confregisti caput draconis. Per draconem singulari sermone, Pharaonem intelligit, & per confractionem capitis, regni atq; imperij imminutionem.

Dedisti eum escam populis Aethiopum. Aethiopes finitimi sunt Aegyptiis. Hi autem populi inimicitias olim inter se exercebant, & mutuo alter alteri tendebat insidias. Aethiopes igitur, perspecta Aegyptiorum clade, excursiones fecerunt, Aegyptumq; deprædati sunt, & reliquos omnes, qui superfuerant in ore gladij comederunt. Per Pharaonem autem, omnes alias regiones denotat ei subiectas.

Tu dirupisti fontes & torrentes. Dirupisti dicit pro dedisti. Illam autem aquam intelligit, quæ de petra fluxit in deserto. Et fontes quidem ideo appellauit, quia aquæ illæ fontis instar scaturirent: torrentes vero ob fluxus vehementiam, vtrunque autem plurali numero dixit, iuxta Hebraicæ linquæ vsum. Aquila autem & Symmachus singularem numerum seruarunt.

Tu siccasti fluuios Etham. Symmachus pro Etham, antiquos reddidit: Sodomæque & Gomorræ fluuios & fontes intelligit, quos ob eorum peccata deus in cinerem redegit. Vel simpliciter: tu dedisti nobis, inquit, nouas aquas, tu antiquas siccasti, vtcunque tibi placitum est. Isidorus vero Pelusiotes, Etham dicit loci nomen esse, non procul à Hierusalem, qui fluminibus olim irriguus, post euersionem Hierusalem à Romanis factam, ob dei iram illis omnibus prorsus exsiccatus est.

Tuus

Tuus est dies & tua est nox. Cum à particularibus & priuatis quibusdam rebus cœpisset deum laudare, nunc sermonem vertit ad communia: dies, inquit, & nox à te sunt creata, atque vt famuli tuo inseruiunt mandato.

Tu perfecisti auroram & solem. Per auroram diei ortum seu diluculum ipsum intelligit. Perfecisti autem, id est fecisti, & per solem cæteras omnes stellas significauit.

κατηρτίσω φαῦστην

Tu fecisti omnes fruges terræ. Per fruges iuxta Græci nominis etymologiam annuos fructus intelligit. quidam vero non fruges sed terminos legendum esse asseuerant, & lectionis varietas ex dictionum Græcarum vicinitate est orta. melior tamen lectio videtur quæ habet fruges, vt ex sequentibus demonstrabitur.

ὥρας ὅρια

Aestatem & uer tu plasmasti ea. Harum enim frugum aliæ in vere nascuntur, aliæ æstate, aliæ etiam ipsa æstate perficiuntur. Harum autem duarum anni partium tantum meminit, quasi cum his aliæ simul cõprehendantur. Dictio autem, ea, abundat. Vel sic legi potest: tu plasmasti ea æstatem nimirum, & ver. Indifferenter etiam æstatem, priusquam ver commemorauit.

Memor esto huius. In principio psalmi dixit, memento congregationis tuæ, quam possedisti ab initio: idem igitur nunc repetit.

Inimicus exprobrauit dominum. Titus nimirum vel Romanorum exercitus.

Et populus insipiens irritauit nomen tuum. De eisdem rursus loquitur, qui non recte de deo sentiebant. De verbo autem, irritauit, diximus paulo superius.

παρώξυνε

Ne tradas feris animam confitentem tibi. Præuidens Prophe ta ea, quæ Iudæis euentura erant, fundit preces ad deum, ne Iudęorum populum in Romanorum potestatem tradat, quos ob summam sæuitiam feras appellat. Per animam vero hominem intelligit, veluti totum à parte, vt alibi diximus. Confitentem autem, hoc est, gratias agentem.

θηρίοις

Et animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem. Indifferenter Propheta quartum atque secundum casum apponit verbo reminiscaris, & per animas pauperum circumloquendo ipsos pauperes intelligit. Pauperum vero animas dixit, vt huiusmodi sermone ad maiorem deum misericordiam excitaret.

taret. Eosdem etiam Iudæos pauperes appellat, eo ꝙ ob Romanorum obsidionem in summa erant rerum omnium necessitate constituti.

Respice in testamentum tuum. Dictio Græca διαθήκη & testamentum significat & pactum seu fœdus. De pacto igitur loquitur, quod pepigit deus cum Habraam, & cum aliis progenitoribus, quemadmodum in præcedenti psalmo diximus, ibi: ecce generationi filiorum tuorum fœdera rupisti. Noli igitur pacta, quæ nobiscum habes, despicere.

οἱ ἔσκοτι σμένοι τῆς γῆς

Quoniam obscurati terræ repleti sunt domibus iniquitatum. Quoniam terreni homines Iudæi, quos obscuratos terræ appellauit, veluti propriis passionibus atque affectibus obtenebratos, impleti sunt domibus iniquitatum, hoc est, multitudine, ac copia delictorum. Iniquitatum enim domos hic dixit quasi amplam quandam mensuram: ad summam videlicet copiam denotandam. Simili enim loquendi modo vti solemus, quando aliquem frugum aut alterius rei copiam habere indicamus: verbi gratia, ille domos frumenti habet, aut domos olei.

μὴ ἀποστραφήτω τεταπεινωμένων κατησχημμένος

Non conuertatur humiliatus confusus. Tuus, inquit, populus, qui in hoc obsidionis tempore tibi supplicationes porrigit, non auertatur, quæso, à te humiliatus & confusus, dum non exauditur.

Inops & pauper laudabunt nomen tuum. Populus de quo supra diximus, ibi: & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem. Iudæi, inquit, perpetuo laudabunt te, si eos saluaueris, non sic autem inimici.

Exurge deus, iudica causam tuam. Causa autem quæ vertebatur inter deum, & inimicos Romanos, de contumelia erat in deum illata. Neque enim illis satis fuerat furere aduersum populum, sed deum insuper infirmum, atque imbecillem improperabant. Vel aliter: Causam populi tui dicere possumus causam tuam.

ὀνειδισμοῦ

Memor esto opprobrii tui, quod ab insipiente fit tota die. Per insipientem, Titum intelligit, & quemlibet ex Romanis militibus. Sicuti & superius dixit: Et populus insipiens irritauit nomen tuum. Opprobrij autem tui tota die, hoc est, quod assidue fit aduersus te.

οἰκετῶν

Ne obliuiscaris uoces seruorum tuorum. Qui illo tempore tibi preces

bi preces porrigent, vt diximus. Quædam autem exemplaria non seruorum habent, sed supplicum, orta nimirum lectionis varietate ob Græcarum dictionum vicinitatem, quam tum in prolatione habent, tum in scriptura.

οἰκέτης ἱκέτης

Superbia eorum, qui oderunt te, ascendit semper. Ascẽdit pro exaltata est, atq; in sublime eleuata. Vel ascendit semper coram te. Illud autem considera, quomodo his dictis nulla promissio aut spes bonorum coniuncta est, & nulla melioris fortunæ spes eis data, quemadmodũ alias semper fit in aliis psalmis. Et hæc quidem expositio ita à nobis relata est, prout ab ipsis traditur Iudæis, Verior tamẽ expositio est, vt ab illo versiculo, operatus est salutẽ in medio terræ: omnia, quæ sequuntur, referamus ad Christũ, qui incarnatione sua salutem nobis vere operatus est, à pristino nos errore liberans, & salutis viã ostendens. In medio autem terræ, id est, in omni terra: tametsi aliqui in ipsa intelligant dici Hierusalem, quã in medio terræ sitam esse asserunt. Roborauit autem Christus mare, quia sacri baptismatis aquam validam, atq; efficacem reddidit, aduersus omnes dæmonum conatus. Nam & Michæas propheta, mare illud appellauit ad deum dicens: tu peccata nostra in profunda maris demerges. Mare autem baptisma appellatur, eo ꝙ animarum sordes, quæ illic baptizantur, recipit, & quia purgat, & quia non secus gratiarum ac charismatum copia abundat, q̃ mare vndarum ac fluctuum multitudine. Et dracones quidem dici possunt dæmones. Draco autem, eorum princeps diabolus: quorum capita, hoc est, quorum peccata dominus contriuit, & confregit in aqua baptismatis. In his etenim capitibus mortiferum omne repositum est venenum. His igitur capitibus, hoc est, his peccatis per baptismatis aquã perditis, ac deletis, nulli amplius in nobis viuent dracones. Populi vero Aethiopum ij sunt, qui caligine ac sordibus peccati animas olim nigrantes habebant: ipse nimirum gentes, quibus draconem illum deus post baptisma in cibum, hoc est, in consumptionẽ dedit: dirupit etiam, hoc est, præbuit deus fontes, & torrentes spiritualis doctrinæ, in gentilis populi terra, quæ prius deserta erat: & fontes quidẽ dicit: ob perpetuitatẽ, puritatem, & suauitatem fluxus: torrentes vero ea ratione quam diximus, in psalmo trigesimoquinto. flumina autem Etham, antiquæ Iudæorum sunt prophetiæ, quæ aridæ sunt, si iis com-

 parentur

parentur, quę fidelibus Christianis sunt traditæ. Exsiccata autem dicuntur hæc flumina, quoniam, vt diximus, defecerunt Prophetæ: atque hoc ob summã Iudæorum prauitatem à deo permissum est. Quæ sequuntur Christum vniuersæ creaturæ factorem, & dominum esse demonstrant. Memor autem esto huius cõgregationis, nouæ scilicet, & non illius antiquæ. Inimicus autem Iudæus, & Gentilis, Christũ exprobrauit, quasi deus non sit: quinimmo etiã quasi impotens sit, multa alia etiã contumelioſe in eum dixerunt, & illius nomen irritarũt. Per feras etiã, Iudæos, Gentiles, & dæmones intellige, & per pauperes, ipsos fideles, qui relictis omnibus Christum secuti sunt vt in nono psalmo diximus. Testamentum autẽ seu pactum illud intellige quod à Christo dispositũ est, ad Apostolos, & illud prę cæteris: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Per obscuratos autem terræ, omnes in vniuersum infideles intellige, qui splẽdescentes veritatis radios cernere nequeunt, & quæ sequuntur simili modo accommodari poterunt si recte disquiras.

μὴ διαφθείρῃς

In finem ne corrumpas ipsi Asaph Psalmus cantici.

Hoc psalmo futurum prædicitur in mundi consummatione iustum dei iudicium, delinquentium nimirum supplicia, & iustorum præmia. Atq; ideo uniuersos homines, in uitæ finem aspicere iubet ne seipsos propriis peccatis perdant. Aliqui, ne corrumpas, exponunt, pro ne pecces, ne delinquas. De Asaph & de reliqua inscriptione diximus, in proœmio operis. Conscriptus uero est hic psalmus, ex eorum persona qui captiui erant in Babylone.

PSALMVS LXXIIII.

εὐ

Confitebimur tibi deus, confitebimur tibi. Vbi, inquit, à seruitutis iugo, quo premimur fuerimus liberati, tunc summas tibi agemus gratias. Illa autẽ repetitio verbi, confitebimur, intensionem quandã aut certitudinem significat gratiarum actionis.

Et inuocabimus nomen tuum. In auxilium nostrum illud nomen tuum inuocabimus, quod ab inimicis exprobratum est. Ego autem hæc verba congruere magis puto iis, qui in Christum crediturі erant, à quibus Christi nomen inuocatum est, quique Christiani nomine dicti sunt.

Narrabo

Narrabo omnia mirabilia tua. Huiusmodi verba etiam habentur in psalmo nono.

Cum accepero tempus, ego rectitudines iudicabo. Quidam simul cum præcedenti versiculo coniungunt verba illa: cum accepero tẽpus, vt ordo sit: ego narrabo omnia mirabilia tua, cum accepero tempus, hoc est, cum primum ab inimicis fuero liberatus, melius tamen videtur, vt subsequentibus coniungantur, & introducatur sermo, veluti ex Christi persona dicentis: nolite esse pusillanimes, quia cum iudicij tempus accepero, iuste omnes iudicabo, tam eos qui intulerunt, q̃ eos, quibus illata est, iniuria. Et quod ait, accepero: sanè intelligendũ est, non q̃ ab alio Christus, vt deus, accepturus sit tempus, q̃ à seipso. Vel vt homo, à deo tempus accipiet. εὐθύτητας

Liquefacta est terra, & omnes, qui habitant in ea. Liquefieri dicitur omnis virtus, quæ dissoluitur. Adueniente igitur iudicio liquefacta est terra, & habitantes eam, hoc est, liquefient. Cœlum enim, inquit, & terra transibunt. Præterea etiam omnes habitantes in ea, quoniam vniuersi homines morientur.

Ego firmaui columnas eius. Me iubente liquefacta est, quoniam à principio ego eam creaui. Per terræ autem columnas illud Propheta mandatum dei intelligit, quo terræ iussum est vt firma consisteret. Hoc enim mandato sustinetur, & regitur terra, nulli alij rei innixa & nulla alia suffulta stabilitate. Possumus etiam per liquefactionem, corruptionem intelligere. Corrupta est etenim terra idololatriis & multiplicibus hominum peccatis. Verum ego, inquit, creaturæ perditionem miseratus, Apostolos confirmaui. Hos etenim columnas orbis esse merito dicimus, veluti, qui solida sua doctrina omnes vbiq; gentium fideles sustineant, & regant. Hoc nomine Paulus illos appellauit, dicens: Petrus & Iacobus, qui videbantur columnæ esse. Quidam terræ nomine hic ipsam intelligunt significari Hierusalem, quam liquefactam esse dicunt, quia à Romanis militibus vastata, ac depopulata est. Eius autem Hierusalem columnas Apostolos esse dixit, quia illinc erant oriundi, vel quia illinc missi sunt ad vniuersum terrarum orbem, vel quia postquã terra illa Hierusalem atq; illius habitatores liquefacti fuissent, erant deinceps fidei columnis rursus confirmandi. ἐστήριωσα

Dixi iniquis, nolite iniqua agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu. Cum futurum sit iudicium, vt prædiximus, ne vllus peccatoribus excusationis locus relinquatur. Propheta narrat, quemadmodum ipse iniquos omnes esset contestatus dicens: nolite inique agere: & rursus vt peccatoribus dixisset: Nolite exaltare cornu, hoc est, nolite de propriis peccatis, quasi de præclaris aliquibus gestis gloriari. Summæ id nanque insipientiæ est. Eosdem autem inique agentes appellat, quos & delinquentes. Diuersimode autem accipi reperimus, cornu, in psalmis. Aliquando enim pro potentia ponitur, aliquando pro gloriatione, & iactantia. Cornuta siquidem animalia & strenue cornibus certare solent & illorum ornamento gloriari.

Nolite extollere in altum cornu uestrum. Idem iterum repetit, ad contestationis suæ confirmationem.

Et nolite loqui aduersus deum iniustitiam. Verba hæc idem æque significat, quod illa: iniustitiam in sublime locuti sunt, de quibus diximus in psalmo septuagesimosecundo.

ἐξ ἀνατολῶν οὐδὲ ἀπὸ δυσμῶν

Quoniam neq; ab egressu neq; ab occidente, neq; à desertis montibus. Gloria, inquit, & diuitiæ, item ingloria, & paupertas, non est nobis ab astrorum ortu, neq; ab eorum occasu, vt asserunt Astrologi: quinimmo nec à dæmonibus ista hominibus obueniunt (per desertos enim montes ipsos dæmones intelligit, quia omni virtutũ genere deserti ac steriles sunt & montium instar superbia elati) sed iusto dei iudicio omnia dispensantur. Per egressum autem, solis ortum intelligit, quemadmodum & alibi cum ait: à summo cœlo egressio eius. Per occasum vero, occidentem, & per desertos montes, Septentrionis & meridiei climata, quæ ob nimium frigus, aut calorem, hominibus deserta sunt. Est autem hic sermo defectiuus vnde aliquid subintelligendum est, verbi gratia: nihil latet. Nihil, inquit, in futuri iudicij tempore poterit deum latere. Omnia etenim ei patebunt, in quacunque ea fuerint regione: atq; ideo nolite prauum aliquod scelus committere. Neq; enim latere eum quis poterit, si in eum deliquerit. Et deinde causam ponit, cur nihil deum lateat.

Quoniam deus iudex est. Quoniã deus est, qui iudicat quiq; omnia optime nouit, etiam antequam fierent.

Hunc humiliat, & hunc exaltat. Hunc quidem honorat, & alium

alium reprobat, iuxta vniuscuiusque vitam, ac iuxta iustissimas quasdam rationes diuini iudicij.

Quoniam calix in manu domini uini meri plenus mistione. Totus sermo metaphoricus est. Et per manum quidem domini, illius potentiam intelligit: per calicem autem vini, mensuras ac modos pœnarum. Per vinum enim hoc in loco supplicia intelliguntur, atque calamitates, quæ æque, ac vinum, & vires hominum tollunt, & mentis harmoniam dissoluunt, & aberrare nos faciunt à via. Merum vero esse dicitur hoc vinum, quasi austerum atque efficax vi sua, & nulla mistum misericordia. Et hi quidem calix est vini meri, verum in manu domini alius etiam est calix, plenus mistione: hoc est, misericordia. Mistio enim vini, aqua, & mistio austeritatis, misericordia. Debemus autem ea verba: plenus mistione: non sequenti versiculo cõiungere, sed per se soluta legere, subintelligendo coniunctionem, & sumendo à cõmuni sensu verba: calix in manu domini, vt sit sensus: quòd in manu domini, est calix vini meri, & in eadẽ manu, est calix, plenus mistione. Nam alioqui, quomodo vnus, atque idem calix poterit & merum, & mistum continere: & quòd duo sint calices, patet etiam clarius ex sequentibus. μερίσμα τοῦ

Et inclinauit ex hoc in hoc. Et de mensura meri supplicij, effudit in mensuram misericordiæ, vt misturam faceret, vtq; eam in potum illis præberet qui & leuius deliquissent & adhuc essent medicabiles.

Verumtamen fex eius non est exinanita. Per fecem calicis, crassitudinem, vt ita dicam, intelligit meri supplicij: hoc est, extremas omnium pœnas, quæ iis reseruantur, qui aut maxime deliquerunt, aut à vitiis immutari noluerunt.

Bibent omnes peccatores terræ. Bibent fecem. Per peccatores autem eos nunc intelligit, qui à peccatis nunquam cõuertuntur.

Ego autem exultabo in seculum, psallam deo Iacob. Ab inimicorum nimirũ seruitute liberatus, exultabo quidẽ quòd calamitates cessauerint, & psallam in gratiarum actionem. ἀγαλλιάσομαι ψαλῶ

Et omnia cornua peccatorum confringam. Inimicorum scilicet rursus me oppugnantium.

Et exaltabitur cornu iusti. Simulac vicerit. Iudæorũ enim populus post reditum è captiuitate, insurgentes in se vicinas ὑψωθήσεται κέρα

gentes deuicit. Et christiani simili modo ex idolorum seruitute, in libertatem restituti, dæmonum omnium vires cõfringunt, qui interim in circuitu orbis sunt, quærentes quem deuorent & variis nos tentationibus impetẽtes. Per iustum autem, pium quemlibet ac religiosum virũ intelligit, vel ipsum Zorobabel, qui populum è captiuitate in patriam reduxit. Verum magis proprie ipse intelligitur Christus, veluti qui omni caruit peccato: cuius figuram tenuit Zorobabel. Quoties vero fidelis quispiam aut martyr, incorporeas dæmonũ potentias sibi aduersantes, atque insultantes deuicerit, Christi potentia magis exaltatur & Christo maior laus tribuitur, qui tantas ei vires præstitit & robur.

In finem in hymnis psalmus ipsi Asaph canticum ad Assyrium.

Diximus in proœmio operis, quòd hæc uerba in finẽ, quæ in psalmorum inscriptionibus habentur, indicant illic prophetiam contineri: & lectorem iubent in illius finem aspicere. In hoc igitur psalmo latet prophetia, quæ iuxta Hebræos destruendam esse prædicebat potestatem Sennacherib: & iuxta christianos profligandum annunciat dæmonem, quem nos intellectualem Sennacherib uere possumus appellare. Vel aliter: in finem ideo inscribitur psalmus, quia hic tractatur de mundi ac futuri iudicii fine. In hymnis uero, quia gratiarum actiones continet, pro obtenta uictoria. De Asaph & cantico diximus in proœmio operis. Ad Assyrium uero, quia Sennacherib Assyrius erat. Ad illum enim multa pertinent, quæ in præsenti psalmo habentur. Tu uero illud considera, quo pacto sanctus spiritus simul cum Iudaica historia christiana dogmata complicauerit, ut & Iudæis solamen præstet, qui humiles tantum sensus sequuntur, & christianum etiam magis lætificet, ad sublimiores tendentem ac penetrantem contemplationes.

PSALMVS LXXV.

NOtus in Iudæa deus. Iudæi quidem cognosci tantum affirmant deum à Iudæis, contra autẽ deus ad illos, per prophetam dicit: iuxta numerũ ciuitatum tuarum fuerunt dei tui Iuda, & iuxta numerum biuiorum Israel, sacrificauerunt Baal. Manifestum est igitur, quòd de Iudæa illa non loquitur, quæ est in

est in Palæstina, sed per Iudæam, sacram intelligit scripturam, in qua vniuersa Christus notus est. Nam & Mosaici, & cæteri omnes libri, de eo annunciauerunt: & ipse etiam diuinus cultus, qui lege constitutus est, figuram & characterem eorum continebat quæ ad Christum pertinerent.

Israel magnum nomen eius. Atqui nec in solo Israel. Ab oriente enim, inquit, propheta vsque ad occasum, glorificatũ est nomen meum inter gentes: & alibi ad Iudæos: vos autem profanastis eum: item alibi: nomen meum magnũ inter gentes. Rursus igitur per Israel, Israelitarum scripturam intelligit, datam populo Israel, in qua magnum ac glorioſum canitur Christi nomen. Maximus autem philosophus per Iudæam eam philosophiæ partem intelligit, quæ circa actiuas actiones versatur, & per Israel eam partem quæ contemplationibus vacat. Iudas quippe interpretatur confessio: confessio autem initium quoddam præstat ad agẽdi virtutes: Israel vero interpretatur mens videns deum. Cognoscit igitur deum, is qui per virtutem operatur, sciens illum iudicem iustum esse, & condigna vnicuique pro actionibus in iudicio redditurum: atque ideo seipsum ab omnibus maculis mundat. Cognoscit etiam deum is, qui in diuinorum contemplatione versatur, & considerans dei magnalia, condigne etiam illum magnificat. Possumus etiam per Iudæam, nouam ex gentibus ecclesiam intelligere, quæ & antiqua peccata confessa est, & quæ verum deum per contemplationem semper intuetur. Et similiter nouum Israel. quia, vt ait magnus Paulus, non ille qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto, carnalis circuncisio, sed qui in occulto Iudæus, & circuncisio cordis, in spiritu, non litera.

Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Ni tam crebro obsessa & capta fuisset Hierusalem, haberẽt cõlorem aliquem Iudæi, vt hæc verba de ea dicta esse viderentur: verum hoc in loco, per pacem, non ipsam intelligit Hierusalem, sed pacificos homines: pacificos, inquam mutuo interse, dum & proximos diligunt, & ipsi ab eis inuicem diliguntur: & pacificos etiã in seipsis, dum affectus ac passiones insurgere ac pugnare non sinunt aduersus rationem, sed rationi eas subiiciunt. In huiusmodi igitur homine locus quidam nobilis fit, ipsi etiam deo habitabilis. Cæterũ cum Sion idem

significare

significare dicatur quod specula, ille merito Sion poterit appellari, qui inimicorum aduentū de longe fuerit speculatus.

Τὰ κράτη τῆ τόξου ὅπλου

Illic cōfregit potentias arcuum, telum gladiū & bellum. Iuxta historiam hoc pertinet ad Assyriorum destructionem, illic enim in Sion deus, arcuum vires contriuit: hoc est, dissoluit, & inanes reddidit. Per telum autem, pro quo in græca lectione, ὅπλου legimus, non offensiua hoc in loco arma intelligi debent, sed defensiua, veluti thoracem, aut aliud quid simile: vnde apud Græcos militem thorace armatum, ὁπλίτην appellabant, ad eorum militum distinctionem, qui huiusmodi carebant armatura, quosque ψιλοὺς, hoc est nudos vocabāt. Arcuum vero potentias, seu robur dixit, quia Assyrij arcu plurimum vtebantur, atque in eo armorum genere suas potissimum vires collocabant. Per telum igitur, defensiua omnia, & per arcum, offensiua omnia arma significauit. Deinde ipsum addidit bellum propter quod vniuersa armorum genera confici solent. Omnia etenim arma, belli sunt instrumenta. Iuxta anagogen, per arcus, artificiosas dæmonū machinas intelligimus: vnde ardentes immittunt passionum sagittas. Telum autem dæmonis, quo se tueri solet, est diuina permissio, quæ vires ei aduersus nos subministrat. Ea etenim permanente, ictus nostros dæmon in se immissos non sentit. Illius etiam gladius, quo incidere solet, separatio illa est, qua per affectus & passiones nostras à deo disiungimur: bellum vero, pugna illa, & lucta, qua nobiscum certat. Vel, per bellum, ipse potest dæmon intelligi, vt quemadmodum deus, pax, ita dæmon, bellum appelletur. Hæc omnia igitur arma deus deleuit, ac fugauit in eo homine, quē exhibuisse se pacificum prædiximus, & speculationi intentum.

φωτίζεις σὺ

Illuminas tu mirabiliter à montibus æternis. Per æternos montes cœlos intelligit: quos propter altitudinem montes vocat, & æternos propter diuturnam eorum substantiam. Illuminas autem luce lætitiæ: eos vero hac luce illuminas qui in mœroris caligine obtenebrati sunt: quemadmodum contra, splendore auxilij. atque opis tuæ eos etiam illustras, qui tetra fuerint desperationis nube circundati.

Turbati sunt omnes insipientes corde. Ob inexpectatum interitum turbati sunt. Insipientes autem eos appellat, tanquam deo resistentes.

Dormierunt

Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt. Assyrij milites qui obsidebant, dormierunt summa cum spe, verum nihil eorum inuenerunt quæ expectabant. Possumus & aliter dicere, quòd Iudæi qui obsessi erant, turbati sunt, dum aspicerent inimicos in circuitu, & diuinas vires ignorarent, quodque dum captiuos se paulo post futuros esse arbitrarentur, vt ipsa docet historia, somno correpti dormierunt, & mane expergefacti, ea non viderunt, quæ fieri timuerant: quinimmo neque ipsum etiam inuenerunt inimicum, cum vnica nocte ad centum, & octoginta millia hostium occisa fuerint. Dictio autē, corde, Hebraici idiomatis more abundat: vel maiorem insipientiæ intensionem significat.

Omnes viri diuitiarum in manibus eorum. Viros diuitiarum, dicit, pro viros diuites, quemadmodum alibi viros sanguinū, pro sanguinolentos. Dicit igitur quod Assyrij putarant esse se sequenti die habituros in manibus omnes Iudæos diuites. Vel aliter: omnes viri Assyriorum diuites, Iudæorum manibus capti sunt, qui obsessi erant in Hierusalem. Nam cum interemptos inuenissent, capiebant eos vt spoliarent.

χερσὶν αὐτῶν

Ab increpatione tua deus Iacob dormitauerunt qui ascenderunt equos. Per increpationem dei, sententiam intelligit aduersus inimicos, & per dormitationem, virium remissionē. Dissoluere enim vires somnus solet: per equorum vero ascensores, inimicos ipsos intelligit, qui in equorū multitudine, quibus in bello præcipue vtebantur, nimis confidebant: ideo alibi: hi in curribus, inquit, & hi in equis.

Tu terribilis es, & quis resistet tibi. Hæc verba per se satis clara sunt.

Ex tunc ira tua. Hoc est: ex eo tempore quo aduersum te dixerunt blasphema verba: tu tamen dedisti eis pœnitentiæ locum, iuxta benignitatis tuæ legem. vel, ex tunc, intellige, pro olim, seu iamdiu.

De cœlo auditum fecisti iudicium. Audiri enim fecisti de cœlo iam dictam sententiam. Eam etenim in me quasi in propheticum quoddam organum insonuisti. Possum⁹ etiam hæc verba de futuro vniuersali iudicio intelligere. Auditum enim illud fecit deus humano generi, ex scripturis sanctis: atque hoc pacto, quæ sequuntur, consequentissime dicta esse videntur.

Terra

Terra tremuit, & quieuit, dum exurgeret in iudicio deus, ut saluos faceret mansuetos terræ. Per terram, humanam intelligit naturam, ad quam alibi dictum est: terra es, & in terram reuerteris. præcipue tamen eos dicit, qui terrena sapiunt. Cum exurgeret igitur, deus in vniuersale iudicium, quieuerunt omnes homines, deletis atque extinctis in posterum quibuscunque aliis operibus. cum exurgeret autem in iudicium, vt iustos homines saluaret: quos mites appellat, seu mansuetos: quia proprium, ac peculiare est cuiuscunque viri iusti, vt mitis sit ac mansuetus.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi. Hoc dictum est ad timorem in iis excitandum, qui indolentiæ vitio laborant. tunc etenim, inquit, cogitatio omnis humana, iudicanti deo se ipsam reuelabit. cogitationibus enim, inquit Paulus, inter se mutuo accusantibus, & defendentibus, in die, qua iudicabit dominus occulta hominum.

Et reliquiæ cogitationis, diem festum agent tibi. Ipse etiam minimæ cuiuscunque cogitationis portiunculę, diem festum tibi agent, hoc est, se ipsas tibi manifestabunt. festiuitas enim nihil aliud est, quàm declaratio ac manifestatio illius solennitatis, cuius festum celebratur. agent igitur diem festum, hoc est, spectaculum facient. Possumus etiam dicere, quòd non solum cogitationes erunt deo manifestæ, sed & siquis tentatus fuerit à dæmone, vt prauũ quid cogitaret, licet prorsus persuasus nõ sit, vt in incepta cogitatiõe persisteret, quod tamen illa cogitatio, tametsi reiecta, & relicta, se ipsam deo manifestabit: adeo nihil erit etiam minimum, quod latere deum possit.

Vouete, & reddite domino deo uestro. Cum hæc ita se habeant, promittite deo, inquit, promittite dona pœnitentiæ, atque ea tanquam necessarium aliquod debitum illi reddite.

πάντες οἱ κύκλῳ αὐτοῦ οἴσουσι δῶρα

Omnes qui sunt in circuitu eius afferent munera. In circuitu dei sunt, qui eum diligunt. in his nanque esse deus dicitur, & manere. Illic enim, inquit, sum in medio eorum. hi igitur omnes deo dona afferent, ipsas nimirum virtutes.

Terribili, & auferenti spiritus principum. Spiritus, hoc est, animas.

Terribili apud reges terræ. Apud Pharaonẽ nimirũ, & oẽs alios, q Aegypti plagas, & reliqua illius miracula audiuerũt.

In finem

In finem pro Idithum psalmus ipsi Asaph.

In finem inscribitur hic psamus, quia prophetias continet, quæ ad finem tendebant. prædicit enim quæ passuri erant Iudæi, in Babylonica captiuitate, & multa quæ illic dicturi erant uerba commemorat. ordo autem & sensus inscriptionis huiusmodi est: psalmus qui decantatus est ipsi, seu ab ipso Asaph, chori unius principe, pro Idithum. Nam cum Idithum huic negotio uacare non potuisset, decantatus fuit ab Asaph pro eo, hoc est, loco eius. conscriptus est autem ex persona populi captiui olim in Babylone.

PSALMVS. LXXVI.

Voce mea ad dominum clamaui. Agens ego, inquit, duram in Babylone seruitutẽ, clamaui ad deũ.

Voce mea ad deum. A communi sensu sumẽdum est verbum, clamaui. Sciendum vero est, quod verba illa, voce mea, superflua sunt: verum Hebraicum est idioma, quemadmodum & illud, quod bis eandem repetit sententiam: tametsi possint repetita verba emphasim quandam, & maiorem actus intensionem præ se ferre.

Et intendit mihi. Ardenter atque ex tota anima clamãti.

In die tribulationis meæ deum exquisiui. Verbum, exquisiui, inquisitionem cum studio indicat: inquirebat autem eum in sui auxilium.

Manibus meis nocte coram eo. A communi sensu sumendũ etiam hic est verbum, exquisiui, exquirere autem manibus deum ille videtur, qui cum fundit preces, manus ad deũ quodam cum affectu extendit. nocte vero, inquit, id facio, quando omnia silent, & quiescunt, quando maxima adest securitas, & omne abest impedimentum. Coram eo autem, hoc est, in illius præsentia, qui omnes videt. Aliqui per manus, actiones intelligunt: & nocte, pro clam, ac latenter, ita vt exquisisse se deum affirmet per bonas actiones, bene ac secundum virtutẽ operando, clam tamen & latenter ab hominibus.

χναντίον αὐτοῦ

Et non sum deceptus. Et cum adiutorem illum mihi fore speraſſem, concepta spe frustratus non sum. patet igitur psalmi verba populo accommodari, post reditum è Babylonica captiuitate, quemadmodum, & modo cuilibet congruere possunt, qui à periculis saluatus sit.

Renuit

Renuit consolari anima mea. Non est passa vt aliquis consolationem afferret, graui nimirum dolore affecta.

ἐμνήσθην — *Memor fui dei, & lætatus sum.* Vnicum mihi in tantis malis fuit solamen, dei scilicet memoria. Cogitans enim quod posset ille me ex omnibus periculis liberare, amplissimum inde capiebam solatium.

ἠδολέχησα καὶ ὠλιγοψύχησε — *Et meditatus sum & defecit spiritus meus.* Quod hic latine legimus meditatus sum, in Græca lectione habetur ἠδολέχησα, est autẽ ἀδολεχία proprie, vt alibi diximus, sermo superfluus: hanc nos nugacitatem dicere possumus, iuxta illud: Narrauerunt mihi iniqui nugacitates, sed non vt lex tua: est etenim illic in Græco eadem dictio ἀδολεχία. accipitur etiam pro meditatione, & sollicitudine, vt hic: & aliqui mitiori vocabulo argutationẽ interpretati sunt, quod medium quoddam videtur esse inter nugacitatem, & meditationem, & vtrique significatiõi facillime posse accommodari. argutabar, inquit, & meditabar in me ipso, & sollicitus cogitabam, quo nam pacto à tanta mœstitia liberari possem. cũque solutionẽ, aut requiẽ nullã inuenirẽ, aĩa mea angustiis vndiq; detenta est. eiusmodi etiam est, quod alibi legimus: in mandatis tuis meditabar. item, seruus autem tuus meditabatur in iustificationibus tuis. tametsi latinus interpres persæpe exercebar, reddiderit, seu exercitatus sum. multa etiam alia inueniri possunt in psalmo CXVIII. inuenimus etiam ἀδολεχίαν poni pro oratione: vnde ab Anna dictum legimus, in multitudine orationis meæ contabui. eadem enim dictio ibi habetur in Græco, pro oratione.

Diuus Hieronymus.

προκατέλαβοντο φυλακὰς — *Præuenerunt custodias oculi mei.* Qui exercituum curam habent, solent noctis custodias in quatuor partes diuidere, quatuor constituentes custodias, quas certo ordine alternãt, oculi mei, inquit, omnes noctis custodias præuenerunt, hoc est, vigilando omnia custodiarum tempora præuenerũt. cum enim meditarer, & sollicitus essem, recessit ab oculis meis somnus. vel aliter: oculi mei, hoc est, obseruatores atque inimici mei, omnes præuenerunt custodias, solliciti nimirum, vt suis me insidiis comprehenderent.

Turbatus sum, & non sum locutus. Afflictionibus, atq; angustiis confusus sum, verum huiusmodi afflictiones inimicis meis non reuelaui, ne maiori extollerentur lætitia.

Cogitaui

Cogitaui dies antiquos, & annos æternos memoria repetii, & meditatus sum. Per antiquos dies, tempora Moysi intelligit, & Iesu naue: cogitaui, inquit, quo pacto illi de Aegyptiaca seruitute fuerint liberati, quomodo siccis pedibus pertrãsierunt mare Rubrum, quomodo innumeris à deo affecti beneficiis in terram tandem promissionis cum gloria ingressi sunt. æternos autẽ annos, dixit, pro antiquos, quemadmodũ à seculo atque ab æterno dicere solemus, aliquãdo, pro antiquitus: & meditat⁹ sum, hoc est, reuolui in memoria mea: & quos pauloante dies antiquos dixerat, postea æternos annos appellauit. Hinc quidam moti sunt, & verba illa: præuenerunt custodias oculi mei: alio modo exposuerunt, dicentes: oculi animæ meæ, hoc est, mens mea, prius considerauit omnes vitæ meæ conuersationes. præsens quippe hæc vita, nox dici potest, ob multiplices errores, qui in ea reperiuntur. custodiæ autem huius vitæ, conuersationes variæ sunt, seu variæ viuendi regulæ: verbi gratia, conuersatio quæ ante legẽ fuit, item conuersatio legalis, deinde euangelica. contemplatum igitur se esse dicit antiquos dies, hoc est, patrum vitas, & nusquã inuenisse se dicit, quod patres ac maiores sui adeo destituti essent diuino auxilio. Nam & patriarchis summam deus opem tulit, & aliis quibuscunq; maioribus, qui post datam legẽ in captiuitatem inciderunt. De huiusmodi autẽ custodiis loqui videtur dominus in eo loco, vbi beatos dicit seruos vigilantes, quia si in secũda, aut tertia custodia dominus venerit, & inuenerit eos sic, beati sunt serui illi.

ἠδολέσχουν — *Nocte cum corde meditabar.* Nocte quando maxima rerum omnium est quies. de huiusmodi autem meditatione eadem dici possent, quæ superius diximus: cum corde vero, id est in animo meo.

ἐσκαλλε — *Et fodiebat spiritus meus.* Vestigabat, inquit, & scrutabatur. atque hoc pacto, reddidit Aquila. quid nam autem inuestigaret audi.

Nunquid in seculã proliciet dominus, & nõ apponet, ut complacitior sit adhuc? Dubitantis verba hæc sunt, vsque ad versiculũ, & dixi nunc cœpi. vestigabam, inquit, dicens: nunquid deus nos prorsus abiecturus est, & nusquã amplius recipiet? Hoc enim sibi volunt illa verba: & non apponet vt complacitior sit adhuc, hoc est, vt benignior sit erga nos.

Aut in

Aut in finem misericordiam suam abscindet? Aut in perpetuũ consuetam à nobis recîdet misericordiam. quæ verba tametsi eadem esse videantur, cum illis: nunquid in secula proiiciet dominus, maiori tamen affectu plena sunt, & ad maiorem mouent misericordiam.

συντέλεσε ῥῆμα

Consummauit uerbum à generatione in generationem. Nunquid consummauit verbum illius sermonis, quem mandauit in mille generationes? de quo in psalmo CIIII. consummauit autem, id est conclusit, & præscripsit, ab illa nimirum generatione, vsque ad hanc generationem, ita vt vlterius ei locus non sit.

Nunquid obliuiscetur misereri deus? aut continebit in ira sua miserationes suas? Hæc verba tametsi præcedentibus similia esse videantur, illud tamen speciatim demonstrant, quod deus natura ipsa est misericors, quemadmodum, & lux natura ipsa, splẽdida est, & ignis natura ardet, quodque ideo deus nũquam id deponet, quod sibi naturale est. Ex hoc igitur illud intellexit de quo dubitabat, & de quo sollicite meditabatur: quòd scilicet deus in secula eum nõ proiiciet, nec illa faciet, quæ superius dicta sunt: verum quod iuxta delictorum grauitatem adducet supplicia.

Et dixi nũc cœpi. Hæc verba grati ac benigni animi sunt. cogitans, inquit, quæ commisi peccata, dixi: nunc initiũ mihi est condigni supplicij. nam quæ hactenus sustinui, præludium quoddam pœnarum tantummodo fuere.

ὕψίστου

Hæc mutatio dexteræ altissimi. Hæc immutatio est à libertate, & quiete, ad seruitutis angustias. Est igitur opus hoc, opus quoddam diuinæ manus punientis, & castigantis nos.

Memor fui operum domini. Opera domini correctiones appellat, & castigationes à deo præstitas, quæ ad hominum vtilitatem dantur.

Quia memor ero ab initio mirabilium tuorum, & meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis cogitabo. A communi sensu rursus sumendum est. & dixi. in illo inquit, tempore dixi, quòd memor ero, & quæ sequuntur. eorum enim memoria solamen mihi afferebat, vt dictum est. per adinuẽtiones autem artes varias intelligit & cõsilia, quibus deus ad hominum salutem vsus fuerat.

Deus in sancto uia tua. Per sanctum, cœlum intelligit, tanquam purum, ac mundum, in quo commorari dicitur deus. vel ipsum montem Sina, veluti deo dicatum, & sanctificatum, & ad quem deus descendebat. vel templum veluti sacrũ, ac venerandum, & in quod descendens deus oracula reddebat, & responsa. Symmachus pro sancto, dixit, in sanctitate, illud significans quòd omnis dei actio sancta est, atque irreprehensibilis, tametsi illius correctiones graues nobis, & duræ aliquando videantur.

Quis deus magnus, ut deus noster. Cum pollicitus sit se futurum memorem mirabilium dei, nunc præ cæteris omnibus eum laudat, dicens: quis gentium deus adeo magnus est, vel tantæ est, aut tam immensæ potentiæ vt deus noster?

Tu es deus, qui facis mirabilia. Tu vere deus es, qui admiranda opera perficis.

Notam fecisti in populis uirtutem tuam. Per populos, hoc in loco gentes intelligit, Aegyptios nimirum, aut alios quoscũque populos deo olim contrarios, qui tandẽ à Iudæis superati sunt, & ipsa didicerunt experientia: quòd deus ille, qui Iudæis auxiliabatur, magnus ac potens deus est.

Redemisti in brachio tuo populum tuum. Per brachium dei, diuinas vires, seu dei potentiam intelligit.

Filios Iacob, & Ioseph. Ipsum, inquit populum, quem & Iacob filium dicit, eo quòd omnes tribus progenitorem illum haberent, veluti patriarcharum omnium patrem, & filium Ioseph, eo quod Ioseph, dũ omnes patriarchas, & vniuersum populum aluit, patris officium præstitit. Maxima igitur sunt huius patriarchæ beneficia in vniuersum populum, cuius etiam vires, & sapientia immortalem populo gloriam pepererunt.

Viderunt te aquæ deus uiderunt te aquæ, & timuerunt. Sermo est de his quæ in mari rubro facta sunt. viderũt te, inquit, aquæ, & ob timorem diuisæ sunt. præibat enim deus ante populum in columna ignis, & nubis.

Turbatæ sunt abyssi. Profunda, inquit, maris conturbata sunt à vento, qui in aquas impetum fecerat.

Multitudo uocis aquarum. Multitudo, & copia tunc magna fuit vobis aquarum, hoc est, multus sonitus aquarum.

πλῆθος ἤχους

Vocem dederunt nubes. Nubium vox est tonitrus.

Etenim sagittæ tuæ pertransẽrunt. Legimus in veteri historia,

quòd valido ſpirante Auſtro diuiſum eſt mare. procella autẽ facta veriſimile eſt, fulgura etiam, ac tonitrua ad maiorem Aegyptiorum terrorem decidiſſe. per ſagittas igitur fulgura intelligit, quæ ad inimicos pertrãſibant. poſuit enim prophe ta tempus pro tempore. illa etiam dictio, enim, abundat, vt ſit ſenſus: & ſagittæ tuæ pertranſibant.

Vox tonitrui tui in rota. Et cõiunxit, inquit, dominus axes curruum eorum, & duxit eos cum violentia. vox, inquit, tui tonitrui, in vnoquoque curru confracta eſt. per rotam enim currum intelligit, veluti à parte totum. equis igitur hac ratione perturbatis, curruum axes mutuo complicati ſunt. vel aliter: vox theologiæ in nobis eſſe dicitur inſtar rotæ quæ ex minima quadam ſui parte terram tangit, reliquis omnibus partibus à terra ſubleuatis.

Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ. Claritas, inquit, hu ius miraculi, ab omnibus viſa & cognita eſt, qui tũc aderant.

Commota eſt & contremuit terra. Turbati ſunt & conterriti vniuerſi homines, poſtquam didicerunt quanta pro populo tuo operatus es.

In mari uiæ tuæ. Exaggerat miraculum, tu, inquit, per ma re ambulans cum libuerit.

Et ſemitæ tuæ in aquis multis. Eadem rurſum repetit, amplificans dei laudes.

Et ueſtigia tua non cognoſcentur. Quia ſcilicet mare iterum coniunctum atque vnitum adeo in ſe eſt, vt nulla ampliusdi uiſionis veſtigia apparerent.

Deduxiſti ſicut oues populum tuum in manu Moyſi, & Aaron. Quibus populum comparauit, vt cuſtodiam & curam oſtenderet quam deus eorum habuit: & quòd, vt bonus paſtor, ad vberrima paſcua, & ad tutiſſimum ouile eos deduxit. vnde & paſcere etiam dicitur deus populum Iſrael, iuxta illud, qui paſcis Iſrael intende. Quidam, inter quos eſt Gregorius theologus, hunc pſalmum accommodant beato Dauid, dicentes, veriſimile eſſe, quòd poſt liberationẽ cõſecutam à valido illo calamitatũ exercitu à quo perſępe obſeſſus fuerat, & animæ etiam captiuitatem paſſus, quòd poſt huiuſmodi, inquam, liberationem, hunc pſalmũ compoſuerit, & calamitates ſuas in eo narrauerit, de Chriſto vnà prophetias complicans, propter quas, vt puto, in finem inſcriptũ eſt. Clamaui, inquit,

inquit, cùm afflictionibus detinerer, & quæ ſequuntur facile omnia accõmodantur vſq; ad verſiculũ: recogitaui dies antiquos: quos intellige eſſe feliciores dies illos, quando deum protectorem habebat. Quę deinde ſequũtur etiã facilia ſunt, vſq; ad verſiculũ: conſummauit verbũ à generatione in generationem, qui verſiculus, non cum dubitatione ſed definite legendum eſt. perfecit enim deus, atq; adimpleuit omnes ſententias quas de vnoquoque homine in præteritum determinauit. dictio enim verbum, hoc in loco, pro ſententia intelligi dicitur. Reſtat igitur, inquit, vt illa ego etiã paſſurus ſim, quæ ab eo de me decreta ſunt. Quod vero ait: à generatione in generationẽ, expone: hoc eſt, per ſucceſſiones vniuſcuiuſque generationis, ſeu in vnaquaq; generatione. verba autem illa, hęc mutatio dexteræ excelſi, euangelicæ cõuerſationis prophetiam cõtinent. legalem enĩ conuerſationẽ mutandam eſſe in euangelicã cernens, dixit: hęc eſt mutatio dexteræ excelſi, quę verba illud etiã nobis indicant, q̃ hæc mutatio propriũ fuit Chriſti opus. hunc enim Chriſtũ dei dexteram appellauit, quia per filiũ, quaſi per dexterã manum, pater omnia creauit. Chriſtus etenim rerũ omnium creator eſt. Quæ ſequuntur clara ſunt, vſq; ad verſiculum: deus in ſancto via tua. per ſanctũ etiam, hoc in loco Chriſtum intelligit veluti mundiſſimum atque innocentiſſimum, qui peccatum non fecit, in hoc, inquit, Chriſto conſilium tuum operaris, quod de incarnatione deque humana ſalute olim decreuiſti. per viam enim hic diuinum conſilium intelligit. deinde tantum admiratus propheta myſterium, deum ſumma cum laude magnificat, dicens: notum feciſti filium tuum in omnibus gentium populis. Chriſtus enim, inquit, dei virtus eſt: hunc etiam brachium dei eſſe dicit, in quo redemit deus populum ſuum, filios Iacob, & Ioſeph: nos nimirum fideles, qui olim ſub dæmonis captiuitate detinebamur, qui & populus eius dicimur, & filij Iacob, & Ioſeph: quoniam in illius veteris populi locum ſubrogati atque adoptati ſumus, qui nõ denominationem tantum, ſed beneuolẽtiam etiam, ac familiaritatem, quæ cum deo illis intercedebat, hæreditauimus, vt dictũ eſt, in fine pſalmi XIII. Viderũt te aquæ de°: quãdo ſcilicet nauicula fluctuãte excitatus à ſomno, vẽtos, & mare increpauit. tui enĩ timore oĩa ſedata ſunt. Illi° etiã increpatio-

nis formidine tunc abyſſi maris,& multitudo ſonitus fluctuum pariter turbata eſt. Vocem præterea nubes dederũt, quãdo in transfiguratione domini vox de nube veniens dixit: hic eſt filius meus dilectus. poſſunt etiam prophetæ, nubes dici, vt diximus, in pſalmo decimoſeptimo, vbi etiam de ſagittis dei traditur,& de fulgure ſeu coruſcatione. Vox vero tonitrui, euangelicæ prædicationis eſt ſermo veniens de cœlo. validus enim ac vehemens eſt & adeo reſonat, vt ab omnibus exaudiri poſſit. per rotam autem mundum poſſumus intelligere, ob eius nimirũ inſtabilitatẽ, terra etiam cõmota eſt,& cõtremuit, eo modo, quo in prædicto pſalmo decimoſeptimo declarauimus. totus enim hic verſiculus illic etiã habetur. in mari via tua: quando ſcilicet dominus acceſſit ad diſcipulos, ambulans ſupra mare. quam deambulationem manifeſtius exprimẽs, ſubdidit: & ſemitæ tuæ in aquis multis, hoc eſt, in profundis fluctibus, & veſtigia tua, quæ fient in mari non cognoſcentur. Non perſtant enim veſtigia in aqua. Aliqui per mare, præſentem hanc vitam, intelligunt, veluti incertam, inæqualem, atque amaram, ob varias quæ in ea ſunt, afflictiones,& calamitates. aiuntque, quòd, in hac vita, hoc eſt, in hoc mundo, erunt viæ tuæ ô Chriſte: actiones nimirum aſſumptæ carnis. vita enim ac conuerſatio tua à nobis videbitur, verum veſtigia tua, hoc eſt, huius tuæ incarnationis modi non cognoſcentur. erunt enim incomprehenſibiles. Populus etiam patris, nouus eſt & fidelis populus, qui per ſpiritualis ac myſtici Moyſi, & Aaron, Chriſti videlicet manum, in terram ſanctam deductus eſt. poteſt enim Chriſtus & Moyſes dici, tanquam euangelicæ legis optimus legiſlator,& Aaron, tanquam pontifex, quia ſeipſum deo pro populo ſuo immolauit.

Intelligentiæ ipſi Aſaph.

Inſcribitur intelligentiæ hic pſalmus, quia multa nobis opus eſt intelligentia, ut intelligamus, quiſnam ſit, qui in eo loquatur, & quinam ſint ad quos ſermo dirigatur,& quæ nam illa ſit lex, de qua hic traditur. & pſalmum quidem conſcriptum putamus à beato Dauid, uerum ex Chriſti perſona, ſermonem ſuum ad fideles Chriſtianos dirigentis.

PSALMVS LXXVII.

ATtendite populus meus legem meam. Legimus apud Zachariam, & confugient multæ gentes ad dominum,& erũt ei in populum. ad hunc igitur populum ex gentibus congregatum Chriſtus loquitur, & legem eos nõ Moſaicam audire iubet, ſed euangelicam, de qua loquens Heſaias dicebat: de Sion exibit lex & verbum domini de Hieruſalem, & iudicabit in medio gentium. eſt autem indifferens hæc conſtructio verbi, attendite: tametſi quædam exemplaria non legem meam habeant, ſed legi meæ.

Inclinate aurem ueſtrã in uerba oris mei. Supponite, inquit, aures veſtras ſermoni meo. vel mutate aures veſtras ab inani ſermone ab ineptis fabulis ad euangelia.

Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio. Hæc verba prophetiam continẽt. Chriſtum etenim in parabolis ad populum locuturum eſſe prædicunt. iuxta quod legimus apud Matthæum: hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis, ad turbas,& ſine parabolis ad eos non loquebatur, vt impleretur quod dictum eſt per prophetam: aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi: vnde perſpicuum fit, quòd ex ſaluatoris perſona cõſcriptus fuit hic pſalmus. per propoſitiones autem, ſeu (vt verius in lectione Græca habetur.) per problemata, ipſas intelligit parabolas. & Matthæus quidẽ locum hunc referens occulta appellauit, quæ hic dicuntur problemata, Hebraica nimirum dictione vſus, quę vtranq; habet ſignificationẽ. Euangelicæ enim omnes parabolæ occultã in ſe cõtinent veritatẽ. Aquila ænigmata tranſtulit. quod autẽ hic ab initio legimus, Matthæus à conſtitutione mundi dixit: Hebraica pari modo vſus dictione. & quod hic, loquar, ipſe dixit eructabo.

Quanta audiuimus & cognouimus ea. Dictio quãta non ad problemata refertur, quę locuturũ ſe eſſe dixit cum totus hic verſiculus ſeparatim per ſe admirantis in morẽ legẽdus ſit. O quanta, inquit, à maioribus noſtris, atque à diuinis didicimus ſcripturis. mens enĩ prophetę eſt cõmemorare, quàm multa,& quàm grandia deus in antiquiores Iudęos contulerit beneficia, & cõtra, quàm valde illi deum irritauerint, & quãtas idcirco, ac quàm graues pœnas dederint. ex perſona

autem Christi non incongrue dicitur: quanta audiuimus, cum assumpta eius humanitas cæterorum hominum more doctores audiret. & quod ait: cognouimus, expone pro certiores facti sumus. neque enim simpliciter audiuim⁹, inquit, sed maiorem de his certitudinem accepimus.

Et patres nostri annunciauerunt nobis. Dixit se audisse, nūc addit à quibus nam ea audiuerit. patres autem non natura dicit. neque enim dici potest, quòd fideles, qui sunt ex gētibus, à propriis parentibus edocti fuerint, sed de patribus loquitur quos ob obsequium, quod deo semper præstiterunt, Christiani omnes libenter sibi, vt ita dicam, adoptant in parentes. hac etenim ratione & Moysen & multos alios diuinos scriptores interpretesque & populi doctores, patres nostros appellamus: quorum filios Christum, secundum carnem, atque Apostolos, fuisse dicemus. Christi vero atque Apostolorum filios populum Christianum.

Non sunt occultata à filiis eorum in generatione altera. Et parentes, inquit, ea filiis suis tradiderunt, & filij ea quæ didicerant, venturam post se generationem non cælarunt: quinimmo filiis ac nepotibus ea omnia exposuerunt, & illi in posteros suos eadem transtulerunt. lex etenim id iubebat, dicens: docebis ea filios tuos & filios filiorum tuorum.

δυνα-στείας

Narrantes laudes domini & potestates eius & mirabilia eius, quæ fecit. Verba illa: patres nostri annunciauerunt nobis, coniungi debent huic versiculo. vsus est enim propheta figura hyperbato laudes vero potestates & mirabilia dei, hæc esset dixit: quia & laudabilia sunt & summam dei indicant potentiam, & admiratione digna esse videntur. vel, per potestates ea significat, quæ aduersus hostes operatus est: per mirabilia vero, ea quæ in suo populo administrauit, de quibus singulatim tractabit.

Et statuit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel. Vt exponeret quid sit statuisse testimonium in Iacob, addidit: & legem posuit in Israel. idem enim est hoc in loco, statuere quod ponere, idem testimonium, quod lex, vt dictum est in psalmo, & idem est Israel qui & Iacob. positum enim est ei nomen Israel, quando scalæ visionem vidit: quænam autē esset hæc lex, audi.

ὅσα

Quæcunque mandauit patribus nostris nota fieri ea filiis eorum.

Statuit, inquit, ac decreuit omnia eorum filiis nota fieri, quęcunque ipse eorum patribus mandauerat.

Vt cognoscat generatio altera. Hæc est ratio cur patres ea debeant filiis annunciare, vt generatio, quæ post eos futura est, ea omnia nota habeat. Deinde declarat, quænam sit hæc altera generatio.

Filii qui nascentur. Per successiones scilicet.

Et exurgent & annunciabunt ea filiis suis. Filij filiorum filiis suis narrabunt. Exurgent autem posuit, pro generabuntur.

Vt ponant in deo spem suam. Addiscentes quanta iis deus polliceatur, qui in eo sperant.

Et ne obliuiscantur opera eius. Meditando eas narrationes. Per opera vero eius, ea intelligit, quæ superius, & potestates appellauit, & mirabilia.

Et mandata eius exquirant. Exquirant dixit pro sequantur. Qui enim aliquem inquirit, illius sequitur vestigia. Possumus etiam per generationem alteram, Christianorum generationem intelligere.

Ne fiant, sicut patres eorum, generatio praua, & exasperans. Peruersos eos fuisse dicit, eo quòd in diuinis promissionibus nullam fidem habebant, nec credebant ei cum essent in periculis, & exasperantes, quia cum in aliquam incidissent difficultatem, continuo murmurabant, & quia præstitam eis liberationem à tam graui iugo seruitutis ægre tulerunt. Satius enim putabant in Aegypto esse, & seruire: quemadmodum multis in locis, tam in Exodo legimus, quàm in Numeris.

Generatio, quæ non direxit cor suum. Non rectum ei cor fuit, vt simplici ac constanti animo deo crederet, sed ambigua, & dubitans claudicabat.

Et fidelis non fuit cum deo spiritus eius. Et spiritus eius generationis, inquit, deo fidem non præstitit, nec illius credidit sermonibus. Per spiritum vero, animos eorum intelligit.

Filii Ephraim intendentes & iaculantes arcu, conuersi sunt in die belli. Ephraim fuit filius Ioseph. Tribus autem Ephraim præ cæteris tribubus arcu vtebatur: ad gerenda etiam bella magno vsui erat: vnde celebre sibi nomen parauerat: ad hæc omnia illius etiam famam augebat, regio ipsa, quæ ei in sor-

tem obuenerat. Prima enim illa arcam & testimonij tabernaculum à Moyse confectum suscepit. Nam Silo vbi Arca domini diu fuit, & tabernaculum, ad sortem tribus Ephraim pertinebat. Hæc igitur tribus, quæ aliquando in bello tam celebris fuit, ob idololatriæ scelus tandem pugnando superata, ac deuicta est. Vel aliter: Per hanc tribum, quæ viribus præstabat, omnes alias tribus significat quæ ob simile idololatriæ vitium, in Hostium manus deuenerunt, vt liber Iudicum docet. Ait igitur Propheta, quòd filij Ephraim qui arcus suos tendunt: vnde emittant sagittas, hoc est, qui arcu potissimum vtuntur, conuersi sunt in bello, quia fugientes dederunt terga. Aliqui in his verbis dicunt Prophetiam contineri, de vltimo lapsu, tribus Ephraim in idololatriam. Nam cum decem tribus se disiunxissent à regno Roboam, tribus Ephraim, quæ princeps erat inter eas, populo persuasit, vt vaccas erigerent, & à vero deo deficerent, atque ideo omnes in hostium potestatem traditæ sunt, quemadmodum in tertio Regum libro inuenies. Alij etiam Prophetæ multa aduersus hanc tribum exclamant, quasi origo, & causa ipsa idololatriæ fuerit in populo.

Non custodierunt testamentum dei, & in lege eius noluerunt ambulare. Sermonem dirigit aduersus vniuersas tribus, causam proferens ob quam deiectæ sint. Per testamentum vero, pacta intelligit, quæ deus sæpe cum Hebræorum populo pepigit, cum in promissionis eos terram adduceret. Per legem vero, ipsa dei mandata.

Et obliti sunt beneficiorum eius, & mirabilium eius, quæ ostendit eis. Beneficiorum quæ contulit: in populum Israel, veluti, quod duxerit eos per mare rubrum immadidos, & cætera, quę longa serie in sequentibus commemorat. Mirabilium autem dicit, quia Aegyptiorum flumina in sanguinem mutauerat, & alia huiusmodi quæ simili modo in sequentibus percurrit. Quod vero ait, deum eis hæc ostendisse, non ideo dicit quasi ipsi ea propriis viderint, oculis, sed quia ita à suis acceperunt maioribus.

Coram patribus eorum, quæ fecit mirabilia. Quæ miracula, inquit, fecit, coram eorum patribus, & deinde locum etiam addit, vbi hæc gesta sunt.

In terra

In terra Aegypti in campo Taneos. Tanis est Aegypti ciuitas, vbi regiam habebat Pharao, de qua ait, Hesaias: defecerunt principes Taneos. Et licet huius loci Moyses non meminerit, verisimile est tamen beatum Dauid, id resciuisse ex eo libro, vbi scriptum est: Chebron autem ædificata est in Aegypto, ante Tanim. Vel ex aliis apocryphis libris, aut ex Aegyptiorum historiis.

Interrupit mare, & eduxit eos. De mari rubro loquitur, vt habetur in Exodo, & omnia succincte narrat: quinimmo nec omnia, nec suo ordine, sed passim quæcunq; ei & quomodocunque in mentem veniebant ita apposuit. Neque enim historiam contexere proposuerat, sed aduersus Iudæorum inuehi ingratitudinem. Et primo quidem illud posuit, quod prę cæteris videbatur admirabilius. Διήγαγεν

Statuit aquas quasi utrem. Et aqua, inquit, quasi murus illis erat à dextris, & à sinistris. Satuit igitur aquas, hoc est, aquarum moles, hinc atque illinc fecit exurgere. Quasi vtrem vero dixit, hoc est tumidas, instar vtris. ὡσεὶ ἀσκὸν

Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Et deus, inquit, deducebat eos, die quidem in columna nubis, vt ostenderet eis viam, nocte autem in columna ignis. Eadem igitur columna die præibat, & protegebat eos ab æstu solis, quæ & nocte eis illucebat, vt foueret nimirum ac tueretur eos à frigiditate, atque ab humiditate noctis.

Interrupit petram in eremo, & potauit eos, quasi in abysso multa. Hoc factum est in deserto montis Choreb, vt habetur in Exodo. Per abyssum autem, aquarum copiam intelligit.

Et eduxit aquam de petra, & eduxit tanquam flumina aquas. Hoc est aliud miraculum factum in Choreb, vt traditur in libro Numerorum. Bis etenim illis deus aquam eduxit è petra, diuersisque temporibus & locis. Et locus quidem ille in Choreb, vbi data est aqua, appellatus est tentatio, & obiurgatio. Tentauerunt enim illic deum Iudæi, probantes nimirum illius potentiam, & miraculis nondum credentes, quæ in præteritum sæpius fecerat: & obiurgauerunt Moysen, quòd ex Aegypto in tam deserta eos loca deduxisset. Locus vero illa in Cades, vbi aqua etiam populo data est, appellatus est aqua contradictionis, eo quòd contradicerent deo

Hebræi

Hebræi & murmurarent. Et deus quidem eos iubebat, vt ſuis tantum præceptis parerent, vtque in eo confiderent, illi vero & parere negligebant, & nullam in eo habebant fidem. Hanc autem maris & aquarum interruptionem per Moyſen deus operatus eſt.

Et appoſuerunt adhuc peccare ei. Quaſi eorum vitia ex libris Moyſi, ſatis omnibus nota ſint, dicit, & appoſuerunt adhuc. Qualia autem peccauerint, audi.

Exacerbauerunt altiſſimum in inaquoſo. In loco ſcilicet inaquoſo. Quomodo exacerbauerint, paulo ſuperius diximus, ibi: generatio peruerſa & exaſperans.

Et tentauerunt deum in cordibus ſuis, ut peterent eſcas animabus ſuis. De his & aliis, quæ ſequuntur vſque ad verba illa, & ignis incenſus eſt: Moyſes nihil ſcribit, ſed ipſe tantũ Dauid quemadmodum, & alia huiuſmodi multa: ſeu φ ex apocryphis, vt diximus, libris ea collegerit, ſeu ex antiquorum traditionibus: ſeu φ à ſancto ſpiritu edoctus ſit. Ait igitur, φ tentauerunt deum in cogitationibus ſuis, dubitantes, nunquid poſſet eis deus dare, quæ petebant. Tentauerunt autem petendo cibum animabus ſuis, hoc eſt, ſibi ipſis.

κατελάλησαν τοῦ θεοῦ

Et oblocuti ſunt de deo. Hoc eſt murmurauerunt, quaſi fame eos necaſſet, & delectabiles ac gratos cibos omnes ab eis abſtuliſſet.

Et dixerunt: nunquid poterit deus parare menſam in deſerto? Hæc verba ambigentis ſunt, & ideo quaſi cum addubitatione legenda ſunt.

Quoniam percuſſit petram & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, nunquid & panem poterit dare? & parare menſam populo ſuo? Quoniam, inquiunt, ea deus fecit, quæ prædicta ſunt, nunquid poterit etiam hoc facere? O ſummam hominum amentiam, ſi ea fecit, quo pacto impotens eſt iudicandus, ne iſta efficiat? Et quod ait: Inundauerunt, expone, id eſt fluxerunt cum vehementia. Eduxit enim, inquit, tamquam flumina aquas. Per menſam vero, carnes præſtitas intelligit. Tu illud conſidera, quomodo beatus Dauid ante panem & carnes datas, fluxiſſe dicat aquam è petra, cum in Exodo Moyſes contrarium tradat. Ibi enim primo legimus pluiſſe illis deum panem Mannæ, & coturnicum carnes, & deinde aquam dediſſe è petra. Non eſt igitur alia huius addubitationis

tationis ſolutio niſi dicas de alio pane, & de aliis carnibus Prophetam hic loqui, de quibus in libro Numeri ſcriptum eſt. Bis etenim eis deus & coturnices pluit, & panem: vnde etiam per petram, hoc in loco aquam eam intelligit, quæ effuſa eſt in Choreb, & non eam quæ in Cades. Petra enim in Cades tunc nondum fuerat percuſſa. Et ſi quis dicat, φ in numeris carnes poſcebant, & non panem, Aduerte quia per panem hic, carnis cibum intelligit. Tunc etenim vt apud LXX. interpretes legimus dicebant, τὶς ἡμᾶς ψωμιεῖ κρέα, quæ verba tametſi latinus interpres, aut ſimplicem ſenſum ſecutus, aut ob latinæ linguæ anguſtiam, reddiderit, quis nobis dabit carnes ad veſcendum, tamen aliquid amplius etiam poſſunt nobis indicare, quod ad præſentem locum atque illius intellectum cõferat. Nam cum Græca dictio, ψωμὸς, vnde ψωμίζω, verbum deducitur, maſſam ſeu buccellã panis ſignificet, dum murmurarẽt dicentes τὶς ἡμᾶς ψωμιεῖ κρέα, petiſſe mihi videntur, quis nam eos pane pariter nutriturus eſſet & carne. Vnde beatus Dauid qui nunc dixit: nunquid panem poterit dare? videtur mihi illa Moyſi verba declaraſſe, maxime ex ſequẽtibus. Addidit enim & menſam præparare populo ſuo? illa etenim coniunctio, &, poſita mihi eſſe videtur, non vt diſiungat, ſed vt declaret.

Ideo audiuit dominus & reiecit, & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſrael. Licet corde, & non lingua deum tentauerint, ille tamen, qui corda hominum ſcrutatur, non ſecus eos audiuit ac ſi palam id locuti eſſent. Quod vero ſeptuaginta dixerunt, reiecit, Symmachus reddidit, iratus eſt. Solẽt enim iis, qui ira perciti ſunt, veſtem reiicere, hoc eſt, pertrahere, dum ad vindictam parantur. Et huic ſenſui ac literæ Symmachi adſtipulantur Moyſi verba, dicentis quòd dominus ira commotus eſt, & incenſus eſt ignis in eis à domino, quo caſtrorum bona pars conſumpta eſt. Per Iacob autem, & Iſrael, ipſum populum ab eis deſcendentem intelligit, vt alibi diximus. ἐβαρέλε τὸ

Qui non crediderunt in deo. In dei viribus non crediderũt, tametſi tanta iam vidiſſent miracula. Præpoſitio vero, in, ſuperflua eſt.

Nec ſperauerunt in ſalutari eius. Nec vllam, inquit, habuerunt fiduciam, vt qui tot iam, ac tanta eorum cauſa perfecerat, eos

cerat,eos esset imposterum saturaturus.

Et mandauit nubibus desuper:& portas cœli aperuit, & pluit eis manna ad manducandum. Ad priora rursus sermonē conuertit,quæ habentur in Exodo. Per nubes vero desuper, eas intelligit.quæ excelsiores sunt. Aliquę enim sunt terrę viciniores. Easdem etiam superiores nubes, portas cœli appellauit, quasi cœlo proximiores. Mandauit autem eis vt pluerent manna. Manna vero erat quasi semen coriandri, & species eius quasi species crystalli. Et circuibat, inquit, populus,& colligens illud mola frangebat,& in mortariolo terebat,coquens in olla,& faciebant ex eo subcinericios panes,eratque suauitas eius quasi sapor dulcoris cuiusdam oleo confecti. Et hæc quidem in numeris ita habentur. Nam in Exodo dicitur,quòd sapor eius erat,quasi dulcor quidam ex melle.

Et panem cœli dedit eis. Per cœlum hic aerem intelligit iuxta illud: volucres cœli. vel,quia manna è cœlo videbatur descendere.

Panem angelorum manducauit homo. Non hoc dicit, quasi angeli manna vescantur,sed quia angeli illud ministrabant. Accusat nanque & Christus eos,qui panem hunc,cœlestem vere panem putabant, dicens: Amen amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo: sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum:hoc est,de cœlo vere descendentem. Quòd autem illud manna non esset angelorū cibus,ibidem asserit Christus dicens: Patres vestri manducauerunt in deserto manna,& mortui sunt.hic est panis de cœlo descendens,vt quisquis ex eo manducet,non moriatur. Postquam, inquit, ij qui manna illud manducabant, mortui sunt, restat vt cœlestis proprie panis non sit, nec angelorum cibus. Et deinceps ibidem consequitur:ego sum panis vitæ,&c.

Cibaria misit eis in abundantiam. Confecta nimirū ex manna,hoc est,panem.

Transtulit Notum de cœlo,& induxit in uirtute sua Aphricum:& pluit super eos,quasi puluerem carnes, & quasi arenam maris uolatilia alata:& cecidit in medium castrorum eorum,in circuitu tabernaculorum eorum,& comederunt, & impleti sunt ualde, & desiderium eorum attulit eis:non sunt priuati à desiderio suo. Moyses quidem in Numeris ait: Ecce spiritus à domino'. Et immisit coturnices à mari, & impulit in castra, & quæ sequuntur.

Beatus

Beatus vero Dauid deū diuisisse dicit spiritum:hoc est,ventum,in Notum nimirū, atque in Aphricum: qui venti calida perflant loca, vbi coturnicum genus moratur. Transtulit autem Notum:hoc est,cōmouit,atq; immisit eum. Pluisse vero dicit, quia coturnices superne è cœlo atque condensæ,instar pluuiæ cuiusdam,ferebantur. Et quia maxima erat earum copia, pulueri eas & arenæ maris etiam comparauit. Tot quippe immissæ sunt, vt sexcenta millia hominum, & quingēti quinquaginta ad saturitatem ex eis diu nutriti sint. Vsque ad mensem enim, inquit, dierum manducate, donec exeat ex naribus vestris. totidem quippe erant in eo populo homines ad bellum idonei,à. x x.annis & supra, absque minori ætate,& mulieribus,& tota tribu Leui. In medio autem castrorum & in circuitu tabernaculorum, pluebat deus illud manna,ne fatigarentur colligendo. Et per castra quidē, vniuersum exercitū intelligit, per tabernacula vero, priuata cuiuslibet tentoria. Et quod ait, attulisse eis deum desiderium eorum,sanè intellige,quòd ea à deo receperint,ob quæ desiderium,& concupiscentiam suam adimpleuerunt. Attulit enim eis deus,quod optabant: desiderium igitur posuit pro re desiderata, quemadmodum & Paulus spem, pro speratæ rei fruitione ponit,quando ait:spes autem non pudefacit.

Adhuc escæ erant in ore ipsorum, & ira dei ascendit in eos, & occidit plures eorum,& electos Israel compediuit. Nam & si viderant coturnices, diuinæ tamen promissioni non crediderunt,quòd scilicet vsque ad mensem atque ad satietatem his auibus nutriendi essent,sed timuerunt ne abuolarent. Vel ne cito omnes consumerentur coturnices. atque ideo exsiccauerunt eas per gyrum castrorum:& carnes adhuc,inquit,erant sub dentibus eorum,priusquam deficerent & dominus iratus est in populum,& percussit dominus populum plaga magna valde. Vide quo pacto antequam carnes consumerētur,quas in ore habebāt, fide defecerint, & diuinæ virtutis obliti sint: vnde desiderio quidē suo satiati sunt, vt diuina erga eos prouidentia & virtus conspiceretur,ob eorum tamen infidelitatem & ventris ingluuiem,effectus est ille cibus tandem eis in nauseam:ob quod multi eorum periere,vt apud Moysem legimus. Quod vero L x x.hic:plures eorum:dixerunt, Symmachus,pingues reddidit:& Aquila ad eundē sensum,abundantes:

σωμε πόδησεν

dantes:periisse intelligentes, ditiores quoslibet ac fortiores in populo. Verisimile est autem illos ingluuiem suam cæteris magis expleſſe, quòd plura aliis colligerent. Puto etiam Aquilam & Symmachum, in huiusmodi sensum adductos, ob alia verba, quæ hic proxime habentur: & electos Israel compediuit L X X. etiam non, plures dixerunt, vt mortuos superstitibus compararent, sed plures, pro multis dixerunt. Ita enim consonant verba Moysi. Percussit enim, inquit, dominus populum plaga magna valde. Magna autem plaga in multorũ verificatur interitu. Electos vero dixit veluti strenuos in bello. Erant enim omnes hi, quos superius commemoraui, summopere ad bellum idonei: atque ideo ad hoc selecti, vt in acie præ cæteris dimicarent.

In omnibus his peccauerunt adhuc. Ad hæc omnia, inquit, hoc est, post tot & beneficiorum & suppliciorum exempla, adhuc in multis deum offendebant, atque inter cætera quòd habitatores illos terræ promissionis adeo formidarent, non credentes diuinæ promissioni.

Et non crediderunt in mirabilibus eius. Putabant enim ea omnia fortuito, ac casu contigisse. vbique autem propheta eorum infidelitatem carpit, ob quam periclitabantur, & de qua ipse etiam deus dixit: Quousque irritabit me populus iste? & quousque mihi non credent in omnibus signis quæ feci inter eos? vnde etiam dominus noster incredulam generationẽ Iudæos appellauit, dicens: Generatio incredula & peruersa.

Et defecerunt in uanitatem dies eorum. Præclarum virtutis opus nullum agebant, sed carnis concupiscentias sequebantur. vnde omnes in deserto mortui sunt, sicut eis dixit deus: terram enim, inquit, quam iuraui patribus eorum, nulli alij videbunt, quàm eorũ filij, qui mecũ hic sunt, quicunque non nouerunt bonũ, aut malũ. Itẽ alibi, in hac, inquit, eremo cadent corpora vestra: & rursus: Ego dominus locutus sum, sic profecto faciam huic cõgregationi prauæ, quæ insurrexit in me in deserto hoc: consumetur quippe, & illic morietur.

Et anni eorum cum festinatione. Cum festinatione, inquit, defecerunt ad vana. Vel ideo dicit cum festinatione, quia ob lenitatem, quam secum affert voluptas, anni celeriter iis omnibus pertransire videtur, qui ocioſe, ac negligẽter viuunt. Nam iis qui per virtutem operantur, ob laboris intensionem, tardior

tardior videtur annorum decursus. vel ideo dicit defeciſſe cum festinatione, quia cito mortui sunt.

Cum occideret eos, quærebant eum. Quando contulit in eos deus beneficia, diuinum munus non agnoscebant, quando autem eos malus afflixit, castigatiores pariter ac prudentiores effecti sunt.

Et reuertebantur, & diluculo ueniebant ad eum, & rememorati sunt, quòd deus adiutor eorum est, & deus altissimus redemptor eorum est. In huiusmodi etiam sententiam à Moyse dictum est quòd summo mane flebant.

Et dilexerunt eum in ore suo. Dilexerunt autem, non affectu cordis, sed nudis verbis. Huiusmodi vitio Esaias etiam ex persona domini eos accusat: dicens: Populus hic labiis me diligit, cor autem eorum longe est à me.

Et lingua sua mentiti sunt ei. Verbis quidem se ei credere affirmabant, re autem ipsa increduli erant, aduersabãturque sibi inuicem cogitationes, & sermones eorum: iuxta quod in simili apostolus dicebat: deum se scire cõfitentur, factis autem negant.

Cor autem eorum non erat rectum cum eo. Non erat rectum eorum cor erga deũ. Simile est quod alibi ait: generatio, quæ non direxit cor suum.

Nec fideles habiti sunt in testamento eius. Hoc etiam simile ei est, quod vidimus in præcedentibus: & non fuit fidelis cum deo spiritus eius. Neque enim fidem vllam habebant in iis quæ deus illis pollicebatur.

Ipse autem misericors & propitius erit peccatis eorum, & non perdet. Propitius erit & non perdet, pro propitius fuit & non perdidit, tempus nimirum ponens pro tempore. Neque enim eos tunc statim perdidit, sed longanimis fuit. Dixisse enim eum legimus ad Moysem, placatus sum eis iuxta verbum tuum, vel, non prorsus eos perdidit.

Et abundabit ut auertat furorem suum, & non accendet omnem iram suam. Hæc verba etiam abundabit, & accendet posita sunt pro abundauit & accendit. Abundauit, inquit, deus in misericordia, vt furorem suum auerteret. Est autem hic sermo defectiuus, quemadmodum & verba illa, quæ habentur in psalmo L X I I I I. multiplicasti locupletare eam. Nõ accendit autẽ deus omnẽ iram suam. Vniuersi etenim prorsus periissent,

periiſſent,ſi omnem iram ſuam accendiſſet. Summa etenim vſus eſt miſericordia, dum ex parte tantum iratus eſt. Dixit enim ad Moyſem: dimitte,& accenſus ira in eos, conteram eos: vel,ex parte iratus eſt,& ex parte eos puniuit.

ἐπιστρέφων

Et recordatus eſt,quia caro ſunt, ſpiritus uadens & non reuertens. Hac etiã de cauſa maiori longanimitate vſus eſt,quia caro erant: infirma ſcilicet,& parum diuturna: & ſpiritus qui cum vita non permanet. Vbi enim ex hac vita ſemel profectus eſt,ad eandem rurſus non redit. Illud obſeruandum eſt, quòd metaphorice ſcriptura deũ dicit reminiſci. Nam quẽadmodum obliuiſci eum aliquorum dicimus,quando differt vt laborantibus atque afflictis opem atque auxiliũ ſuum impertiat,ſic contrà,humano more memorem eum appellamꝰ, quando eiſdem præſto eſt. Hoc autem loquendi modo propheta ſæpe vtitur,vt lectoris hebetudini ſe accommodet.

Quoties exacerbauerũt eum in deſerto, irritauerunt eum in terra inaquoſa? Sæpe nimirum,vt ex ipſa licet perſpicere hiſtoria. Verum illorum conſidera prauitatem. Neque enim tantummodo eum ſæpe exacerbauerũt, ſed in deſerto etiam, atque in inaquoſo id fecerunt, quando ob ſummam indigentiam inſeruire eos magis deo atque humiliari & ſupplicare opportebat.

Et conuerſi ſunt,& tentauerunt deum,& ſanctum Iſrael irritauerunt. Verbum,conuerſi ſunt, hoc in loco in malum accipitur. Conuerſi enim ſunt à vitio, ad aliud vitium. Et quòd ait: tentauerunt,aliqui exponunt, pro contriſtauerunt. Per ſanctum autem Iſrael, deũ ipſum intelligit,ac ſi diceret: deũ illum adeo celebrem,adeo laudatum,& glorioſum.

Non ſunt recordati manus eius. Per manum dei diuinam intelligit potentiam,qua Iudæis quidem bona,hoſtibus vero mala ſunt præſtita.

Diei qua redemit eos de manu tribulationis. A communi ſenſu etiam hic,ſumendum eſt verbum: non ſunt recordati. Per tribulationem vero,Pharaonem intelligit.

Sicut poſuit in Aegypto ſigna ſua,& prodigia ſua in campo Taneos. Nec recordati ſunt,inquit,quòd poſuerit ſigna ſua,& quæ ſequuntur,&c. Signa autem & prodigia,multi dicũt idẽ æque ſignificare, & ſentẽtiam hic repeti: Aliqui vero ſigna, ea oĩa eſſe intelligunt per quæ deus à naturali rerum ordine non recedens,

non recedens,Aegyptiorum gentem afflixit,veluti pecorum ægritudines,quæ ſuapte natura mortem afferunt,& locuſtarum lationem. Huiuſmodi enim animalia naturaliter terræ fructus perdunt. Per prodigia vero, miracula illa dicunt ſignificari quæ naturali rerum curſu repugnante facta ſunt. veluti aquæ mutationem in ſanguinem, & quòd ranæ quarũ natura eſt vt in aquis verſentur,in ſicca terra habitauerint,& alia huiuſmodi.

Et conuertit in ſanguinem flumina eorum. Hæc prima fuit Aegyptiorum plaga. Per flumina autem, nilum ipſum intelligit. vnicus etenim hic fluuius per vniuerſam Aegyptũ fluit. Alibi etiam diximus Hebræorũ peculiare eſſe,vt plurali numero vtantur pro ſingulari. Aliqui flumina in plurali numero,dictum eſſe dicunt,ob multiplices riuos,qui è nilo exeũt, quos propheta ob aquarum copiam fluminum dignitate donauit. Dictionem vero,eorum,ad Aegyptios referes,vt relatio ad homines illius prouinciæ fiat,quam pauloante nominauit,dicens: ſicut poſuit ſigna ſua in Aegypto.

Et imbres eorum ne biberent. Per imbres loca illa intelligit,in quibus aquas ex imbribus collectas condebant. Aliqui vero improprie imbres poſitos eſſe dicunt,pro fontibus.

Miſit in eos cynomyiam,& comedit eos. Hęc eſt quarta plaga. Secunda enim fuit ranarum,& tertia culicum: & quemadmodum ſuperius beneficia in Hebræos collata commemorans ordinem non ſeruauit, ita etiam in præſenti, Aegyptiorum plagas narrans, nullum ordinem ſeruat. Sufficiant autem quæ illic diximus de huiuſmodi ordinis peruerſione. intentio enim prophetæ hic tantũ fuit,vt demonſtraret,quomodo omnia elementa mandato dei aduerſus Pharaonem militarunt. Ipſarum enim geſtarum rerum ordinem iam diu Moyſes ſeriatim deſcripſerat. Cinomyia autẽ ſylueſtris muſcæ genus eſt,quod inter cætera muſcarum genera eſt impudentiſſimum. Verbum etiam comedit,improprie poſuit pro momordit.

Et ranam, & perdidit eos. Vaſtarunt etiam ranæ Aegyptios. Nam & eos mordebãt, & eorum rapiebant aut inquinabant cibos,& ſumma inſuauitate ac faſtidio, oĩa replebãt.

Et dedit ærugini fructus eorũ, & labores eorũ locuſtæ. Tametſi inter plagas quæ à Moyſe commemoratæ ſunt, nulla

æruginis mentio expressa facta esse videatur, puto tamen Moysem etiã hanc cõmemorasse. Est etenim ærugo nouum quoddam germen, seu noua proles locustæ, quàm illic etiã Moyses describit, & dicitur bruchus, atq; ita eam Aquila appellauit. Per fructum autem, omnes terræ fruges intelligit, quas laboris etiam nomine expressit, eo quod summo parẽtur labore. Locustę autẽ plaga, in ordine octaua fuit, ex Ioële tamen propheta aliud locusta esse videtur, & aliud bruchus.

Et occidit in grandine uineas eorum. Vastauit enim eas, ne fructum facerent. atque hæc septima fuit plaga.

Et moros eorũ in pruina. Hęc plaga tametsi à Moyse missa esse videatur, continetur tamen sub grãdinis plaga. Cõficitur etenim & cõcrescit pruina ex grandine. Multę autẽ mori in Aegypto sunt, quòd id genꝰ arboris calidis in locis valde crescat. Et quemadmodũ vineis grando, sic & moris pruina inimicissima est.

Et tradidit grandini pecora eorum, & substantiam eorum igni. Grando vnà cum igne mirabiliter delata, primum ipsas vineas occidit & moros, quæ ad primũ impetum resistere minime valuerunt: deinde & pecora, quæ in campis pascebantur. Hæc autem aliquanto amplius restiterunt: & ignis postremo qui simul cum grandine immissus fuerat, herbas, ac plantas vniuersas depastus est. Illud autẽ non mediocri admiratione dignum est, vt ignis cum aqua pariter concurreret. Per superbiam autem, diuitias herbarum, ac plantarum fructum intelligit. Scire etiam illud oportet, quod, licet scriptum hic sit, quòd herbæ ac plantæ omnes perditę sint, tamen aliquæ locustis relictæ sunt, quæ post grandinem igni mixtam immissę sunt, & de quibus scriptum est, quòd comederunt herbam terræ, & omnes fructus lignorum quos reliquit grando, verum propheta vniuersali vsus est sermone, cum ferè omnia fuissent vastata.

Misit in eos iram indignationis suæ. Per irã indignationis, seu (vt potius in Græco habetur) excandescentiæ, vehementẽ excandescentiam intelligit.

Indignationem, & iram, & tribulationem. Supplicia ac pœnas in eos inflictas huiusmodi nominibꝰ appellat. Deꝰ quippe affectu ac passione omni prorsus caret, & per indignationem quidem, seu (vt verius significat græca dictio θυμὸς) per excandescentiam,

excandescentiam, pœnas minores intelligit: per iram vero, maiora supplicia: & per tribulationem, alia insuper mala.

Immissionem per angelos malos. Quę omnia scilicet immissa, ac delata sunt per malos angelos. Malos autẽ non natura dico aut electione, sed quia mala afferunt, laborem nimirũ, & dolorem, & quia pœnarũ sunt ministri. Malos enim ideo appellat hoc in loco, quia pœnas inferunt & supplicia.

Viam fecit, & semitam iræ suæ. Semitam, inquit, fecit iræ suæ, ita vt hęc ira quæ diuina misericordia antea quiescebat, via hac aduersus obstinatos Aegyptios incederet. Vel aliter: semitã deus angelo fecit, qui Aegyptiorum primogenita erat occisurus, ne ad obsignata limina declinaret. Hũc enim angelũ propheta iram dei appellat, tanquam iræ ministrum.

Et non pepercit à morte animabus eorum. Hæc est decima plaga, non pepercit, inquit, à morte, hoc est, non abstinuit quominus occideret. Seu non pepercit, dum eos occideret. Et quod ait: animabus eorum: de primogenitis loquitur. Nõ pepercisse autẽ deũ dicit primogenitis, quia à deo ad Moysem dictum est: peribit omne primogenitum in Aegypto, à primogenito Pharaonis, qui sedet in throno, vsque ad primogenitum ancillæ, quæ est apud molam, & vsque ad primogenitum omnium pecorum.

Et pecora eorum in morte conclusit. Hæc est quinta plaga. Perierunt enim, inquit, pecora omnia Aegyptiorum: ea scilicet quæ erant in agris. Conclusit autem, hoc est comprehendit, ita vt fugæ nullus fuerit locus. vel, comprehendit, id est occidit.

Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti. Repetit sermonem de primogenitis. Cæteris quippe omnibus plagis hæc acerbior fuit.

Primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham. Primitias hoc in loco, pro præcipua re dixit, ac magis preciosa. perdidit enim, inquit, omne primogenitum, hoc est, omnes primitias laboris eorum. Per laborem autem, bonorum ac substantiæ possessionem intelligit: eo quòd cum labore possideantur. Possessionis vero nomine ipsi etiam filij continẽtur. Possedi enim, inquit, filium. Per tabernacula autẽ Chã, ipsam Aegyptum intelligit, ab Aegypto rege ita appellatam: qui à Cham filio Noë trahebat originẽ. Vtrunq; enim nomẽ

regio illa habuit. Et quia Cham omnium primus eam habitauit,& quia,vt diximus,Aegyptus rex in ea regnauit. Illud etiam obseruãdum est,quòd ex decem Aegypti plagis,propheta hic VII. tantum connumerat. Nam & culicem omisit,& tremores,& palpabiles tenebras:quorum tamen meminit in psalmo centesimo quarto.

Et abstulit sicut oues populum suum. Eduxit enim eos vi quadam ex Aegypto,duxque eis itineris fuit. Curauit itẽ & fouit,non secus,ac pastor oues proprias.

Et eduxit eos tanquam gregem in deserto. Idem rursus repetit quod dixerat.

Et eduxit eos in spe, & non timuerunt. Exeũtes Iudæos prima nocte in illius promissionis spe deduxit,quæ facta fuerat à deo Habraam,quando ei dixit:cognoscés cognosces,quòd incola erit semen tuum in terra Aegypti, & in seruitutẽ eos redigent,affligentque,& humiliabunt eos annis quadringẽtis. Gentem autem illam,cui seruient iudicabo ego,& exibũt illinc cũ multo apparatu. Ea enim nocte exeũtes non timuerunt. Nam postea sæpenumero in summa fuerũt formidine.

Et inimicos eorũ operuit mare. Per inimicos, eos intelligit, qui populum persecuti sunt,de quibus iam diximus.

Et induxit eos in montem sanctificationis. Omissis iis, quæ in eremo contigerunt, cum in præcedentibus narrationis locũ præoccupauerit,loquitur nũc de terra promissionis. De mõte etenim loquitur Sion, veluti in vniuersa regione celeberrimo:& sanctificationis montem appellat,eo quòd inter cæteros præelectus sit,vt in eo fœderis arca habitaret. Arcã autem fœderis sanctificationem appellabant. Dicitur etiã mõs sanctus,veluti ab arca domini sanctificatus.

Montem hunc,quem acquisiuit dextera eius. Hũc,inquit,mõtem,demonstratiue, apud quem nunc adsumus. Quem non populi robur,sed tua nobis parauit potentia. Tu enim eos primo expulisti,qui illic habitabant.

Et eiecit à facie eorum gentes. Illos VII. populos,qui terram promissionis possidebant. Cananẽũ scilicet, Chetteum, Pherezeum,Eueum,Amorreum,Gergezeum,& Iebuseum.

Et sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. Sorte vniuersam illam eis terram diuisit. Subintelligenda est autẽ dictio quasi,vt sit sensus: qui quasi in funiculo diuisit. Est & hic

hic defectiuus loquendi modus Hebraico idiomati familiaris. Ita enim terram illam deus inter tribus diuisit: quemadmodum si pater aliquis illo fune inter filios eam diuideret, quo agros solemus metiri.

Et habitare fecit in tabernaculis eorum,tribus Israel. In habitationibus prædictarum gentium.

Et tentauerunt, & exacerbauerunt deum altissimum, & testimonia eius non seruauerunt, & auersi sunt, & spreuerunt,quemadmodum patres eorum. Hi qui in terram promissionis introducti sunt,illorum erant filij, quorum membra,vt prædixim⁹, ceciderunt in deserto. Horum igitur posteri tentauerunt etiã & contristauerunt dominum, vt in libro Iudicum scriptum est. Surrexit enim,inquit, generatio altera post eos, qui non cognouerunt dominum, neque opus quod fecit in Israel, & fecerunt filij Israel praua coram domino, & coluerunt deos Baalim,& quæ sequuntur. Per testimonia autẽ,diuinas contestationes intelligit. Auerterunt autẽ se à deo,& spreuerunt eum,maiores nimirũ suos imitati, qui vitulũ fecerant in deserto. ἐπείρασαν καὶ ἠθέτησαν

Conuersi sunt in arcum obliquum. A pietate ad impietatem instar obliqui arcus mutati sunt. Nam quemadmodum obtortus arcus recta ictum non mittit,sic & peruersa eorũ mens diuinos sensus recte non assequitur. στρεβλὸν

Et irritauerunt eum in collibus suis, & in sculptilibus suis,ad zelũ eum prouocauerunt. Eo quòd & Gentilibus commixti sunt, & eorum opera didicerunt. Gentes quippe in collibus sacrificabant,& sculpta habebant idola. Prouocarunt autem deũ ad zelum:hoc est,fecerunt, vt ob huiusmodi eorum vitia iuste irasceretur. παρεζήλωσαν αὐτὸν

Audiuit dominus, & despexit. Audiuit clamãtes voces, hoc est,ea omnia quæ impie operati sunt. Eo autem modo audiuit,quo & vocem sanguinis Abel clamantem olim audierat, & Sodomorum, atque Gomorreorum voces. Ipsa siquidem peccata clamant coram deo,atque authores suos indicant,& propalant omnes qui talia committunt. Est etiam hic loquẽdi modus apud veterem scripturam frequẽs, vt auditum deo adscribat,quando commotum illum esse significat ad vindictam. Despexit autem eos,hoc est,auersus est. ὑπερεῖδε ἐξουδένωσε σφόδρα τὸν

Et neglexit ualde Israel. Inhonorauit & contẽptibiles reddidit. Ἰσραήλ

reddidit. Variis enim gentibus & diuersis temporibus eos in captiuitatem tradidit, vt in libro Iudicum legimus.

Et repulit tabernaculum Silo. Quę sequuntur in primo Regum libro scripta sunt: quemadmodum, scilicet, arca ab alienigenis, hoc est, à Philistæis sit capta: & quomodo Israelitę occisi sint: & eorum ciuitates in hostium potestatem deuenerint. Et repulit, inquit, tabernaculum quod erat in Silo, vbi habitabat tunc deus. erat enim illic, vt diximus, arca domini. Nam si tabernaculum illud in Silo non repulisset, non permisisset, vt hostes arcam caperent.

Tabernaculum quod habitabat in hominibus. Propter arcam enim sic dicit. Primo enim, vt sæpe diximus, arca habitauit in Silo, postea vero in Hierusalem.

Et tradidit in captiuitatem potentiam eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimicorum. Per potentiam & pulchritudinẽ, quidam intelligi dixerũt strenuos quoslibet ac fortes Iudęorum in bello: verum melius est, vt intelligamus ipsam arcam ita appellari: quia eousque vires ac robur populo prestiterat, atque ornamentum.

ὑπερεῖδε *Et conclusit in gladio populum suum, & hæreditatem suam despexit.* Moyses quippe dei hæreditatẽ eos appellauit, quasi soli deo dicatos. Facta est enim, inquit, pars domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius, Israel.

Iuuenes eorum comedit ignis, & uirgines eorũ non sunt lamentatæ. Hæc autem in historia nominatim scripta non sunt, verum ex quo & ciuitates, & domus eorũ vastatæ sunt, verisimile est, vt & adolescentuli qui nondum militabant, vnà cũ domibus exusti fuerint, & quod virgines eorum in captiuitatem ductę, non habuerint aliquos, qui earum calamitatem aut mortem lugerent: cum parentes, & cognati omnes occisi essent, aut pariter in captiuitatem acti.

Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt. Orphni enim, & Phines filij Heli, qui vnà cum arca domini exierant, ab hostibus interempti sunt.

κλαυθήσονται *Et uiduæ eorum non plorabuntur.* Tempus immutauit, pro ploratæ non sunt. Nam & ipsæ vnà aut occisæ, aut actæ in captiuitatem, nullum habuerunt qui eas ploraret: ciuitatibus scilicet prorsus deletis.

Et excitatus est tanquam dormiens dominus. Quemadmodum dormiens quis tandem somnum excutit cum excitatur, ita & dominus, sero licet, in arcæ ac populi auxilium excitatus est. Satis enim pœnas dederant, longanimitatemque illam ac patientiam excussisse visus est, ob quam tanta hostes eousque perficere potuerant.

Tanquam potens, & crapulatus à uino. Ad superioris versiculi declarationem hæc consequuntur. nõ secus, inquit, deus excitatus est, hoc est, non minori cum robore ac vehementia, atque excitari solet homo quispiam summis præditus viribus: quòd si ad proprias vires illud etiam addiderit, vt vino repletus, ac crapulatus sit, tametsi aliquo tempore ob vini potentiam, sopore, aut capitis grauedine occupari eũ contingat, vbi à somno huiusmodi consurrexerit, vehementius, atque impetuosius, quàm antea moueri solet. Coniunctio autem illa, &, abundat.

Et percussit inimicos suos in posteriora. Verbũ, percussit, apud scripturam, vt plurimum accipitur, pro occidit. aliquando tamen simpliciter accipitur pro verberauit, vt nunc. percussit autem eos retro in natibus, vt scriptura docet. honestioris autem sermonis gratia dixit, retro, seu in posteriora.

Opprobrium æternum dedit eis. Per opprobrium vulnus illud intelligit, quod habuerunt in posteriori corporis parte. quocunque enim arcam ducerent, ab illius vulneris dolore occupabantur.

Et repulit tabernaculum Ioseph. Hoc est habitare deus noluit in finibus hereditatis Ioseph. per Ioseph autem ipsam intelligit tribum Ephraim, qui filius fuit Ioseph. similem autem sententiam superius dixit propheta, quando ait: & repulit tabernaculum Silo. Erat enim Silo in sorte tribus Ephraim, vt prædiximus.

Et tribum Ephraim nõ elegit. In arcæ scilicet habitationẽ. atque hoc ob scelera, & iniquitates eorum.

Et elegit tribum Iuda. Ad regnum nimirũ. hoc autem propter seipsum dicit beatus Dauid. reticuit autem quæ ad Saulem pertinebant, ne illi detrahere videretur. καὶ

Montem Sion, quem dilexit. Pro tribu enim Beniamin, de qua fuit Saul, elegit tribum Iuda, de qua erat Dauid, & pro monte Ephraim, vbi erat ciuitas Silo, elegit montẽ Sion, in quo erat Hierusalem. dilexisse autẽ dicit dominum montem

Sion, quia eum honorauit, & celebré apud omnes reddidit, ab eo tempore quo Arca fœderis illud perducta est.

ἁγίασμα *Et ædificauit quasi Vnicornis sanctificationem suam.* Aedificauit pro, ædificabit. tempus enim posuit pro tempore. prophetiam autem tradit de templo, quod à Salomone construendum erat in Hierusalem, & de regno, quod futurum erat in tribu Iuda. reuelatum enim ei fuerat à deo, quando ait: susciabo semen tuum post te, qui est de ventre tuo, & præparabo regnum eius, hic ædificabit templum nomini meo, & erigam thronum, eius vsque in seculum. illud enim templum hoc in loco sanctificationem appellauit. Et quod ait: quasi vnicornis: defectiuus est sermo, & sub intelligi debet dictio, cornu: quod vt clarius dignosci possit animaduertendum est, quòd dictio, Vnicornis, est secundi casus, quod ex Græca lectione aperte dignoscitur. Sensus autem est, quod hoc templum à Salomone construendum, ędificabitur quasi cornu quoddam vnicornis. Nam quemadmodum cornu illud vnicum est, & maximum, pulcherrimumque pariter ac fortissimum, sic & vnicum deo templum & maximũ, pulherrimũq; structura pariter ac fortissimum in tota Iudæa cõstructum est, veluti vnicum atque vni deo dicatum.

ὡς μονοκέρωτος

ἐν τῇ γῇ ἐθεμελίωσεν *In terra fundauit eam in seculum.* Eam tribum Iuda. stabiliuit enim eam, inquit, in ea terra, vbi habitat, ita vt ab hostibus illinc expelli non posset. quod vero ait in seculum: idem est, quod, semper: verum improprie hæc de ipsa tribu dicta sunt. siquidem illinc expulsos fuisse videmus.

ἐξέπιθεν τῶν λοχευομένων *Et elegit Dauid seruum suum, & assumpsit eum de gregibus ouium, retro fœtantes accepit eum.* Vide quomodo vere ac simpliciter beatus Dauid narrat, quæ ad se pertinent, quomodo fateri non erubescit, quòd pastoris nomine nondũ dignus erat. nam vt minus idoneus fœtantes oues sequebatur. Quinimmo minora quęque de se asserere non puduit, & quę maiora erãt omisit. neque enim vires suas cõmemorauit, quas aut aduersus feras sæpe ostendit, aut aduersum Goliam.

ποιμαίνειν *Vt pasceret Iacob seruũ suum.* Generationẽ scilicet & prolem Iacob. verbo autem pascendi metaphorice vsus est.

Et Israel hæreditatem suam. Repetitio est eiusdem sententiæ, qui loquendi modus apud Hebræos est frequentissimus, de hæreditate autem paulo superius diximus.

Et pauit

Et pauit eos in innocentia cordis sui. In simplicitate, rectitudine, & mansuetudine.

σωίσεσι *Et in intelligentiis manuum suarum deduxit illos.* Per manuũ intelligentias, ipsas actiones intelligit ratione disposítas, quibus summa cum prudentia populum dirigebat. Illud autem sciendum est, quòd elegit tribum Iuda, ad regnum propter Christum, qui ex ea tribu originem ducturus erat. Et aliter: per Iudam quidem Christum intelliges, qui de ea tribu natus est, & per tribum Iuda, ipsum Christianorum genus, quorum doctor, ac pater est Christus. hanc enim tribũ Christus in vniuersa terra fundauit in seculũ, hoc est, in æternũ. portæ enim, inquit, inferi non pręualebunt aduersus eam: ita vt q̃ perpetuitatem indicat, ad Christianorum tribum referatur.

Psalmus ipsi Asaph.

De Asaph superius dictum est. In hoc autem psalmo sæuitia prædicitur Antiochi, qui aduersus Iudæorum gentem immitissimus fuit. efferri autem dicitur ex eorum persona qui in Iudæorum populo magis pii erant & magis religiosi.

PSALMVS. LXXVIII.

Deus uenerunt gentes in hæreditatem tuam. De hęreditate, in superiori psalmo diximus. per gentes autem, ipsos Macedones, & illorum adiutores intelligit. dictio vero, deus, vocantis est.

Polluerunt templum sanctum tuum. Et profanis illud pedibus calcantes, & porcos ibidẽ immolantes, & idola illuc introducentes, & alias, variis illud modis fœdantes.

ὡς ὀπωροφυλάκιον *Posuerunt Hierusalem ut pomorũ custodiam.* Per pomorũ custodiam, tugurium quodpiam intelligit, in quo pomarij custos matureſcentes solet fructus à furibus obseruare. posuerunt etenim ipsam Hierusalem, veluti ruinam quandam & rudera, ciuitatis tantum figuram habentem, exteriori quadã specie, & non re ipsa: quemadmodum, & tugurium illud, quod Græci vnica dictione ὀπωροφυλάκιον dicunt, & nos Latinæ linguæ inopia, pomorum custodiam appellamus, dicimus quidem speciem præsefert, tametsi vere domus non est, sed casula, & tuguriolum, ex paucis quibusdam lapidibus tumultuario opere constructum.

Posuerunt

θνατι-μῶς

Posuerunt morticina seruorum suorũ escas uolucribus cœli, carnes sanctorum tuorum feris terræ. Per morticina, mortua appellat corpora, hoc est, ipsa cadauera: per seruos vero, ac sanctos dei, eos intelligit, qui ex Iudæorum gente occisi fuerant. Sanctos enim appellat Iudæos, eo quòd gens illa præ cæteris omnibus deo dicata ac sanctificata erat: & quanquam à sanctificatis operibus iam diu abstinerent, sanctitatis tamen denominationem retinebant. hoc pacto scriptura alibi eos, qui pseudoprophetæ erant, prophetas appellauit, & Apostolus sanctos dixit ramos, qui ob impietatem erant confracti, quia nimirum à sancta erant radice. illud præterea dici potest quòd Machabæi, & complures alij iustorum, cum eis tunc occisi sunt, vt in ciuitatum direptionibus fieri solet, quos sanctorum nomine appellat. legimus enim apud Ezechielem dictum ex persona domini: Ecce ego ad te, & extendam gladiolum meum ex vagina sua, & excidam ex te iustum, & iniustum: & rursum: ecce ego accendo in te ignẽ, & deuorabit in te omne lignum humidum, & omne lignum aridum. per humidum etenim, iustum quemlibet intelligit, ob virtutis nimirum, humorẽ: per aridum vero iniustum, ob sterilitatem illam videlicet atque infructuositatem, quam ostendunt in operibus virtutum.

Effuderunt sanguinem eorum quasi aquam in circuitu Hierusalem, & nõ erat, qui sepeliret. Tantum, inquit, sanguinis effuderunt, vt instar aquę, ac riuuli, seu potius fluminis in modũ dilaberetur. effuderunt autem illũ in circuitu Hierusalẽ, pro vbique per totam Hierusalem: & non erat qui sepeliret: aliis nimirum fugientibus, & aliis in captiuitatem actis.

χλευασ-μός

Facti sumus opprobriũ uicinis nostris, subsannatio & derisio iis, qui in circuitu nostro sunt. Finitimis videlicet gentibus, quæ iam diu nobis inuident, & aduersum nos texunt insidias. eiusdẽq; est sententiæ secundus versiculus cum primo, & figura quædam est quæ dicitur sermonis iteratio. exprobrabant autem Iudæis vicini tantam desolationem & tam grandem eorum infirmitatem, subsannabantque quasi insipienter deo credidissent. deridebant eos etiam, hoc est, carpebant. Iudæorum vero vicini Amanitę erant, & Moabitæ, Idumæique, & aliæ huiusmodi gentes.

Vsquequo domine irascêris in finem? In finem hoc in loco, posuit,

posuit, pro vehementer.

Exardescet uelut ignis zelus tuus? A communi sensu etiam hoc in loco sumẽda est dictio, vsquequo. per zelum vero sæpe diximus, iustã dei irã intelligi. Nam & ipse dẽus leges statuens de seipso dixit: ego deus zelator, ignis consumens, ductusque est hic loquendi modus metaphorice ab iis, qui vxoribus suis irascuntur, quotiens in adulterij eas suspitione deprehendunt. Eandem etenim analogiam, hoc est, eandem proportionem, seu rationem retinebat olim deus cum Synagoga, quam habet maritus cum vxore, veluti qui præ cæteris gentibus eam diligebat, & vicissim ab ea sola diligebatur. huiusmodi translationem seruat Osee propheta, qui deum repudiantem introducit synagogam & dicentem: hæc non est vxor mea, neq; ego vir eius: ibidem etiã idola amatores illius omne dicit, fornicationemq; & adulterium eam commisisse dicit quoties in idololatriam inciderit. Nunc igitur synagogam amplius vxorem non habet, cum vnica ei sit sponsa, ecclesia nimirum, de qua in psalmo XLIIII. dictum est. ζηλευθή σεται

Effunde iram tuam super gentes, quæ non cognouerunt te, & super regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. Molestissimi, inquit, nobis sunt gentium populi. nam & armis bella gerunt aduersum nos, & te factorem suum ignorant. Regni autem nomine omnifariam potestates intelligit.

Quoniam comederunt Iacob, & locum eius desolauerũt. Effunde, inquit, iram tuam in eos, quoniam comederunt nos in ore gladij.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarũ. Quas eousque commiserant. per antiquas enim iniquitates, delicta omnia in præteritum perpetrata intelligi vult.

Cito anticipent nos misericordiæ tuæ domine, quia pauperes facti sumus nimis, adiuua nos deus saluator noster. Pauperes, inquit, facti sumus, & ab omnibus bonis deiecti, & si vllas aliquando possedimus virtutes, eis omnibus hoc tempore caremus. Saluatorem autem deum appellant, quia sæpenumero eis saluti præstiterat. σωτήρ

Propter gloriam nominis tui domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum. Tametsi nos indigni sumus misericordia tua, tu tamen quæso eripe nos, ne inglorium sit apud gentes nomen tuum, néue exprobretur ab eis

quasi

quasi infirmum sit,'& quasi nequeas populum tuum liberare. Secundus autem versiculus repetitam continet sententiam. Idem enim est,libera,quod,propitius esto. Nam qui ad liberationem est paratus,is etiam est propitius.

Nequando dicant gentes,ubi est deus eorum? Hoc per se clarum est.

γνωσθήτω αὐτῶ *Et cognoscatur in gentibus coram oculis eorum ultio sanguinis seruorum tuorum,qui effusus est.* Vt in aliis gentibus hoc cognoscatur,& nobis adhuc superstitibus.

Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum. Eorum scilicet qui in captiuitatem acti sunt.

περιποίησαι *Secundum magnitudinem brachii tui serua filios interemptorum.* Salua,inquit,occisorum filios,qui cædem effugerunt. Vel salua eos,qui in seruitutem ducti sunt. Per brachium vero,fortitudinem,ac potentiam intelligit.

ὀνειδισμὸν αὐτῶ ὃν ὠνείδισέν σε κύριε *Redde uicinis nostris septuplum,in sinu eorum, opprobrium suum, quod exprobrauerunt tibi domine.* Septuplum Hebræorum more posuit pro multiplici, quemadmodum & septem persæpe poni videmus pro multis. Per opprobriumvero contemptum intelligit. In sinu etiã eorum reddi optat supplicia,quia quod in sinu est,de facili non reiicitur & semper circunfertur.

Nos autem populus tuus,& oues pascuæ tuæ. Tametsi peccauerimus, tui tamen semper sumus. Diuina autem mandata abundantissimum præbent populum.

Confitebimur tibi deus in seculum. Si nos exaudieris,gratias tibi semper pro consecuta agemus salute. Vel simpliciter se acturos gratias pollicentur.

In generationem & generationem annunciabimus laudẽ tuam. In omnes,inquit, generationes, laudes tuas annunciabimus, hoc est, laudationes illas, quæ pro tantis beneficiis tibi debentur. Et hoc pacto quidem hic psalmus fuit iuxta historiæ sensum expositus. Accommodari tamen possunt præsentis psalmi verba sanctis fidelibus Christianis,qui à tyrannis persecutionem passi sunt:iuxta quem sensum per gentes, tyrannos intelliges, & alios omnes Christiani nominis hostes, & per Christi hæredes, ipsos fideles, quemadmodum in primo psalmo declarauimus, & per templum dei, vnum quodque templum deo dicatum. Per Hierusalem etiam, ipsam Christianorum ciuitatem,& per morticina, sancta Martyrũ corpora. Quæ

pora. Quæ sequuntur iuxta eandem rationem intelliges. Iacob etiam pro Christiano accipitur populo,vt sæpe diximus. Et per vicinos nostros,ipsos intelliges Hebræos, eo quòd illorum scriptura nobis etiam in legem est,& quia Iudæi nobis ad fidem magis proximi sunt,quàm reliquæ nationes:quanquam & ipsos hæreticos possumus vicinos nostros appellare, cum in multis dogmatis nobiscum sentiant. Contempserunt autem Christum hæretici,dum valde blasphema aduersus illius diuinitatem loquuntur,quemadmodum Sabellius & Arrius. Vel aduersus illius humanitatem:quemadmodum Apollinarius,& Nestorius.

In finem, pro iis, qui commutandi sunt, testimonium ipsi Asaph, psalmus pro Assyrio.

In finem dictum est,non solum ob prophetias, quæ in psalmo continentur, ut sæpe diximus, sed quia finem, hoc est, consumptionem continet Iudaicæ fœlicitatis. Prædicit enim obsidionem & captiuitatem eorum & quæcunque alia à Babyloniis passi sunt,qui primæ eorum fœlicitati finem imposuerunt. Quod uero ait,pro iis,qui commutandi sunt, ut alibi iam declarauimus, immutationem rerum indicat. Testimonium autem dixit,quia cõtestatur propheta in hoc psalmo, & annunciat futuras calamitates, studens nimirum, ut aliquo pacto ob timorem saltem Iudæi sapientiores fierent. De Asaph etiam alibi prædictum est. Per Assyrium uero ipsum intelligit Nabuchodonosor Babylonium,qui de Assyriis genus trahebat. Pro Assyrio igitur,dixit,pro,de Assyrio, hoc est de iis,quæ Assyrius Nabuchodonosor gessit aduersus Iudæos.

PSALMVS LXXIX.

QVi pascis Israel intende. Per Israelem, vel ipsum Iacob patriarcham intelligit,cui deus pollicitus est, se ei semper adfuturum, & seruaturum se eũ in periculis, vel ipsum populum, qui ab eo originem traxit. Dictũ est enim in præcedenti psalmo,quòd duxit deus hunc populum, quasi gregem in deserto. Qui pascis autem,posuit,pro,qui pauisti: & similiter, qui deducis,pro, qui deduxisti. Efferendus est autẽ hic psalmus ex eorum persona,qui tunc ab hostium gladio euaserunt. ποιμαίνεις

Qui deducis

Qui deducis quasi ouem Ioseph. Vel ipsum patriarcham intelligit Ioseph, cui deus in periculis, vt dux optimus, præsto fuit. Scriptum enim legimus q̃ erat dominus cum Ioseph: vel ipsum populum. Tanta enim vniuerso populo beneficia præstita sunt ab hoc patriarcha, & tantam omnium curam habuit, vt pater omnium tribuum esse visus sit: vnde sæpenumero Propheta illum, veluti omnium tribuum patrem appellat: tametsi Ephraim, & Manasses tantum ab eo descenderint: vnde in psalmo septuagesimosexto dixit: filios Iacob, & Ioseph vbi etiam diximus.

Qui sedes super Cherubim manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse. Cum mandasset Moysi dominus, vt Cherubim duo aurea conficeret, vtque ex vtraque propitiatorij parte ea poneret, subiunxit: & cognoscar illic à te, & loquar tibi desuper propitiatorium. Manifestare autem coram Ephraim &c. ac si diceret: opto, vt cognoscaris veniſſe coram iis, qui derelicti sunt, quos Ephraim, Beniamin, & Manasse appellauit. Nam ex quo meminerat patriarchę Ioseph, merito duorum etiam maxime dilectorum ei filiorum meminit, Ephraim nimirum, & Manasse, & præ cæteris omnibus charissimi etiam fratris Beniamin, quem vnicum ex eadem matre fratrem habebat. Ab his autem tribus patriarchis vniuersum populum nominauit: atq; hoc, vt ob egregias virtutes patriarchæ huius Ioseph. Flecteretur & placabilior fieret deus erga illius posteros. Illud etiam sciendum est, q̃ Manasses erat maior natu, & tamen Moyses ipsum Ephraim, ei passim præponit: quia præhonoratus fuerat ab auo Iacob, & maiores fuerat benedictiones consecutus: quodque passim Beniamin à Moyse coniungitur cũ filiis Ioseph, veluti qui ob prædictam rationem illi esset magis deuinctus, & quia statim natus fuerat post ipsum Ioseph, ideo beatus Dauid Moysem secutus eundem ordinem in eorum commemoratione seruauit, & quoniam loco tribus Leui, quæ diuino cultui fuerat dicata, assumpta est tribus Manasse, ad militandum, non temere omnium nunc extrema ponitur, veluti quæ ex dimidio, vt ita dicam, erat tribus, & quia etiam imbecillior erat tribu Beniamin, quemadmodum & ipsa tribus Beniamin, inferior erat tribu Ephraim. Vel aliter: hæ tribus cæteris omnibus erant audaciores, & in honorem patriarchæ Ioseph ambo eius

bo eius filij tribuum principes fuere.

Excita potentiam tuam, & veni, ut saluos facias nos. Supremã quæso potentiam tuam, quæ ob diuturnam longanimitatem tuam quodammodo dormitare videtur, suscita in auxilium nostrum. Illud à nobis iam sæpenumero dictum est, quòd sacra scriptura deo passim actiones, & passiones adscribit humanas, crassiori admodum more locuta, vt Hebræorum hebetudini inseruiret. Superfluum est autem eadem sæpius repetere. Atque ideo huiusmodi regulam, in similibus loquendi modis opportunum est obseruare.

Deus conuerte nos. A tribulatione in gaudium, à fuga ad pugnam, à seruitute ad libertatem, ab aliena regione in patriam. Vel conuerte nos ad te, & nobis cooperare, vt voluntatem tuam valeamus perficere, iuxta illud: conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.

Ostende faciem tuam, & salui erimus. Indica nobis, inquit, & demonstra faciem tuam, & hoc erit nobis satis ad salutem. Sermo est metaphoricus: vbi enim aliquis dux, aut imperator certantibus militibus superuenerit, continuo suis quidem animum & vires præstat, hostibus vero timorem.

Domine deus uirtutum usquequo iraſceris ad orationem seruorum tuorum? Iraſceris dixit, pro non respicis, à præcedentibus significans id quod consequitur. Solent enim qui iraſcuntur, ad illorum petitiones non respicere, qui eos ad iram prouocarunt. ὀργίζῃ ἐπὶ τὴν προσευχὴν

Cibabis nos pane lachrymarum & potabis nos lachrymis in mensura? A communi sensu sumenda est dictio vsquequo. Cibabis autem, hoc est, dabis ad manducandum. Vsquequo, inquit, voles, vt manducemus panem, & bibamus vinum in lachrymis. Indicat autem his verbis, quòd simul cum lachrymis panem, & vinum sumebant. Vel vsquequo, pro cibo & potu præbebis nobis lachrymas? In mensura autem dixit, pro ad mensuram, hoc est, ad delictorum nostrorum proportionem & modum. Aquila autem & Symmachus, Cibasti nos, dixerunt & potasti.

Posuisti nos in contradictionem uicinis nostris, & inimici nostri subsannauerunt nos. In contradictionem, hoc est, in opprobrium. Eadem autem repetit quæ in superiori psalmo dicta sunt, ibi: facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, & derisio

& derisio iis,qui in circuitu nostro sunt.

Domine deus uirtutum conuerte nos,ostende faciem tuam,& salui erimus. Hæc etiam superius dicta sunt. Repetitione autẽ sermonis intensionem precum suarum demonstrat.

Vineam ex Aegypto transtulisti. Antiqua commemorat beneficia,narrans vnde Hebræorum genus euenerit. Ex Aegypto autem,translata est in Palæstinam. Deinde etiam prosequitur,multa narrans beneficia, quæ deus Iudæorum gratia operatus est,vt huiusmodi commemoratione illum flecteret, vtque impetraret, ne illos prorsus despiceret, ob quos tanta olim effecisset. Docet etiam hoc psalmo Phropheta quo pacto oporteat nos deum placare, & quibus verbis. Per vineam autem figuratè Iudæorum gentem intelligit,quæ olim vineæ instar florentissima erat.

Eiecisti gentes & plantasti eam. De his gentibus tradidimus in psalmo septuagesimoseptimo. Persistit autem Prophe ta in iam cœpta metaphora. Plantasti enim,inquit,eam,hoc est stabilisti:tametsi postmodum Iudæi ob multa eorum scelera in deum commissa,illinc prorsus expulsi sint.

ὡδοποίησας ἔμπροσθεν αὐτῆς

Viam fecisti ante eam. Omnibus aliis impedimentis, spinarum instar euulsis, viam populo latam fecisti. Vel iter ei fecisti,legem scilicet præstans per quam ambularent.

Et plantasti radices eius. Hæc verba etiam magis declarant præstitam populo stabilitatem. Per radices autem, tribuum principes intellige, vel, in vniuersum ipsum regnum Iudæorum.

Et impleuit terram. Non vniuersam terram,sed terrã promissionis,quam possederunt.

Et operuit montes umbra eius, & arbusta eius cedros dei. Per montes quidem finitimas intelligit gentes,& per vmbrã eius,authoritatem, & potentiam Iudæis præstitam: per cedros vero, illos principes, qui inter gentium nationes sublimiores & clariores erant, & per arbusta eius, illos viros, qui super Iudæorum populum duces constituti fuerant. Dei autem cedros esse dixit,veluti ab eo exaltatas. Temporibus autem tam beati Dauid quàm Salomonis multæ gentes seruierunt Iudæis.

Extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumina propagines suas. Per palmites, augescentem populi multitudinem,

nem:& per mare,indicum mare intelligit: per propagines vero,ipsos proselytos, qui ex gentibus Iudæorum se religioni adiungebant, & cognitionem dei assequebantur. Hi etenim antiquæ Iudæorum radici quodam modo adnascebantur. Per flumina etiam ipsum Euphratem significat, plurali vsus numero pro singulari, Hebræorum more, vt diximus in psalmo septuagesimoseptimo, in tertio tamen Regum libro, flumen singulari sermone scriptum est.

Quare destruxisti sepem eius? Per sepem, diuinã protectionem intelligit,quæ illos olim custodiebat. φραγμὸν

Et uindemiant eam omnes,qui prætergrediuntur uiam? Et vastant eam omnes gentes,quę iuxta illam ambulant,per viam. Præpositio enim,præter, hoc in loco,vicinitatem significat. Quicunque,inquit,iuxta eam iter faciunt, vel quicunque illinc transeunt,lædunt eam, & damnum ei inferunt. Verum ad huiusmodi Iudæorum sermones per Hesaiam prophetam respondet cœlestis agricola,dicẽs:expectaui, vt faceret vuas, fecit autem spinas.

Vastauit eam sus de sylua. Babylonius nimirum Nabuchodonosor, sus ideo dictus q̃ in voluptatũ luto volutaretur, & quia omnifariam spurcitiæ genere fœdus atq; immundus erat. Per syluam vero,ipsa intelligitur Babylon, quia habitantium multitudine, instar syluæ densa erat, & infructuosa germine virtutum, & quia locus atque habitatio est intellectualium ferarum. ἐλυμήνατο αὐτὸν ὗς ἐκ δρυμοῦ

Et singularis ferus depastus est eam. Eundem rursus Nabuchodonosor singularem appellat,veluti qui absque auxiliaribus copiis solus aduersus Iudæos militasset, & ferum quasi sæuum,atq; immitem,& feræ alicui similem. Crudelissimus enim fuerat in Hebræos. Singularis autem seu solitarius sus ille dicitur, qui solus incedit, & ob summam feritatem aliis nõ miscetur. Quidam vero per suem de sylua, Assyrium intelligunt Salmanasar, qui ante Nabuchodonosor depopulatus est Samariam,quiq; ex aliqua parte Iudæis damna intulit. Nam Nabuchodonosor eos prorsus perdidit.

Deus uirtutum conuerte,& respice de cœlo,& uide,& uisita uineam istam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua. Conuerte, hoc est, dirige nos. Vel vt superius diximus, conuerte nos ad te:aut à tribulatione ad gaudium &c.& visita vineam ἐπίστρεψον

istam, hoc est, medere eam, quæ contrita est, & perfice, hoc est, refoue, & in priorem statum eam restitue, eam, inquam, vineam, quam dextera tua plantauit. Diuina enim potestate factum est, vt in hac regione habitaremus.

ἐπὶ τὸν υἱὸν σου

Et super filium hominis, quem roborasti tibi. A communi sensu sumendum est verbum, respice. Per filium autem hominis, Iudæi quidem regem intelligunt Zorobabel, cui robur præstitum est à deo, quique apud regem Darium duos illos adolescentes superauit, docens q̃ mulieres vino, & rege fortiores essent, & tamen, quòd veritas omnia vinceret: vnde omnibus admirationi fuit, & concessum ei est, vt ascenderet in Hierusalem, vtque exustum templum, & dirutam ciuitatem instauraret. Nos autem per filium hominis, assumptum à deo hominem intelligimus, Christum nimirum, quia deus verbũ, sibi ipsi, hoc est, in se ipso assumptum hominem roborauit, tradens atq; impertiens ei omnem virtutem suam, & potentem eum efficiens aduersus inimicum. Hæc autem verba ad assumentem diuinitatem de assumpta humanitate à Propheta dicta sunt, vt ad futuram, atq; à se optatam dei incarnationem eum magis incitaret.

Incensa igni & suffosa. Subintelligitur verbũ, est, vel fuit, vt sit sensus: vinea hæc tua igni fuit incensa, & amplius, etiam suffossa, hoc est, ab ipsis radicibus euersa. Per vineam autem illius vineæ agrum, vel ipsam ciuitatem intelligit Hierusalem, quam non tantum igni incenderunt sed etiam suffoderunt, atque à fundamentis euerterunt. Hæc autem omnia à Babyloniis gesta sunt, quemadmodũ in Regũ libris traditur.

Ab increpatione uultus tui peribunt. Per increpationem hoc loco diuinam iram intelligit. Ira tua, inquit, Hebræos perdet, te scilicet permittente Babylonios sic facere. Neq; enim Iudæos Babylonij superassent, nisi tu vineæ sepem destruxisses, vt diximus.

Fiat manus tua super uirum dexteræ tuæ. Atque hoc simili modo dicta esse intelligunt de Zorobabel. Veniat, inquiunt, in eum potentia tua. Virum autem dexteræ scriptura eum appellare solet, cui dextera familiaris est. Nos vero hoc in loco assumptum hominem intelligimus, quasi optet Propheta, vt signa & miracula, quæ manus dei & dei digitus dicuntur, fiant super virum dexteræ, hoc est, super illum virum, cui dextera patris

tera patris familiaris est. Dextera autem patris, est filius, velut rerum omnium creator, & opifex.

ἐπὶ τὸν υἱὸν σου

Et super filium hominis, quem roborasti tibi. De eodem Christo loquitur, eundem repetens sermonem. Filium autẽ hominis seipsum Christus assidue appellabat propter carnem assumptam è virgine.

καὶ ὐ μὴ ἀποστῶμεν

Et non discedamus à te. Hebræi quidem ducti à Zorobabel, nos autem à Christo. Ex nostra enim persona versiculũ hunc Propheta conscripsit.

Viuificabis nos & nomen tuum inuocabimus. Iudæos viuificabis renouando eorum ciuitatem, nos autem fideles, renouando animarum dignitatem, per salutare baptismatis lauacrũ. His enim amissis bonis. Vtrique mortui videbamur. Nomen autem tuum inuocabimus, hoc est, alium nobis deum non assumemus, deum alium nullum appellabimus, te vnum in defensionem, atq; in auxilium expetemus. Et proprie sermo est ad Christum, qui viuificauit nos, & dixit: Ego sum vita, & cuius nomine insigniti, Christiani appellamur omnes, qui illius fidem suscepimus.

Domine deus uirtutũ conuerte nos & ostende faciem tuam, & salui erimus. Huiusmodi verba habentur etiã in superioribus, verum illic sermonem in Hebræos retulimus, hoc autem in loco ea nobis accommodabimus: Domine qui virtutum omnium angelicarum es deus: vel simpliciter, qui virtutum, ac potentiarum omnium es deus: Vel domine deus virtutum dator ac minister: vel etiam domine virtutum, pro domine viribus potens, vt alibi diximus, conuerte nos ab errore, & ostende nobis filium tuum, qui est vultus, seu facies tua. Qui vidit enim, inquit, me, vidit & patrem meum. Nam si eam faciem tantum nobis ostenderis, statim saluabimur, effecti nimirum veri fideles. Dicta autem sunt hæc verba: ostende faciem tuam, ad declarationem verborum: conuerte nos. Et hæc quidem quantum ad huiusmodi expositionem sufficiant: verum non hæc pauca tantum verba, sed totus psalmus Christianis congruit: quorum ciuitates & templa, quæ vbique locorum sunt, infideles incenderunt, & depopulati sunt, ita ob nostra scelera, deo permittente. Possumus enim ipsum Christianum populum appellare Ephraim, veluti vberem virtutibus. Ephraim siquidem abundan-

tiam fructuum significat,& simili modo appellare eum Beniamin,tanquam dextrum in fide. Beniamin quippe interpretatur filius dexteræ, & Manassem pari modo, veluti qui primi erroris oblitus sit. Nam Manasses obliuionē significat. Quæ sequuntur clara sunt. Per vineam, etiam Christianorum genus intelliges,quod ex Aegypto,hoc est,à tenebris, ab errore,atq; ab ignorantia.translatum est in terram bonam,& religiosam,vnde eiectæ sunt gentes,hoc est,Dæmones, idola, & Tyranni,qui Christiano nomini erant infecti. Viam autem eis fecit deus per Euangelica mandata, quæ materiam omnem alienam & vepres omnes callem rectum occupantes resecant. Per vineæ autem radices sana de Christo dogmata intellige. Impleuit autem vinea omnem terram,quia in omnem terram exiuit sonus eorum &c. Vmbra etiam eius vineæ,hoc est gloria eius,operuit,hoc est,superauit montes,& supra eos fuit exaltata. Per montes autem ij intelligendi sunt, qui virtute duce in altum ac sublime euecti sunt. Rursus per arbusta,dogmata intelliges, & per cedros dei,eos homines qui in philosophia & rerum contemplatione claruerunt. Palmites vero & propagines,expones vt iam superius diximus. Per mare etiam & per flumina, vniuersum pelagus & vniuersa flumina intelliges,quo sermone vniuersus orbis significatur. Per Suem vero ipsum dæmonem expone, eo ꝙ immunditiis delectatur. Per syluam etiam, quæ iuxta vim Græcæ dictionis δρυμὸς, condensum significat, animæ illæ possunt intelligi, quæ passionibus atq; affectib⁹ adeò abundant,vt densæ quodammodo ac nimiæ in huiusmodi affectibus dicendæ sint,& nihilominus steriles sunt,atque infructuosæ. In his autem animabus ille dæmon commoratur,qui vitio,ac prauitate vnicus & singularis,immanitate autem & sæuitia ferus appellatur: verum licet ipse dæmon principaliter ita appelletur, secundario tamen,eo singularis ac feræ nomine quilibet intelligitur Tyrannus,qui vineæ Christi hostis sit. Quæ sequuntur,iuxta sensum Anagogicum ex superius dictis satis sufficienter exposita sunt.

In finem pro torcularibus Psalmus ipsi Asaph.

Octauus psalmus similem habet inscriptionem, pro torcularibus, ubi

ubi expositionem clare tradidimus. Illa igitur torcularia à Propheta nostro mutuo iubere atque exhortari sese introducuntur ad ea peragenda quæ in præsentis psalmi habentur principio. Redarguuntur etiam in hoc psalmo Iudæi de summa eorum in deum ingratitudine, atque infidelitate, ob quam consequenter eis prædicitur, quòd abiiciendi erant. Ex qua redargutione & Prophetia prudentior ac cautior redditur nouus populus,ne & ipsum aliquando abiici contingeret,si antiqui illius uitia fuerit imitatus.

PSALMVS LXXX.

EXultate deo adiutori nostro. Videntur prima facie hæc verba prolata esse ex Iudæorum persona,qui è Babylonica redierunt captiuitate, veluti exultantium de suo in patriam reditu. Atq; hoc pacto exponitur hic psalmus à Iudæis: verum si sequentia omnia consideres,vbi multa mœrore referta sunt,conuincemus hunc eorum sensum rectum non esse. Torcularia illa igitur mutuo sese exhortātur,ad exultandum in Christo, qui eis auxiliaturus manifeste aduenerat.

Iubilate deo Iacob. De iubilatione sæpius diximus,& nunc breuibus repetemus,idem esse iubilare quod vociferari,& victoriæ cantum canere. Deo autem Iacob ideo dixit,vt in memoriam reuocaret,ꝙ deus iste,qui incarnandus erat,idem ille esset, qui olim patriarchæ Iacob in figura hominis apparuerat,futuram incarnationem suam prænuncians.

Sumite psalmum, & date tympanum. Amplectimini disciplinas dei (est autem hic psalmus moralibus refertus documentis) & pulsate ac percutite corpus vestrum plectro temperantiæ.

Psalterium iucundum cum cithara. Per psalterium, ipsam mētem, aut intellectum intelligit, & per citharam,corpus,vt in trigesimosecundo psalmo tradidimus. Mouete,inquit,intellectum & corpus vestrum,vt lætitia deum afficiatis. Vtrobique autem à communi sensu sumendum est verbum, date. Neq; enim de materialibus organis loquitur, tametsi aliter sentiant Iudæi. Iucundum autem dixit,vt indicaret, ꝙ deus huiusmodi Psalterij genere,q̄ maxime delectatur.

Buccinate in Neomenia tuba,in insigni die solennitatis uestræ. Lex erat Iudæis vt prima die mensis septimi, qua die erat Neomenia, id est, noua luna, sacerdotes tubis canerent, in

memoriam cœlestis illius tubæ, quæ audita eis fuerat in monte Sina. Metaphorice igitur atque exemplo huiusmodi legis, Propheta sanctos iubet Apostolos tuba canere, tuba nimirum linguæ, ac vocis, indefesso spiritu Christum resurrexisse prædicantis: atq; hoc in Neomenia fieri iubet, hoc est, in die resurrectionis eius in qua die creatura renouata est. Hanc etenim diem, insignem solennitatis diem appellauit, eo ꝙ festiuitatum omnium clarissima sit, & celeberrima. Quocirca non immerito Gregorius theologus solennitatum solennitatem eam appellauit. Moyses etiam Neomeniæ diem laudans significationis diem eam esse tradidit.

Quoniam præceptum in Israel est, & iudicium deo Iacob. Considera sancti spiritus artem, qui cum legali præcepto resurrectionis Euangelium coniunxerit, iterum quæ legis cum pertractat, & ad Hebræos sermonem refert, ita, inquit, facere iubeo, quia sic vobis à deo præceptum est, & quia hoc iudicium est deo Iacob, hoc est, quia ista est determinatio, & sententia diuina ita est.

Testimonium in Ioseph posuit illud. Per Ioseph vniuersum populum intelligit, vt diximus in psalmo septuagesimosexto. Hoc præceptum, inquit, vt tuba canant in Neomeniis, deus posuit testimonium, hoc est, in contestationem, & mandatū, in populo. deinde tradit, quando hoc mandauerit.

Cum exiret ipse de terra Aegypti. Cum ipse populus exiret.

Linguam quam non nouerat audiuit. Populus nimirum. Per linguam autem, vocem illam dei intelligit, qua decalogum eum mandantem audiuerunt: quando omnis populus timore affectus procul secessit, Moysi dicens, tu loquere ad nos, & non loquatur nobis deus, ne moriamur. Vocem autem dicit, quam non nouerant, pro, nouam, & eorum auribus non consuetam.

Diuertit ab oneribus dorsum eius. Docens Propheta summa fuisse ea beneficia, & dona, quę à deo populus ille consecutus est, postquam audisse eos dixit dei vocem, addit, & priora beneficia: liberationem dico ab Aegyptiaca, & dura illa seruitute. Per onera autem, luti & laterum opus dicit, atque aliorum huiusmodi, à quibus omnibus Iudæorum humeros deus liberauerat.

Manus

Manus eius in cophino seruierunt. Subintelligenda est dictio, enim, vt sit sensus: manus enim eius, &c. Cophinus caristri genus est, in quo lutum & lateres ferebant. Cum enim Pharaoni ciuitates ædificarent, lutum ac lateres oportebat eos propriis humeris deferre.

In tribulatione inuocasti me, & liberaui te. Ex hoc loco beatus Dauid Christum introducit loquētem ad Iudæos, & docentem, quòd ipse ille sit deus, qui eos olim affecit beneficiis. Per tribulationem autem, afflictionem Aegyptiacam intelligit, quando ab operum præfectis assidue ad opus vrgebantur: vnde dominus ad Moysem: videns, inquit, vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eorum audiui aduersus operum compulsores. Noui enim dolorem eorum, & descendi, vt eriperem eos. Et rursus: ego vidi pressuram, qua Aegyptij eos premunt. Inuocasti vero me, & liberaui te, & alia huiusmodi, propter eorum progenitores sunt dicta. Progenitores quippe & posteri vnum genus efficiunt. Ipsam enim Iudæorum gentem alloquitur.

Exaudiui te in abscondito tempestatis. Tuas, inquit, petitiones adimpleui, cum in occulta parte illius tempestatis laterem, quæ Aegyptiorum castra perturbauerat, quæque curruum axes coniunxerat, & Aegyptios magna vi in perditionem abduxerat. Tempestas autem, valida est ac vehemēs ventorum procella.

Probaui te apud aquam contradictionis. De hac aqua diximus in psalmo LXXVII. probaui te, permittens vt paululum sitires, & continuo immemorem te reperi, atque ingratum: quod prius quidem noueram, verum tunc tuum vitium prorsus omnibus patuit.

Audi populus meus, & contestabor tibi. Per populum suum Hebræos intelligit, sicuti in Aegypti exitu ad eorum progenitores dixerat: eritis mihi populus peculiaris: hoc est, familiaris, & beneuolus. vel populum suum ideo Christus eum appellat, quia secundum carnem illorum erat cognatus. In propria, inquit venit, & sui eum non receperunt. διαμαρτυρήσομαί σοι

Israel si audieris me, non erit in te deus nouus, neque adorabis deum alienum. O popule Israel si credideris mihi, qui nouū condidi testamentum, si credideris, inquam mihi vt deo, esto securus, quòd legem tuam non transgredieris. Nam & si in προσφατος

lege ſcriptum ſit: non erunt tibi alij dei præter me, tibi tamẽ ideo dubitandum non eſt. Ego etenim alius deus non ſum. Nam quod hic dicitur: deus nouus: dictũ eſt pro, deus alius, ſicuti continuo exponit, cum ait: neque odorabis deum alienum. Siquid enim aliud fuerit ab eo, quod olim eſt, id nouũ dicitur tanquam poſtea ac de nouo aduenies: atque ideo etiam appellatur alienum.

Ego enim ſum dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Ille ipſe ego ſum & non alius. Huius autem verſiculi verba apud Moyſem ad vnguẽ ſcripta ſunt in libro Exodi.

Dilata os tuum, & implebo illud. Aperi, inquit, os tuum, os dico non corporis ſed intellectuale animæ tuæ os. Nam ſi os tuum ad ſpiritualem cibum, & ad diuinos ſenſus percipiendos paraſti, ego illud implebo ſapientia, & à terrena hac legalis literæ humilitate, te abducam, ad altam atque excelſam occulti ac latentis in litera ſpiritus ſublimitatem, & ſpeculam. Poteſt, & ipſum os corporis intelligi, vt ſit ſenſus: ſi parueris mihi, neceſſarios tibi corporis cibos præſtabo.

Et non audiuit populus meus uocem meam. Ego quidem ita eis conteſtatus ſum, & talia pollicitus, verum populus meus mihi non credidit: quod Ioannes euãgeliſta ſignificauit, dicẽs: & ſui eum non receperunt.

οὐ προσέσχε μοι

Et Iſrael non attendit mihi. Repetitio eſt, atque expoſitio prioris dicti: verbum autem attendo, ſiue audio, ſæpe idem ſignificat quod credo, vt hic: alibi autẽ accipitur pro intelligo, iuxta illud: qui habet aures audiendi, audiat.

κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα τῆς καρδίας αὐτῶν

Et dimiſi eos ſecundum ſtudia cordium ſuorum. Dimiſi, inquit, eos veluti incredulos ferri iuxta voluntatem ſuorũ cordium: & deinceps ad gentium populos pertranſiui. Per ſtudia autem alij interpretes voluntates intelligunt.

Ibunt in ſtudiis ſuis. Protectione ſcilicet diuina deſtituti, atque omni ſuperna gratia ſpoliati, veluti immedicabiles. Ibunt autem hoc pacto deſtituti, ſimul ac ſaluatorem repulerint.

εἰ μικρὸν

Si populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in uiis meis ambulaſſet, in nihilo fanè inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulãtes eos miſiſſem manum meam. Verba illa: Iſrael ſi in viis meis ambulaſſet, ad ſuperioris verſiculi declarationem dicta ſunt. Similiter verba illa: ſuper tribulãtes eos miſiſſem manum meam: exponunt

exponunt precedentia, & ſententiæ repetitionem continent. In nihilo autem, expone, pro, de facili, ac ſine labore: vel, in nihilo, pro, in re vili, & nullius momenti. Nam & olim deus in ranis in locuſtis, & in huiuſcemodi aliis minimis rebus hoſtes eorum flagellauerat, vt ſuarum virium magnitudinẽ demonſtraret.

Inimici domini mentiti ſunt ei. Inimici crucis Chriſti, teſte Paulo, Iudæi ſunt: mentiti autem ſunt Chriſto Iudæi, dum ſermonibus ei blandiebantur, appellantes eum Rabbi, vt diximus in pſalmo LIIII. quæ omnia tamen ſimulantes dicebant. Vel aliter: volens beatus Dauid docere quòd Iudæorum infidelitas de progenitorum radice deſcendebat, eos dicit domino mẽtitos eſſe. Nam cum olim deus legem eis ſtatueret pollíciti ſunt per progenitores ſuos, obſeruaturos ſe eſſe omnia quæ mandauerat, dicentes, omnia quæ dixit dominus deus faciemus, & audiemus: & tamen ſæpenumero mentiti ſunt, & illius contempſerunt ſermones. Poſſumus & illud dicere, quòd cum Iudæi cognati Chriſti eſſent, inimici ei facti ſunt, & illius cognationem mentiti.

Et erit tempus eorum in ſeculum. Per tẽpus, tam Syri, quàm Hebræi calamitates ſolent ſignificare. Eos igitur à calamitatibus nunquam eſſe liberandos prædicit. vel, condemnationis eorum tempus intellige, futurum nimirum ſeculum.

Et cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra, melle ſaturauit eos. Hic deus, inquit, cui Iudæi non crediderunt, manna olim eos cibauit, quaſi pinguiſſimo quodam frumento. Subintelligitur enim dictio, quaſi, vt ſit ordo, & ſenſus: cibauit eos quaſi ex adipe frumenti. Per adipem vero frumenti, tenuiſſimam, ac puriſſimam illam triticeæ farinæ partem intellige, quàm ſimilã appellãt: & per mel, aquã illam intellige, quæ ex petra manauit, non q̃ natura eſſet mel, ſed opinione & ſapore. Illis enim tunc fatigatis & ſitiẽtibus adeo fuit ſuauis, vt mel prorſus eſſe videretur: atq; ideo ipſe etiam Moyſes hoc pacto eam in cantico Deuteronomij appellauit dicens: expreſſit mel de petra. Huiuſmodi autem cibi & potus, ac ſatietatis commemoratione bonorum omnium eis prẽſtitorum abundantiam ſignificauit. Et aliter: cibauit Chriſtus quatuor millia hominum VII. panibus, & potauit eos mellita eius doctrina vſque ad ſaturitatem. Quàm dulcia enim, inquit,

inquit,faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Petra enim illa,vnde fluebat aqua, vt apoſtolus docuit,erat Chriſtus.

Pſalmus ipſi Aſaph.

Quædam exemplaria inſcriptionem habent quàm poſuimus:pſalmus ipſi Aſaph:quædam uero, intelligentiæ ipſi Aſaph: uel quia hic pſalmus prudentiores atque intelligentiores reddit omnes iudices, uel quia intelligentia opus eſt, ad percipiendam prophetiam, quæ in eo continetur. Redargutionẽ etenim illam prædicit, qua in Scribas,atque in Phariſæos dominus noſter in euangelio uſus eſt.

PSALMVS LXXXI.

DEus ſtetit *in ſynagoga deorum.* Chriſtus ſtetit in medio ſynagogæ ſcribarum Phariſęorum, & ſeniorum populi, quos propheta hic deos appellat,quia aliis præerant,& inter inferiores iudicabant, quemadmodum in primo quadrageſimi-noni pſalmi verſiculo latius tradidimus. Gregorius autem theologus in ſecundo ſermone de baptiſmate aliter hoc declarat,vbi poteris videre.

διακρινεῖ *In medio autem deos diiudicabit.* Stans in medio eorũ diiudicabit, hoc eſt, redarguet, principes ſcilicet & iudices populi,vt iam dictum eſt. vel,in medio, dixit pro coram multis. Magna etenim cum libertate Chriſtus eos reprehendebat,dicens: væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quòd hæc, atque illa facitis. Hebræi vero expoſitores dicunt: deus ſtetit in medio principum,inuiſibilis conſpectui eorum exiſtens:& in medio multorum eos redarguet per prophetas, ſi principatum atque imperium indigne exercuerint.

Vſquequo iudicatis iniuſtitiam, & facies peccatorum accipitis? Stetit deus & iudicabit, dicens nimirum verba hæc quæ ſequuntur: vſquequo &c. Iniuſtitiam autem hoc in loco poſuit pro iniuſte. Vel vſquequo iudicatis iniuſtitiam? pro vſquequo iuſtificatis peccatores? Per peccatores autem, iniuſtos omnes intelligit. Quouſque, inquit, accipitis iniuſtos? hoc eſt,quouſque eos veremini? Huiuſmodi loquendi modo alibi ſcriptura vtitur, quando ait in lege: non accipietis faciem

ciem in iudicio, quoniam iudicium domini eſt. Ille autem perſonarum acceptor dicitur,qui iniuſtorum ac prauorũ hominum potentiam,& magnitudinem veretur.

ὀρφανῷ *Iudicate orphano, & inopi.* Horum, inquit, cauſam iudicate,& nolite deſpicere eos aut negligere.

Humilem & pauperẽ iuſtificate. Si iniuria affecti fuerint: & rurſus idem repetit quòd in præcedenti dixit verſiculo. Vel inopis & pauperis differentiam quære in pſalmo vndecimo.

Eripite pauperem & inopem,de manu peccatoris liberate eum. Vide quantæ curæ ſint deo inopes & pauperes, cum ſæpius propheta ſermonem de eis repetat. Eripite igitur,& liberate eos,quoties opprimuntur.

ἔγνωσαν *Non cognouerunt neque intellexerunt,in tenebris ambulant.* Spõte ſua cæci effecti ſunt,& diuinos ſermones non cognouerunt:hoc eſt,non intellexerunt. Ad maiorem enim declarationem additũ eſt,id verbum à propheta: in tenebris ambulant:hoc eſt in errore perſeuerant. Vel aliter: non cognouerunt neque intellexerunt, quid nam bonum atque honeſtum ſit,atq; ideo ambulant in ignorantia iniuſtitiæ.

σαλδυθήτωσαμ *Commoueantur omnia fundamenta terræ.* Hæc verba Symmachus ita reddidit:conturbabo terram, propter habitantes in ea:& iuxta primam lectionem, iubet deus terram commoueri & fluctuare, vt iniuſtis principibus atque iniquis iudicibus terrorem incutiat. Vel commoueantur fundamenta terrę,& illorum iniquitates non ſuſtineant. Per fundamenta vero terræ, illius profunditatem intelligit. Sunt autem hæc verba ſummo plena terrore. Diuinam enim indignationem aduerſus iniquos iudices ac principes, maximam eſſe demonſtrant.

ὑμεῖς *Ego dixi dii eſtis, & filii altiſſimi omnes.* Verum vbi nam in veteri ſcriptura hoc dictum eſſe legimus? Quidã dicunt ſententiam hanc contineri in illis verbis à deo prolatis: faciamus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinẽ noſtrã. Mihi autẽ videtur,quòd iudices & principes dei appellati ſint,in libro Exodi,quando populo deus mandauit,dicens: Deis non maledices, & principibus populi tui non dices male. Per deos etenim illic principes intellexit, quemadmodum in pſalmo XLIIII. iam expoſuimus. Per filios autem altiſſimi,ipſos Iſraelitas

Israelitas intelligit. de eis enim à deo dictum est: filius meus primogenitus Israel.

Vos autem sicut homines moriemini. Sicut homines simplices. tametsi, inquit, imagine dei honorati estis, & tãto donati nomine, vt dei appellemini, licet etiam plerisque ob principatum honoratiores sitis, moriemini tamen vt simplices homines enim hic vulgares quoslibet homines intelligit, & nec diuinam nouerunt legem, nec prudentiam vllam habẽt, cuiusmodi gentes sunt. Et dicẽs, moriemini, illud etiã significauit quòd huiusmodi viuendi normam vsque ad mortem ipsam perpetuo retinebunt: ac si diceret: hoc pacto viuetis vsque ad mortem.

Et quasi unus ex principalibus cadetis. Idem rursus repetit. per principes autem, gentium duces intelligit. Et cadetis, dixit, pro moriemini. Quidam vero per vnum ex principibus, ipsum dæmonem intelligunt, veluti angelici olim ordinis principem: iuxta quem sensum, cadetis, expone, pro decidetis, à dignitate nimirum pristina: atque hoc propter existimatione ac superbiam vestram. Nam & demon suo principatu male vsus, ab honore illo decidit diuino.

Exurge deus, iudica terram. Hoc de Christi resurrectione absque vlla contradictione dictum est. optat enim propheta, & supplicat, vt resurgat Christus, & iudicet terram, per Apostolos nimirũ, quos principes misit super omnem terrã.

Quoniam tu hæreditabis in omnibus gẽtibus. Tu, inquit, hæreditatem consequeris in omnibus gentibus. Hæreditas autẽ Christi, omnes sunt qui credunt in eum.

Canticum psalmi ipsi Asaph.

Quid sit canticum psalmi, diximus in procemio operis. compositus est autem hic psalmus ex eorum persona qui è Babylonia captiuitate reuersi sunt. Nam cum Iudæorum finitimi uidissent post huiusmodi reditum reædificari templum & ciuitatem restitui, conuenerunt in unum, & Barbaricis gentibus collectis, impetum fecerunt in Iudæos, tametsi ab eis uicti, & superati fuerint, duce Iudæorum Zorobabel. huiuscemodi igitur materiam pertractat hic psalmus, in orationis speciem formatus.

PSALMVS LXXXII.

Domine, quis similis erit tibi? Non interrogantis sed laudãtis est sermo, & diuinam, vt ita dicam, incõparabilitatem admirantis. dictio enim, quis hoc in loco non raritatem, sed impossibilitatem significat, ac si diceret: nullus tibi similis reperiri potest, ex quo diuinæ constituitur virtutis immensitas.

Ne sileas, neque mitescas deus. Noli adeo esse longanimis, aut patiẽs. Ita enim cæteri interpretes reddidere. Quare autem sic dicat audi. καταπραΰνῃς

Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. Inimici tui, qui tuum populum oppugnant, vel qui propter te nobis infensi sunt. sonuerunt autem, hoc est, inauditum dedere clamorem, quemadmodum in exercitibus fieri solet, quando magna adest militum multitudo. vel aliter: Ii qui olim suas in nos inimicitias, susurro penè tantum significabant, aperto nunc marte, ac palam hostiles animos fatentur, & temere omnia in nos agentes gloriantur. Extulerunt autem caput, hoc est, animos cœperunt, & multis secum adiunctis coadiutoribus, audaciores effecti sunt.

Super populum tuum malignauerunt consilio. Consilio, hoc est, concordi ac communi omnium sententia. quædam exẽplaria habent, cõsilium, in quarto casu, & tunc sensus esse videtur, quod commune consilium maligno ac peruerso animo inierunt. Sciẽdum est autem quod Græca dictio γνώμη, quæ hic in Græco habetur, & pro qua interpres consilium reddidit, aliquando admonitionem significat, iuxta illud Apostoli: de virginibus autem præceptum domini, non habeo, consilium autem do, aliquando consilium, vt hoc in loco: super populum tuum malignauerunt consilium: aliquando autem sententiam, vt illud Danielis: Quam ob causam exiuit tam impudens sententia? Aliquando etiam opinionem de fide, aut de quopiam dogmate, quale illud est apud theologum dicentem: sed suam ex aduerso opinionem adducere, viri pij est, & sapientis. In omnibus enim his locis in Græco habetur, vt diximus dictio γνώμη. γνώμη

Et consuluerunt aduersus sanctos tuos. Iteratio sermonis est, ad maiorem prædictorum declarationem. De sanctis autem, vide quæ in psalmo septuagesimo octauo dicta sunt. βουλεύσαντο

Dixerunt: uenite, exterminemus eos ex gente, & non memoretur nomen Israel amplius. Hoc est, consilium quod inierunt. exterminemus autē ex gente, hoc est, priuemus eos hac qualitate vt gentes sint, deducendo eos nimirum ad nihilum & amplius non memoretur, hoc est, in futurum prorsus non nominetur: perdita videlicet ac penitus dissipata illa gente.

Quoniam consultauerunt unanimiter simul. Hoc est, sceleste, ac maligne meditati sunt consilium. reassumit enim sermonem de consilio, communi eorum conspiratione deum hoc pacto excitans ad vindictam, qui gentium solet dissipare consilia. dictio autem, quoniam, narrantis est. dictio, vnanimiter, ad consilia eorum refertur. dictio vero, in vnum, ad locum, & sensus est, quòd in vnam conuenerunt sententiam, atque in eodem loco.

Aduersus te testamentum disposuerunt. Testamentum posuit pro fœdere, seu pacto. quòd enim Græcæ dictiones, διαθήκη & συνθήκη tam voce quàm deriuatione, & significatione cognatæ quodammodo sunt, hinc factum est, vt altera alterius sæpe loco ponatur. deinde eos connumerat, qui in vnum simul conuenerunt.

Tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ. Per Idumæorum tabernacula, vel ipsos simpliciter Idumæos intelligit, vel eorum ciuitates. Idumæi autem descendunt ab Esau, qui alio nomine dictus est etiam Edom. Ismaelitę vero genus suum deducunt ab Ismaele filio Habraæ.

Moab & Agareni. Moabitæ populi sunt, qui originē trahūt à Moab filio Loth: Agareni vero ab Agar matre Ismaelis: quæ postquam expulsa est è domo Habraæ, alteri se viro coniunxit, vnde isti descenderunt.

Gebal & Ammon, & Amalech. Gebalei populi erant, qui propè Idumæam habitabant. Ammonitę autem ita denominati sunt ab Ammō filio Loth. Et Amalechitæ ab Amalech, qui & ipse originem ducebat ab Esau, qui sanē aliam ab Idumæa regionem separatim habitabant.

Alienigenæ cum iis qui habitant Tyrum. Per alienigenas, Philistæos intellige, quos nūc Palæstinos dicimus. hi etenim viciniorem Iudæis regionem habitabant, atque ideo alienigenæ in specie appellati sunt. per habitantes autem Tyrum, Tyrios intelligit.

Etenim

Etenim & Assur uenit cum illis. Assur propriè Assyrij sunt, verum hoc in loco, Samaritanos ita appellat, veluti Assyriorum colonos. nam post duarum tribuum captiuitatem, illuc missi sunt Samaritani ab Assyriis, vt regionem illam incolerent. abundat autem, hoc in loco coniunctio, etenim.

Facti sunt in adiutorium filiis Loth. Filios Loth, eos esse intellige, quos superius Moabitas appellauit, & Ammonitas. Hæ etenim nationes Iudæis præcipue inuidebant, & ideo in eos alias gentes in vnum collegerunt.

Fac eis sicut Madian, & Sisaræ, sicut Iabin in torrente Cison. Imprecatur propheta aduersus gentes superius connumeratas, quę ciuitatis Hierusalem instaurationem ferre non poterant, atque in memoriam, illorum hominum ruinā reuocat, qui Iudæorum populo olim infesti fuerant, & præter omniū opinionem perierant, optatque, vt eodem pacto nunc prædicti omnes pereant, ob malignam eorum mentem in Iudæos, quo illi superiores. Et per Madian quidem Madianitarum exercitum intelligit, quem multitudine, ac copia militum terram obtexisse legimus, & tamen à trecentis viris, Gedeone duce superatum, atque his quidem inermibus omnibus, lampades tantum, & tubas ferentibus, vt in libro Iudicum legimus. Sisara dux fuit exercitus Iabin regis Canaan potentissimi. Noningentos etenim ferreos currus habebat: hos autē omnes superauit Barach aduersus eos iussu Deboræ prophetus, quæ illis temporibus iudicabat populum Israel. Et Sisaram quidem fugientem, Iael vxor Caber hospitio acceptum somno sopiuit, ac deinde malleo & clauo illius tempora penetrauit, atque hoc pacto interemit: ipse autem Iabin occisus fuit à Barach, qui vniuersum cum rege exercitum dissipauit. Torrens autem Cison proximus est & contiguus loco, vbi prælium illud commissum est. Hæc autem omnia distincte habentur in libro Iudicum.

Exterminati sunt in Aendor. Aendor locus est vbi bellum cum Sisara cōmissum est. aliqui locum torrentis Cison eundem esse dicunt & Aendor, & geminum habere nomen.

Facti sunt quasi stercus terræ. Insepulti, dissoluti, & putrefacti.

Pone principes eorū, sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmanan. Per principes, duces gentium intelligit, quas superius, commemorauimus.

memorauimus. Oreb & Zeb, Madianitarum erant duces, quos Gedeon, vt diximus, interemit. Zebee autem & Salmana eorundem erant reges, qui simili modo à Gedeone occisi sunt.

Omnes principes eorum. Ita vt nemo relinquatur. verum dum aduersus principes imprecatur, subditos etiam eis populos comprehendit.

κληρονομήσωμεν *Qui dixerunt hæreditemus nobis sanctuarium dei.* Hæreditemus, pro dominemur, vel in potestate nostra habeamus, non vt honoremus illud, sed vt sacra vasa, & reliquas oblationes diripiamus. per sanctuarium autem, templum ipsum intelligit, in quo deus populum sanctificabat.

Deus meus pone eos, ut rotam. Continue instabiles, & crebris mutationibus circumactos. hoc pacto enim rotæ poterunt comparari.

καλάμην *Vt harundinem ante faciem uenti.* Ita, vt facile dissipentur, & nullam inueniant stabilitatem.

ὡς πῦρ καταφλέγει *Quasi ignis qui comburet Syluam, & quasi flamma comburens montes, ita persequeris illos in procella tua, & in ira tua cõturbabis eos.* Non secus illos persequaris, quæso, & consumas, atque ignis solet syluam populari. summa etenim vi fertur ignis in syluam, & omnia corripit. Hæc autem verba à sequentibus exponuntur, quæ dicunt: & sicut flãma comburens montes. Et simili modo verba illa: ita persequeris eos in procella tua: à sequentibus verbis declarantur: & in ira tua conturbabis eos. procellam enim hoc in loco celerem atque impetuosum iræ motum metaphoricè appellauit. procellæ enim proprium est, omnia cõturbare. quod vero ait: persequeris, & cõturbabis: vel prophetice dicta sunt, veluti futura prædicantur, vel operantis modũ continent pro, persequaris, & conturbes.

Imple facies eorum ignominia. Eis nimirum profligatis.

Et quærent nomen tuum domine. Interrogãtes cum timore, ac tremore, quis nam sit is deus qui tam admirande nos populum suum liberauit, & eos perdidit.

Erubescant, & conturbentur in seculum seculi, & confundantur, & pereant. Cum aduersus eos imprecatus fuerit, vt in præsenti pereant seculo, imprecatur etiam, vt pereant in futuro, quod seculum seculi appellauit, vt alibi etiam diximus. perire autem in futuro seculo ille dicitur, nõ qui ita perit, vt amplius

amplius nõ sit, sed qui eas persoluit pœnas, quas qui sustinẽt, perire omnes dicuntur. In illo enim seculo, praui omnes erubescent, & confundentur, publicatis ac diuulgatis eorum operibus: & turbabuntur, vbi iudicis constantiam, ac seueritatem viderint, & deinde etiam punientur.

ὅτι *Et cognoscant, quòd nomen tibi, dominus.* Inuiti igitur id cognoscant, postquàm sponte noluerunt.

Tu solus altissimus in omnem terram. A communi sensu sumendum est verbum, cognoscant. addiscãt, inquit, q̃ tu solus deus es totius terræ. Altissimum autem deum vocauit, veluti supercœlestem. potest etiam hic psalmus his omnibus accõmodari, qui pro Christo persecutionem sustinent.

In finem pro torcularibus filiis Core, psalmus.

Octogesimus etiã psalmus huiusmodi inscriptionẽ sortitus est. Ibi uide expositionem. de eisdem enim torcularibus propheta noster nũc loquitur.

PSALMVS. LXXXIII.



Vàm dilecta tabernacula tua domine uirtutum. Dictio, quàm, hoc in loco idem significat quod alibi diximus, in psalmo LXXII. ibi: quàm bonus deus ipsi Israel. Per tabernacula autem ecclesias intelligit, quæ variis in locis constructæ sunt, & in quibus diuina habitant charismata. has etenim ecclesias mentis oculo præuidens propheta noster dilexit eas. de his autem verbis, domine virtutum, dictum est in psalmo septuagesimo octauo.

ἐκλείπει *Cõcupiscit, & deficit anima mea in aulas domini.* Anima mea deficit, cupiens ad huiusmodi ecclesias peruenire: quas aulas dei etiam appellauit, quia in eis moratur, ac conuersatur Christus. vel, deficit, hoc est, dissoluitur ac debilitatur, nimio scilicet fatigata desyderio. dicuntur enim ardentes amatores deficere, quando amatæ rei disiunctionem ferre nequeunt. Quisquis etiam cœlestem appetit regem, dicere potest, quàm amabilia sunt tabernacula illa tua intellectualia, quæ in cœlis sunt, illæ, inquam, aulæ cœlestes. concupiscere autem posuit, pro festinare.

Cor meum, & caro mea exultauerunt in deum uiuum. Non hoc tantum, inquit, accidit animæ meæ, sed & corpus meum

in Christo lætatum est. viuum autem, seu vt in Græco habetur, viuentem deum appellauit, propter idola quæ mortua esse dicuntur: vel quia à mortuis Christus resurrexit. Primo autem cor ipsum lætitia afficitur, & deinde gaudium in vniuersum corpus diffunditur.

Θησει

Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi, vbi ponet pullos suos, altaria tua domine uirtutum. Passerem animam appellat, veluti quæ ab intellectuali aucupe, laqueis, atque aliis multiplicibus insidiis impetitur. Anima enim, inquit, mea sicut passer erepta est de laqueo venantium. Per turturem simili modo castam omnem animam intelligit, quæ & mœsta sit, & quietem sectetur: cuius pulli, hoc est, cuius filij, virtutes sunt. habent autem huiusmodi animæ in ecclesiis, quasi in quibusdam tutissimis nidis, protectionem, atque refugiū. vbi ponet, autem dixit, pro, vbi disponet, atque vbi operabitur, huiusmodi scilicet virtutes. Et aliter: passer est populus Christianus, cui tam intellectuales, quàm mundi huius venatores, dæmones nimirum atque impij homines insidiantur: turtur autem est, episcopus quilibet, aut doctor Christianæ religionis, qui in ecclesiis filios ponit, quos per spiritum regenerat. inuenit enim, inquit, passer domū, & turtur nidū, altaria nimirum tua, hoc est, ecclesias tuas, in quibus singulis diebus spiritualis agnus immolatur.

Rex meus & deus meus. Versiculus iste habetur etiam in quinto psalmo.

Beati, qui habitant in domo tua. Concupiuit quidem beatus Dauid introire in aulas domini, quas diximus, & tamen procul ab eis constitit, mentis oculis tantum cernens: quod reliquum est igitur, illos appellat beatos, qui illic habituri erant. per domum enim dei, has ipsas aulas, Christi nimirum ecclesias intelligere debemus. indifferenter autem singulari numero, & plurali vsus est: quoniam si loca respicias, ecclesiæ numero plures sunt, si religionem & fidei communicationem, omnia quæ vbique locorum sunt templa, vnam cōstituunt fidelium ecclesiam.

In secula seculorum laudabunt te. Semper ac perpetuo laudes tuas in ore habebunt.

Beatus uir, cui est auxilium ei abs te. In hoc versiculo idioma quoddam Hebraicū est illi simile, quod vidimus in psalmo 1x.

mo 1x. ibi: cuius maledictione os eius plenū est, vbi vide.

Ascensiones in corde suo disposuit. Talis, inquam, homo excogitauit intra se gradus, atque ascensus quosdam, à sensibilibus ad intellectualia, à peioribus ad meliora. sunt autem istæ ascensiones, bonæ quædam cogitationes, per quas veluti per scalam gradatim ad alta & diuina dona conscendimus. Beatus itaque, inquit, ille est, qui auxilio tuo se potest iuuare. illi autem auxilium tuum præsto fuerit, qui ascensiones istas in suo corde disposuerit.

In ualle lachrymarum. Disposuit autem in seipso huiusmodi ascensiones, existens in loco lachrymarum. Vallis autem lachrymarum, seu vallis fletus, metaphorice dicta est, ab illo loco, vbi olim deus, Hebræorum iniquitates redarguens, populum commouit ad fletum: vnde vallis fletus appellatus est locus ille. & quia cuiuscunque vallis situs humilitatem præsefert, docemur quòd cum humilitate agenda est omnis pœnitentia. de pœnitentibus enim loquitur propheta eos beatificans qui in valle lachrymarum ascensiones disposuerint in corde. Nam iuxta Anagogen idem nobis significat, vallis fletus, quod pœnitentiæ locus.

In loco, quem posuit. Existens in valle fletus, atq; in loco, quem sibi ipsi posuit, hoc est, in loco, quem elegit.

Etenim benedictiones dabit legislator. Beati illi, inquit, sunt quos prædiximus. Nam & Christus, qui hanc nobis legem dedit, euangelicis etiam mandatis suis benedictiones eis dabit, quemadmodum apud Matthæum, & Lucam legimus.

Ibunt de uirtute in uirtutem. Ex humilitate ad luctum, ex luctu ad compunctionem, atque hoc pacto ex vna in aliam virtutem, summo cum profectu, ad sublime virtutum culmen ascendent. virtus autem ideo dicta est, quia viribus potentiorem illum hominem reddit, qui eam amplectitur: vires autem cum dico, non corporis tantum, sed animi etiam facultates intelligo. Possumus & aliter dicere: quòd ibunt ab oratione ad lectionem sacrarum litterarum: & ab huiusmodi lectione, ad imperfectorum quorumlibet admonitionem, atque exhortationem: item ab exhortatione, ad gratiarum actiones, atque ad laudem dei. & aliter: à virtute donorum dei, quæ hic in terra nobis præstantur, ad eorum virtutem, quæ in cœlorum regno tribuentur.

Videbitur deus deorum in Sion. Prophetia hic cõtinetur de incarnatione Saluatoris, qui in Sion ortus est, iuxta illud: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, annuncians præceptum eius. Deum autẽ deorum ea ratione appellauit, quam diximus in principio psalmi quadragesiminoni.

Domine deus exaudi orationem meam, auribus percipe deus Iacob. Idem est dicere deum virtutum quod dominum virtutum, de quo in principio diximus præsentis psalmi. per orationem autem eas preces intelligit, quas in progressu dicturus est. Deus etiam Iacob, pro deus, qui olim luctans in figura hominis apparuisti Iacob.

Protector noster aspice deus, & respice in faciem Christi tui. Hæc est illa oratio, quam exaudiri postulauit. per Christũ autem hoc in loco quencunque Christianum intelligit, qui in Christo baptizatus sit, & Christum induerit: de quo in fine procœmij præsentis operis dictum est.

Quia melior est dies una in aulis super millia. De diuinis aulis paulo superius dictũ est. melior est autem vna huiuscemodi dies super millia aliorũ dierum, qui alibi quàm in tua aula agantur. dictio autem, quia, confirmãtis est hoc in loco, pro vere.

Elegi abiectus esse in domo dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Idem rursus repetit, sed manifestius. Tu vero mecum consydera quanto diuinæ domus amore ac desyderio teneretur, is qui abiectus esse malebat in domo dei, ob eam nimirum sanctificationẽ, quæ illic perpetuo adest, quàm delitiose cum peccatoribus habitare.

Quoniam misericordiam & ueritatem diligit dominus deus. Admiscet propheta in hoc psalmo admonitiones, atque ad actiuam nos & contẽplatiuam vitam hortatur, dicẽs, ꝙ deus diligit misericordiã & veritatẽ. Misericordia autem ad actiuam, & veritas ad contemplatiuam vitam pertinet: quòd si istas deus diligit virtutes, necessario etiam eos amabit, qui huiusmodi virtutes amplectũtur: quia deus est ipsa misericordia, & ipsa veritas. dictio autem, quoniam, narrantis in morem posita est, & abundat, vt sæpe diximus, more Hæbraici idiomatis. Possumus & aliter dicere, quòd Christus nostri misertus est, & verum nobis euangelium prædicauit.

Gratiam

Gratiam & gloriam dabit. Gratiam remissionis peccatorum veluti dedit meretrici & aliis multis. vel, gratiam miraculorum dabit, qualem Apostolis præstitit & cęteris sanctis. gloriã vero, & eam, quę est ab hominibus, & eam quę in cœlo est, vel deificationis gloriam, vt dei scilicet efficiamur, & gloriam cœlestis regni adipiscamur.

Dominus nõ priuabit bonis eos qui ambulant in innocẽtia. Quidam per figuram hyperbaton construunt hunc versiculũ, videlicet: dominus dabit gratiam & gloriam iis, qui ambulant in innocentia: deinde dominus priuabit eos cœlestibus bonis: & quia Græca lectio indifferẽtem continet cõstructionem, (habetur enĩ in Græco κύριος οὐ στερήσει τὰ ἀγαθὰ τοῖς πορευομένοις ἐν ἀθιμίᾳ, quod ad literam dicere possum⁹, dominus non priuabit bona iis qui ambulent in innocentia,) dic quod dictio, priuabit, sic posita, accipitur pro prohibebit. quidam vero dicunt casus in constructiones fuisse immutatos, & positum, non priuabit bona iis, qui ambulent in innocentia: pro, non priuabit eos bonis. innocẽtiam autem hoc in loco pro abstinentia vitiorũ posuit, consydera etiã, ne fortas sis verbũ ἀποριεῖν, hoc est, verbũ priuo, eodem modo cõstruatur, quo verbũ aufero: quod aliquãdo cum datiuo iungitur, & accusatiuo, veluti: aufero tibi eã rẽ, sicuti reperimus apud Aristidem: abstulit ei ægritudinẽ. item apud philostratum: cum fortuna ei magnum præmium abstulisset.

Domine deus uirtutum, beatus homo, qui sperat in te. In psalmo etiam LIII. legimus: beatus vir, qui sperat in eo. ille autẽ sperare dicitur in deo, qui mundana omnia despicit, & ab eo solo depẽdet. Hebræi vero hunc psalmum dicunt ad captiuũ in Babylone populũ pertinere, qui ad Hierosolymitanum templum accedere optabat, & beatos eos omnes dicebat, qui illic degerent: Qui etiã populus in illo tẽplo, vel vnica tantũ die cõmorari maluisset, quàm alibi vel longissimo temporis interuallo: verum non possunt per omnia huiusmodi expositionem suo accommodare proposito: cum illa eis verba aduersentur: in secula seculorum laudabũt te. Nam & templũ, & laudes, quæ in eo tẽplo deo dicebantur, abierunt omnia. & verba illa, in valle lachrymarum, nullam iuxta eorum expositionem haberent consequentiam. Et multa alia præterea erunt dissona. Nam & ipsa in primis inscriptio aduersa-

 tur, quæ

tur, quæ torcularia plurali numero appellat, cum passim in veteri testamento, templum Hierosolymitanum. torcular singulari numero, aut tabernaculum appellatum sit, & non torcularia, aut tabernacula.

In finem filiis Core, Psalmus.

In finem etiam inscribitur hic psalmus, ob prophetias in eo contentas, quæ ad finem tendebant. & in figura quidem ea prædicit, quæ ad populi captiui in Babylone libertatem pertinebãt, re uera autem de gentibus pertractat, quæ sub idolorum seruitute captiuæ tenebantur, & quas ab huiusmodi iugo liberandas prædicit.

PSALMVS. LXXXIIII.

Benedixisti domine terram tuam. Hæc quæ diximus mentis oculis præuidens propheta deũ ipsum alloquitur dicens: Benedixisti domine terram tuam, seu (vt verius in Græca lectione habetur,) bona voluisti domine terræ tuæ. habetur enim in Græco verbũ, εὐδόκησας, vnde εὐδοκία quæ beneplacitum dicitur, seu bona voluntas. in Græca tamen lectione constructio indifferens est. Terræ autẽ tuę dicit, quia domini est terra, & c. Bona igitur nunc voluisti terræ tuæ. nam olim ob primi parentis transgressum, bona ei non volebas, sed mala: maledicta, inquiens, terra in operibus suis: at nunc ob noui nostri Adam obedientiam, in gratiam tuam restituta est: quinimmo olim tua tantum erat creatura, nunc etiã possessio tua facta est. & hunc quidem sensum fideles omnes sequuntur: Iudæi vero per terram dei, ipsam tantum intelligunt Iudæam, veluti quæ populo dei fuit destinata: cui ideo bene voluisse deum dicunt, quia post captiuitatem rursum eam habitari concessit.

Auertisti captiuitatem Iacob. Quæ futura erant ponit, vt facta, prophetiæ lege. auertisti, inquit, captiuum populum Iacob à tyrannide qua premebatur. per Iacob vero, vt iam sæpe diximus, Christianum populum intelligit.

Remisisti iniquitates populo tuo, operuisti omnia peccata eorum. Hunc populum propheta alibi in psalmo LI. beatum appellauit dicens: Beati quorũ remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. remisit enim nobis per pœnitentiam nostras

nostras iniquitates, & sacris baptismi aquis peccata nostra cõtexit. Hebræi vero dicunt ꝙ remisit deus iniquitates, ob quas acti fuerant in captiuitatem, & ꝙ operuit eorum peccata in profundo veritatis. Populus autem domini non solũ antiquus ille Israeliticus populus appellatur, iuxta rationem redditam in psalmo octuagesimo, sed etiam nouus Christianorum, vt diximus in primo versiculo psalmi septuagesimi septimi.

Sedasti omnem iram tuam. Quam antea habebas propter huiusmodi nostras iniquitates, & peccata. κατέπαυσας

Auertisti ab ira indignationis tuæ. Quid sit ira indignationis, seu potius, vt in græco habetur, ira excandescentiæ, vidimus in psalmo septuagesimo septimo. Auertisti autem pro declinasti, ab indignatione, nimirum: atq; ita ad hilaritatem & beneuolentiam pertransisti.

Conuerte nos deus salutarium nostrorum, & auerte iram tuam à nobis. Deinceps ex populi persona sermonem facit, vel etiã seipsum Propheta cum eis adnumerat, supplicans, vt petita superius consequantur. Quid autem significent illa verba, deus salutarium nostrorum, dictũ est in psalmo sexagesimo septimo. Conuerte autem nos à captiuitate in pristinam dignitatem. τὴν σωτηρίαν μου

Nunquid in secula irasceris nobis? In secula hic posuit, pro perpetuo: seu pro, nunquid diu irasceris? Quidam autem non per interrogationem hoc dictum esse intelligunt, & dictionem μὴ, quæ habetur in Græca lectione exponunt, vt recte etiam exponi potest, pro nę, & sit sensus: ne imperpetuum nobis irascaris.

Aut extendes iram tuam à generatione in generationem? Idẽ rursus repetit. in generationem autem dixit, pro vsque ad aliam generationem: de quo in nono psalmo dictum est: Et extendes, pro protendes.

Deus tu conuertens uiuificabis nos. Conuertens nos nimirũ à captiuitate ad libertatem, atque à vitiis ad virtutes: vel quia Græca dictio ἐπιστρέφας in vtroque potest sensu accipi, & legi etiam potest: Deus tu conuersus: dicamus, Deus tu conuersus ad nos. Antea enim auersus eras à nobis: viuificabis, hoc est, viuos nos reddes, ad opera virtutum. Nam antea ad ea pene mortui eramus. ἐπιστρέφας,

Et populus tuus lætabitur in te. Huiusmodi scilicet conuer-

sionem consecutus.

Ostende nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Hæc & quæ sequuntur de Christo intelligenda sunt: Rogat enim propheta deũ patrem ex fidelis populi persona, vt Christus, quẽ & misericordiã dei, & dei salutare appellat, sibi ostendatur. Misericordiã autem & salutare ideo eum appellauit, quia misericordia motus est, vt carnem assumeret, & nos saluaret: vnde & misericors, & saluator merito appellat. Misericordiam vero tuam deus & salutare tuum hunc dicimus, quia misericordiã illam, & salutare illud petimus, quod à te est. Ad patrẽ enim loquitur propheta, tu vero illud nobis dabis, quod petimus ita vt aliquando canere possimus cum Propheta: puer natus est nobis, & filius datus est nobis.

Audiam quid loquatur in me dominus deus. Diuinam Prophe ta spirationem, atque auram in se aduentaturam sentiens, ad audiendum præparatur. Quod vero ait: quid loquatur in me, dictum est, vt ostenderet, quòd deus non in exteriores corporis, sed in interiores animæ aures locuturus erat.

ἐπὶ δὲ λαὸν ἐπιστρέφοντας καρδίαν ἐπ' αὐτὸν

Quoniam loquetur pacem super populum suum, & super sanctos suos, & in eos, qui conuertunt corda sua ad eum. Audiam, inquit, quid loquetur. Omnino enim loquetur deus, atque euangelizabit pacem populo suo. Et vere quidem populus dei & secum ipse, & cum deo semper pacem habet, sicuti contrà, idem populus semper pugnã, ac bellum habet cum dæmone, & cum vniuersis qui dæmonis amici, aut deo inimici sunt. Eosdem autem fideles, & populum dei appellauit, & sanctos, hoc est, sanctificatos, ac dicatos deo, & conuertentes corda sua, hoc est, animas suas ad eum: vel à corde totum hominem significauit, veluti à parte totum.

Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius. Hoc illud est, quod in se Propheta deum loqui audiuit. Dictio autem, verumtamen, superflua est in hoc loca, vel accipitur pro vere. Erit, inquit, salutare ipsius dei, prope eos qui deum timent, & sensus est, quòd simulac fuerint aliqui timentes eum, qui fideles nimirum futuri erant, tunc prope eos erit Christus, hoc est statim tunc aduenier.

Vt inhabitet gloria in terra nostra. Quod in græco legimus, τοῦ κατασκηνῶσαι, exponi potest, vt exposuit latinus interpres. Vel etiam vt inhabitare faciat gloriam: quæ lectiones tamen

tamen eodem tendunt. Prope igitur erit Christus, vt inhabitare faciat gloriam, gratiam, & honorẽ in terra Hierusalem, vel quia ipse ille erat qui caro factus est, & habitauit in nobis, vel quia post saluatoris incarnationem, vsque in hodiernum diem terra illa Hierusalem nobilis, honorata & omnibus desiderabilis facta est.

Misericordia & ueritas obuiauerunt, iustitia & pax osculatæ sunt. Quidam his versiculis connumerari dicunt eas virtutes, quæ in Christo conuenerant, veluti misericordiam & veritatem. Et misericordiam quidem demonstrauit Christus sanando ægrotos, veritatem vero docendo, & prędicando. Conuenerant etiam in Christo iustitia, & pax. Ita enim significatur nobis illis verbis: exosculatæ sunt. Iustitia autem Christi apparuit, in recte iudicando cum & prauos redargueret, & virtute præditos homines laudaret. Pax vero in mansuetudine ac modestia: verum, vt altius exponamus, Misericordia quidem diuina dici potest Christi natura, quæ potestatem habet dimittendi peccata, & sanandi infirmitates: veritas autem humana eiusdem natura, quia non inuentus est dolus in ore eius, & quia ipse solus illam hominis dignitatem ac similitudinem vere seruauit, qua ad imaginem dei factus fuerat, & quia verus homo erat, & non phantasma, vt hæretici quidam dixerunt. Quod igitur ait, obuiauerunt: idem est, quod conuenerunt in vnum, hoc est, in vnam personam vnitæ sunt. Iustitia item pro diuina accipitur natura. Solus enim deus iustus iudex est. Pax vero pro natura humana ob ingenuam nimirum ac natiuam eius mansuetudinem. Hæ igitur virtutes mutuo se exosculatę sunt, eo quòd summam inter se vnionem, atq; conuenientiam habebant in Christo.

Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Quando homines veram per filium fidem amplexati sunt, tunc pater iure ac merito eorum prouidentiam ampliorem suscepit, destructo nimirũ dæmone, eorũ tyranno. Vel aliter: Per veritatem, ipsum Christũ intellige. Ait enim ego sum veritas. Orto igitur Christo de terra, iuxta generationẽ hanc inferiorem, & dissoluto deinceps omni errore ac mendacio, pater qui summa est, vt diximus, iustitia de cœlo in terrã prospexit cum antea ob mendaciũ, quod in vniuersam erat terram diffusum, à nobis omnibus esset auersus. Superna igitur tũc atq; cœlestia

cœlestia inferioribus ac mundanis sunt conciliata.

Etenim dominus dabit bonitatem, & terra dabit fructum suum. Vide quàm constanter prædicat nobis beatus Dauid, quòd pater daturus esse filium suum hominibus. Per bonitatē enim nihil aliud intelligere possumus, quàm ipsum deum. Nullus enim, inquit, bonus, nisi solus deꝰ. Et litera Symmachi habet: etenim dominus dabit bonum, terra etiam dabit fructum suū: Apostolos nimirum & alios fideles, qui è Iudæa regione germinarunt. Apertius vero ac manifestius est, vt dicamus, quòd nato Christo, deus dabit misericordiam hominibus, & quòd terra fructibus abundabit.

Iustitia coram eo præcedet. Per iustitiam hic vniuersas cōplectitur virtutes. Harum igitur virtutum lux, instar lampadis, à Christo coruscans, tantum ante illum emittet splendorem, vt celebrem ac preclarum apud omnes illū redditura sit.

διαβήσεται αὐτῷ

Et ponet in uiam gressus suos. Deinceps autem Christus ponet gressus suos, hoc est, illam virtutum semitam per quam ipse ambulabat, ponet, inquam, eam in hoc, vt sit via cæteris Christianis, per quam illi incedentes ad eum tandem perueniant. Vel aliter: Ioannes domini precursor, quem beatus Dauid hoc in loco iustitiam appellat, veluti qui omnem legis iustitiam seruauit, præcedet coram Christo, hoc est, ante Christum. Ecce enim ego, inquit, mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam ante te. Clamabit, enim parate vias domini, rectas facite semitas eius. Et quia Græca dictio, αὐτῆς ita referri potest, vt non solum legamus, gressus suos, sed etiam gressus eius, alio modo exponē, quòd iustitia Christi, vel eius diuinitas præcedet coram eo, hoc est, ante assumptam carnem, veluti optimus quidam dux. Et ponet in viam gressus eius: iuxta illud, præuidebam dominum in conspectu meo semper, propterea à dextris est mihi ne commouear.

Oratio ipsi Dauid.

Clara quidem atque aperta est hæc inscriptio, vt in proœmio operis dictum est. Illud tamen ad institutionem nostram pertinet, quòd dum Prophetæ nostri preces uidemus, quas ad deum fundebat, nos illinc pariter docemur, quo nam pacto quando in angustiis ac calamitatibus

tatibus constituti sumus, orare ad deum debeamus. Prædicitur etiam in hoc psalmo gentium uocatio. Non desunt tamen qui orationem hāc ex Ezechiæ regis persona scriptam asserant.

PSALMVS LXXXV.



Inclina domine aurem tuam, & exaudi me. Quomodo aurem deus dicatur inclinare, diximus in psalmo decimosexto.

Quoniam inops & pauper sum ego. Veluti, qui aduersus visibiles, aut inuisibiles inimicos, idoneas vires non habeo. & eis resistere non possum.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. Tunc enim sanctificatus sum, quando tibi oblatus seu dedicatus fui. Illa quippe sancta efficiuntur quæ in dei ministerium dedicantur, vt in psalmo decimoquinto dictum est. Vel sanctum seipsum appellat quasi pium, ac religiosum erga deum, inimicorum scilicet comparatione, qui impij erant.

Saluum fac seruum tuum deus meus sperantem in te. Salua eū, inquit, ab imminenti periculo, qui nulla alia in re, sed in te solo confidit.

Miserere mei domine, quoniam ad te clamabo tota die. Pro tota die, Symmachus, semper interpretatur. κεκραξομαι

Lætifica animam serui tui: quoniam ad te leuaui animam meam. Mœrorem, quo detineor, dissolue. De verbis, leuaui animam meam, dictum est in primo versiculo psalmi vigesimiquarti.

Quoniam tu domine bonus, & mitis, & multum misericors, omnibus inuocantibus te. Pro mitis, Aquila, & Symmachus dixerunt, propitius. Mitis autem idem est ꝙ mansuetus. Inuocantibus autē te, non simpliciter, sed ex toto corde inuocantibus. Nam & in psalmo centesimo quadragesimoquarto cum dixisset, prope est dominus omnibus inuocantibus eum, addidit, omnibus inuocantibus eum in veritate, hoc est, ex tota anima. πολυέλεος

Auribus percipe domine orationem meam, & intende uoci deprecationis meæ. Hæc verba exposita inuenies in primo versiculo psalmi decimiseexti.

Non est similis tibi in diis domine, non est secundum opera tua.

Omnes

Omnes enim dij gentium dæmonia, dominus autem cœlos fecit. Et tu verus quidē deus es, illi autem falsi. Videtur autē mihi hic versiculus assumptus fuisse ex verbis Moysi dicentis: Quis similis tibi glorificatus in sanctis, admirabilis, glorioſe faciens prodigia? Christi vero opera sunt, non creatio tantum, aut prouidentia tam visibilis, quàm inuisibilis creaturæ, sed ipsius etiam creaturæ reformatio tyrannique destructio, illa insuper mortis occisio, quam propria operatus est morte: item illa totius orbis expiscatio, quam per paucos, ac viles quosdam piscatores perfecit: quibus omnibus addi etiā potest miraculorum vis. Nam etsi multi alij similia operati sint miracula, nullus tamen propria authoritate id poterat, vt Christus. Inuocatione quippe diuini nominis operabantur.

Omnes gentes, quascunque feceris, uenient, & adorabunt coram te, & glorificabunt nomen tuum, quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia tu es deus solus. Hæc est prophetia de gentiū fide. Venient, inquit, ad te ipsæ etiam gentes. Adorare autem dicitur coram deo is, qui se à deo videri cognoscit. Esse autem dicitur coram deo omnis locus imperij eius. Glorificabunt te igitur, hoc est, laudabunt te omnes gentes & magnificabūt te, dicentes, quòd magnus vere es & quòd tu solus deus es, qui facis mirabilia.

πορεύσομαι

Deduc me in uia tua, & ambulabo in ueritate tua. Per viam dei, virtutē illam intellige, quæ ad actiones pertinet: per veritatem vero, illam quæ ad contemplationem. Ille autem qui diuinitus ad primam ductus fuerit virtutē, peruenire de facili poterit ad alteram. De hac via & veritate inuenies etiam in psalmo xxiiii. ibi: vias tuas domine iudica mihi: & paulo post: deduc me in veritate tua.

τῆ φοβεῖσθαι

Lætetur cor meū in timore nominis tui. Lætetur non in mūdana lætitia, sed in tui timore. Vide quæso nouum genus lætitiæ. Timor, inquit, tuus sit mihi lætitia. Alibi vero dicitur: Lætetur cor quærentium dominum. Ille autem quærit dominum, qui timet eum, cæterum non tantum dei timor, sed simplex etiam illius memoria pios ac fideles omnes lætificat, iuxta illud: memor fui dei, & lætatus sum.

Confitebor tibi domine deus meus, in toto corde meo. Hoc est gratias agam.

Quia misericordia tua magna est super me. Magnam dixit pro

pro multa.

Et eruisti animam meam ex inferno inferiori. Si psalmum pertinere intelligas ad beatum Dauid, per infernum, profundam peccati foueam intellige: adulterij nimirum, atque homicidij. Si vero ad regem Ezechiam, infernum accipe pro morte, cui proximus fuit, & à qua admirande admodum liberatus est: potest etiam infernus accipi pro quolibet periculo, quod à visibilibus, seu ab inuisibilibus immineat inimicis.

Deus, iniqui insurrexerunt in me. Et hostes beati Dauid, qui insidias in eum moliebātur iniqui erant, & Assyrij, qui Ezechiam regē obsidebant, & omnes denique tam visibiles quā inuisibiles hostes nostri, iniqui appellari possunt.

Et congregatio potentium quæsierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo. Illi ipsi quos iniquos diximus. Hæc autem verba habentur etiam in psalmo liiii.

Et tu domine deus meus miserator, & misericors, patiēs, & multum misericors, & uerax. Quia miserator es, & misericors, omnibus iis semper compateris qui oppressi sunt: & quia patiēs es, & longanimis, non statim peccatores in hostium manus tradis: & quia multum es misericors, non semel tantum, sed sæpius misereris: & quia verax es, omnes eos saluas qui sperant in te.

Respice in me, & miserere mei. Hic versiculus habetur etiam in psalmo vigesimoquarto.

Da robur tuum puero tuo. Robur, quod à te aduersus inimicos haberi potest. Puero autem tuo, hoc est, seruo tuo. παιδὸς

Et saluum fac filium ancillæ tuæ. Hoc est seruæ tuæ. His autem verbis indicare videtur propheta se ex piis ac religiosis parentibus ortum esse.

Fac mecum signum in bonum. Impone, inquit, mihi signum, seu iudicium in bonū, hoc est, signum bonum, quale Iudæorum luminaribus olim apposuisti, quando Aegyptiorū primogenitos perdidisti. Est etenim aliquando signum in malum, quale illud erat, quod posuerat deꝰ in Cain. Nam Hebræorum signum custodiam ac protectionem diuinam indicabat. Illud autem in Cain, iram dei.

Et uideant, qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu domine adiuuisti me, & consolatus es me. Ordo fit per hyperbaton: & videant

& videant qui oderunt me, quod tu domine adiuuisti me,& consolatus es me:& erubescant illi atque confundantur, veluti deuicti ac superati. Et secundum hunc sensum legẽdum est:quòd tu domine, non quoniam. dictio enim græca, ὅτι, vtranque potest lectionem recipere.

Filiis Chore psalmus cantici.

De filiis Core in proœmio operis dictum est. In hoc autem psalmo,& Christi natiuitas,& gentium salus aperte prædicitur.

PSALMVS LXXXVI.

Fvndamenta eius in montibus sanctis. Cuius nam eius? Christi nimirum: atque hoc manifestius fit ex verbis illis, quæ paulopost sequuntur : mater Sion,dicet homo,& homo natus est in ea,& ipse fundauit eam in seculum. Fundamenta autem Christi,dogmata illa sunt, quæ de Christo traduntur. Hæc etenim dogmata bases quædam sunt, seu radices fidei christianæ. Hæc igitur christianæ fidei fundamenta iacta sunt, in apostolis,quos propheta hoc loco sanctos montes appellat. Montes quidẽ veluti fortes,ac constantes in fide,& tanquam ab omni terreno, atq; humili statu eleuatos: vel etiam, quia sicut terreni montes densissimis pleni sunt nemorũ arboribus ita & illi multiplicibus referti sunt virtutum germinibus. Sanctos vero apostolos appellat vt sæpe diximus , veluti sanctificatos,ac dicatos deo, seu tanquam sancto spiritu plenos. Possumus & alio modo,per fundamẽta Christi, apostolos intelligere:fundamenta quidem veluti principia ędificationis ecclesiæ fidelium:& Christi fundamenta , quoniã ab ipso iacti quodammodo atque in opus submissi sunt. Fuerunt autem hi apostoli in montibus sanctis , in Sion nimirũ atque in Thabor,& in aliis montibus,qui prę cæteris, Christi cõuersatione,sanctiores, ac sacratiores effecti esse videntur. Aliqui per fundamenta Christi , prophetias de Christo intelligunt,tanquam christianæ fidei principia . Montes etenim sancti non immerito prophetæ dici possunt , propter prophetiæ sublimitatem , & propter sanctificationem sancti spiritus,ita vt sensus sit, quòd principia fidei christianæ, sint in prophetis.

Diligit

Diligit dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. Magnus Paulus nos docuit cœlestem quandam esse Sion , & quandam esse cœlestem Hierusalem , hoc pacto conuersationem illam exprimens,quæ in cœlo est . Hac ratione per portas Sion,ecclesias omnes fidelium intelliges quę in variis sunt orbis partibus,vt diximus in fine psalmi LXXII. Has etenim portas dominus diligit, & vniuersis Iudæorum ciuitatibus eas prepposuit. Per tabernacula enim ipsas Iudæorum ciuitates intelligimus: vel ipsam particulariter Silo, aut terrestrem Hierusalem , in quibus tabernaculum cum arca cõmorabatur, quemadmodum in septuagesimoseptimo psalmo tradidimus.

Gloriosa dicta sunt de te,ciuitas dei. Cum iam audisset propheta à sancto spiritu , quòd deus in Hierusalem videndus erat , & quòd conuersaturus esset cum hominibus , stupore quodam correptus conuersusque ad ipsam Hierusalem,clamauit,dicens: magna atque admiranda quædam, mihi ô dei ciuitas,de te dicta sunt. Ciuitatem autem dei eam appellat, quia iam diu deo fuerat dicata , & quia denuo ipsi Christo, hoc est,illius passioni,& sepulturæ erat dicanda.

Memor ero Raab,& Babylonis cognoscentibus me. Efferendus est hic sermo ex Christi persona, & prædicit , quòd ecclesia ex multiplicibus erat gentium nationibus congregãda,atque illis quidem olim impiis. Per Raab etenim Cananęos significat. Cananæa enim fuerat Raab . Cananæi vero omnium fuerunt impiissimi . Simili modo & Babylonij , & aliæ gentes,quas statim connumerat . Per cognoscentes autem se,fideles atque in se Christum credentes omnes intelligit. In ea igitur fidelium congregatione, qui in me crediderint,ego memor ero Raab,& Babylonis,& aliorum,qui cõnumerantur:hoc est, ego eos memoria dignos faciam, præclaraque eorum facta fidelibus commemorabo . vel curam eorum habebo , sollicite cogitans de eis tanquam pro dilectis fidelibus. Aliqui per Raab Arabiam intelligunt.

καὶ Ραὰβ καὶ Βαβυλῶνος τοῖς γινώσκουσί με

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum hi generati sunt illic. Alienigenæ Tyri,& Aethiopes,nati sunt in Sion, vel in portis Sion,vt dictum est, vel in cognoscẽtibus deum. Nam quod LXX dixerunt generati sunt Symmachus , & Aquila reddiderunt , nati sunt . Nati autem sunt , per sacri

ἐγενήθησαν ἐκεῖ

baptismatis

baptiſmatis regenerationem. Abundat autem dictio, ecce, iuxta idioma Hebraicum. Dictio etiam hi, abũdare pari modo videtur. Ordo tamẽ hic eſſe poteſt: ecce hi generati ſunt illic: & ſi quæris quinam ſint hi? ecce, inquit, alienigenæ & Tyrus, & quæ ſequuntur. De alienigenis dictum eſt in pſalmo LXXXII. Hæ autem gentes, quæ hic connumerantur cæterarum omnium, vt diximus, impiiſſimæ erant. Si igitur tam impię gentes Chriſto crediturę ſunt, quanto magis omnes aliæ minus impiæ etiam ei credent?

μήτηρ *Mater, Sion, dicet homo.* Manifeſte ac palam prędicit, quòd ex quacũque gente quis ingreſſus fuerit in Sion, dicet, quòd Sion mater eſt. Subintelligi enim debet dictio, eſt. Mater autem ideo appellatur Sion, quia regenerat, vt dixim⁹: vel quia chriſtianorum ac ſpiritualium dogmatum cibo fideles omnes veluti pia mater alit. Vel mater appellatur, tanquã amabilis. Ea etenim nihil ſuauius, aut amabilius eſt. Vere quippe amabilis eſt eccleſia, iis, qui in eam ingrediũtur, eo quòd ibi conuerſatus eſt ſecundum carnẽ Chriſtus dominus, qui locum conuerſationis ſuæ ſanctificauit.

Et homo natus eſt in ea. Hoc ad Chriſti generationẽ pertinet, qui intra eccleſię terminos natus eſt: Chriſtus inquam, qui verus homo fuit, & qui integram humanitatis dignitatẽ ſeruauit: verúmne nudum hominem putares, ſed deum pariter & hominem cognoſceres, addidit.

Et ipſe fundauit eam altiſſimus. Et ille, inquit, qui in ea natus eſt, vt homo, idem ille ab initio eam fundauit, veluti terræ ac cœli creator, qui altiſſimus eſt, tanquam deus.

ἐν γραφῇ *Dominus narrabit in ſcriptura populorum, & principum horum, qui generati ſunt in ea.* A prophetarum ſcripturis Chriſtus omnia docebit, quæ ad ſe pertinent. Ait enim Lucas, & traditus eſt ei liber Eſaiæ prophetæ, & explicato libro, inuenit locum, vbi ſcriptum erat: Spiritus domini ſuper me, cuius gratia vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, & quæ ſequuntur. Huiuſmodi igitur prophetarum ſcripturam, populorum ſcripturam appellat, & ſcripturam principum eorum, veluti quæ & Iudæorum populis & eorum principibus data erat, & illorum propria erat poſſeſſio, qui in ea generati ſunt, hoc eſt, qui nati ſunt in Sion.

Quàm lætantium omnium habitatio eſt in te. Dictio, quàm, in modum confirmantis eſt poſita. Vere, inquit, ô Sion in te eſt habitatio omnium ſpiritualiter lætantium. Dictio autem omnium, tametſi vniuerſalem ſermonẽ reddit, apud Hebræos tamen frequentiſſime ita ponitur, vt non tam vniuerſos quã multos ſignificet.

Canticum pſalmi filiis Core, in finem pro Maeleth, ad reſpondendum, intelligentiæ ipſi Eman Iſraelitæ.

Quid ſit canticum pſalmi, & de filiis Core diximus in proœmio operis. In finem uero ideo inſcriptum eſt, quia ad finem tendebat prophetia, quæ hic continetur. Et pſalmus quidem proxime præcedens Chriſti natiuitatem prædixit, hic autem Chriſti mortem. quod autem inſcribitur pro Maeleth, exponitur, hoc eſt, pro chorea. Canere enim ſolebant, atque unà choreas ducere, quando hunc pſalmum recitabant. Ad reſpondendum autem, hoc eſt, cum reſponderẽt. Tripudiabant enim dum ad organorum muſicen reſponderent. Intelligentiæ uero, quia intelligentia lectori opus eſt, ob occultum, ac præſignatum hic, de Chriſti morte myſterium. Ipſi uero Eman Iſraelitæ, quia non ſolis Core filiis, ſed etiam Eman principi alterius Cori, traditus fuit hic pſalmus à beato Dauid, & ab utroq; Coro unà fuit, aut fortaſſe alternatim decantatus. Quædam exemplaria non Eman habent ſed Etham, uerũ placet ut in præſenti pſalmo legamus Emã, & in ſequenti Ethan. Nam in primo Paralipomenon libro, uterque eorum chori princeps fuiſſe traditur. Iſraelitæ etiã dixit, non quòd alii cantores non eſſent Iſraelitæ. ſed quia alii fortaſſis erant homines huiuſmodi nomine Eman, & Ethan, qui erant alienigenæ, ad quorum diſtinctionem ſic dictum eſt: uel forte quia tale illis erat cognomen.

PSALMVS LXXXVII.

DOmine deus ſalutis meæ in die clamaui, & in nocte coram te. De his verbis: Deus ſalutis meæ, dictũ eſt in pſalmo LXVII. dominum autem & deũ Chriſtus patrem appellat, vt homo: & multa huiuſcemodi dicta reperies in pſalmo XXI. die autem & nocte dixit pro perpetuo. Summam enim hæc verba in deum fidem atteſtantur: quia qui ſyncera mente deum amat, aſſidue aut ore aut corde coram eo clamat: quoniam & aſſidue illius ope indiget. vel diem & noctem particulatim illam intelligit, qua proditus eſt dominus.

Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad preces meas. Orationem & preces, vel eas intellige, quas habuit pro discipulis, vel eas quas protulit, quando petiit transire à se calicem mortis. Humilia autem huiusmodi verba proferre introducitur, vt homo, quemadmodum diximus in psalmo xx i. Quid autem in deo sit inclinare aurem, diximus in psalmo x v i.

Quia repleta est malis anima mea, & uita mea inferno appropinquauit. Malis, hoc est, calamitatib⁹, & afflictionibus. Tristis enim, inquit, est anima mea vsque ad mortem. Per infernum etiam, hoc loco mortem ipsam intelligere debemus.

Reputatus sum cum descendentibus in lacum. Reputatus sum pro cõnumeratus sum. Collocatus sum, inquit, cum sepultis, quos in lacum descendentes appellauit. Diximus enim alibi quòd sepultura etiam lacus dicitur. Quæ igitur superius dicta sunt, tempori congruunt ante mortem: hæc autẽ & quæ sequuntur, tempori post sepulturam.

ἐγενήθην *Fui sicut homo sine adiutorio.* Non dixit sicut homo simpliciter, sed sicut homo sine adiutorio. Oẽs enim, vt inquit euãgelista, dimittentes eum fugerunt. Humano igitur iudicio, visus est omni esse auxilio destitutus, tametsi secus fuerit. Dixisse enim eum legimus ad Petrum, an putas, quòd non possim nunc rogare patrem meum, & præstabit mihi plusquam x i i. legiones angelorum?

ἐν νεκροῖς *In mortuis liber.* Liber à corruptione, vel etiã liber, quia non ab angelis, in infernum deductus sum, sed solus descendi. Subaudiri enim debet verbum, fui: accessi, inquit, ad mortuos liber, hoc est, insons, atque innocens. Omnes enim alij peccatum secum habent vt causam mortis. Pœna enim ac multa peccati, mors: solus autem Christus insons, & sine peccato ad mortem accessit. Vel liber: quia alij inuiti moriuntur, & ideo mortis serui sunt: at Christus sponte sua, ac volens mortuus est. Potestatem enim, inquit, habeo ponendi animam meã. vel aliter: liber, veluti qui inferni vinculis non est detentus, sed cum authoritate atque cum dignitate illuc descendit, atque ibidem etiam conuersatus est, & aliorum vincula dissoluit. Præterea illa ratione liber dicitur Christus, quia tanquam deus morti subditus non fuit.

Sicut uulnerati dormientes in sepulchro. Subaudiri etiam debet

bet hoc in loco verbum, fui. Symmachus vero ita reddidit: quasi vulnerati iacentes in sepulchris.

Quorum non es memor amplius. Cum iam corrupti sint, atque in puluerem resoluti.

Et ipsi de manu tua repulsi sunt. Illi nimirum qui ob propria peccata ab auxilio tuo decidetunt. Similis enim, inquit, factus sum huiusmodi hominibus, multorũ scilicet opinione, tametsi haud ita esset. Licet, inquit, clauis confossus sim, & lancea, ac positus etiam in sepulchro, à te tamen non sum derelictus. Neque enim tu mei vnquam oblitus es, qui olim pollicitus fueras non daturum te esse sanctum tuum videre corruptionem. Neque etiam de manu tua repulsus sum. Me enim, inquit alibi, propter innocentiam suscepisti.

Posuerunt me in lacu inferiori. Per lacum inferiorem sepulturam intelligit, cuius profunditatem Christus in euangelio cor terræ appellauit dicens: sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus. Illi autem in ea me posuerunt, qui sepulturam meam curarunt.

In tenebrosis, & in umbra mortis. In locis, inquam, tenebrosis. Superposito enim sepulturæ lapide, tenebræ in ea efficiũtur. Per vmbram etiam mortis, tenebrosa sepulturæ loca significauit, varietate vsus sermonis. Siquidem vmbrosa loca tenebrosa etiam appellamus.

Super me confirmatus est furor tuus. Symmachus pro confirmatus reddidit, aggrauatus est. In me, inquit, irruit ira tua quam delicta hominum in se concitauerant, ego tamen libẽs eã sustinui, & te placaui. Passione quippe ac morte mea, indignationem tuam omnem sedaui, veluti cum quis plagam in puerum delatam in se suscipit. Liuore enim, inquit, eius saluati sumus, & dominus tradidit eum peccatis nostris, hoc est, propter peccata nostra.

Et omnes fluctus tuos induxisti super me. Per fluctus, calamitatum ac tentationum insurrectiones intelligit: & dei fluctus eas appellat, quia dei sentẽtia ob nostrã immittuntur salutẽ. Omnes vero dixit pro multos: quoscunque scilicet tu voluisti.

Elongasti omnes notos meos à me. Legimus apud Lucam, quod omnes noti eius steterunt à longe. Deum vero elongasse eos dicit, quia patris voluntate omnia hæc gesta sunt.

 Posuerunt

Posuerunt me abominationem sibi. Iudæi nimirũ, apud quos nunc etiam abominabile est Christi nomen.

Traditus sum, & non egrediebar. Traditus sum Iudæis ab Iscariote, & cum egredi ab eis atq; effugere possem, non aufugi tamen, sed sponte mea etiam perstiti.

Oculi mei languerunt præ inopia. Præ inopia videlicet lachrymarum. Nam cum antea copiosissimę effluxissent, euacuati tandem eis sunt oculi. Verisimile est autem quòd dominus ob summam suam misericordiam ita Iudæ casum, & Iudæorum omnium abiectionem atque interitum deplorauerit, quemadmodum ploraſſe eum nouimus super Hierusalem. Quidam hoc in loco, per inopiam, demacrationem corporis intelligunt præ afflictione.

Clamaui ad te domine tota die. Dixit etiam in principio psalmi: Domine deus salutis, in die clamaui. Clamauit autẽ non tantum pro se ipso, vt homo, sed pro discipulis etiam, & pro populo.

Extendi ad te manus meas. Pro eisdem scilicet supplicans.

Nunquid mortuis facies mirabilia? aut medici suscitabunt, & cõfitebuntur tibi? Lege humanę naturę formidat Christus mortem, & rogat se diutius viuere. Nam & in euãgeliis dicebat: Pater meus, si possibile est, trãseat à me calix iste. Similia autem sunt hæc verba & quæ sequuntur, iis, quæ habentur in psalmo x x i x. ibi: nunquid cõfitebitur tibi puluis? aut annunciabit veritatem tuam? Nunquid tu mirabilia facies in insensibilibus mortuis? qualia sæpenumero in viuentibus facis? vel nunquid medici eos mortuos suscitabunt? Et deinde gratias tibi agent? Minime, inquit, sed viui hæc cognoscunt beneficia, & gratias tibi agunt. atque ideo quæso, vt diutius me viuere permittas, si possibile est.

ἢ ἀπώλείᾳ *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam? aut veritatem tuam in perditione?* Ad eandem hæc verba sententiam pertinent. Et per perditionem, rursus sepulchrum intelligit, veluti quod cadauera illic iacentia corrũpit, ac perdit. Diximus autem alibi quod eandem propemodũ etiam sæpenumero variis repetit modis, atque hoc præcipue quoties affectum quendam animi vult explicare: non mortuus quispiam, inquit, sed viuens quis tuam sentiet misericordiã, & hominibus eam annunciabit. De veritate autem dei dictũ est in

est in psalmo vigesimonono.

Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua? & iustitia tua in terra oblita? Per tenebras sepulturã intelligi diximus. Eandem etiam terram oblitam appellauit. Ab hominibus quidẽ oblita videtur, ob corruptionem, & à deo, quia amplius non viuunt, qui illic iacent. Viuere enim illi dicuntur, quorum deus reminiscitur. Omnia autem hæc verba eiusdem sententiæ sunt, & per interrogationem & cum affectu legenda sunt. ἐπιλελησμένη

Et ego ad te domine clamaui. Et ego simul cum aliis hominibus, veluti qui verus etiam sum homo.

Et mane oratio mea præueniet te. Mane dixit pro cito. Cito enim, inquit, oratio mea ad te veniet. Abundat autem prępositio præ. Ideo autem cito venit ad te mea oratio, quia impedimento ei esse non possunt peccata.

Vt quid domine repellis animam meam? auertis faciem tuam à me? Similia hæc sunt iis quæ habẽtur in psalmo vigesimoprimo, ibi: quare dereliquisti me? item clamabo per diem, & non exaudies. Hęc autem ex persona nostra, Christus ad patrem loquitur: pro nobis, inquam, qui antea expulsi eramus. Vniuscuiusque enim fidelis animam, propriam animam appellat, in sua ipsius persona vnumquenque nostrũ subiiciens. Quare, inquit, adhuc repellis eos? Ego enim deinceps pro omnibus pœnas soluo.

Inops sum ego, atque in laboribus ab adulescẽtia mea. De hac Christi inopia Gregorius theologus loquens, dixit: qui dives erat, effectus est inops, inops, inquam, ob carnem meam, vt illius ego diuinitate dives efficerer. De se ipso etiã Christus ad scribam illum dicebat: Vulpes latebras habẽt, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi reclinet caput suum. In laboribus autem atque ab adulescentia, dictum est, quia ab ipsis incunabulis insidiæ aduersus eum tendebantur, & quia infans persecutiones sustinuit, ab Herode scilicet atque à Iudæis. Per labores autem ærumnas intelligit.

Exaltatus autem humiliatus sum. Exaltatus miraculis, & depressus conuiciis, Iudæorum nimirum opinione. vel exaltatus in cruce, humiliatus in sepulchro.

Et destitutus sum. Et hoc etiam quãtum ad Iudæorũ opi- ἐξηπορήθω

 nionem.

nionem. Visus est enim illis, veluti destitutus esse, & indigere auxilio: atque ideo dicebant: videamus si venit Helias saluaturus eum.

In me pertransierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerũt me. Iras dei eas intelligit, quas deus aduersus peccatores cõcepe rat, similiter & terrores. Et iras quidẽ pertransisse dicit, & in se ingressas fuisse, terrores vero cõturbasse & refrenasse à vitiis. Verũ Origenes p iras, & terrores dei, dæmones ipsos intelligit: iras quidẽ, quia hominib⁹ semper irati sunt, dei vero iras, quia permissione diuina id faciũt: terrores itẽ, quia terroré incutiũt. Ait igitur Christus, p passionis tẽpore, inuaserunt eum dæmones, & quòd vt hominẽ eum cõturbauerunt.

Circundederũt me sicut aqua. Iudei scilicet. in psalmo autẽ XXI dixit, circũdederũt me vituli multi, tauri pingues circuibant me: & circũdederunt sicut aqua, quia aqua vndiq; & non ex vna tantum parte eos circundat, quos comprehẽdit.

Tota die circundabant me simul. Diem passionis intelligit. Et quod ait, simul, expone, pro vnà omnes.

Elongasti à me amicum, & proximum & notos meos à miseria. Ob miseriam meam, inquit, atque ob opprobria, quæ mihi inferebantur, elongasti à me discipulos meos, de quibus superius diximus: elongasti à me notos meos. Amicum autem & proximum, & notos, eosdem intelligit. Et amicum dicit iuxta illud: vos amici mei estis. Proximum vero, quia vnà secum viuebant, & notos, quia & cognoscebant & cognoscebantur. Et hoc pacto quidem totus hic psalmus in Christum relatus est. Congruit tamen cuilibet etiam fideli in angustiis constituto. Domine deus salutis meæ, assidue clamaui in conspectu tuo, adiutorem te mihi aduocans. Quæ sequuntur clara sunt: quia anima mea ærumnis impleta est, quibus adeo fatigatus sum, vt morti proxim⁹ fuerim. Adnumeratus autem sum cum mortuis, quantum ad sæuissimorum dæmonum votum, ac studium pertinet: & factus sum velut homo sine auxilio, ita vt de facili capi possem. Fui etiam in mortuis, quantum ad illorum, vt diximus, studium pertinet, tametsi ego adhuc liber sim à morte, veluti qui re vera nec dum mortuus sum. Factus sum sicut vulnerati iacẽtes in sepulchris, vulneratus & ipse iaculo peccati, vel iaculo mœstitiæ. Quæ sequuntur eadem ratione expones: posuerunt me dæmones

Dæmones in profundo atque in fouea peccati, in afflictionum tenebris, quæ ob summam amaritudinẽ, vmbra ac similitudo quædã esse mortis videntur. In me grauatus est furor tuus. Nam si tu mihi iratus non fuisses, me illi certe non superassent: omnes etiã elatiões, & afflictionum, vt ita dicam, insurrectiões, seu impetus, quos fieri permisisti inducti sunt super me. Elongasti à me notos meos, sanctos scilicet angelos, qui antequã peccarem, amicissimi atq; benuoli mihi erant: illis tunc notus eram, verũ nunc ob peccata abominantur me. atq; ideo traditus sum afflictionibus, à quibus egredi non datur, sed magna ab eis vi detineor. Illa autem verba: oculi mei languerũt præ inopia, declara vt superius, exposuimus. clamaui ad te assidue in auxilium te meũ aduocans. & quæ sequuntur, expone, vt diximus. Mane etiam, hoc est, quã primum, ac statim, vbi à somno exurgã, ante omnia orationem ad te meam effundam, dicens: quare domine repellis amam meam? hoc est, meipsum in angustiis constitutũ, & feruide ad te supplicantem. deinde inops ego sum, nullum aliũde auxilium habens, & in laboribus sum ob errorem meum, & licet in hoc à te fuerim exaltatus, quòd ad imaginem me tuam creasti, humiliatus sum tamen, quia imaginis tuæ dignitatem amisi: vel, opinione, atque existimatione mea exaltatus, tandem humiliatus sum: quia lapsus cecidi, & consilio destitutus sum, nesciens quid facerem. transierunt præterea, hoc est, peruenerũt in me iræ tuæ, dum in præsenti vita pœnas luo, dum mœrore suffocor, & terrores tui qui æternas mihi pœnas comminantur, conturbauerunt me, & circundederunt me, sicut aqua. vel per iras & terrores dei, dæmones, & tribulationes intelligit. ab his enim, inquit, assidue premor, & semper me hæc mala circundant. Elongasti à me familiares meos, quia ob calamitates, & miserias, quibus detineor, omnes me derelinquunt, & fugiunt.

Intelligentiæ ipsi Ethan Israelitæ.

Ad præsentis inscriptionis declarationem ea sufficiant, quæ diximus in proxime præcedenti. tractat autem beatus Dauid in præsenti psalmo ea, quæ ad res suas pertinent: deumq; ut benefactorẽ laudat. quædam tamen in sermone suo de Christo interserit; atque ideo

intelligentiæ inscribitur, quia intelligẽtia lectori opus est, ad dignoscendum ea, quæ in psalmo de Christo sparsim dicuntur. prædicit etiam Babylonicã captiuitatem. PSALMVS LXXXVIII.

Misericordias tuas domine in seculum cantabo. Misericordias, inquit, quas in me operatus es, & pro quibus in secundo Regum libro latius gratias agit. in seculum, hoc est, semper cantabo, in canticum nimirũ atque in hymnos eas redigens.

In generationem, & generationem annunciabo ueritatem tuam in ore meo. In generationem, & generationem, dicit pro in omnem generationem. deficiente enim vna generatione, altera subintroducitur: atque hoc pacto vsq; ad seculi cõsummationem proceditur. vel in generationẽ Iudæorum, & in generationẽ Christianorum. his enim duabus generationib⁹ tantũ, & non aliis beatus Dauid veritatẽ dei annunciat, in ore suo. possumus etiã dicere, q̃ psalmorũ liber, os sit beati Dauid. veritatẽ autem dei expone, pro veras promissiones dei, factas, scilicet ipsi Dauid, partim per prophetã Nathan, vt traditur in secundo Regũ libro, & partim per illam prophetãdi gratiam, quę ei à sancto spiritu data erat. Multa enim deus ei pollicitus fuerat, tam de hostium victoria, quàm de futuro eius semine. per quod semen Hebręi, Solomonem, atque alios illius posteros intelligunt: nos autem Christum, vt in sequentibus dicetur.

Quoniam dixisti, in seculum misericordia ædificabitur. Id est fiet. tu, inquit, dixisti mihi, quòd à te semp fiet misericordia. & Hebręi quidam factam esse dicunt hanc misericordiam ipsi Dauid, quando adiuuit eum deus: nos vero fieri eam dicimus omnibus fidelibus. Nam ipsi Dauid non potuit in seculum, ac perpetuo fieri misericordia, cũ iam olim mortuus sit: fidelibus vero semper potest. factus est enim eis perpetua misericordia, Iesus Christus, cuius corpus, vt ita dicam, ædificatus, & ineffabiliter ex purissimis beatę virginis sanguinibus compactus est. nec mirum, si Christum ędificatum fuisse dicamus, cum assumpta eius humanitas apud sacram scripturam domus etiam appellata sit, assumentis dei, iuxta illud: sapientia ædificabit sibi domum.

In cœlis præparabitur ueritas tua. Dei veritas Christus dicitur, quia verax est, & nõ mendax, qui etiã de seipso dixit: ego sum

ego sum veritas. Hæc, inquit, veritas stabilietur in cœlis. verbum enim præparo, sæpenumero apud Hebræos accipitur pro stabilio, atq; ita reddidit Symmachus. quòd autẽ Christus in cœlo esset stabiliendus, beatus Dauid alibi tradidit, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, &c.

Disposui testamentum electis meis. Hęc ex dei persona dicta sunt. & testamentũ quidem promissionẽ appellat, quæ de huiusmodi electorũ semine facta fuerat. per electos vero, ipsos Habraam, Isaac, & Iacob intelligit, quibus deus pollicitus fuerat se eorũ semen magnificaturum. atq; ideo magnus Paulus, ad Habraam, inquit, dictæ sunt repromissiones, & semini eius. Deinde addidit: non dixit seminibus quasi multis, sed tanquam de vno, semini tuo dixit, qui est Christus.

Iuraui Dauid seruo meo, usque in seculum præparabo semen tuũ. Iuraui, hoc est, cõstantissime pollicitus sum. iuramentũ enim in deo antiqui cõstantem illius promissionem esse intelligebant. apud nos etiã iuramentum nihil aliud est quàm cõfirmatio. iuraui autem, q̃ prępparabo, hoc est, quòd stabiliã semen tuũ, vsq; ad omne seculum. per semen etiã Dauid, iuxta sensum magis vulgarem, Solomon intelligitur, sed iuxta altiorem, Iesus Christus, qui ex Dauid semine natus est, ex sancta nimirũ virgine, quę de stirpe erat Dauid. stabiliuit autem eum deus, perpetuũ ei regnũ tribuẽs. data est enim mihi, inquit, omnis potestas in cœlo & in terra. de quo etiam apud Danielem legimus: & ei datus est honor, imperium, & regnũ: omnes populi tribus linguę seruient ei, regnum illius, regnũ æternum, & potentia incorrupta: quæ verba Solomoni non congruunt.

Et ædificabo in generationem, & generationem thronum tuum. θρόνον
Aedificare hoc in loco ponit pro augere, & ꝓficere, & thronum pro regno. illud cõsydera, quomodo propheta regnum Christi appellauit regnum Dauid, quia Christus secundum carnem ab illo descendebat. Solemus etenim filij regnum, patris nomine appellare, ob cognationẽ scilicet & tam arctam necessitudinem.

Confitebuntur cœli mirabilia tua, domine. Per cœlos cœlestes intelligit potentias. ipse, inquit, cœlestes virtutes gratias tibi agent, de tam admirandis operibus. vel per cœlos eos homines intelligit, qui sapiunt cœlestia, quique vita ac conuersatione

fatione sua cæteris sublimiores sunt.

Et enim ueritatem tuam in ecclesia sanctorum. Abundat dictio enim. Confitebuntur tibi, inquit, mirabilia tua, quòd scilicet admiranda operaris, & veritatẽ tuam, hoc est, quòd veras esse facies promissiones tuas. atque hæc lætus admodũ ac gaudens dicit, ob admirãdam nimirũ promissionem. gratias, inquit, tibi agent cœlestes illæ virtutes, in sanctorum illorũ ecclesia, qui in cœlis sunt. huiusmodi autem ecclesiam Paulus, primogenitorum ecclesiam appellat descriptorum in cœlis. Quod si iuxta aliam expositionem, per cœlos, eos homines intelligas, qui cœlestia sapiunt, sanctorum ecclesiam illorum esse ecclesiam dices, qui in terra viuentes, cœlestium angelorum vitam, ac conuersationem imitantur.

Quoniam quis in nubibus æquabitur domino? similis erit domino in filiis dei? Quod hic legimus in nubibus, quidam interpretes, in alto, reddiderunt: alij, in locis cœlestibus. manẽt autem in alto atque in locis cœlestibus angeli. Quis, inquit, angelus æquabitur domino? vel quis inter sanctos omnes, ei poterit comparari? per dei enim filios, sanctos viros intelligimus, iuxta illud: ego dixi dij estis, & filij altissimi omnes, ac si diceret, nullus profecto ei poterit comparari. tu enim factor, illi autem factura. verum hęc propheta non dicit vt cõparet deo homines, sed idioma Hebraicum secutus, ex hac dissimilitudine, dei excellentiam demonstrat, eumque laudat, veluti qui magna quædam, ac salutaria pollicitus sit. his autẽ verbis, illa Apostoli valde similia sunt, quòd neque angelus neque homo, sed ipse deus saluauit nos.

Deus qui glorificatur in consilio sanctorum, magnus & terribilis est super omnes, qui in circuitu eius sunt. Per consilium hoc in loco congregationem, & concilium intelligit, vt in primo etiam diximus psalmo. in cõgregatione, enim sanctorum glorificatur, & laudatur deus. Ait igitur, ꝙ deus in illa cõgregatione, & glorificatus, & magnus est, & terribilis, hoc est, timendus ab iis sanctis, qui circũquaque per virtutũ adeptionem ei propinquiores fiunt. Magnus autem & timendus est deus his sanctis, quia illius eminẽtiam ac potentiam optime cognoscunt. per sanctos etiam cœlestes intelligi possunt potestates quæ semper circa eum sunt. legimus etiam apud sanctum Maximum, quòd ille dicitur circundatus, qui coram, retro,

retro, ad dexteram, atq; ad sinistram, aliquos quasi in circulo habet. Quoniam igitur deus in circuitu suo habere multos dicitur, qui eum circundant: retro quidem eos esse intelligemus, qui per virtutem illam eum sequuntur, quæ ad actiones pertinet: ad sinistram vero illos, qui naturalẽ philosophiam dirigunt ad spiritualia. de sapientia enim in prouerbiorũ libro dicitur: in sinistra eius diuitiæ & gloria, ad dexteram etiam dei esse illi intelligendi sunt, qui immaterialium atque inuisibilium rerũ cognitionem ab omni sensibili atq; carnali phãtasmate puram ac mundã susceperunt. in dextera enim, inquit, eius anni vitæ: coram deo etiã illos esse dicemus, qui ob immensum diuinæ pulchritudinis amorem, digni effecti sunt, vt perpetuo dei fruantur conspectu, facie ad faciem illum intuentes, & quodammodo ipsi pariter effecti dij.

Domine deus uirtutum. Huiusmodi verba exposuimus in psalmo octuagesimo tertio.

Quis similis tibi? Huiusmodi etiam sententiam crebro inuenies apud beatum Dauid. dicta autem sunt non vt interrogaret, sed veluti obstupescens, vt nos hoc pacto illius incomparabilitatem doceret.

Potens es domine. Vt facias, quæ pollicitus es, vnde etiam credo te omnia deinceps perfecturum.

Et ueritas tua in circuitu tuo. Non solum potens es, sed verax etiam. veritatem enim indutus es instar vestis, quę circũquaque ex omni parte hominem operit: quæ verba illud videntur indicare, quod deus semper verax est.

Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas. Potestatem maris, vndarum violentiam appellat: tu & procellarum, inquit, & tranquillitatis imperium in mari habes: & quemadmodum in psalmo LXXIII. deum ab admirandis eius operibus laudauit dicens, tu hæc atque illa fecisti: ita etiam agit in præsenti.

Tu humiliasti sicut uulneratum, superbum. Iuxta historiæ sensum, omnem superbum ac temerarium hominem intellige. Dominus enim, inquit, resistit superbis. verum altius consyderando, per superbum, ipsum dæmonem intellige, qui in superbiam elatus est, atque ideo deiectus, & in præceps delatus. vulneratum autem ideo dixit, quia vulnerati omnes, vt plurimũ, humiles sunt, veluti labore afflicti. Quidam per

dam per ſuperbum, Pharaonem intelligunt, & per inimicos, Aegyptiorum populos, qui diſſipati ac ſuffocati ſunt in mari.

In brachio uirtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos. In brachio potentiæ tuæ, hoc eſt, in potenti brachio tuo. Per inimicos vero, impios omnes in vniuerſum intellige, vel ipſos etiam dæmones.

Tui ſunt cœli, & tua eſt terra. Creaturæ enim tuæ ſunt, & ſeruiunt tibi: nam & alibi ait. Quoniam omnia ſeruiunt tibi, de cœlis vero diximus in pſalmo octauo.

Orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti. Idem rurſus repetit. de hoc etiam diximus in pſalmo trigeſimotertio, ibi: Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terræ, & vniuerſi, qui habitant in ea.

Aquilonem, & mare tu creaſti. Heſychius dicit, ꝙ ſcriptura nomine maris perſæpe occaſum ſignificat, vnde liber numerorum, qui Iudæorum tribus deſcribit, & alias ad orientem, alias ad occidentem, alias ad ſeptentrionem, aut ad tabernaculi meridiem ordine quodam diſpoſitas fuiſſe dicit, hac maris dictione, eos ſignificauit, qui ad occidentem erant collocati. Ait enim: caſtra Ephraim iuxta mare. Quia igitur ſeptẽtrionalis ora, & ora maritima, hoc eſt, occidentalis, tenebroſæ ſunt, hybernaleſque, & frigidæ, & futurũ erat, vt aliqui ea ratione illarum creatorem eſſe dæmonem dicerent, neceſſario ſanctus ſpiritus hunc errorem antea eradicauit. Illud ſcire etiam oportet, ꝙ quando orientem aſpicimus, ante faciem ipſum orientem habemus, occidentem poſt terga, in dextera meridiem, atq; in ſiniſtra ſeptentrionem.

Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. Thabor & Hermon montes ſunt, & contermini terræ promiſſionis. Per hos autem montes, vniuerſam terram illam ſignificauit, quam exultaturam eſſe prædicit in Chriſti nomine, hoc eſt, in Chriſto. Vel exultaturam in hoc, vt à Chriſto denominetur. Per terram vero homines intelligimus, qui terram illam incolebant. In his autem montibus Chriſtus ſæpenumero conuerſatus eſt, quippe qui & in Thabor tranſfiguratus eſt, & in Hermon viduæ filiam ſuſcitauit. In monte enim Hermon ſita eſt ciuitas Naim, in qua miraculum illud factum eſt.

Tuum brachium cum potentia. Senſus eſt quòd Chriſti virtus efficaciſſima ſit. Per brachium enim virium efficaciam ſignificauit.

ſignificauit. Quòd autem potentiſſimus fuerit Chriſtus, ex Apoſtolo docemur, qui de eo ſcribens dicit: quòd dei potentia eſt, & dei ſapientia.

Præualeat manus tua. Aduerſus inimicos ſcilicet.

Exaltetur dextera tua. Ad protectionem ſcilicet noſtram. Per manum autem & per dexteram ſimili modo dei potentiam intelligit. Vtranque vero manus dei potentiam, in auxiliũ ſuũ poſcit, vt & hoſtes pariter vlciſcaẽ, & tueatur beneuolos. De his etiã verbis, exaltet manus tua, dictũ eſt in pſal. 1x.

Iuſtitia & iudicium præparatio throni tui. Aquila tranſtulit: iuſtitia, & iudicium baſis throni tui, Symmachus vero ſtabilitas. Iam enim ſuperius dictum eſt, quòd verbum præparo apud ſcripturam perſæpe idem ſignificat quod ſtabilio: & ſenſus eſt. Tu domine iuſtus iudex es, & iudicialis ſedes tua, in iuſtitia, atque in iudicio fixa eſt. Per iuſtitiam igitur & per iudicium, iuſtum iudicium intelliges. Eſt autem hæc figura frequens apud antiquam ſcripturam, vt alibi diximus, ſicuti cum miſericordia & veritas ponitur, pro vera miſericordia. Vel per iuſtitiam, iudicandi habitum intellige, per iudicium vero ipſam ſententiam, & per miſericordiam, eleemoſynam, & per veritatem, promiſſionis euentum.

Miſericordia & ueritas præcedent faciem tuam. Quatuor hę virtutes, quatuor quædam particulatim in deo nobis ſignificant, quòd deus videlicet ſui natura ſapiens ſit in iudicando, ꝙ iudicet, ꝙ miſereatur, quòd vera dicat. Tu idcirco, inquit, humanæ naturæ, quæ tyrannide coercetur, iudicium facies, & aduerſus idolorum errorem, qui tyrannidem hanc in hominem occupauit, ſententiam feres, & miſereberis creaturæ tuæ, & veras eſſe facies promiſſiones tuas, quas mihi, atque aliis electis tuis pollicitus es. Poſſumus & aliter dicere: veritas & miſericordia dicuntur deum præcedere, quia nemo ad faciem dei, hoc eſt, ad illius cognitionem poteſt accedere, niſi prius ipſe ſit miſericordiam conſecutus, & in dogmatum veritate verſatus. Miſericordia enim & veritas in hoc obuiauerunt, hoc eſt, concurſum habent, atque conuenient in hac re. Quidam vero omnia hæc de futuro intelligunt iudicio, vt ſit ſenſus: tu iuſtiſſimus iudex es, & in iudicio tuo miſericordia veritatem præcedit. Neque enim aliquis poſſet redargutionũ tuarum veritatem ſuſtinere, niſi cum veritate, tua quoq; commixta

mixta esset misericordia.

Beatus populus qui scit iubilationem. Persæpe diximus quòd iubilum est vox victoriæ. Beatos igitur Propheta illos dicit, qui victoriæ laudes, atq; hymnos ei canere nouerunt, qui diabolum superauit, & de fidelibus sermo esse videtur. Vel aliter: beatos illos dicit, qui aduersus inuisibiles inimicos nouerunt iubilare, dum eos vincunt.

Domine in lumine vultus tui ambulabunt. Vultus quidem patris, est filius, vt in tertio psalmo diximus. Lumen autem filij illius mandata. Lucerna enim, inquit, pedibus meis, lex tua, & lumen semitis meis. Ait igitur quòd illi in filij mandatis ambulabunt, qui huiusmodi iubilationem cognoscent.

Et in nomine tuo exultabunt tota die. Appellando atque inuocando nomen tuum. Nam si in sola dei memoria lætatur iustus (memor enim, inquit, fui dei, & lætatus sum) multo magis ille exultabit, qui illū nominat. Vel sermo est ad Christum, in cuius nomine illi exultant, qui ab eo Christiani denominabuntur.

Et in iustitia tua exaltabuntur. Filius, esse dicitur, patris iustitia, quia vt inquit Apostolus, ipse datus est nobis à deo sapientia, iustitia, & sanctificatio, qui etiam fideles exaltauit, abstrahens eos à terrenis per Euangelium, atque in cœlum euehens.

καὶ χαμαι *Quoniam gloriatio virtutis eorum tu es.* Virtus enim Christianorum Christus est. Ipse enim potentes viribus eos reddit. Gloriatio autem Christi, pater, in quo filius ipse adeò ornatur & gloriatur, vt passim in Euangelio, & patrem suum eum appellet, & facta sua omnia ad eum referat.

Et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Beneplacitū patris, incarnatio est verbi, & quæcunque alia ad huiusmodi incarnationem pertinent. Quid significet cornu apud sacram scripturam, diximus in psalmo septuagesimoquarto. Hoc autem in loco beatus Dauid seipsum Christianis coniunxit, quemadmodum plerunque etiam alibi facit, quia ex suo semine Christus erat nasciturus, quo medio cognatus effectus est Christianis. Nam Christiani Christi filij sunt, & Christus Dauid. Possunt etiam hęc verba intelligi, vt ex Christianorum persona sint prolata.

ἡ ἀντίλη ψις *Quia domini est auxilium.* In dei facultate est vt adiuuemur.

Similis

Similis loquendi modus est, quem vidimus in psalmo tertio. Domini est salus.

Et sancti Israel regis nostri. Idem rursus repetit. In facultate, inquit, dei & sancti regis nostri Israel est, vt adiuuet nos. Deus autem appellatur sanctus Israel, hoc est, sanctus populi Israel, quemadmodum diximus in psalmo septuagesimoseptimo. Regem etiam deum appellat, quia natura omniū dominus est.

Tunc locutus es in uisione filiis tuis. Dictionem, tunc, pro certo quidem tempore posuit, sed non expresso. Tunc igitur locutus es ea, quæ ad me Dauid pertinent, & locutus ea in visione, hoc est, quodam alio modo sensui magis aperto. Clarius enim ac melius ea cognoscimus, quæ per oculorum sensum videmus, quàm quæ aliis sensibus percipimus: vnde scriptum legimus in Exodo, & populus videbat vocem domini, hoc est clarissime sentiebat. Per dei autem filios, Prophetas intelligit, tanquam ab eo dilectos, propter virtutem. Verisimile est enim multis fuisse reuelata ea quę pertinebant ad ipsum Dauid, atque ab illis ei fuisse annunciata, quemadmodum & Natham prophetam multa ei legimus annunciasse. Quæ nam autem hæc sint, quæ deus locutus est, refert in sequentibus. Et videntur hæc quidem dicta fuisse de beato Dauid, eo quò multis in locis illius gestis conueniunt, verumtamen ipsi potius Christo accommodantur. Admiranda est autem sancti spiritus gratia, quæ Dauidicis rebus opportune ea admiscuerit, quæ ad Christum pertinent, & veritatem similitudine adumbrauerit.

Et dixisti posui adiutorium super potentem. Præbui à me ipso auxilium potenti. Et potentem quidem videtur propheta seipsum appellare, veluti regem. Nam olim reges & principes, potentes dicebantur. Verius tamen Christum intelligimus, qui dei potentia est, & dei sapientia.

ἐπὶ δυνα στὸν

Exaltaui electum de populo meo. Videtur etiam hoc loco, primo aspectu loqui de seipso, qui ex Iudæorum populo electus fuerat in regem, & ob summam strenuitatem, ad sublimem gloriam euectus: re vera tamen Christum intelligit, electum quidem, vt ipse vna illa esset persona, in qua secundum hypostasim cum humanitate vniretur diuinitas, atque ideo dicit, ꝙ deus eum exaltauit.

Inuenì

Inueni Dauid seruum meum. Hæc verba, & quæ sequuntur vsque ad illa verba,& in nomine meo exaltabitur cornu eius: intellige vt ad solum pertineant Dauid, tametsi aliqui ista etiam ad Christum referant. Inueni eum, inquit, ad regnum, cum inter Iesse filios eum quæsissem. Dixit enim ad Samuel, vidi in filiis Iesse mihi regem.

Oleo sancto meo unxi eum. De vnctione ista Dauid, traditur in primo Regum libro: Et accepit,inquit,Samuel cornu olei,& vnxit eum coram omnibus fratribus eius. Sanctum autem dei oleum dixit,vt illius confectionem, & diuinitus traditam,& mysteriis refertam esse significaret.

κατισχύσει *Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum roborabit eum.* Per manum,& per brachium dei, diuinam appellat opem,atq; potentiam.

Nihil proficiet inimicus in eo. Hebræi persæpe proficere dicunt pro perficere, veluti in Euangelio: Videtis quia nihil proficitis,hoc est, nihil operamini, nihil ad perfectum ducitis.

Et filius iniquitatis non apponet nocere ei. Filium iniquitatis dicit pro,filium iniquum,sicut filium hominis, pro homine,ita & iniustitiæ filius dicitur,pro filius iniustus,& filius perditionis pro,perditus: filij etiam inobedientiæ pro inobedientes. Est & hoc propriũ quoddam Hebraicæ linguæ idioma. Non apponet etiam dixit pro non amplius tentabit, veluti iam semel repulsus.

Et concidam à facie illius inimicos eius, & qui oderunt eum, in fugam conuertam. A facie eius,hoc est, in conspectu eius. In fugam conuertam,id est, superabo.

Et ueritas mea, & misericordia mea cum ipso. Vera misericordia mea,vt superius declarauimus. Vel veritas quidem ad promissiones respicit,misericordia autem ad auxilium.

Et in nomine meo exaltabitur cornu eius. Cornu Dauid Christus est, hoc est, illius gloria. Nam quemadmodum quædam animalia cornua emittunt è capite, quæ non tantum fortitudini sunt,sed ornamento,ita ex beato Dauid, qui Iudæorum fuit caput,veluti eorum rex (principes etenim capita appellamus) pulcherrimum quoddam cornu germinauit,quod non robur tantum sed gloriam,atque ornamentum etiam ei præstitit. Alia etiam ratione potest illius cornu dici,quia ratione

tione diuinitatis omnibus est sublimior. Cornu enim membris omnibus corporis supereminet. Ex persona igitur dei patris dicit Propheta, quòd cornu Dauid, ipse nimirum Christus exaltandus esset in ipsius dei nomine. Exaltatus est autẽ Christus in nomine dei, eo ꝙ & ipse dei nomen habet, & ab omnibus appellatur deus. His autem consona sunt ea,quæ in Euangelio legimus,dicta fuisse à Zacharia,dum ait: Et erexit cornu salutis nobis,in domo Dauid pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum: eos nimirum prophetas intelligens, quos beatus Dauid superius filios dei appellauit. Per domum autem Dauid,illius generationem intellexit.

Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. Per mare quidem,insulas significauit,quæ in mari sunt,& per flumina,continentem terram, in qua flumina perfluunt. Per manum autem & per dexteram,vt sæpe diximus,potestatem, & dominium intelligit. Verum si quærimus quando totius orbis dominium vnquam habuerit beatus Dauid,nusquam id inueniri poterit: at Christus totius maris,ac totius terræ rex manifeste constitutus est, atque illius dominium adeptus, iuxta quod legimus in psalmo septuagesimoprimo. Et dominabitur à mari, & à fluminibus vsque ad terminos orbis terrarum. Quapropter non ad ipsum Dauid hæc pertinent, sed ad Christum.

Ipse inuocabit me,pater meus es tu, deus meus & adiutor salutis meæ. Inuocabit me aliquando dicens: pater meus es tu. Verum vbi nam beatum Dauid legimus appellasse deum patris nomine? nusquam profecto: at Christus passim in Euangelio patrem illum suum dicit,vt deus: deum vero & adiutorem,vt homo.

Et ego primogenitum ponam eum. Ita etiam magnus Paulus eum appellat,primogenitum in multis fratribus,& primogenitum ex mortuis: & rursus primogenitũ omnis creaturæ,tanquam noui populi primitias,& veluti eum qui primus à mortuis ad immortalitatem resurrexit, & tanquam præcipuum quid,atq; electum in noua fidelium creatura.

Excelsum præ regibus terræ. Eos quidem qui illum cognoscunt subditos sub se habet,atque ei inclinatos: hostium vero,atque eorum, qui illius detrectant imperium, semper est sublimior: & hac ratione excelsus est præ omnibus regibus

terræ,seu fideles sint illi reges,seu infideles. At Dauid,qui vnĩ tantum imperauit prouinciæ,omnibus regibus sublimior esse non potuit.

In seculum seruabo illi misericordiam meam. Illi inquã Christo,qui secundum hominem diuina indiguit misericordia,si non propter seipsum, propter suos saltem Christianos, ac fideles,pro quibus ad patrem rogabat,dei atque hominum mediator effectus.

Et testamentum meum fidele ipsi. Promissio, quæ ad ipsum Dauid facta est fidelis, hoc est, firma erit, ipsi Christo, hoc est, adimplebitur in eo. Dictum est enim superius: vsque in seculum præparabo semen eius.

Et ponam in seculum seculi semen eius. Semen Christi sermo est Euangelicus, qui in discipulorum animis fuit dissemi natus,qui sermo manet in seculum seculi. Vel pro semine eius,nouum populum intellige, qui in omni gente regeneratus est. Symmachus autem pro his verbis, in seculum seculi: transtulit,perpetuo. Vere autem contra Christi Ecclesiã portæ inferni in æternum non prævalebunt.

Et thronum eius sicut dies cœli. Et rursus ponam thronum regni eius, ita perpetuum, vt dies cœli, qui perpetui sunt, & terminum suum vsque ad mundi consummationẽ seruabunt. Similia sunt illa verba,& permanebit cum sole,vt vidimus in psalmo septuagesimoprimo. Dies autem cœli dicuntur,eo ꝙ à cœlo,ipso solis cursu effici videntur. Ostendant nobis igitur Iudæi semen Dauid positum in seculum seculi, hoc est, cõseruatum in regno,aut regalem illius thronum adhuc permanere. Verum id non poterunt. In Iechonia etenim, atq; in Sedechia finem habuit regnum Dauid. Vterq; enim eorum à Babyloniis in captiuitatem actus est,& Sedechias quidem oculis orbatus, Iechonias vero in perpetua seruitute detentus est. Tunc itaque destructum est prorsum regnum,& thronus Dauid, & nullus amplius in eo sedit. Nam Zorobabel post reditum è captiuitate non rex fuit sed dux: adeò,vt regnum Dauid in posteros quadringentorum annorum tempus non superauerit.

διαθή-κας

Si dereliquerint filii eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint:si iustificationes meas profanauerint,& mandata mea non custodierint, uisitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus

bus iniustitias eorum. Christi filij ij sunt qui per Euangelium, & per baptismatis lauacrum ei regenerantur. Quid inter se differant lex, iudicium, iustificationes, & mandata, dictum est in psalmo decimo septimo. Profanauerint autẽ dixit pro paruipenderint. Nam profanum ad sacri distinctionem dicitur. Quod autem non est sacrum,immundum existimatur,& modici momenti. Per virgam vero & per verbera,tẽtationes & calamitates intelligit. Sensus est: Ego delinquentes illos castigabo, & variis eos modis corrigam, gentium nimirum insurrectionibus,bello, fame, tyrannide, atq; huiusmodi aliis castigationibus: eos tamen omnino non repellam. Per iniquitates autem, & iniustitias, idem æquè intellige significari.

Misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Parcens eis scilicet,& eorum pœnitentiam expectans. O immensam dei misericordiam. Miseretur etenim deus etiam dum flagellat, & meras nunquam adhibet pœnas. Et verberat quidem atque castigat vt contemptores,miseretur tamen vt suis. ἀπ' αὐτ

Neque iniuste agam in ueritate mea. Nullam ego,inquit,iniuriam inferam ipsi Dauid: promissionesque & pacta cum eo inita nusquam transgrediar. Hoc autem non faciam propter veritatem meam,quia scilicet ego verax sum. ἀδικήσω

Neque profanabo testamentum meum. Non paruipendam, inquit,nec spernam testamentum meum. Testamenti autem authoritas in hoc sita est,vt & verum sit,& obseruetur: quemadmodum contrà,paruipendi dicitur,si infringatur,aut non seruetur. Per testamentum autem, seu (vt Græca dictione διαθήκη,verius significatur) per dispositionem,verba illa intelligit, quibus disposuit dicens: in seculum seruabo ei misericordiam meam.

Et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Verba hæc ad præcedentium declarationem consequuntur. Introducit autem Propheta deum hic humano quodã more loqui dum labia illum sua appellare facit. Per labia autem, & per os ac linguam dei,ipsum dei verbum intelligendum est.

Semel iuraui in sancto meo,si Dauid mentiar. Dictio semel confirmationem ac stabilitatem quandam significat,ac si diceret: firmiter iuraui. Simile illud est: semel locutus est deus, & iuraui,pro,constanter asserui. Iuraui autem per sanctitatẽ

meam. Omnis enim qui iurat, per maius quid iurat, verum deus per maiorem se iurare nō valens, per seipsum iurat, hoc est, in se ipsum, quemadmodum magnus nos Paulus docuit. Ea autem verba: si Dauid mentiar, idem significant, ac si dixisset: non mentiar ipsi Dauid. Est enim hoc quoque veteris scripturæ idioma, vt in iuramentis dictionem, si, ponat, loco negatiuæ. Tale quid inuenies in psalmo centesimo quadragesimoprimo, ibi: si introibo in tabernaculum domus meæ, pro, non introibo, & quæ sequuntur.

Semen eius in seculum manet. Semen quidem Dauid Christus est secundum carnem, vt diximus, qui perpetuo regnat, & omnibus dominatur. Christianis quidem volentibus, infidelibus vero etiam inuitis. Data est enim mihi, inquit, omnis potestas, in cœlo & in terra. Semen autem Christi sermo Euangelicus dicendus est, aut fideles, qui ei per baptismum regenerati sunt, vt diximus. Hoc igitur atque illud semen perpetuo manebit iuxta promissionem meam.

Et thronus eius sicut sol coram me. Regnum Christi in fideles celeberrimum est, & diuturnum tanquam sol. Quare autem solem assumpserit in diuturnitatis similitudinem, dictum est in psalmo septuagesimoprimo, ibi: & permanebit cum sole.

Et sicut luna perfecta in seculum. Regnum, inquit, illius celeberrimum est, & instar solis diuturnum, & diuturnum in seculum, & tanquam luna in plenilunio, quam perfectam lunam appellauit. Duo etiam luminaria in similitudinem assumpsit, quemadmodum vidisti in sæpe dicto psalmo septuagesimoprimo.

Et qui testis, in cœlo fidelis. Symmachus pro, testis, dixit, contestatus. Ille, inquit, qui contestatus, ac pollicitus mihi est, se ea meo semini daturum, quæ diximus, ille in cœlo est, & fide dignus est. Huius enim mundi homines non adeò fide digni sunt.

Tu uero repulisti, & despexisti. Quæ sequuntur Propheta ex Iudaici populi persona conscripsit, Babylonicam captiuitatem deplorans, & promissiones à deo factas ipsi Dauid, pene neglectas fuisse reputans. Tu vero, inquit, qui prædicta omnia pollicitus es, repulisti atq; inhonorasti semen Dauid.

Et respicere

Et respicere videntur hæc verba ad Iechoniam & Sedechiā. Verum non mediocriter desipiunt Iudæi, qui deum mentiri posse suspicantur, quod qui suspicatur, tam impie agit, quàm impossibile est deum, aut fallere, aut falli. Cæterū semen Dauid, cui regni æternitas promissa est, Christum esse affirmamus: cuius regni non erit finis. Et Iudæi quidem terrestre, ac mundi huius tam regnum, quàm thronum intelligunt, nos autem Christi regnum, non huiusmodi esse dicimus, cum ipse illud esse negauerit de hoc mundo, quia nimirum corporis sensu percipi non potest, sed spiritu tantum, atque intellectu. Regnum autem Christi est voluntaria fidelium omniū subiectio, & seruitus. Et enim, inquit, constitutus sum rex ab eo: & rursus. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionē tuam terminos terræ.

Distulisti Christum tuum. Per Christum tuum, idem intelligit, ac si diceret: Regem illum, qui tua sententia vnctus fuit ad regnum. Hoc pacto beatus Dauid in primo Regum libro Saul regem, Christum domini appellabat. Distulisti autem, hoc est, seorsum à te posuisti, ac repulisti, non adimplendo nimirum promissiones ei factas.

Destruxisti testamentum serui tui. Irritasti, inquit, promissionem, quam ei fecisti.

Profanasti in terram sanctuarium eius. Vidimus in psalmo septuagesimotertio: profanauerunt in terram tabernaculum nominis tui. Per sanctuarium autem eius, eius dico, Dauid, celeberrimum illud templum intelligit, quod fuit in Hierusalē: quasi ab ipso Dauid constructum fuisset, seu ipsius dicendum esset, eo quòd ab eo primum decretum est, vt ædificari deberet, & quia materiam Solomoni filio tanto operi opportunā reliquit. Quinimmo iam antea ipse illud erexisset, ni iussum ei fuisset à domino, ne ipse, sed Solomon templum ædificaret. In prædicto etiam psalmo septuagesimotertio, tam sancti quàm sanctuarij nomine similiter templum appellat. Illud etiam animaduertendum videtur, q̄ Propheta qui ex populi, vt diximus, loquitur persona, vniuersam hanc calamitatem in ipsum reiicit beatum Dauid, studens hoc pacto deum magis ad misericordiam flectere, dum populū cernit tanta ego beatum Dauid compassione permoueri.

Destruxisti omnes sepes eius. Per sepes, templi muros intelligit,

ligit,seu etiam ipsas Moysi leges.

ἐχυρώματα *Posuisti munitiones eius formidinem.* De Iechonia loquens, aut Sedechia, sermonẽ tamẽ suum format Propheta quasi de seipso loquatur Dauid,quia calamitatem,qua posteri obruti, fuerunt,illatam reputat progenitori. Munitiones autem tam Iechoniæ, quàm Sedechiæ in murorum ambitu erant, verum vterque eorum in captiuitatem actus est,& tantarũ munitionum loco. Vterque etiam formidine fuit circundatus. Fecisti eum,inquit, circundari formidine, atque ea veluti septis quibusdam vallari.

Diripuerunt eum omnes transeuntes per uiam. Eum pro eius diuitias. Transeuntes vero per viam, vicinas appellat gentes, quæ transitũ prope eum faciebant, & quas in psalmo septuagesimonono appellauit prætergredientes viam.

Factus est opprobrium uicinis suis. Hic versiculus etiam habetur in psalmo septuagesimooctauo: eo excepto q̃ illic populus plurali vtitur sermone.

ὑψώσαντων *Exaltasti dexteram conterentium eum.* Hoc est superiores ei fecisti Babylonios. Solent enim qui victores sunt in bello,extollere manus supra victos,atque hoc pacto eos cedere.

Lætificasti omnes inimicos eius. Vicinas scilicet gentes, vt in sæpe dicto psalmo septuagesimooctauo diximus.

Auertisti adiutorium gladii eius. Quod in pugna ei præstare solebas.

Et non es auxiliatus ei in bello. Quod scilicet aduersus Babylonios gestum est.

κατέλυσας ἀπὸ καθαρισμοῦ *Desiuisti ab emundatione eius.* Cessare eum fecisti à consueta purgatione. Aspersionibus enim vtebantur,& purificatoriis Iudæi, quando celebritatem, aut festiuitatem aliquam peragebant. A præcedenti igitur, signauit id quod consequitur,ac si diceret:omnes illius festiuitates prorsus delesti.

κατόρθωσας *Et thronum eius in terra confregisti.* Regnum eius etiam euertisti. Est enim sermo metaphoricus.

Minorasti dies temporis eius. Tempus intelligit promissum semini Dauid, quod scilicet futurum esse dixeras in seculum seculi. Minuisti autem illud, hoc est,concidisti, tametsi diuturnius id fore promiseras.

Perfudisti eum confusione. Ea nanque quæ posteris probro sunt,ipsis quoq; progenitoribus videtur ignominiã infligere.

Ignominia

Ignominia autem affecti sunt ob captiuitatem, & ob multa alia dedecora,quæ passi sunt.

Vsquequo domine auerteris in finẽ?exardescet sicut ignis ira tua? Hęc verba iis similia sũt, quę habẽtur in psalmo LXXVIII. ibi:vsquequo domine irascēris in finẽ?exardescet velut ignis zelus tuus?

ὑπόστασις *Memor esto,quæ mea subsistentia.* Meméto quare ego substiterim,hoc est,cur plasmatus fuerim. Ea autem prorsus de causa creatus sum vt viuens magnalia tua glorificarem. Eripe igitur quęso me à morte.neque enim mortui laudabunt te domine.

μὴ γὰρ μάταιος *Non enim uane creasti omnes filios hominum.* Non frustra, nec sine causa hominem plasmasti, vt inutilis ac superfluæ cuiuspiã rei instar, perire debeat: quinimmo imagine illum tua honorasti, magnumque & honorabilem fecisti. Ne despicias igitur nos misere pereuntes.

Quis est homo qui uiuet, & non uidebit mortem?eruet manũ suam de manu inferni? Quis posuit pro nullus: & subaudienda est eadem dictio, in secundo versiculo, ac si diceret: & quis est, qui eruet &c. Per inferni vero manum, possessionem, & tyrannidem mortis intelligit: & quoniam necessario futurum est,vt moriamur,eo quòd mortalem habemus naturam, opportune participari sibi optat dei misericordiam in præsenti vita dicens.

Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ domine, quas iurasti Dauid in ueritate tua? Per misericordias, promissiones intelligit à deo factas de semine & de regno Dauid. Summa enim erga homines misericordia motus fuerat deus:vt huiusmodi promissiones faceret. Antiquas autẽ has promissiones ideo esse dicit,quòd supplicãti olim populo factæ fuerant:quo populo beatus Dauid multis annis erat iunior:vel quia ante seculum à deo ita determinatum fuerat, vt ait Paulus de Christi mysterio, absconditum inquiens fuisse id mysterium ante secula. Esaias etiam has dei misericordias antiquum, & verum consilium appellauit. Iurasti autem, hoc est,constanter pollicitus es:in veritate tua,hoc est,quia verax es.

Memor esto domine opprobrii seruorum tuorum,quod continui in sinu meo multarum gentium. Seruorum tuorum Hebræorum scilicet quod opprobriũ à multis gẽtibus sustinui, quæ obsi-

dioni & captiuitati interfuerunt. Sustinui autem, hoc est, gestaui in corde meo. Aquila enim tuli, & Symmachus gestaui, reddiderunt, pro sustinui. Per sinum vero, ipsum cor intelligit, quia in eo lætitiam aut dolorem, veluti in sinu quodam reponimus.

Quod exprobrauerunt inimici tui domine, quod exprobrauerunt commutationem Christi tui. Per Christum domini, ipsum intelligit regem Dauid, vt superius tradidimus. Per commutationem vero ipsius Christi seu Dauid, Iechoniam intelligit, aut Sedechiam, qui loco ipsius Dauid in populo regnauerũt: quibus Babylonij captiuitatem exprobrabãt. Repetitio autem verbi, exprobrauerunt, vehementiam indicat doloris.

Benedictus dominus in seculum: fiat fiat. Docet propheta in fine psalmi ne inter afflictiones animo consternemur, suadens rogandum deum esse, & illius reminiscẽdum benignitatis, & postremo etiam eundem esse laudandum, veluti qui nostra omnia recte administret, & dirigat ad vtiliora. Laudabilis igitur, inquit, semper est deus: fiat fiat laudabilis, vel fiat fiat semper eius voluntas. ad ea enim semper dirigitur, quæ nobis magis conducunt.

Oratio ipsi Moysi homini dei.

De hac inscriptione diximus in procœmio operis. Docemur autem hoc psalmo, quo pacto in afflictionis & calamitatum tempore, rogare deum debeamus. PSALMVS LXXXIX.

Domine refugium factus es nobis in generatione, & generatione. Hoc est, in omni generatione. Ita enim reddidit Symmachus.

Priusquam montes fierẽt, & plasmaretur terra, & usque in seculum tu es. Tu ideo es nobis refugiũ in omni generatione, quia semper tu es, etiam ante montium aut terræ, aut totius prorsus orbis creationem. Et cum creatorem deum creaturis omnibus priorẽ esse dixerit, alio deinceps modo eundem æternum esse sine principio tradit, & sine fine. Nam quod ait: à seculo & vsque in seculum tu es: idem sibi vult ac si dixisset: ab æterno vsque in æternũ tu solus es, & non alius. Seculum enim pro semper, seu pro æterno persæpe poni legimus apud scripturam. Verba autẽ illa priusquam

priusquam montes crearentur, & plasmaretur terra, & orbis: idẽ æq; significãt: & iterationem continẽt sermonis: tametsi magnitudinem quandã, ac fastum præ se ferre etiã videãtur.

Ne auertas hominem in humilitatem. Variis modis humilitas accipitur apud scripturam. Aliquando enim ponitur pro modestia, iuxta illud: discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Aliquando pro illa castigatione, quæ de afflictionib⁹ prouenit, iuxta illud: bonum mihi, quia humiliasti me. Aliquãdo etiã pro destructione, iuxta illud: tu humiliasti quasi vulneratum superbum. Et aliquando pro subiectione, veluti cum quis hostib⁹ suis subiicitur: & hoc pacto ponitur in prę senti psalmo: ne permittas me, inquit, in hanc humilitatem conuerti, postquam ad te confugi.

Et dixisti conuertimini filii hominum. Tu, inquit, dixisti: ô filij hominum conuertimini. Multis autem in locis id dictũ legimus fuisse à deo, præcipue apud Moysem. Suscipe igitur nos, qui conuertimur ad te.

Quoniã mille anni in oculis tuis domine, sicut dies hesterna quæ præteriit, & custodia in nocte. Hoc etiam dictum est ad demonstrandam dei æternitatem: mille, inquit, anni coram te, tam breue tempus reputantur, quàm apud nos dies vna vel quæ iam etiam præterierit. Breuior nanque videtur ea dies, quæ præteriit, quàm ea quæ adhuc prẹsens est: & rursus, tam breue tempus reputãtur mille anni, coram te, q̃ apud nos reputatur quarta pars noctis: quã partẽ noctis, custodiã appellauit. Solent enim ij, qui in exercitu per vices custodias faciũt, quamlibet noctẽ in quatuor diuidere partes, & vnam quamque partem, custodiam appellare: verbi gratia primã, aut secũdam custodiam. Cum igitur primo mille annorum spatium, tempori vnius diei comparauerit, atque eius quidẽ præteritæ, addidit & quoddam tempus multo breuius: quartam scilicet noctis partem. Breuior enim videtur nox quàm dies, cum nox multo citius præterfluere videatur, & quia qui dormiunt, temporis lapsum non agnoscunt, & quia ob tenebras id etiam minus percipitur, & quia laborãtibus hominibus longius esse videtur tempus, quàm cessantibus ab opere. Non secus igitur apud deum mille annorum interuallũ reputatur, quàm apud nos, aut præterita dies, aut quarta noctis pars, cum anni ipsi semper labantur, & fluant, deus vero immobilis

mobilis sit, & æternus. Dictio autem, quoniam, ad confirmãdum posita est, & idem significat, quod vere.

τὰ ἐξοῦδε νώματα αὐτῶν ἔτι ἔσονται & non ἔτη

Contemptus eorum adhuc erunt. Cum humanæ vitæ annos exiguos esse propheta docuerit, tametsi ad mille annorũ spatium nostra protẽderetur vita, adhuc tamen amplificat prolatam à se sententiã, dicẽs: se magis etiã, ac magis huiusmodi annorũ spatia nihili facturũ, quinimmo & contẽpturũ esse, cũ ad diuinã æternitatẽ, prorsus nihil sint. Cõtẽptus, inquit, eorum mille annorum, adhuc erunt apud me, hoc est, etiam atque etiam à me magis contemnentur. Alium deinde huiusmodi annorum contemptum, ac viliorem affert dicens.

Mane quasi herba transeant. Mane hoc in loco pro cito dixit, quemadmodum, & alibi vidimus. Cito, inquit, pertransibunt mille anni, instar herbæ alicuius, quæ cito perit.

Mane floreat, & transeat, uespere decidat, induret, & arescat. Hæc omnia ad celerẽ herbæ interitũ referuntur, quæ mane quidẽ diei florebit, & pertransibit à flore, & vespere decidet: hoc est, cadet in terrã: atq; ita cõsumpto eo humore, quẽ antea habebat, obdurescet atque exsiccabitur. Omnia enim hęc verba licet optantis modum retineant, in futuri tamen significatione accipiuntur. Atque vt ostenderet propheta quàm cito herba pereat, vno atque eodem die florere eam descripsit, atque arescere. Vel forte ideo ita dixit, quia aliquæ sint herbæ: quæ vno atque eodem die florescant, & pereãt. Quidam hæc dicta esse asserunt de Iudæis, quorum religionem ac cultum in templo, mille tantum annis dicunt perseuerasse, à Solomone videlicet vsque ad Christi passionem: ita vt sensus sit: quòd hi mille anni ob illorum scelera, non secus à deo reputati sunt, quàm dies hesterna, atque ideo quòd contemptus eorum Iudæorum adhuc erunt, & semper magis augescent. Et videmus sanè eos nunquam cessasse. Quin semper magis contemptui sint, & ludibrio. Et alia etiam consequenter ad prædicta intelligunt: quòd scilicet mane eorum: hoc est, felicitas eorum, pertransibit velut herba. Eorũ autem felicitas tantum durauit, regnante Solomone. Nam postmodum semper concussi sunt. Alia autem quæ sequuntur verba, ad herbam referes eo modo, quo iam prædiximus.

Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus. Defecimus, hoc est, diminuti sumus, & periuimus, dum tu peccatis

catis nostris iratus es. De ira autẽ & furore, seu potius, iuxta veriorem græcę dictionis θυμὸς significationẽ, de excandescentia, persæpe alibi dictum est, & præcipue in psalmo VI.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo. Manifestas nimirum ac conspicuas coram te, & cum latere non possint, sed oculis assidue tuis pateant, te idcirco semper magis irritant aduersum nos.

Seculum nostrum in illuminatione uultus tui. Seculum nostrum, hoc est, vitam & cõuersationem nostram. Omnis, inquit, vita & conuersatio nostra manifesta est in conspectu tuo: & idem est sensus, qui in præcedenti versiculo.

Quoniã omnes dies nostri defecerunt. Oẽs vitæ nostræ dies pertransierũt. Ita enim, inquit, me sentire persuadet calamitatum vehementia. Est autẽ mos iis, qui in angustiis sunt, vt dicãt se ab eis oppressos esse, ac iam periisse, veluti desperata prorsus salute. Dictũ etiã est persæpe, & denuo repetemus, ꝙ dictio, quoniam, seu quia, aliquãdo ponitur vt cõfirmet, pro vere, aliquãdo rationẽ reddit, & aliquãdo tantũ narrat, & abundare quodãmodo videtur, vt hic: & ita sæpe positã eam inuenimus apud beatũ Dauid. Sit igitur hæc tibi in futurum norma certissima. Superfluũ enim est eadẽ semper repetere.

Et in ira tua defecimus. Idem etiã superius dixit, sed sermonem repetit, eorum more, qui misericordiam implorant.

Anni nostri quasi aranea meditabantur. Araneam ponit pro araneę tela. Verbũ autẽ meditabãtur in passiua hic significatione positũ est, ꝓ existimabãtur, seu reputabantur: & sensus est: quòd anni nostri à nobis existimabantur, pro existimãtur, quasi araneę tela, quæ summo fit cum labore, & modico durat tẽpore. Ob maximã enim earũ tenuitatẽ, nõ mediocri texuntur cum labore, & ob infirmitatem celeriter pereunt.

ἐμελέτων

Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autẽ in potentatibus, octoginta anni. Numerum annorum determinat, quot sint nimirũ anni potẽtiæ, hoc est, roboris, seu virium: & quot sint anni violentiæ. Ait igitur quòd dies annorum nostrorũ, hoc est, quòd anni nostri, in ipsis, pro in nobis ipsis, sunt LXX anni. Eousq; enim nos nostri sumus, hoc est, nostri dominamur, roboreq; ac viribus nostris mouemur: si autem in potentatibus quis victurus sit, hoc est, in violẽtia, eo quòd tunc vix aliquid fieri potest, octoginta annis, quis viuet.

Et quod

καὶ τὸ πλεῖον αὐτῶν

Et quod amplius eorum, labor, & dolor. Vltra hos annos siquis vixerit, labor ei erit, & dolor, ob summam nimirum ętatis infirmitatem. laborem autem hic posuit pro miseria. Aliqui ea verba: & quod amplius eorum, ita intellexerũt, quòd in iis annis, qui sunt vltra dictos septuaginta vel octoginta annos, modica est in eis delectatio, sed maior est afflictio, propter frequentes casus.

Quoniam superuenit mansuetudo in nos, & erudiemur. Per mã suetudinem modicam dei castigationem intelligit. ita enim mitiori nomine eam appellauit: quia si castigationi, & correctioni illi comparetur, qua ob summa delicta nostra digni essemus, nõ castigatio, sed mansuetudo potius videri poterit.

κρατος

Quis nouit robur iræ tuæ? Si modica castigatio tantum nobis sensum præstitit, quis nosse poterit quantæ, & quales sint iræ tuæ vires, quibus vteris aduersus eos, qui cum multa peruerse egerunt, cõuerti nolunt. Magnæ sanè vires illæ esse debent, atque intolerabiles.

θυμὸν

Et præ timore tuo indignationem tuam dinumerare? Et quis rursus iram tuam nouit metiri, hoc est, cognoscere, quanta sit. vere nullus poterit: quoniam tu valde terribilis, ac timendus es.

γνώρισόν μοι

Dexteram tuam sic notam fac mihi. Tu, inquit, sic dirigens me, in mansuetudine nimirũ atque in modica correctione, notam fac mihi dexteram tuã in die iudicij. notam vero eam mihi facies, si in dextera ouium tuarum parte me statueris.

πεπεδημένους nõ πεπαιδευμένους

Et uinctos corde in sapientia. Et rursus indica mihi iustos homines, illis videlicet me coniungens, quorum corda ante mortem vincta, atque alligata erant cum sapientia. principium autem sapientiæ est timor domini. vel, sapientia, est discretio inter virtutem, & vitia, & operatio per virtutem. Et hæc quidem ita præcedunt, intelligendo hæc verba de futuro iudicio. Possumus etiam intelligere vt sit sensus: notã fac mihi dexteram tuam, hoc est, illam potentiam, quam in defendendo habes, atque in conseruando: & eos etiam homines fac mihi notos, qui in iis rebus sapientes sunt, quæ pertinent ad diuina. cupio enim illorum consuetudine prudentior fieri.

ἐπίστρεψον

Conuerte domine. Vel te ad nos, à quibus auersus es, ob maxima delicta nostra, vel nos ad te, qui passim aberram' à via.

Vsquequo?

Vsquequo? Non conuertis scilicet: & cum interrogatione legendum est.

Et exorabilis esto in seruis tuis. Qui afflicti sunt, atque inuocant te. παρακλήθητε

Repleti sumus mane misericordia tua, & exultauimus, & lætati sumus. Præsens quidem vita vesperæ ac nocti comparari potest, propter errorem ei immixtum, & quia tandem in ea dormire dicimur, cum morimur. contrà futura vita, mane appellari potest, & dies, propter claritatem, & propter resurrectionem à mortuis. Ait igitur quòd mane, hoc est, in futura vita, nos qui conuersionem tuam consequemur, vt dictũ est, hoc est, qui conuertemur à te replebimur misericordia tua, & exultabimus, & lætabimur. est enim hic tempus pro tempore, quemadmodum Aquilas & cæteri interpretes significarunt. De exultatiõe autẽ, & lætitia, variis in locis tradidim'.

In omnibus diebus nostris lætati sumus. Hoc in loco etiam, lætati sumus, dictum est, pro lætabimur. omnibus autem diebus nostris, hoc est, perpetuo. futuri enim seculi gaudia perpetua sunt, nec aliquãdo aut desinunt aut interrumpuntur.

Pro diebus, quibus humiliasti nos, annis quibus uidimus mala. Humiliasti nos omni earum afflictionum genere, in quibus iusti versantur. per mala autem, tentationes atque afflictiones intelligit.

Et respice super filios tuos, & super opera tua, & dirige filios eorum. Respice, inquit, ad patres & ad doctores nostros, qui seruierunt tibi, & propter eos dirige nos eorum filios ad virtutem, & respice in nos seruos tuos, nec tantum nos dirige, sed filios etiam nostros, seu secundum carnem nobis sint filij, seu secundum spiritum.

Et sit splendor domini dei nostri super nos. Splendor dei, est diuina gratia, quæ omnes sui participes illuminat. splendorẽ vero dei, dixit, pro splendore, qui à deo est.

Et opera manuum tuarum dirige super eos. Super nos, pro in nobis.

Et opus manuũ tuarum dirige. Ea quæ superius opera manuum dixit in plurali numero, vniuersæ actiones sunt, quæ per manus fiunt, & quas dirigi precamur, ne declinent à rectitudine, hoc est, à decoro. per opus autem manuũ singulari numero, quidã speciatim significari dixerunt eleemosynam,

cuius

cuius seperatim, & quasi quodam cum honore meminisse prophetam dicunt, veluti præcipuum quoddam opus sit, & deo maxime gratum. non tantum autem ille dicitur misericors, qui largitur, sed etiam qui compatitur. Nam ab iis, quí nullas habent facultates, sola petitur compassio, & consolatio. Alij per manuum quidem opera, varia factiuæ virtutis opera intellexerũt. manus enim persæpe pro huiusmodi virtute accipiũtur. per opus autem manuũ singulari sermone, ipsam contẽplationem, veluti quid in sua specie magis vniforme. Nam & manus certo quodã modo, pro ipso etiã capiuntur intellectu: eo quòd per ipsum, veluti quibusdã manibus, anima nostra dirigatur ad virtutes, & ducatur ad deum.

Psalmus ipsi Dauid sine inscriptione.

De psalmis, qui inscriptionem nullam habent, dictum est in proœmio operis. docemur autẽ hoc psalmo quantæ, & quàm incomparabiles sint illius spei uires, quæ in deo est.

PSALMVS. XC.

QVi *habitat in adiutorio altissimi, in protectione dei cœli commorabitur.* Ille, qui diuino auxilio ita vtitur, veluti habitatione quadam, aut domo. hoc est, ille qui extra hoc diuinum auxilium nõ moratur, sed in eo solum confidit, in custodia, atque in protectione dei seruabitur, hoc est, protegetur à deo. Deũ autem cœli dixit, vt dominum. quòd si cœli dominus est, clarum est, quòd & terræ, & cęterorum omniũ est deus. per auxilium autem seu per adiutorium altissimi, diuinorum mandatorum legem intellige, quam in auxilium hominibus dedit contra demones.

ἀντιλήπτωρ *Dicet domino adiutor meus es tu, & refugium meum.* Is dicet domino magna cum libertate, Domine tu es adiutor meus, & tu solus es refugium meum.

Deus meus, & sperabo in eum. Nec tantum ad ipsum deum secum ipse ita dicet, sed coram aliis attestabitur fidem hanc suam, dicens: hic est deus meus, & sperabo in eum.

σὲ ἀπὸ λόγου παραχώδους *Quoniam ipse eripiet te de laqueo uenantium, & à uerbo perturbationum.* Laquei nobis tendũtur tam à visibilibus, quàm ab inuisibilibus inimicis. huius quippe mũdi hostes, qui humana venan-

na vehantur corpora, laqueos tendere dicuntur, cum insidias parant. intellectuales autem hostes, qui non corpora venantur, sed animas, laqueos aduersus nos struunt, cum aut praua suggerunt consilia, aut ad concupiscentias nos atque ad passiones incitant. Symmachus pro verbo perturbationis, calũniarum sermonẽ reddit. perturbant enim animã calumniæ. Conuertit autẽ propheta sermonem suum ad huiusmodi hominem, qui in dei adiutorio habitat, viresque atque animum præstans, confidere eum iubet dicens.

Scapulis suis obumbrabit tibi. Hoc est, proteget te. est autem hic sermo metaphoricus. nam qui pugnat pro aliquo, stare ante eum solet, atq; hoc pacto illũ tegit, atq; obũbrat tergoribus suis. Scapulæ enim illæ partes dicuntur, quæ inter medios sunt humeros. Dei igitur scapulæ, pro ea accipiũtur potentia, qua conseruare nos solet ac tueri: quam potentiam, alio etiam nomine, alas dei appellauit, dicens.

πτέρυξι *Et sub alis eius sperabis.* Pro cõfides, instar pulli scilicet.

Scuto circundabit te ueritas eius. Scuto pro instar scuti. sensus est: si tecum veritatem habueris, ipsa te scuti instar circundabit, & ex omni vndique parte custodiet. huius igitur virtutis laudes consydera, quantæ sint, cum illam dei esse dixerit, veluti ei familiarem, ac domesticam. Iure autẽ veritas, dei esse dicitur quia si mendaciũ dæmoni, vt quid proprium adscribitur, merito veritas deo, vt quid propriũ applicatur. possumus & aliter dicere: scuto, hoc est, cruce circundabit, & custodiet te Christus, qui veritas est patris. Qui vidit enĩ, inquit, me vidit & patrem meum.

Non timebis à timore nocturno. Siue à dæmonibus, siue ab hominibus hic timor inferatur.

A sagitta uolante in die. A quocunque ea sagitta immissa sit. immittuntur autem sagittæ, materiales quidem ab hominibus, intellectuales vero à dæmonibus, quæ passionibus suis animam vulnerant.

ἀπὸ πράγματος *A re perambulante in tenebris.* In tenebris ambulant fur, insidiator, incendiarius, fornicatio, adulterium, dæmon, & alia huiusmodi.

ἀπὸ συμπτώματος ἀκηδίας *Ab occursu & dæmonio meridiano.* Quodcunque casu, inopinate, aut inuoluntarie cõtingens, occursus dici potest. per dæmonium vero meridianum, aliqui acediæ dæmonẽ dixerunt, eo

runt,eo quòd illo tempore magis nos aggredi ſoleat. Aliqui vero dæmonem illum, qui turpibus cogitationibus præeſt, atque incontinentiæ.ingraueſcente enim ventre, vehementius inſurgit,& in animas hominum craſſatur.

Cadent à latere tuo mille,& decem millia à dextris tuis,ad te autem non appropinquabit. Dictio latere, tametſi indefinite ſit poſita,hoc tamen loco ſiniſtram partem ſignificat.ſi habitaueris,inquit,in altiſſimi auxilio,cadent quidem à ſiniſtra tui parte,mille ſagittæ,à dextra autem decem millia, & nihilominus te non attingent. Altius tamen contemplando, alius poteſt his verbis ſenſus accommodari.tu,inquit,multis quidem ſagittis, à ſiniſtra parte impeteris, ſed multo pluribus à dextra.ſiniſtram autem intelligere poſſumus tunc dici, quãdo apertis quis ac manifeſtis paſſionum iaculis impetitur, dexteram vero,quando ab occultis.ſciens autem inimicus & multi prauas eius ſuggeſtiones non ſuſcipiunt,quibus ipſe in aperto ac palam eos incitare conatur ad vitia, aſtutia vtitur. incipit enim à bonis operibus,ſed tandẽ deſinit in malum.

Verumtamen oculis tuis conſyderabis,& retributionem peccatorum uidebis. Verum ſi intellectus tui oculis conſyderaueris, intelliges hoc verum eſſe,ſuppliciaque ac pœnas delinquentium videbis.

Quoniam tu es domine ſpes mea. Auditis prophetæ noſtri ſermonibus,is qui in dei adiutorio habitaturus eſt, præ ſumma lætitia ad deum exclamat, dicens: vere tu domine es ſpes mea,& deinde propheta ei reſpondet,quæ ſequuntur.

Altiſſimum poſuiſti refugium tuum? non accedent ad te mala. Verba illa,altiſſimum poſuiſti refugiũ tuum,cum interrogatione legenda ſunt, quæ autem ſequuntur abſolute, atque in modum ſententiæ.nam qui deum habuerit in refugium, non cadet in tentationibus. atque huius rei teſtis eſt ipſe etiã dæmon,qui de beato Iob clamabat ad deum,dicens: tu eum muniſti intus & foris.tunc enĩ tantũ infeſtat dæmon, cũ id deus permittit.per mala autẽ,infortunia intelligit,aut pericula.

Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quinimmo nec domui tuæ vlla appropinquabit calamitas. & aliter: per flagellum, ægritudinem intelligere potes,& per tabernaculum,ipſum corpus,in quo anima diuerſatur.nec ab re eſt, vt intelligamus, quòd hominibus dei, huiuſcemodi tentationes,certa-

nes,certamina ſint & probationes,peccatori autem,flagella. multa enim,inquit,flagella peccatoris.

Quoniam angelis ſuis mandabit de te,ut cuſtodiant te in omnibus uiis tuis. Huiuſmodi ſententiam habuimus in pſalmo XIII, ibi: caſtrametabitur angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Habraam etiam, ſeruum ſuum confidere iubens dicebat: bonus dominus mittet angelum ſuum ante faciem tuam. Ipſum etiam Iacob dixiſſe legimus: angelus,qui liberauit me ex omnibus malis. ex his autem omnibus illud colligimus, quòd deus per angelos ſuos omnes eos tuetur, qui in eo confidunt.per vias autẽ,actiones intelligit. ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ τοῦ διαφυλάξαι σε ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς σου

In manibus tollent te,ne quando offendas ad lapidem pedem tuũ. Per angelorum manum, illam intelligimus potẽtiam, quam in cuſtodiendo habent, atque in conſeruando. tollent autem,hoc eſt,ferent,inter infortunia ſcilicet,adeo vt neque ad lapidem offendas pedem tuum. Et aliter: lapis eſt omne peccatum, atque omne impedimentum ad virtutem, pes vero, ille conuerſationis noſtræ ordo, ac modus quo per hanc vitam incedimus. ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου

Super aſpidem & baſiliſcum aſcendes, & conculcabis leonem & draconem. Ipſæ etiam venenatæ, atque immites feræ, te nunquam lædent,ſicuti legimus accidiſſe multis ſanctorum. iuxta Anagogicum vero ſenſum, per aſcenſum hunc, & per conculcationem venenatorum atque immitium animalium, potentiam illam intellige ſanctis datam,aduerſus omnes malignitates & nocumenta: per aſpidem vero, calumniæ vitium intelligere poſſumus,eo quòd more aſpidis in aures hominum venenum immittat: & per baſiliſcum,inuidiam, quæ quaſi baſiliſcus, perniciem ac virus in oculis geſtat: leonem etiam pro crudelitate, ac ſæuitia intelligere omnibus facillimum eſt, draconemque pro indignatione,ob ſummam nimirum illius vehementiam atque efficaciam. hæc igitur omnia iuſtus conculcabit, & minime ab eis lædetur. Ad hæc omnia addamus, quòd dæmon dici poteſt, aſpis, baſiliſcus, leo, & draco, veluti, qui omnia illorum vitia in ſeipſo ſolus complectatur. ἐπιβήσῃ ἀσπίδα καὶ βασιλίσκον καὶ καταπατήσεις λέοντα καὶ δράκοντα

Quoniam in me ſperauit: liberabo eum. Quoniam magna ac fere incredibilia propheta ei pollicitus eſt,qui in deo ſperauerit quòd conculcaturus nimirum ſit ſæuiſſimas atque im-

manissimas feras, & nullam illinc ipse læsionem relaturus, introducit deinceps deum ipsum ea confirmãtem, quæ dictæ sunt, & docentem, quis nam fructus sit spei illius, quæ in deo collocatur: in me, inquit, huiusmodi homo sperauit, cæterũ ego illum à quocunque eripiam periculo.

Protegam eum, quoniam cognouit nomẽ meum. Vide quomodo dixit nomen meum. Naturam enim diuinam nullus potest intelligere. ille autẽ dei nomen cognoscere dicitur, non qui tãtum illum deum esse cognoscit, sed is, qui se illi virtute ac moribus dignum offert.

Clamabit ad me, & ego exaudiã eum. Quia nihil seipso, aut deo indignum petit.

Cum ipso sum in tribulatione. In omni tentatione, vt olim adfui tribus pueris, & potentia omnibus aliis martyribus.

Eripiam eum. Ex omni angustia. vide in psalmo quadragesimosexto, ibi: non vidi iustum derelictum. Item ibi: Dominus non derelinquat eum in manus eius.

Et glorificabo eum. Non tantum eripiam, sed insignem ac clarum reddam, ob summam illius in me beneuolentiam.

Longitudine dierum replebo eum. Si hanc à me longitudinem perquisiuerit. vel, per longitudinem dierum, æternam vitam intelligit, quæ & vna dies est, & longitudo dierum dicitur, eo quòd nunquam cesset, & successiones non habeat.

Et ostendam illi salutare meum. Salutẽ, quæ à me est, quòd scilicet saluare omnes possum, qui in me sperant.

Psalmus Cantici in diem sabbati.

Quid sit psalmus Cantici in proœmio operis dictum est. & hic quidem psalmus authoris & cantoris caret nomine. nullum enim nomen habet aut Dauid, aut alicuius cantorum principis: quia scilicet ab omnibus, communi choro fuit decantatus: inscriptione tamen prorsus non caret. inscribitur enim: in diem sabbati, ea ratione, vt quidam dicunt, quod beatus Dauid, solis sabbatis in gratiarum actionem, deo canendum esse eum destinauerat. tunc etenim omnes chororum principes unà conuenire solebant, vt eum canerent. uerum illi qui diuina sublimius contemplantur, pertinere dicunt hunc psalmum ad futuri iudicii diem, & de delinquentium pœnis, & iustorum præmiis tractare: & quemadmodum sabbati dies ab omni prorsus operę

re uacabat. ita illa futuri iudicii dies, quæ requies est præsentis uitæ, ab omni mundana cura homines liberat: atque ideo iure sabbatum, hoc est, requies appellatur.

PSALMVS. XCI.

BOnum *est confiteri domino.* Vere bonum est agere deo gratias.

*Et psallere nomini tuo altissime, vt annunciemus mane misericordiam tuam, & ueritatem tuam per nocte*m. Et canere bonum est gratiarum actiones. Quidam ita exposuerunt quòd bonum est confiteri, & annunciare primum deo peccata, deinde canere ei, ita vt psalmodia nostra, quæ ei canitur, munda ac pura sit. & cum dixerit: bonum est facere hoc, atque illud, tunc demum huic bono operi, aptum, atque idoneum etiam prefigit tempus, dicens: quòd bonum est, vt mane, hoc est, vt in principio diei annunciemus, hoc est, vt meditemur, atque efferamus misericordiam dei, quòd scilicet misericordia nostri permotus, nec terræmotu nos obrui permisit, nec æstu extingui, aut aquis necari, nec à feris, neque ab inimicis, aut ab aliis malis nos lædi permisit. Quæ omnia in nocte accidere solent. &, quod omnium maximum est, nõ concessit, vt dæmonum infidiis vinceremur. Similiter & per noctem bonum est dei veritatem annunciare, hoc est, prædicare, aut extollere illius cognitionem ac scientiam, quam nihil latere potest. atq; hoc facere ideo bonum est, vt noctis tempore quando ad corporis voluptates moueri magis solemus, annũciando has diuinas laudes, comprimamur à vitiis, in memoriam reuocantes quomodo latere eum nihil poterit, quod à nobis gestũ aut etiam meditatum fuerit. possumus etiam intelligere, quòd per mane, totum diem significet, veluti à parte totum.

In decachordo psalterio cum cantico in cithara. Quinq; nimirum corporis sensus, & quinq; animę potentias consonas, atque concinnas mutuo inter se reddentes: & per hæc omnia Christo domino canẽtes, vt diximus in tertio versiculo psalmi XXXII. vbi ferè similia habentur verba.

Quoniam lætificasti me in factura tua, & in operibus manuũ tuarum exultabo. Per facturam, quidam vniuersam hanc totius mundi machinam intelligunt. & per manuum opera, particulares huius creaturæ species, quarum magnitudinẽ, inquit,

& pulchritudinem,varietatem,concinnitatẽ,vtilitatemq;: & cætera huiuſmodi tam in vniuerſum, quàm particulariter proſpiciens,lætor,& amplius etiã ſemper exultabo. alij vero per facturã,& per manuũ opera,idẽ eque dixerũt ſignificari.

Quoniam magnificata ſunt opera tua domine. Dictio,quàm, intẽſionẽ ſignificat. valde magna,inquit, atq; admirãda ſunt opera tua, nõ ſolum,quæ ad creationẽ, ſed ea etiam quæ ad prouidentiam,ad diſpẽſationem,ad miracula, & ad omnem deniq; adminiſtrationem tuam pertinent.de operibus autem dei latius dictum eſt in pſalmo octuageſimoquinto.

Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. Inſcrutabiles, inquit,ac ininueſtigabiles ſe nobis eſſe demonſtrarunt,cogitationes tuæ & conſilia tua impenetrabilia. Videtur autem conſimilis ſententia illa Pauli, ô profundum diuitiarum ſapientiæ,& ſcientię dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, atque ininueſtigabiles viæ eius.

Vir inſipiens non cognoſcet. Inſipiẽtem illum appellat, qui diuinarum rerum cognitionem nullam habet,tametſi humanarum ſcientiarum exteriorem quandam cognitionem habeat. huiuſmodi,inquit, homo non cognoſcet, quòd magnæ ſunt opera tua,& quòd profundæ ſunt cogitationes tuæ, ſed confidens ſibi ipſi, tentabit in earum profundũ deſcendere, atque hoc pacto veluti ex prærupto quodã in abyſſum cadet.

ἀσωφὸς ἐν τῷ ἀνατείλαι χόρτος

Et imprudens non intelliget hæc. Eandem repetit ſententiam.

Cum exurgerẽt peccatores quaſi herba, & inclinati ſunt omnes, qui operantur iniquitatem. Coniunctio, &, abundat hoc in loco. inclinari autem dixit pro incuruari, atq; humiliari, vt ſit ſenſus:cum peccatores orti eſſent,& inſtar herbæ ad tempus florerent,illũ tamẽ florem, ac vigorẽ diu retinere nequiuerunt,ſed inclinati ſunt,& deciderunt. eoſdem autem, peccatores appellat,& operantes iniquitatem.

ἵνα ὀλεθρευθῶσι

Vt exterminentur in ſeculum ſeculi. Inclinati vero ſunt,& à prima fœlicitate deciderunt, vt puniãtur in futuro ſeculo. ſolet enim beatus Dauid æterni ſeculi pœnas, atque inconſolabilem illam perditionem,exterminationem appellare:& dicit,quòd Ruinã,& lapſum à præſenti fœlicitate ſumẽt pro arrabone futuri ſupplicij, ex quibus verbis aggreditur prophęta tractatum de futuri iudicij die, quemadmodum diximus in

mus in principio pſalmi.

Tu autem altiſſimus in æternum domine. Tu autem ininueſtigabilis es,& iudicia tua inſcrutabilia.

Quoniam ecce inimici tui domine,quoniã ecce inimici tui peribunt. Dei inimici non tantum infideles ſunt, ſed quicunque etiam delinquentes, quia diabolo dei inimico obtemperant. peribunt autem in futuro ſeculo.

Et diſpergentur omnes, qui operantur iniquitatem. Ad varias nimirum pœnas,atque ad varia ſupplicia.

Et exaltabitur ſicut unicornis cornu meum. Cornu ſuum beatus Dauid,Chriſtum appellauit, quaſi ex ſe germinandũ ſecundum carnem, de quo latius dictum eſt in pſalmo octuageſimo octauo,ibi: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. exaltabitur autem,hoc eſt,magnificabitur,in tempore nimirum futuri iudicij, profligatis atque humiliatis omnibus eius inimicis:exaltabitur,inquam, veluti cornu quoddã vnicornis,hoc eſt,valde exaltabitur. dictio autem vnicornis eſt ſecundi caſus vt alibi diximus.

Et ſenectus mea in oleo pingui. Per oleum, hilaritatem denotauit, vnde alibi dicitur, vt exhilaret faciem in oleo. cognoui,inquit,cornu meum exaltandum eſſe,atque ideo futurum ſpero,vt ſenectus mea in pingui,hoc eſt, in multa hilaritate verſetur,vtq; iucunde ac ſine mœrore extremum illud vitæ meæ tempus agam,futurorum ſpe conſolatus.

ἐν ἐλαίῳ πίονι νῦν αὔτη ἐλέη

Et diſpexit oculus meus in inimicis meis. Symmachus & Theodotio pro,diſpexit,reddiderunt,videbit, ι x x. vero interpretes quæ futura erant,expoſuerunt vt iam facta.per inimicos autẽ,& dæmones, & infideles intelligit, in quibus viſurum ſe ſperat vindictam,ſeu vltionem. ſubintelligenda enim eſt aliqua huiuſmodi dictio.

ἐπεῖδεν ἐν ὀφθαλμοῖς μου ἐν τοῖς ἐχθροῖς μου ἐν τοῖς

Et in inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea Hęc verba etiam defectiua ſunt. audiet enim auris mea ſententiam domini,aduerſus eos, quos inſurgentes ac malignantes promiſcue appellat.

Iuſtus ut palma florebit. Cum ſuperius de peccatoribus ſermonem habuerit,dixeritq;,ꝙ florebũt vt herba,quæ cito perit,nunc de iuſto dicit,ꝙ florebit vt palma,quæ vinacior eſt, & cuius flos nunquã decidit,ſed in dulciſſimum fructũ prouenit,cuiuſq; germen non tabeſcit,ſed ſemper viget.

Sicut Cedrus quæ in Libano est, multiplicabitur. Est autē Cedro coma copiosa ac multiplex, alias etiam similitudines habet iustus ad palmam. nam quemadmodum modica illius arboris pars terræ infigitur, & tota pene à terra in cœlū eleuatur, ita & iustus cor suum à terrenis in cœlum attollit: & quemadmodum palmæ fructus feris diripi non possunt, sic etiam iusti viri opera à dæmonibus perdi nequeunt, aduersante nimirum in vtroque rerum sublimitate. Multo præterea tempore vtrique opus est ad perfectionem. Cum cedro etiam, iustus similitudinem retinet: quia sicut cedrus bonum ex se odorem emittit, & incorruptibilem materiam habet, & ramorum copia abundat, & vmbram consequenter multam facit, ita & iustus bono virtutum odore plenus est: & cum semel purgatus fuerit ab omni labe, incorruptibilis permanet, & filios quàm plurimos ex se spirituales non secus ac ramos quosdam generat, & multorum etiam indigentium efficitur protector.

Plantati in domo domini in aulis dei nostri efflorebunt. Plantati in inferiori ecclesia, in qua habitat gratia domini, & radicati in fide, florebunt in supernis aulis cœlestibus, hoc est, illic apparebunt virtutum floribus ornati. vel aliter: domus domini scientia est diuinarum scripturarum, in qua scientia dominum inuenimus, aulæ vero sunt illius mandata.

Adhuc multiplicabuntur in senecta pingui. Per pinguem senectam, plenā intelligit senectutē. tametsi, inquit, iusti hoīes senuerint non deficient tamē in profectu virtutum, quinimmo magis, ac magis semper virtutibus multiplicabunt.

καὶ εὐπα θοῦντες ἔσονται

Et bene eis accidet. Bene illis eueniet, inquit, in futuro seculo: quia scilicet delectabuntur atque exultabunt.

Vt annuncient quòd rectus dominus deus noster, & non est iniustitia in eo. Ita vt læti mutuo annunciēt, ꝙ domin⁹ iustus est, qui seruis suis requiē præstat, pro iis laboribus, quos in vita sustinuerūt. Quod vero ait: & nō est iniustitia in eo, repetitio est sententiæ, & idem sibi vult, ac si iustum eum appellaret.

In diem ante sabbatum quando habitata fuerat terra.

ὅτε κατῴκιστο

Hic psalmus apud Hebræos omni prorsus caret inscriptione. Quædam exemplaria æditionis septuaginta interpretum, inscriptionem illam

nem illam habēt, quam superius retulimus, & quidam exponūt, quòd dies sabbati accipitur, pro die uniuersalis iudicii, ut in præcedenti psalmo diximus: dies uero ante sabbatum, dies sit resurectionis domini. Fuit enim illa dies, ueluti præludium quoddam uniuersalis resurrectionis. In illa autem die, habitata est terra, ab iis nimirum hominibus qui per Euangelium & baptismum regenerati, & quodammodo replasmati sunt. Verum castigatiora exemplaria etiam iuxta æditionem LXX, carent huiusmodi inscriptione.

PSALMVS XCII.

Dominus regnauit. Dei quidem filius, ab æterno semper rex fuit, id tamen non semper fuit ab hominibus cognitum, quinimmo eum olim ignorabant homines: verum vbi Christus à mortuis resurrexit, fideles omnes, & qui in eum credidere, certiores effecti sunt, dei filiū, & regem esse, & deum. Hoc est igitur, quod nunc nobis prędicit beatus Dauid, dicens: Dominus regnauit, hoc est, cognitus est, vt rex. vel aliter: Rex quidē olim erat Christus vt deus, sed post resurrectionem regnat, vt homo: data est, inquit, mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. & rursus: Ego autem constitutus sum rex ab eo.

Decorem indutus est. Hoc est, gloriam & potestatem eiusmodi demonstrauit, quæ decentissima illi erat, etiam vt deo. Vel aliter: Dominus carni quidem mortuus, decorem nō habebat nec speciem, iuxta Prophetæ testimonium, verùm resurgens decorem, quem antea non habebat, indutus est.

Indutus est potentiam, & accinxit se. Eodem modo intelliges hunc versiculū. Habuit præterea Christus semper & decorem, & potentiam, verum olim id homines latebat: manifestum autem fieri cœpit postquam in cœlum ascendit, tametsi huiuscemodi indumentum exterius nullum induerit. Pie etenim hoc intelligendum est, vt diximus, quemadmodū & verbum, accinxit. Idem enim significat, quod aptauit, seu ornauit. Cingulum quippe, ornamenti cuiusdam signum est.

δυνάμιν περιεζώσατο

Etenim stabiliuit orbem orbem terræ, qui non commouebitur. Orbem, dæmonum fraude fluctuantem, ac pene concussum, veritate sua Christus ita stabiliuit, vt errorib⁹ amodo huc atq; illuc non abducatur, quia in fidei petra fundatus ac stabilitus est. Per orbem autem terræ, quem iuxta veriorem Græcæ dictionis significationem, habitabilem quis appellauerit, Ec-

ἐστερέωσε

οἰκουμένου

eclesiam intelligi dicunt, in qua fideles habitant: aduersus quam, iuxta domini sententiam, inferni portæ non præualebunt.

θρόνος *Paratus thronus tuus ex tunc.* Paratus, hoc est, firmus, & stabilis, vt diximus, in psalmo octuagesimoquinto. Et quod ait, ex tunc, expone, pro à principio. Illud tamẽ semper animaduertendum, quòd huiusmodi sermo, ab initio nimirum seu à principio, nullum tempus inducit in diuina natura, sed æternam quandam antiquitatem tantum significat. Tale quiddã est, quod paulopost subdit, dicens: à seculo tu es: tametsi, inquit, tu serui personam indueris, stabile tamen ac firmum tibi est ab initio regnum tuum. Neq; enim vnquam ab eo decidisti, aut illinc pulsus es.

A seculo tu es. Stabile, inquit, tibi ideo est regnum tuum ab initio, quia tu es à seculo, hoc est, à principio, vt diximus.

φωνὰς *Eleuauerunt flumina domine, eleuauerunt flumina uoces suas.* Per flumina, Apostolos intelligit, veluti qui spiritualibus Euãgelij fluentis humanas irrigant animas: & dicit, ꝙ exaltauerunt voces suas, hoc est, clare & aperte, palamque, ac sine vlla verecundia, Euangelicam doctrinam prædicauerunt. Illud tamen animaduerte, quod alibi persæpe diximus, Prophetam frequentissime præterito tempore vti, pro futuro, vel futura narrare, quasi iam præterita. Illa etiam repetitio verbi, eleuauerunt, gaudij intensionem significat.

ἀφέσεις ποταμοὶ ἐπιτρίψεις αὐτῆ *Tollent flumina attritiones eorum.* Illa flumina, quæ post flumina pauloante dicta, hoc est, post Apostolos ventura sunt, tollent, hoc est, capient, seu sequentur eas vias, quę ab illis tritæ fuerint, & formatæ. Per attritiones etenim, semitas illas ac sectiones, aluei cuiusdam instar formatas, intelligit, quas flumina, cum per terram feruntur, lambẽdo ac terendo incidere solent, ac formare. Et sensus est: ꝙ doctores, qui post Apostolos venturi sunt, eas vias, atq; easdem sequentur disciplinas, quibus ipsi etiam Apostoli vsi fuerint.

μετεωρισμοὶ *A uocibus aquarum multarum, mirabiles elationes maris.* Per aquas multas, baptismi lauacra, intellige, quæ vbique in Ecclesiis perficiuntur. Voces autem huiusmodi aquarum, inuocationes sunt sanctæ trinitatis, & supernæ gratiæ, quæ in baptismatis sacramento fieri solent. Per mare etiam singulari sermone, ipsum baptisma significauit, quod vbique terrarum celebratur,

celebratur, quemadmodum dictum est, in psalmo septuagesimotertio. Certo etenim merito multiplex videtur, quia variis in locis, & innumerabilibus pene personis celebratur: virtute tamen vnum, atque idem est sacramentũ. Eleuationes autẽ huiusce modi maris, fluctus illi sunt, qui ex immersione atque emersione eorum fiunt, qui baptizantur. Has igitur spirituales ac mystici maris eleuationes, admirandas admodum esse dicit, si elementalis maris eleuationibus comparentur. Huius enim maris fluctus hominibus quidem timendi sunt, verum dæmonibus iucundi, contra autem illi baptismatis fluctus, timendi quidem sunt dæmonibus, iucundi autẽ ac suaues sunt hominibus, & illi quidem in patriam nauigantes perdunt, isti vero submersos seruant. Effectæ autem sunt hæ eleuationes mirabiles, ab inuocatione illa diuina, vt dictum est, & ab illo, quod illic inest mysterio.

Mirabilis in altis dominus. Admirabilis vero deus potissimũ est. In huiusce modi altis ac sublimibus rebus. Vel ordo sit: mirabilis est dominus, qui in altis est. vnde alibi, ait: qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra.

ἐπιστώθη σαν σφόδρα *Testimonia tua credibilia facta sunt ualde.* Testimonia de te valde sunt fidelia, hoc est, vera. Ea autem intelligit, quæ de Christi incarnatione, de dispensatione in carne, ac de eius conuersatione, à Prophetis varie prædicta sunt.

Domum tuam decet sanctitudo domine, in longitudine dierum. Domus dei est, vniuersalis Ecclesia fidelium, vt sæpius dictum est. Hanc, inquit, domum decet sanctitudo, hoc est, vt sit sancta, ea nimirum ratione, quia dei sancti domus est: verum hoc, ita demum fiet, si in iis, qui illud templum habitant, munditia exuterit ab omni prorsus inquinatione. Huiusmodi vero munditia, & sanctitas semper decet domum domini. Domus etiam domini est templum dei, quod secundum Apostolum, fidelis quilibet repræsentat: atque ideo eos omnes decet sanctitudo in longitudine dierum.

Psalmus ipsi Dauid quarta sabbati.

Est & præsens psalmus sine inscriptione apud Hebræos. Ea autem uerba: quarta sabbati, à quopiam fuere appositа, cum quarta hebdomadæ die psalmum hunc decantari inueniſſet. Per ſabbatum enim

hoc in

hoc in loco, quẽadmodum & sæpe alibi, ipsa hebdomada significatur. Voluit autem hoc psalmo beatus Dauid omnibus hominibus solamen præstare, qui ab iniustis, atq; à prauis opprimuntur hominibus.

PSALMVS XCIII.

Deus ultionum dominus. Deus vltionum dixit, pro, deus vltor. Idioma est & hoc Hebraicum, iuxta quod alibi etiam dicitur, deus misericordiæ, & deus miserationum, & deus consolationis, & deus pacis, & alia huiusmodi. Ait igitur, quòd dominus, est deus vltor.

ἐπαῤῥησίασατο

Deus ultionum libere egit. Libere, seu palam egit, hoc est, manifestauit, iustum nimirum iudicium suum: cumq; longanimis hactenus fuerit ac patiens, vindicta tandem vsus est.

Exaltare qui iudicas terram. Exaltare, inquit, simulac iudicialem thronum tuum conscenderis, hoc est, appareas, & cognoscaris ab omnibus deus delinquentium vltor, dum iudicas, & sententias pronuncias, & dum sumis vindictam. De hoc autẽ verbo exaltare, vide quę dicta sunt, in psalmo quinquagesimosexto.

Redde retributionem superbis. Per superbos, potentissimos quosque intelligit, qui pauperes opprimant aut despiciant.

Vsquequo peccatores domine? usquequo peccatores gloriabuntur? Eosdem rursus peccatores appellat, quia & in deum peccant, dum eius legem de iustitia traditam contemnunt, & in ipsos qui iniuriam patiuntur, dum eos lædunt. Atque ita etiam eos appellauit in psalmo nono. Est autem mos huiusmodi hominibus, de propria potentia gloriari. Illa autem repetitio, *vsquequo peccatores domine*, loquentis zelum demonstrant, quemadmodum, & illa repetitio quæ sequitur verbi, loquentur. Et quanquam hoc pacto dubitanter loquatur nunc Propheta, non ignorat tamen momentaneam esse omnium eorum fœlicitatem, qui iniuste agunt, sed tam diuturnam dei patien iam ægrefert.

Effabuntur & loquentur iniustitiam? loquentur omnes, qui operantur iniquitatem. In verbo effabuntur à communi sensu sumenda est dictio, vsquequo, & simili modo in secundo versiculo in verbo, loquentur, à communi sensu sumenda est dictio, iniustitiam. Dictiones vero effabuntur, & loquentur, idem æquè significant.

Populum

Populum tuum domine humiliauerunt, & hæreditatem tuam afflixerunt. Iam prædiximus, ꝙ per antiquum populum, & per antiquam hæreditatem, Iudæi intelligendi sunt, per nouum autem, & per nouam, fideles ex gentibus.

Viduam, & orphanum interfecerunt, & proselytum occiderunt. Hæc & Iudæorum principes ob summã auaritiam faciebant, & multi ex nostris similiter principibus faciunt. Interficere enim dicuntur non tantum ij, qui gladio in eos sæuiunt, sed illi etiam qui eorum rapiunt bona, qui illos despiciunt, quoties iniuria afficiuntur, quique eos lædentibus, vt amicis, gratificantur. Proselytum vero Iudæi eum appellabant, qui ex Gentili effectus fuisset Iudæus. Nos autem per proselytum, aduenam omnem ac peregrinum intelligimus.

Et dixerunt non uidebit dominus, & non intelliget deus Iacob. Hæc tametsi ipso ore, ac lingua, non sæpe dicant, corde tamen persæpe intra se reuoluunt, iniqui homines. Neq; enim tanta vnquam auderent, nisi huiusce modi sententiis, vel cogitatione saltem se subscriberent. Et quod ait: intelliget, posuit pro, audiet, seu cognoscet.

Intelligite sanè insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Ea animaduertite, quæ iam diu omnibus nota sunt, atque aliquando sero saltem prudentes estote.

Qui plantauit aurem non audiet? & qui plasmauit oculum non considerat. Non considerat, dixit, pro non videt. At quomodo verisimile est, illum esse sine sensu, qui sensus in aliis creauit. Cõfundit eos igitur Propheta huiusmodi interrogationibus, quæ apud omnes in confesso sunt.

Qui corrigit gentes non arguet? Ille, inquit, qui gentes erudit, ac corrigit, iis nimirum legibus, quæ apud eas sunt. (harum etenim legum scientiam deus ipsis etiam gentibus præstitit, vt earum seueritate delinquentes coercerentur) quomodo non arguet etiam & castigabat eos omnes, qui scelera aliqua, aut iniquitates commiserint?

Qui docet hominem scientiam. Is, qui aliis scientiam & cognitionem præstat, quomodo ipse non cognoscet aut quomodo ignorabit.

Dominus cognoscit cogitationes hominum, quoniam uanæ sunt. Hominũ dico talia cogitantium, ꝙ deus scilicet humana nõ curet. Cognoscit eos igitur dominus, ꝙ errant, sed patiens

est persæpe,

est persepe,& longanimis.ex quadam dispẽsatione, vel cogitationes eorum hominum dicit, qui quæ ventris sunt,cogitant,& non quæ sunt dei.

Beatus homo,quem erudieris domine. Quem prudentem feceris doctrina tua.

Et de lege tua docueris eum. Lege tua, naturali vel scripta, vel etiam vtraque. Sunt etenim hæ leges prudentię ac sapiẽtiæ fontes.

Vt mitigetur à diebus malis. Ita vt in diebus afflictionis, mitis fiat,& patiens,& non ægreferat, neque indignetur aduersus labores, sed ex tua lege cognoscat, quòd ij qui calamitates sustinent, ad propriam vtilitatem, & commodũ vexantur, quodque contra ij, qui eos affligunt, condignas aliquando criminibus suis pœnas dabunt.

Donec effossa sit peccatori fouea. Donec iniquis paratum sit periculum,seu donec in illud inciderint. Tunc etenim iis etiam miserebitur,qui se iniuria affecerint.

Quoniam non repellet dominus populum suum, & hæreditatem suam non derelinquet. Non repellet eos, tametsi affligi eos ad tempus persæpe permittat, sicuti ad ipsam vsque seculi consummationem in futurum etiam permissurus est, modo sinens vt praui iustos viros opprimant, modo etiam opẽ atque auxilium suum probis impertiens, & vtrumque ad eorũ commodum dispensans. Populus autem,& hæreditas domini,olim Iudæi erant, verum illis expulsis, christiani ac fideles in eorum locum adoptati sunt, quemadmodum alibi sępe diximus.

Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium. Donec Christus,qui ipsa est iustitia, relicta sua longanimitate, ad iudicandum se conuertat.quòd autem Christus iustitia appelletur,testatur beatus Paulus de eo dicens:qui datus est nobis à deo sapientia,iustitia,sanctificatio,& redemptio.

καὶ ἐχόμενοι αὐτῆς πάντες

Et proximi eius omnes recti corde. Cæterũ prope eum tunc omnes iusti aderunt,illi nimirum adsistentes, qui vniuersam erit terram iudicaturus.

Quis consurget mihi aduersus malignantes? Quis mihi, inquit,aduersus malignos adiutor aderit inimicos?

Aut quis consistet mecum aduersus operantes iniquitatẽ? Eandem repetit sententiam,opem sibi ferri maxime expetens,ob immensam

immensam nimirum dæmonum malignitatem. Quis,inquit, simul mecum in acie aduersus inimicos consistet? Deus profecto,qui & olim persæpe mei curam suscepit.

Nisi quia dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Pene,inquit,perissem, animæ aut ipsius etiam corporis morte,si periclitanti mihi dominus opem non tulisset. Per infernum autem possumus peccati foueam intelligere.

Si dicebam motus est pes meus,misericordia tua domine adiuuabat me. Si ad deum dicebam, stabilitatem atque constantiã meam fluctuasse,si me huc,atque illuc ob propriam infirmitatem distrahi palã fuissem confessus,confestim tu mihi aderas adiutor. Hoc autem sermone docemur à propheta, quod quicunque lapsus delictum suum agnouerit,& non desperauerit, aut alioqui negligẽter aliquid non egerit, sed ingenue coram deo id confessus fuerit,quòd statim auxilium consequetur. Misericors etenim est deus, & infirmitatibus nostris facile compatitur.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Iuxta proportionẽ dolorum,quos in corde gerebam, præstita sunt à te mihi solamina. Sicuti enim dolorum varia sunt genera,ita etiã multiplicia sunt refrigeria, quæ nobis tribuit deus. Nam iuxta vulnerum qualitatem, conuenientem applicat medicinam.

μὴ συμπροσίσω σοι θρόνος

Non adhæreat tibi thronus iniquitatis. Thronus iniquitatis est diabolus,in quo iniquitas & considet,& regnat. Non adhæreat igitur tibi,hoc est,non adsit tibi iudicanti. Est autem apud Græcos imperantis modus pro optatiuo. Quædam vero exemplaria habent,non adhærebit, & tunc futurum tempus intellige positum modo optatiuo.

ὁ πλάσσων

Qui fingit laborem in præcepto. Qui laborem nobis describit,vt impedimentum omnibus præstet obseruare volentib⁹ mandata tua: vel qui ante mandatum tuum posuit laborem, atque ærumnas, vt tanquam aliquid laborioſum illud pertranseamus. Deinde causam etiam reddit,cur dæmonẽ optet deo non adsistere.

θηρεύσουσι ἐπὶ ψυχὴν

Venabuntur aduersus animam iusti. Quia si dęmon,inquit, & socij eius tibi adstiterint, statim ceu laqueos quosdam ac venatorias plagas tendere incipiẽt aduersus iustos quoslibet, accusantes

accusantes nimirum eos de peccatis quæ aut ignoranter, aut præter sententiam cõmiserint, atque hoc ob immensam eorum malignitatem atque inhumanitatem.

Et sanguinem innocentem condemnabunt. Quantum in eis fuerit. Sanguinem vero innocentem, circumloquendo dixit, pro innocentes homines. vel huiusmodi sermone eos damnat, quòd indicta causa pœnas inferant, vt sit sensus: quòd immeritis hominibus infligent supplicia, atque ideo tibi, inquit, non adhærebunt.

Et factus est mihi dominus in refugium. Mihi, inquam, oppresso, & persecutionem in hac vita sustinenti.

Et deus meus in adiutorium spei meæ. Sperabam equidẽ resistere, verum cum opprimerer ac fatigarer, defluebã, ac labebar cõcepta spe, deus autem mihi præsto fuit, & spẽ meam rursum confirmauit, tribuitque, vt meliora adhuc sperarem.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum. Condemnationem scilicet pro eorum iniquitate.

καὶ κατὰ τὴν πονηρίαν αὐτῶν ἀφανιεῖ

Et secundum malitiam eorum delebit eos dominus deus. Delebit, hoc est, tollet eos de medio. Amplius quippe non apparebunt, tecti nimirum, atque obruti igne iam diu eis parato. Possunt tamen prædicta de prauis hominibus intelligi. Non adhærebit, inquit, tibi thronus iniquitatis, hoc est, nullus iniustus princeps tibi appropinquabit. Ponere autem solent huiusmodi iniusti principes laborem in præcepto: eo quòd fideles non permittunt diuina mandata sine labore obseruare. Venantur etiã aduersus iustos omnes, & innocentes condemnant, & quæ sequuntur consequenter intellige. Quod vero ait: in adiutorium spei meæ: idem est, ac si dixisset: ad confirmationem illius spei, quam antea fluctuantem habebam, cum viderer derelictus. Illico enim eam deus cõfirmauit, vt mihi præsto fuit. Reddet autem illis in futuro seculo, destruens nimirum eos, atque interimens.

Laus cantici ipsi Dauid.

Iste etiam psalmus apud Hebræos inscriptione caret, uerũ LXX *& laudem Dauid inscripserunt, eo quòd præsenti psalmo propheta deum laudauerit, & canticum, quia cum melodia humana uoce canebatur. Atque ideo in eo dicitur: in psalmis iubilemus ei. Conuocantur autem*

autem hoc psalmo ad exultationẽ fideles omnes in Christum, & Iudæi, qui nondum crediderunt, uniuersi admonentur, vt donec idoneæ pœnitentiæ tempus habent, conuertantur ad dominum, & adorent eum. Vtrique autem populo beatus Dauid ueluti suo populo se ipsum coniũgit, christianis quidem ob pietatem, & fidem, Iudæis uero ob generis originem.

PSALMVS XCIIII.



Enite exultemus domino. Domino nostro scilicet Iesu Christo. Ea autem ratione nobis exultandum est, quia digni effecti sumus vt tam benignũ, ac tam misericordẽ dominũ cõsequeremur.

Iubilemus deo salutari nostro. Iubilemus ei tãquam tyrannorum victori, ac tanquam liberatori, qui ab illorum nos captiuitate eripuit. Est autem iubilatio, quædam militum vociferatio, quæ fieri solet in victoria.

Præueniamus faciem eius in confessione. Præueniamus, inquit, secundũ Christi aduentum, & antequam rursus nobis appareat, cõfiteamur, hoc est, pœnitentiam agamus. Signum autem pœnitentiæ maximum, est peccatorum confessio. προφθάσωμεν

Et in psalmis iubilemus ei. Et nos quoque post fidẽ in victoriæ signum, psalmis ei iubilemus: ei inquã, qui dicit: confidite, ego vici mundum.

Quoniam deus magnus dominus, & rex magnus super omnem terram. Nam & si hominem esse eum constiterit, & multiplices sustinuisse corporis passiones, attamen deus est magnus & dominus, & quæ sequuntur. Cum delectatione autem propheta in diuinæ magnitudinis ac potentiæ narratione immoratur.

Quia in manu eius sunt omnes fines terræ. In illius facultate est vniuersa terra. vel aliter: intellige vt propheta idem ferè dicat, quod alibi legimus dici de deo, apud Esaiam, qui continet, inquit, gyrum terræ pugno.

Et altitudines montium ipsius sunt. Ipsius nimirum creaturę, atque ipsius bona.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud. Non solum enim ipse est maris dominus, sed illius etiam creator.

Et aridam manus eius finxerunt. Per ipsa autem elementa, quæ cõmemorat, ea etiam significauit, quæ in eis sunt. Montium vero altitudines dixit, vt condigna admirandis operibus verba proferret. ἐπλασαν

Venite adoremus, & procidamus ei, & ploremus coram domino, qui fecit nos. Adoremus vt serui, & procidamus vt supplices atque eius opem implorantes, & ploremus vt peccatores.

Quia ipse est deus noster, & nos populus pascuæ eius & oues manus eius. Per populum, prudentiores quosque intelligit, & per oues, eos qui minus prudentes sunt. Et populus quidē dicitur, vt regis, oues autem vt pastoris. Appellamur autem populus pascuæ, veluti qui ab eo educamur, & pascimur, & illius regimur prouidentia. Oues vero manus eius, tanquam qui ab eo dirigimur, & manu quodāmodo è periculis in tutum educimur.

Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra sicut in exacerbatione. Dictio hodie, non determinatā diem aliquam designat, sed quācumque diem, in qua dici potest hodie. Ita enim nobis declarauit magnus Paulus. Quocumque, inquit, tempore audieritis vocem eius: eius dico, vocantis vos per diuinas scripturas, & præsertim per euangelium, nolite obdurare corda vestra obaudiendo, & non suscipiendo eam vocem, quemadmodum in exacerbatione factum est.

In die tentationis in deserto. Dictū est in psalmo LXXVII. quòd exacerbauerunt altissimum in inaquoso, & quòd tentauerunt deum in cordibus suis. Tunc enim obdurarūt corda sua, vocem illam dei repellentes quam audiuerāt in monte Sina, & obliti sunt, beneficiorū eius, non credentes, quòd deus posset omnia.

Vbi tentauerunt me patres uestri. Verum vbi nam id accidit? in deserto nimirum, vel eo tempore quo me tentastis. Est autem hic sermo, ex sancti spiritus persona.

Probauerunt me, & uiderunt opera mea quadraginta annis. Admiranda nimirum opera illa, ac beneficia, quæ plenius connumerātur in psalmo LXXVII. Et quod ait, quadraginta annis, aliqui superioribus verbis coniungunt, aliqui vero subsequentibus dicentes.

προσώχθισα *Quadraginta annis infensus fui generationi illi.* Hoc est inimicus ei eram atque implacabilis, ob duritiam nimirū cordis, atque ob infidelitatem eorum.

Et dixi, semper errant corde. Instabiles sunt. Generatio enim, alibi inquit, quæ non direxit cor suum.

Ipsi uero

Ipsi uero non cognouerunt uias meas. Per vias dei, sæpenumero apud scripturam diuina inuenimus præcepta significari: eo quod inter nobis sunt, quo perueniamus ad deū. Cognitionem vero hic non eam dicit, quæ legendo paratur, aut meditando, sed illam quæ per opera ipsa demonstratur.

Quàm iuraui in ira mea, si introibunt, in requiē meam. Dictio ὡς quàm, confirmantis est. Magna, inquit, cum stabilitate deliberaui, cum illis irascerer, quòd non introibunt in requiem meam. Quid autem sibi velit scriptura, quando iurare deum introducit, diximus in psalmo LXXXVIII. ibi: iuraui Dauid seruo meo. De ira etiam dei dictū est in psalmo VI. ibi: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Multis etiam in locis iam declarauimus, quòd dictio, si, persępe apud Hebrēos idem significat quod, non. Per requiem vero, promissionis terram intellige, in qua Israeliticus populus post quadraginta annorum peregrinationē lassus quieuit. Facta est etenim ei requies illa regio. Cæterum qui dei vocem obaudiuerint, in regni cœlorum requiem non ingredientur.

Laus cantici ipsi Dauid, quando domus ædificata est post captiuitatem.

Caret etiam hic psalmus inscriptione apud Hebræos. Quare autem à LXX *inscriptus fuerit, laus cantici, in superiori psalmo tradidimus. Et per ædificationem domus, quæ facta est post captiuitatem, iuxta historiam, templi renouationē intelligimus, quæ facta est à rege Zorobabel. Iuxta anagogen uero assumptæ humanitatis habitaculum, in quo dei filius post captiuitatem illam habitauit, qua diabolus hominem olim captiuauerat. & de qua alibi dictum est: ascendisti in altum, captiuasti captiuitatem. uel ipsam etiam ecclesiæ constitutionem, quàm magnus ac sapiens ille architectus ædificauit. Cum enim hæc omnia futura esse præuidisset beatus Dauid, exhortatur, ac mandat, ut condignas pro tantis beneficiis gratiarum actiones canamus deo.*

PSALMVS XCV.

CAntate domino canticū nouum. Quid sit nouū canticū dixim⁹ in psalmo XLII. ibi: cantate ei canticū nouū. Et sanè intelligere possumus, illud esse nouum canticum, quòd nato domino angeli vigilantibus pastoribus cecinerunt: Gloria in altissimis

tissimis deo,&c.

Cantate domino omnis terra. Venit etenim liberaturus omnem terram à dæmonum captiuitate. Hæc autem verba quo pacto iuxta historiã ædificationi tẽpli possint accõmodari, prorsus non video, cum aliæ gentes, præter Iudæorũ genus, ex huiuscemodi ædificatione omnino nihil iuuarentur.

Cantate domino, benedicite nomini eius. Laudate nomẽ eius, quoniam salutare est. Iesus etenim interpretatur Saluator. vel quia omnipotens est illius nomen, si cum fide nominetur. Et considera quomodo ter dixerit: cantate domino, quia nimirum tribus diuinis personis eadem est diuinitas: vnde idem merito cultus ipsi præstari debet Trinitati.

εὐαγγελίσασθε *Euangelizate de die in diem salutare eius.* Salutarẽ, inquit, euangelij prædicationem semper annunciate. Loquitur autem ad apostolos, & ad illorum successores. Vide quæ dicta sunt in psalmo xxxix. in expositione illi⁹ versiculi: veritatem tuam, & salutare tuum dixi.

Annunciate inter gentes gloriam eius. Incarnationem nimirum, & passiones omnes, quas ob salutem nostram sustinuit. fuit quippe illi gloria, vt pro seruorum suorũ redemptione, atque salute tanta sit passus.

In omnibus populis mirabilia eius. Mirabilia nimirum opera quæ fecit, cum inter homines versaretur.

Quoniam magnus dominus, & laudabilis ualde. Magnus quidem vt omnipotens, laudabilis vero vt misericors.

φοβερὸς *Timendus est super omnes deos.* Nam & in præsenti seculo punire potest & in futuro: nec corpus tantum, sed ipsam etiam animam, quod illi minime possunt: & hic quidem vere timendus, illi autem hominũ potius opinione, atque imaginatione formidantur. Deos vero improprie hic gentium deos appellauit: ideo sequitur.

Quoniam omnes dii gentium dæmonia. Gentiles olim, deos suos appellabant dæmones, tanquam scientes, ac cuiuscunque boni gnaros: nos vero Dæmones eos appellamus, tanquam peritos ad malum.

Dominus autem cœlos fecit. Atqui fecit, & cætera omnia? Omnia enim, inquit, per ipsum facta sunt: propheta autem hoc loco ad maiorem illius admirationem, & gloriam, ea tantum commemorauit, quæ digniora sunt, & magnificentiora.

centiora.

Confessio & pulchritudo in conspectu eius. Per ipsas virtutum habitudines, homines illos significare voluit, qui huiuscemodi virtutibus sunt præditi: per cõfessionem nimirum, eos qui propria delicta confitentur, & per pulchritudinem, eos qui ipsa confessione pulchriores atque ornatiores efficiuntur, quique per huiusmodi pœnitentiam antiquas quodammodo peccatorum sordes abluũt. Tales igitur viri, sunt in conspectu domini, iuxta illud: oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum.

Sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius. Græce pro sanctificatione ἁγιάσματι legimus, quæ dictio non tantum sanctificationem, sed sanctuarium etiam significat. Per sanctuarium igitur, quodlibet templum intellige deo dicatum: quod ideo sanctuarium appellat, quia à deo sanctificatum est, & quia omnes eos homines sanctificet, qui illuc cum fide ingrediantur. In hoc igitur sanctuario, magnificentia, & sanctimonia conuersantur: hoc est, munditia & puritas, & opera omnia quæ magnos viros decent.

Afferte domino parentelæ gentium, afferte domino gloriam & honorem. Per gentium parentelas nationes orbis varias intelligit. Vel quia græca dictio πατριαὶ non parentelas tantum, sed paternitates quodammodo significat, huiusmodi nomine gentium patres forte intelligit, quos esse dicimus tam sacerdotes eorum, quàm doctores. quam vero gloriam, & quem honorem deo afferri iubeat, diximus in psalmo vigesimo octauo, vbi eadem ferè habentur verba. Vel aliter: afferte ei gloriam, vt deo, cui vere ac proprie debetur gloria, honorem vero, vt patri. Honora enim, inquit, patrem tuum, est autem Christus omnium hominum deus, vt creator, & fidelium pater. Per baptismum etenim nos adoptauit. πατριαὶ

Afferte domino gloriam nomini eius. Huiusmodi etiam verba habentur in illo psalmo xxviii. vbi ea exposuimus. vel aliter: omnibus mandat, qui Christi nomine induti sunt, & christiani appellantur, vt laudabili conuersatione illum glorificent, eademq; hæc verba ter repetit, iuxta rationem, quã superius in principio psalmi reddidimus.

Tollite hostias, & introite in aulas eius. Hostias nimirũ spirituales αὐλὰς

rituales tolli iubet. Spiritus enim deus est, & eos qui eum adorant, adorare oportet in spiritu & veritate. Hostiæ autem huiusmodi, virtutes sunt, aulæ vero eius, variæ per orbem ecclesiæ.

Adorate dominum in aula sancta eius. Hic versiculus expositus etiam à nobis fuit in eodem psalmo XXVIII. Illud autem animaduertendum ducimus, quòd cum superius plurali numero aulas dixerit, nunc singulari sermone rursus aulam nominauit: docens nimirum, quòd multæ, quidem numero ecclesiæ sunt, fide vero vnà est omnium mater ecclesia. Diuisæ siquidem sunt, locis quę cõiunctæ sunt vnitate opinionis.

Commoueatur à facie eius uniuersa terra. Illius, inquit, aduentu, vniuersus orbis ab errore ad veritatem commoueatur. vnde alius propheta Christi aduentum, terræmotum appellauit. illam etiam terræ commotionem fortassis propheta hic intelligit, quæ passionis tempore facta est. vel commouendam esse terram prædicit, quia ad euangelij prædicationem quo aduentus atque incarnatio dei annũciatur, vniuersi populi ac gentes conturbatæ sunt.

Dicite in gentibus quia dominus regnauit. Huiusmodi etiam verba exposita fuerunt in psalmo XCII. vel dicite, quòd dominus regnauit, Hactenus nanque diabolus, & peccatum regnauerant. vel aliter: regnare hic Christus dicitur, propter voluntariam illam credentium subiectionem, quam fides præstat. Nam alioqui ab æterno etiam, super impios atque inuitos regnat.

κατώρθωσε *Etenim direxit orbem terræ.* Modum, inquit, præparauit Christus, quo humanum genus vniuersum, recta ad pietatẽ atque ad virtutes, posset incedere: vel stabiliuit eos Christus in cognitione dei: & per orbem terræ, vniuersam ecclesiam in toto orbe existentem intelligit. In omnem enim terram, inquit, exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Superflua est autem dictio, enim.

Qui non commouebitur. Ex quo enim liberatus est à dæmonum seruitute, qui antea illum commouebant, consequenter fundatus fuit super imperfectam fidei petram. Similem pene sententiam vidimus in psalmo XCII. ibi: etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur: vbi exposuimus.

Iudicabit populos in rectitudine. In die scilicet iudicij. Hoc autẽ dicit, vt sciamus, quòd Christus omnes iudicaturus est. εὐθύτητι

Lætentur cœli, & exultet terra. Ob cœlestem nimirum & deinde terrestrẽ Christũ. Altera quippe eius natura superne descendit, altera vero inferius è terra ortum habuit.

Commoueatur mare, & plenitudo eius. Commoueri hoc in loco posuit, pro exultare. Plenitudo autem maris, sunt illius fines, vel flumina, stagna, fontes, ac tota denique aquarũ materia. Exultet autem huiuscemodi aquarum plenitudo, ob sacrum Christi baptisma, quod in eis celebratum est.

Gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt. Quia scilicet illinc trãsiturus est Christus, atq; hoc pacto ea oĩa sanctificabit. Per omnia vero quę in eis sunt, ipsas plantas intelligit.

Tunc exultabunt omnia ligna syluarum. Eo quòd ex eis sumendum sit salutare crucis lignum.

A facie domini, quoniam uenit. Erit autẽ lætitia hæc atque hæc exultatio à facie domini: hoc est, propter eius præsentiã, atque aduentũ. Quoniã ecce iam venit ad carnis dispẽsationem. Solẽt autẽ prophetæ sæpenumero ipsis etiã inanimatis, atque insensibilibus rebus gaudiũ adscribere, quoties nimirũ summã aliquã voluerint lætitiã demonstrare: quasi ipsa etiã elementa anima ac sensu carẽtia lætentur. vel aliter: per cœlos, cœlestes angelos intellige: per terrã vero, terrenos homines: & per mare, nautas ipsos, aut maritimos quoscunq; homines: hoc est, insulanos: per campos item, agricolas: & per ligna syluarũ, arborũ inciſores, eosque qui syluas incolũt & montes. Vel aliter: per cœlos, eos intellige qui cœlestia meditantur: per terrã vero, eos qui terrena tantum curant: itẽ per mare, eos qui amaram impietatẽ sectantur: per campos etiam resupinos quoslibet homines, & carnis passionib⁹ subiectos: & denique per ligna syluarũ, duros, rudesque, & infructuosos ad virtutem homines. Hi omnes etenim, Christi incarnatione, ad illius fidem inuitati, delectatione atque voluptate maxima replebuntur.

Quoniam uenit iudicare terram. Duplici, inquit, afficientur gaudio, & quia veniet ad dirigendum orbem terræ, & quia rursus veniet ad iudicandam terram, & ad retribuendũ vnicuique secundum opera sua, & ad liberandum elementa ab incorruptione.

Iudicabit orbem terræ in iustitia, & populos in ueritate sua. Per orbem terræ, gentes intelligit, in orbe habitantes: per populos vero, ipsos Iudæos. vel per orbem terræ & per populos, idem æque significat. Populos autem in plurali numero diximus ob generationum diuersitatem. Iudicabit autem Christus in iustitia, hoc est iuste: quia non est personarum acceptor: & in veritate iudicabit veluti is, qui omnia exactissime nouit.

καθίσατο

Ipsi Dauid quando terra eius constituta est.

Hic psalmus similiter inscriptione caret apud Hebræos. Hanc autem inscriptionem LXX *ei imposuerunt, quam arbitrati sunt illius argumentum continere. Ipsi enim Dauid ideo inscripserunt, quia ad Christum pertinet, qui oriundus est ex genere Dauid. Et aliter: Dauid interpretatur manu fortis, unde per manu fortem, ipsum proprie Christum intelligimus, qui omnipotens est. Quando terra eius constituta est, hoc est, quando pacem & tranquillitatem habuit, liberata à dæmonum tyrannide. Domini enim, inquit, terra, & plenitudo eius. Tunc enim hic psalmus Christo uere accommodatur, tametsi multo tempore antea fuisset compositus.*

PSALMVS XCVI.



Dominus regnauit exultet terra. De hoc verbo regnare diximus in superiori psalmo. Regnauit autem dominus destructo dæmone, & peccato, qui antea in orbe regnabant: de exultatione terræ, ibi etiam dictum est.

Lætentur insulæ multæ. Ecclesiæ nimirum quæ in variis sunt mundi partibus, quæque ab amara & salsuginosa, vt ita dicam, infidelitate, insularum instar, eleuatæ sunt, quæque licet assiduis tentationum fluctibus impellantur, fundamentum tamen, ac solidam in rege suo Christo stabilitatem habent. vel per insulas, simpliciter fidelium omnium animas intellige: & per terram, nouam creaturam.

Nubes & caligo in circuitu eius. Per nubem & per caliginem, assumptam carnem intellige, quæ diuinitatem occultabat. similia pene verba ea sunt, quæ habentur in psalmo decimoseptimo: posuit tenebras latibulũ suum, in circuitu eius tabernaculũ eius.

Iustitia, & iudicium directio throni eius. Throni eius, pro regni eius dixit, quod regnum ipse Christus regnãs direxit. illud autem vere fuit iustum iudicium, quo & tyrannum dęmonem destruxit, & oppressum tyrannide humanum genus saluauit. vel aliter: per iustitiam, in vniuersum omne virtutis genus intellige, & per iudiciũ, rectitudinem ac discretionẽ. quæ omnia regnante Christo didicimus.

κατόρθωσις

Ignis ante ipsũ præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius. Hæc verba pertinent ad tempus vniuersalis iudicij, quod & propheta Daniel prospiciẽs dixit: fluuius ignis trahebat gradiens ante eum. Christi vero inimici omnes sunt, qui inimico eius diabolo obtemperant: in circuitu autem eius, hoc est, vndique, atque ex omni parte.

Illuxerunt fulgura eius orbi terræ. Apostoli nimirum, qui veræ lucis participes effecti sunt, ac veluti astra quædam coruscantia omnibus apparuere, & ad quos à Christo dictum legimus: vos estis lux mundi. suntque consona hæc verba iis, quæ in præallegato psalmo habentur, ibi: carbones succensi sunt ab eo.

ἔφαναν

Vidit, & commota est terra. Vidit huiusce modi fulgura, & exultauit. vel cõmota, id est, cõmutata est, ab errore nimirũ ad veritatẽ, & à tenebris ad lucem. vel commota est, vt melius stabiliretur. siquidem artifices prius commouere omnia ea solent, quæ volunt renouare. ideo de Paulo & Sila in Actis dictum legimus, ex impiorum persona: hi concusso vniuerso orbe huc veniunt.

Montes quasi cæra liquefacti sunt, à facie domini, à facie domini totius terræ. Per montes figurate ipsos dæmones intelligit, quia elati, atque in altum quodam modo eleuati sunt, & arrogantes, steriles item ac rigidi & præcipitiis ac præruptis locis referti. dictum est etiam in psalmo sexagesimoseptimo, quòd quemadmodum liquescit cæra à facie ignis, sic pereũt peccatores à facie dei: ibi vide.

ἐτάκησαν τὰ ὄρη ὡσεὶ κηρὸς ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου

Annunciauerunt cœli iustitiam eius. Per cœlos, prophetas aut Apostolos intellige, qui cœlestem vitam ac conuersationem optime colebant: & dum ait annunciasse eos iustitiã eius, hoc intelligit, quòd non solis Iudæis aperta sit dei cognitio, quinimmo quòd ipsæ etiam gentes ad veritatis cogni

tionem vocatæ sint. vel iustitiam aliter expone prout superius diximus, exponendo illa verba: iustitia & iudicium directio throni eius. vide etiam in psalmo XLIX. ibi. Euangelizaui iustitiam in ecclesia magna.

Et uideant omnes populi gloriam eius. Admiranda nimirum illius opera, propter quæ glorificatus est.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, qui gloriãtur in idolis eius. Erubescant cum tanta ac talia opera à deo sint gesta. vel erubescant, dum de idololatriæ errore redarguuntur.

ἐν εἰδώλοις

Adorate deum omnes angeli dei. Et alij quidem domino, secundum carnem nato, laudent eum dicentes: gloria in altissimis deo: alij vero seruiliter ei ministrent, quemadmodũ in deserto ministrarunt postquam tentatus fuit à diabolo: & alij ascendenti illi in cœlũ præeuntes inseruiant, & clament tollite portas principes vestras, &c.

Audiuit & lætata est Sion. Audiuit Sion cœlos annũciantes, ea quæ ad Christum pertinebant. vel noua Sion, vniuersalis nimirum ecclesia audiuit & lætata est.

Et exultauerũt filiæ Iudææ. Filiæ Iudeæ olim dicebãtur esse particulares illæ synagogæ, quæ in variis erant oppidis ac ciuitatib⁹ prouincię Iudeæ & Iudeorũ imperio subditis: nũc autẽ per filias Iudææ, hoc est, per filias vniuersalis ecclesiæ, omnes & singulas intelligim⁹ ecclesias, quę in variis sunt mũdi locis, tanquam ab vniuersali illa matre procreatas. & quia Sion interpretatur, specula, & Iudea cõfessio, recte possumus tam per Sion, quam per Iudeam ecclesiam ipsam intelligere, quia speculationibus vacat, & veritatem contẽplatur, & quia confitetur & condignas deo gratias agit: verum si quæris, cuius rei gratia lætata sit Sion, & quam ob causam filiæ Iudeæ exultauerint, audi quæ sequuntur.

ἰουδαίας

Propter iudicia tua domine. Quia scilicet iusto tuo iudicio vnicuique reddes iuxta opera propria, fidelibus nimirum requiem, infidelibus vero æterna supplicia.

Quoniam tu dominus altissimus super omnem terram. Dominus super omnem terram. vel altissimus super terram, quemadmodum etiam super cœlum.

Valde exaltatus es super omnes deos. Eos, scilicet qui dij reputantur. & illi quidẽ falsò exaltati sunt, atq; ob erroré, tu autem vere exaltatus es, ob summã tuam potentiã. quanto igi

tur

tur veritas errore maior est, tanto etiã tua sublimitas illorum altitudinem superat. exaltatus es autem, hoc est, cognitus es altus esse. conatur autem his verbis propheta summam dei altitudinem exprimere, valde exaltatum eum esse dicens, super omnem terram, & super omnes deos.

Qui diligitis dominum, odite mala. Odit enim deus malos, & diligit bonos.

Custodit dominus animas sanctorum suorum. Eorum nimirũ, qui deo dicati, atq; ei sanctificati sunt.

De manu peccatoris liberabit eos. Quoties nimirũ oppressi fuerint, vel læsi. peccator autem proprie est diabolus, veluti delictorum omnium author.

Lux orta est iusto. Lux verę lucis, lux inquam spiritualis, dirigens eum in omnem veritatem. vel lux contemplationis ei orta est qui in actionibus suis iustitiam seruat.

Et rectis corde lætitia. Lętitia, hoc est, spũalis consolatio.

Lætamini iusti in domino. Omnbus aliis mundi voluptatibus.

expulsis, veluti falsis. similis fere sententia habetur in fine psalmi quadragesimisecundi. ibi: lætamini in domino & exultate iusti, vbi vide.

Et cõfitemini memoriæ sanctificatiõis eius. Gratias, inquit, ei agite memoria repetẽtes diuinam illam sanctificationẽ, qua sanctificati estis. vel cõfitemini antiquas omnes inquinationes vestras, dum tantã dei munditiam, ac puritatẽ animo reuoluitis, cum inter homines nullus omnino mundus sit. possunt & prædicta oñia à versiculo illo: ignis ante ipsum precedet, vsq; ad verba illa: audiuit & lætata est Sion: de secũdo Christi aduẽtu intelligi. illuxerunt, inquit, fulgura eius orbi terrę, Christo nimirũ rursus è cœlo descendente, nam quemadmodum fulgur exit ab oriente, & venit vsq; in occidentẽ, sic erit aduẽtus filij hominis. ꝙ si Solẽ tunc obtenebrandum esse affirmamus, & Lunã nõ daturam lucem suã, stellasq; casuras è cœlo, vnde nã aliunde illuminabitur mũdus, quàm à Christo? vidit autem terra eius descensum, & cõmota est ob timorem. vel cõmota est, mortuis illico resurgentibus. Montes autem sicut cæra liquefacti sunt, & dissoluti, cõmutatis elementis. de his etiam verbis diximus in psalmo septuagesimo quarto, ibi: liquefacta est terra. Annunciauerunt etiam

cœli

cœli iustitiam eius, hoc est, sublimes, atque alti cœlorum instar, prophetæ olim annunciauerunt, quòd deus iustus est iudex: & tunc, hoc est, in illo iudicij tempore, viderunt omnes populi gloriam eius, exeuntis nimirum in gloria patris, sicuti & ipse nos docuit. deinde omnibus, qui idola colunt, mandat, vt pudore suffundantur, atque erubescant: angelis etiam iubet, vt adorent eum, sciens nimirum vtrunque futurum esse. ipsis etenim angelis Christum adorantibus, cæteri omnes etiam facile adorabunt: quia iuxta Apostolum omne genu ei flectitur, cœlestiũ, terrestrium, & infernorum.

Psalmus ipsi Dauid.

Hic psalmus qui utrunque simili modo Christi aduentum pertractat, cognationem quandam, seu familiaritatem retinet cum proxime præcedenti, quemadmodum & ille ad alium qui præcesserat.

PSALMVS XCVII.

Cantate domino canticum nouum. Consimilis versiculus habetur in psalmo octuagesimoquinto, vbi exposuimus.

Quia mirabilia fecit dominus. In nouis rebus nouo cantu opus est: sed quid nouum magis aut magis admirandum est, quàm quòd deus carnem assumpserit, quòd pati voluerit, atque alia fecerit, quæ ex sacro docemur euangelio?

ἔσωσεν αὐτῷ ἡ δεξιὰ αὐτοῦ

Saluauit eum dextera eius, & brachium sanctum eius. Illius dextera atque illius brachium, hoc est, diuinum illud auxilium, quod & dextrum accommodum omnibus esse solet, & potens, saluauit, hoc est, recuperauit eum populum, siue eos omnes, qui ab inimico olim captiui, ac serui tenebantur. dexteram enim & brachium, ita exponi alibi diximus in psalmo trigesimotertio, ibi: sed dextera tua & brachium tuum. Aliqui vero intelligunt, quòd deus saluauit ipsum hominem qui perierat: atque hoc admirandum illud opus esse dicunt, quòd rebellem ac perditum seruum dominus, passione ac morte sua, saluauerit.

Notum fecit dominus salutare suum. Manifestam fecit deus illam salutem, quæ ab eo est: incarnationem nimirum suam, vel salutare consilium suum. non veni enim, inquit, vt iudicem mũ-

cem mundum, sed vt saluem mundum.

In conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Verba hęc ad prioris dicti declarationem dicta sunt. in omnem enim terram exiuit sonus Apostolorum, qui vniuersis gentibus salutem illam prædicauerunt, quã Christus operatus est. iustitiam autem hoc in loco expone, quemadmodum diximus in psalmo XCII. possumus etiam intelligere, quòd dominus notum fecerit salutare, suum prophetis, & quòd reuelauerit iusticiam suam gentibus.

μνήσθη τῷ ἰακὼβ

Memor fuit misericordiæ suæ ipsi Iacob, & ueritatis suæ domui Israel. Cum olim deus patriarchæ Habraam promisisset, illius se generationis miserturum esse, & iuramento se vera dicere confirmasset, voluit deinceps promissæ huius misericordiæ, ac confirmatæ veritatis rationem habere, dum re ipsa promissam misericordiam exhibuit nouo Iacob, atque erga domum noui Israel, erga generationem dico Christianorum. fidelis etenim populus merito Iacob dicitur, & Israel, veluti maligni dæmonis supplantator & victor, & tanquam is, qui interioribus animæ oculis, quantum humana patitur fragilitas, deum contemplando intuetur. Iacob quippe interpretatur supplantator, & Israel, mens videns deum.

Viderunt omnes termini terræ salutare dei nostri. Illud, inquam, salutare, quod coram eis per Apostolos reuelatum est, vt supra declarauimus.

Iubilate deo omnis terra. De iubilatione dictum est in psalmo XCIIII. in secundo versiculo.

Cantate, & exultate, & psallite. Cantate canticũ nouum, vt dictum est, & exultate tanquam liberati à captiuitate, & psallite ad demonstrandam lætitiam, & gaudium vestrum.

Psallite domino in cithara, in cithara & uoce psalmi. Per citharam iuxta Anagogen factiuas virtutes intellige, per vocé vero psalmi, ipsam contẽplationem. glorificate dominũ, inquit, bene operando, & diuina mysteria contemplando.

In tubis ductilibus, & uoce tubæ corneæ. In euangelicis nimirum præceptis, quæ tubæ quidẽ plurali numero dicuntur, quia quatuor sunt euangelia: & tuba, singulari, quia tametsi quatuor dicantur euangelia, seu potius quatuor euangelistæ, concordia tamen ac virtute vnum atque idem est euangelium. & ductiles quidem has tubas dixit, veluti à sancto

spiritu

ὡς ζοηρὰν

ſpiritu fabricatas, atque actas, corneam vero quaſi animatam. Corneæ etenim tubæ ex animalium cornibus efficiuntur.

Iubilate in conſpectu regis domini. De iubilatione ſæpius dictum eſt.

Commoueatur mare, & plenitudo eius, orbis terrarum, & uniuerſi qui habitant in eo. Per commotionem etiam hoc loco exultationem intelligit, vt diximus in pſalmo nonageſimoquinto, ibi: lætentur cœli, & exultet terra, commoueatur mare & plenitudo. Vide, quæ illic exponẽdo diximus. Per plenitudinem vero maris, quidam piſces intellexerunt, qui illud replent: quaſi ipſi etiam piſces ad lætitiam, atque ad gaudium aduocentur.

ἐπὶ τὸ αὐτὸ

Flumina plaudent manu ſimul. Flumina, inquit, vna, hominum inſtar, qui inuicem congaudeant, quaſi manibus quibuſdam applaudent: ac ſi diceret, ipſa etiam flumina exultabunt, tanto vniuerſali gaudio adueniente. iuxta Anagogen, per flumina, eos homines intelligere debemus, qui potabiles aquarum latices, & perpetuos doctrinæ fluxus habent, de quibus à domino dictum eſt: ſi quis crediderit in me, flumina de ventre eius fluent, aquæ viuentis: vel ipſas fidelium multitudines, quæ fluminis inſtar ad Eccleſium confluunt.

Montes exultabunt à facie domini, quoniam uenit. Ipſi etiam montes exultabunt, quemadmodum in pſalmo nonageſimoquinto exultaſſe etiam legimus ligna ſyluarum: iuxta Anagogen, montes, prophetæ ſunt, ob contemplationum nimirum ſublimitatem. Exultabunt autem, videntes quòd omnia ea quæ prædixerunt re ipſa euentum ſuum conſecuta ſunt.

Quoniam uenit iudicare terram, iudicabit orbem terræ in iuſtitia, & populos in rectitudine. Omnia hæc expoſita ſunt in pſalmo nonageſimoquinto. vbi tamen non in rectitudine legimus, ſed in veritate tua: ita vt idem intelligatur eſſe rectitudo, quod veritas. Quicunque enim verax fuerit, rectus etiam erit, & contra, quicunque rectus, verax.

Ipſi Dauid Pſalmus.

Eſt etiam hic pſalmus apud Hebræos abſque inſcriptione. Illa enim uerba ipſi Dauid, addita fuerunt à ſeptuaginta, ut annotauimus in inſcriptione

in inſcriptione pſalmi nonageſimiſexti.

PSALMVS XCVIII.

Dominus regnauit, iraſcantur populi. Scribit Matthæus, quòd nato domino, Magi ab oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes: vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? quodque audiens ea Herodes rex, turbatus eſt, & vniuerſa Hieroſolyma cum eo. Hoc igitur myſterium præuidens beatus Dauid, dicit: Dominus rex natus eſt. Ipſe enim dominus de ſe dicebat, tu dicis quia rex ſum ego, ego in hoc natus ſum &c. iraſcantur igitur Iudæorum populi.

Qui ſedet ſuper Cherubim. Ille, inquam, dominus regnauit, qui ſedet ſuper Cherubim, vt in ſeptuageſimonono pſalmo declaratum eſt, ibi: qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare.

ὁ καθήμενος

Commoueatur terra. Iudæorum nimirum regio, quæ turbata eſt, vt iam diximus. Vel commoneatur omnis terra, aliis quidem ob metum perturbatis, aliis vero ad pietatem, atque ad religionem commutatis.

σαλευθήτω

Dominus in Sion magnus, & excelſus eſt ſuper omnes populos. Iuxta hiſtoriam Chriſtus magnus fuit in Hieruſalem, docens & efficiens miracula. Egrediebatur enim, inquit, fama de eo. Item alibi: Exiit fama eius ſtatim in omnes finitimas regiones. Et rurſus: Exiit fama eius in totam Syriam. iuxta Anagogen vero, magnus eſt dominus in Eccleſia. Sion quippe interpretatur ſpecula. Fidelium autem Eccleſia, non immerito ſpecula appellatur, cum fideles, qui in ea verſantur (vt ait Apoſtolus) non terrena ſolum, ſed cœleſtia contẽplentur. In hac igitur Eccleſia, ſpecula Chriſtus excelſus eſt ſuper omnes homines, vtpote, qui non tantũ homo eſt, ſed etiam deus. Vel magnus in Sion, excelſus autem in omnibus gentium populis, vt ſit ſenſus, quòd Chriſtus magnificatur inter Iudæos, & inter gentes, hoc eſt, in iis fidelibus, qui ex circuncisione ſunt, atq; in iis qui ex gentibus. Nam quod ait: Super omnes, non ſolũ ſignificat ſupra omnes, ſed etiam in omnibus.

Confiteantur nomini tuo magno. Gratias agant, inquit, nomini tuo, hoc eſt, nomini diuinitatis tuæ. Donauit enim deus aſſumptæ humanitati nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Vel confiteantur nomini tuo, non curioſe inquirentes naturam tuam, nec modum incarnationis tuæ.

Quoniam

φοβερὸν *Quoniam timendum, & sanctum est.* Timendum quidem inimicis dū eos eiicit, & flagellat, sanctū vero domesticis ac beneuolis, quos sanctificat, & mundat. Vel de ipso etiam nomine Iesu loquitur, quod timendum etiam, & sanctum est, vt iam diximus.

καὶ *Et honor regis iudicium diligit.* Dignitas atque authoritas regis diligit iustitiam. Atque ideo & præsto iis aderit, qui tyrannide opprimuntur & ipsum etiam tyrannum dæmonem destruet.

Tu parasti directiones. Tu legem dedisti, in qua directiones sunt, & rectitudines.

Iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti. Idem nunc & manifestius repetit. Tu, inquit, iudicium fecisti & iustitiam in generatione Iacob, in ipso scilicet Israelitico populo, atq; hoc per legem datam.

Exaltate dominum deum nostrum. Alta ac sublimia de illo cogitate. Exaltate etiam hymnis ac laudibus, exaltate mandatorum obseruatione. Si enim blasphemari dicitur in gentibus deus propter eos qui diuina spernunt mandata, perspicuum sit, quòd contra, magnificari dicetur propter eos qui illa obseruauerint.

Et adorate scabellum pedum eius. Scabellum pedum Christi, vt dei, terram esse legimus, cœlum, inquit, thronus mihi est, & terra scabellum pedum meorum. Scabellum vero pedum Christi, vt hominis, montem Golgotha esse dicemus, in quo fuit crucifixus: vel ipsam etiam crucem, in qua illius pedes clauis confixi sunt.

Quoniam sanctus est. Propter diuinitatem nimirum, quæ sanctificat. Sanctus vero ipse cum sit, huiusmodi etiam scabellum sanctificauit. Et quoniam iustos omnes sanctos quoq; appellare solemus, ostendit deinceps quanta sit differētia inter Christi atq; inter illorum sanctitatem, dicens.

Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius: inuocabunt dominum, & ipse exaudiebat eos. Hi omnes, inquit, ministri illius erant, & serui. Moysen vero dicit, vt legislatorem, Aaron vero vt primum inter sacerdotes, & Samuelem tanquam principem inter Prophetas. Vel per Moysen Aaron, & Samuelem, eos omnes intelligit, qui illorum imitantur virtutes. Nam & in Ezechiele dicens dominus:

minus: si gladium induxero super terram, & inuenti fuerint in ea Noe Iob & Daniel, in his non veniet gladius: non illos significare voluit, qui multis iam annis mortui erant, sed per ea nomina illos significauit, qui eorum vitam ac conuersationem fuissent imitati.

In columna nubis loquebatur ad eos. Ad Moysen nimirum, atque ad Aaron. Atqui ad solum Moysen deus loquebatur, verum hæc est quædam figura, quæ Syllepsis dicitur eo q̄ alterum comprehendat. Nam & Apostolus cum omnes connumerasset: qui per fidem crediderunt, collectim demum addidit: qui per fidem vicerunt regna, & quæ sequuntur. Vult enim Propheta nunc illud nobis dicere, quòd hic Christus, est ille deus, qui in columna nubis ad eos loquebatur.

Quoniam custodiebant testimonia eius, & præcepta eius quæ dedit illis. Eius enim Christi erant testimonia omnia, & mandata legis, quæ illis data sunt.

Domine deus noster tu exaudiebas eos. Tu ille es, qui tunc eos exaudiebas.

Deus tu propitius fuisti eis. Eis nimirum placantibus ac mitigantibus te pro populo, à quo fueras iritatus, vel pro seipsis etiam, quando in te peccarunt. Nam & Moyses deum iritauit, dum minus credidisset se ab eo impetraturum aquam, & Aaron, quando vitulum fabricauit.

Et vlciscens in omnes adinuentiones eorum. Vlcisci posuit hoc loco, pro auxiliari. Et adiuuans eras, inquit, hoc est, adiuuabas, omnia eorum studia ad populi commodum. Vel eras vlciscens omnes eorum adinuentiones, intelligendo in passiuo sensu, hoc est, omnes adinuentiones, quæ aduersus illos compositæ ac structæ fuissent.

Exaltate dominum deum nostrum. De hoc iam superius dictum est.

Et adorate in monte sancto eius: quoniā sanctus est dominus deus noster. Mons eius sanctus, Iudæis quidem terrestris dicitur Sion, nobis vero cœlestis: de qua Apostolus Paulus dixit: accedite ad Sion montem, & ciuitatem dei viuentis Hierusalem cœlestem. Vel per montē sanctum Ecclesiā intellige, propter dogmatum nimirū & cōuersationis eius sublimitatē. Adorate, inquit, igitur Christū in ecclesia. Atq; hæc Propheta dicit, seipsum nobis coniūgens: vel ita fieri iubet ex fideliū persona.

Psalmus ipsi Dauid in confessionem.

Hanc inscriptionem septuaginta etiam apposuerunt, cognoscentes ex psalmi uerbis, eum Christo uere manu forti ac descendenti ex sanguine Dauid dedicatum fuisse, cui mandat, ut inseruiamus, & confiteamur.

PSALMVS XCIX.

IVbilate deo omnis terra. Huiusmodi verba habuimus etiam in psalmo nonagesimoseptimo.

Seruite domino in lætitia.. Seruite ei, qui liberauit vos à dæmonum seruitute, & in lætitia, quia à tanta erepti estis tyrannide, & effecti digni, qui tantum dominum habeatis.

Introite in conspectu eius in exultatione. Ingenue illum colite cum gaudio & lætitia.

Scitote quoniam dominus ipse est deus noster. Cognoscite, inquit, à Prophetis ea, quæ de illo scripta sunt, & ab ipsis etiam operibus addiscite, quòd dominus Iesus ipse est deus noster.

Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Tametsi patres, ij esse videantur, qui filios faciunt, re vera tamen deus est, qui eos facit. Ipse etenim illorum est causa, parentes vero coadiutores tantū, veluti qui diuino illi inseruiunt mandato, quod est à principio. Atq; ideo multos videmus optantes procreare filios, qui tamen minime id possunt. Eadem etiam ratione ad mulierem illam, quæ viro suo dicebat: da mihi filium, prudenter ac dogmatice maritus respondit: nunquid ego sum tibi pro deo, qui priuauit te fructu ventris?

Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. Vidimus etiam huiusmodi verba in psalmo. XCIIII. & licet ibi populus pascuæ scriptum sit, & oues manus eius, nulla hinc tamen sensus differentia constituitur.

Introite in portas eius in confessione, in aulas eius in hymnis. Quemadmodum primo ingredi oportet portas, & deinde aulas, ita etiam primo confiteri oportet peccata, & deinceps laudare deum: vt lingua per confessionem expurgata, puræ ac mundæ laudes offerantur deo. Portæ autem & aulæ Christi, variæ sunt, quæ in vniuerso habentur orbe Ecclesiæ, veluti propriæ quædam illius domus: de aulis etiam diximus in psalmo octuagesimotertio.

Confitemini

Confitemini illi, & laudate nomen eius. Eandem videtur repetere sententiam, sermonemque suum magis intendere, ac fere lectorem vrgere. Vel per confessionem gratiarum actionem intellige: gratias deo, inquit, condignas agite, pro tantis ab eo in vos collatis beneficiis, & illius nomen laudate, qui redemit vos.

Quoniam bonus dominus in seculum misericordia eius. Bonus vtpote compatiens. Aeternam vero esse dicit illius misericordiam, & non tantum ad humanæ vitæ tempus, sed perpetuò durare.

Et usque in generationem, & generationem ueritas eius. Veritas, inquit, sermonum eius perpetua est. Vel non tantum in antiqui populi generationem, sed in generationem quoque noui populi.

Psalmus ipsi Dauid.

Beatus Iosias summa uirtute præditus fuit, & summa pariter cum uirtute regnum administrauit: quod præuidens Propheta noster Dauid, præsentem psalmum conscripsit, quo probatissimam tanti regis uitam, ex eius persona narrans illam tanquam recte cuiusdam conuersationis exemplar, omnibus imitandam proponit.

PSALMVS C.

MIsericordiam & iudicium cantabo tibi domine. In cantum, inquit, tibi offeram, misericordiam & iudicium tuum, canens nimirum quemadmodum in præsenti vita misereris, & iudicas in futura: Vel canens, quòd misericordia tua iudicio non caret, nec iudicium tuum misericordia. Imitabor præterea ea quæ cantu meo laudauero, aliorum scilicet miserendo & recte alios iudicando.

Psallam, & intelligam in uia immaculata. Irreprehensibilis incedens psallam, & intelligam. Oportet enim psallētem intelligere, quid psallat, aut cantet. Per immaculatam autem viam intelligere possumus virtutes illas quæ actione perficiuntur: psallere vero pro contemplari: vel psallere, pro operari per virtutem, intelligere autem pro contemplari: quorum vtrunque in immaculata, atq; irreprehensibili vita perficitur.

Quoniam uenies ad me. Ad me, inquam, qui ideo immaculatus, atq; irreprehensibilis ambulo, psallo, & intelligo, vt te fruar. Vel quando venies ad me, qui aduentum & presentiam tuam ardentissimus concupisco, iuxta illud: si quis diligit me, & verba mea seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Versabar, inquit, in munditia cordis.

Non proponebam ante oculos meos rem iniquam. Neque ante corporeos, neq; ante animi oculos, hoc est non sustinebam videre aut cogitare iniquum aliquid.

παραβάσει *Facientes transgressionem odiui.* Eos nimirũ homines, qui, quod iustum est, transgrediuntur, siue id ad homines pertineat, siue ad deum.

καρδία σκαμβή *Non adhæsit mihi cor peruersum.* Recto enim peruersum non congruit.

Declinantem à me malignum non cognoscebam. Neque enim malignorum hominum amicitias retinere oportet, sed curare, vt omnes accedentes ad nos, meliores efficiantur, & recedentes despicere. Intelligitur etiam hic versiculus de diabolo: vt sensus sit. Dæmoni ad me accessum nullum dedi: atque idcirco non contigit, vt aliquando à me declinare, hoc est, recedere eum cognoscerem.

Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. Tanquã malis præditum moribus, atque illiberalem, ac veluti canem latenter mordentem. Secreto autem, hoc est, clam, ideo apposuit: quia his qui præsenti detrahit, minus peccat, cum is qui præsens est, ab irrogata infamia se tueri possit.

Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Hoc est, non degebam cum eo. Per oculum autẽ superbum, quemcunque superbum hominum intelligit, veluti à parte totum, & simili modo, per insatiabile cor, auarum hominem vtrunq; vero deinceps vno sermone comprehendit, dicens: cum hoc non edebam.

Oculi mei ad fideles terræ ut sedeant mecum. Ad eos nimirum qui ob rectam eorum cõuersationem effecti sunt digni, vt essent fideles. Vel fideles nunc bonos omnes appellat, iuxta quod à Solomone dictum legimus: virum autem fidelem inuenire labor est. Nam quod bonum est rarum est: huiuscemodi,

modi, inquit, hominibus ego adhærebam, & cum eis considebam.

Ambulans in uia immaculata, hic mihi ministrabat. Ministris, inquit, vsus sum, quorum vita esset irrepræhensibilis, decet nanq; non amicis tantum, sed & ministris vti bonis.

Non habitabat in medio domus meæ, faciens superbiam. Superius de superbo amico locutus est, nunc autem de ministro.

Qui loquitur iniusta non direxit in conspectu oculorum meorum. Non direxit, hoc est, perficere non potuit, quod optabat, nec coram me prospere processit. κατεύθυνε

In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ. Matutino tempore, cum nulla vini, aut iræ ebrietate detinerer, quando cogitatio mea decipi non poterat. Terræ autem peccatores dixit non vt totius orbis delinquentes significaret, sed eos tantum, qui sibi suberant. Omnes etiam, non vna omnes intelligit, sed modo hunc, modo illum.

Vt exterminarem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem. Interficiebam autem eos vt exterminarem iniquos omnes ea nimirum ratione, vt ipsa iniquitas, pœnarum austeritatem cernens, coërceretur ac deleretur. Iuxta Anagogen, per terram, per corpus ipsum intelligimus, & corporalia omnia, tanquam terrena. Huius autem terræ peccatores, cogitationes sunt de peccatis. In matutino, inquit tẽpore, quando in anima mea oriebatur sol sancti spiritus (hunc enim appellare possumus intellectuale matutinum) interficiebam omnes affectuum meorum cogitationes, quæ ex terreno corpore atque ex materialibus aliis rebus nascuntur. Per domini vero ciuitatem, animam intellige, tanquam sancti spiritus domum.

Oratio ipsi pauperi, cum anxius fuerit, & effuderit preces suas coram domino. ὅταν ἀκηδίασαν καὶ ἐκχέῃ

Pauperem hoc in loco eum appellat, qui diuino indiget auxilio. Huic etenim oratio accommodatur præsentis psalmi, quoties ob uisibilium seu inuisibilium hostium pugnam, in anxietate fuerit constitutus, & orationẽ suã obtulerit corã deo. Effundam enim, inquit, in cõspectu tuo preces meas, quod magis etiam declarans adiunxit: afflictionem

 meam

meam coram eo annunciabo: tametsi ex primo proposito pro seipso propheta hunc psalmum conscripserit, eo nimirum tempore, quo persecutionem passus est. tunc etenim & tristis fuit, & deum rogauit dicens.

PSALMVS CI.

DOmine exaudi orationem meam & clamor meus ad te ueniat. Per orationem, oris verba intelligit, & per clamorem, ipsius cordis propositum. Symmachus pro clamore, fletum dixit. Venire autem ad deum dicitur huiusmodi clamor, quando ab eo auditus fuerit. Auditur autem, quando placet.

Ne auertas faciem tuam à me. Ne me auertas, quæso, vt indignum: quod facere solent, qui supplicantium petitiones audire nolunt.

In quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam, in quacunq; die inuocauero te, uelociter exaudi me. Non tantũ nunc, sed per totam vitam de inclinatione vero auris dei, dictum est in psalmo decimosexto, ibi: inclina aurem tuam mihi, &c.

Quoniam defecerunt sicut fumus dies mei. Cito, inquit, exaudi me, quoniam anima mea iam defecit. Alibi etiam dicit, velociter exaudi me, quia defecit spiritus meus. Defecerunt, inquit, sicut fumus dies mei, & anni vitæ meæ, fumi instar, cito pertransierunt & iam transacti sunt.

Et ossa mea sicut cremium aruerunt. Symmachus pro cremio, torrem dixit, Ossa, inquit, mea instar torris aruerunt, tentationum nimirum igne combusta: iuxta Anagogen. Ossa sanctiores illæ cogitationes sunt, quæ animam fortificant, & regunt: quæ si tentationum igne accensę sint, debiles fiunt.

χόρτος *Percussus sum, ut herba, & aruit cor meum.* Quemadmodum herba percussa tabescit, ita ego flagellis percussus, in corde meo contabui, nulla consolatione inuenta, quæ flammam meam irrorando ac refrigerando mitigaret.

Quia oblitus sum comedere panem meum. Præ huiusmodi, inquit, mœstitia omnem cibi appetitum abieci. Antiqui enim appetitum, cibi memoriam appellabãt, & appetitus priuationem, cibi obliuionem.

A uoce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ. Verus gemitus omnem illam tollit pinguedinem, quæ est inter carnem, & ossa, aliqui carnem dictam esse intelligunt, pro cute: ac si diceret, quòd consumpta præ mœrore omni carne, quæ intermedia erat, cutis ossibus coniuncta sit.

Similis factus sum pellicano solitario. Fugiens nimirum multitudinis conuersationem, & solitudinem quærens. Est autem pellicanus animal quoddam, quod solitudine delectatur. ὄρνιθι

Factus sum sicut nycticorax in domicilio. Hoc animal natura timidissimum est: atque ideo vndecunque fugiens in domorum ruinis commoratur. Ego, inquit, veluti nycticorax in desertis, ac solitariis locis versor. Aiunt nycticoracem in domiciliis, seu tuguris degere, ac nocte clamare præ formidine, atque ideo hoc nomine à Græcis appellatur quòd nocte clamet. non secus igitur de nocte ad deum se clamare dicit, dum hostium incursum reformidat.

Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Vigilat nanque & ipse passer præ formidine, & solus in tecto degit: vel tantum in tectis manet.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei. Exprobrabant mihi formidinem, & miseriam omnes ij, qui persequebantur me.

Et qui laudabant me, aduersum me iurabant. Qui prius me admirabantur, aut laudabant me, postmodum iurarunt aduersum, iuramento, scilicet confirmantes conspirationes, atq; insidias illas, quas in me moliebantur: vel calamitates meas in iuramentum redigebant, verbi gratia: sic nos non patiamur ea, quę ille patitur, neque efficiamur, vt ipse est. Quidam vero hæc verba dicta esse intelligunt, ex persona Christi, ita vt sit prophetia de Petro qui iurauit se non nouisse hominem.

Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Si aliquando cibi memineram, & panem cinere aspergebam, & potum meum miscebam fletu, vt facere solent ij, qui in summis constituti sunt calamitatibus, & non sustinent vel cibum ipsum sibi absque tristitia adferri. Vel cinerem quidem pro pane manducabam, potum vero in fletu miscebam, hoc est, lachrymas miscebã pro potu: hoc autem faciebam, cum alij omnes cibum sumerent, atque hilares essent. Tunc etenim ego in faciem procumbens, & lugens ore ipso puluerem attrahebam, qui vento aut spiritu attolebatur:

tollebatur: atque hoc pacto miscebam eum cum lachrymis. Huiuscemodi autem verbis, vitam suã mœstitia plenam esse iudicauit, dictum est autem sæpius, ꝙ dictiones, quia, &, quoniam, aliquando causam reddunt, aliquando confirmant, & aliquando prorsus abundant, seu per modum quendam ponuntur narrationis, vt hic.

Τῆς ὀργῆς σου καὶ τῆς θυμοῦ σου

A facie iræ tuæ & indignationis tuæ. Hæc mihi contigerunt ab ira tua, quoniam mihi iratus fuisti. Es autem iratus, quia peccatis te meis iritaui. Per faciemvero iræ, ipsam iram circunloquendo dixit.

κατέρρξας ἡμᾶς

Quoniam eleuans confregisti me. Olim me in altum eleuasti, cum mea omnia bene se haberent, sed postea confregisti me, à pristino me statu decidere permittens. Simile illud est: Exaltatus autem humiliatus sum.

Dies mei, sicut umbra declinauerunt. Cito pertransierunt. Alibi etiam ait: Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt. Vmbra etenim breui extinguitur.

Et ego quasi herba exarui. Huiusmodi verba etiam superius vidimus, verum illic quidem, cor suum, hic vero, totum se ait exaruisse.

Tu autem domine in seculum permanes. Ea quidem, quæ ad me pertinent, hoc est, humana omnia huiuscemodi sunt, mutabilia nimirum, atque inæqualia, tu autem domine æternus es, atque immutabilis.

Et memoriale tuum in generationem, & generationem. Hoc est, æternum. Vel in generationem veteris populi, & in generationem noui populi.

Tu exurgens domine miserebéris Sion. Iuxta sensum qui magis præ manibus videtur esse, hæc est prophetia de terrestri Hierusalem, qua prædicitur ꝙ impleto illo tempore, quod à deo captiuitati Iudeorum determinatum est, deus rursum miserebitur Sion, quando tempus diuinæ protectionis aduenerit: tempus, inquam, quod etiam fuerat prædictum. Et quæ sequuntur pari consequentia intelligenda sunt: sed iuxta altiorem sensum prophetia hæc est de noua Sion, id est, de Ecclesia fidelium: vel quia tu resurgens à mortuis misereberis Ecclesiæ Apostolorum, atq; ei auxiliaberis.

Quia tempus miserendi eius, quia uenit tempus. Tempus, inq̃, quod

quod auxilium expostulat, cum omnes iam aduersum eam insurgant & bellum moueant.

Quoniam probauerunt serui tui lapides eius, & pulueres eius miserebuntur. Quia apostoli parauerunt lapides ad ædificationem ipsius Hierusalem, eos nimirũ lapides, qui stabiliores & probatiores fuere ad religionẽ, & ad virtutem, & quorum mutua etiam aptitudo & conueniẽtia, spiritualis ecclesiæ constructionem effecit. Idem etiam apostoli cura ac studio suo digniorem reddent puluerem ipsius Hierusalẽ: quippe qui infirmiores quosque ac magis terrenos homines, suo fouebunt auxilio.

ὐδόκησαν οἱ δοῦλοί σου τοὺς λίθους αὐτῆς καὶ τῶν χοῦν αὐτῆς

Et timebunt gentes nomen domini. Propter signa & miracula, quæ ex sola nominis Christi inuocatione fient in ea.

Et omnes reges gloriam tuam. Gloriam tuam, quæ nascitur à potentia. Intelligere etiam possumus per gentes, eos fideles, qui ex gentibus crediderunt, & simili modo per reges eos reges qui fideles fuerunt.

Quia ædificabit dominus Sion. Hoc est, vere ædificabit.

Et uidebitur in gloria sua. Videbitur rursum in glorioso eius aduentu quando veniet cum potentia & gloria multa, quemadmodum ipse dixit in euangeliis.

οἰκοδομήσει

Respexit in orationem humilium. Eorum scilicet qui humilia sentiunt: & veram animi humilitatem sectantur.

Et non spreuit preces eorum. Non despexit, non repulit.

Scribantur hæc in generationẽ alterã. Accipiatur, inquit, prẽsens oratio, seu hic prẽsens psalmus, qui inscriptus est, oratio ipsi pauperi & tradatur in generationẽ alterã, hoc est, in generationẽ noui populi, postquã antiquus populus, prophetarum verbis, quę de Christo prędicta fuerãt, credere noluit.

γραφήτω αὕτη

Et populus, qui creatur, laudabit dominũ. Christum dico. Populus autẽ, qui creatur, nouus est populus, de quo dixit Paulus: Si quis in Christo est noua creatura. Et non dixit, qui creatus est, sed qui creatur propter credentium incremẽtum, quod ad ipsam vsque cõsummationem perseuerabit. Creari autem dixit, pro immutari. Neq; enim nouus populus creãdus erat, sed in melius immutandus.

ὁ κτιζόμενος

Quoniam prospexit de excelso sancto suo. Prospexit superius quidẽ in cœlo permanens, inferne tamen in terra visus. Proprium enim est iis, qui desuper prospiciunt, manere in alto,

& videri ab iis,qui inferius sunt. Visus ast autem per incarnationem. Per excelsum autem sanctum, cœlum ipsum intelligit,vel ipsam diuinitatis celsitudinem.

Dominus de cœlo in terram aspexit. De cœlo in terram descendit. Per aspectum enim, illius aduentum denotauit.

τοῦ ἀκοῦσαι

Vt audiret gemitus compeditorum. Vt audiret, inquit, gemitum, quem iusti homines emittunt, pro iis qui peccatorũ suorum innexi sunt cathenis.

τοῦ λῦσαι

Vt solueret filios interemptorum. Atque,vt solueret à peccati vinculis, & à dæmonum seruitute, eorum filios, qui in peccatoris perierant.

τοῦ ἀναγγεῖλαι

Vt annunciaret in Sion nomen domini. Nomen nimirũ patris,hoc est,quòd dominus deus,pater suus esset,& verus pater: atque ideo Christus etiam dicebat: manifestaui nomen tuum hominibus.

Et laudem eius in Hierusalem. Hoc est,honorem eius. Patris vero honor esse dicitur,ipsum nomẽ paternum. vel aliter:laudem illam intellige,qua Christus semper patrem laudabat,omnia illi perpetuo adscribẽs,& ab illo dicẽs, se missum esse. Deinde dicit,quando hoc factum sit.

ἐν τῷ ἐπι συναχθῆναι

Dum conuenirent populi in unum, & reges ut seruirent domino. Tunc inquam cum reges & populi ad eum conuenirent,vt per fidem ei seruitutem,& obsequium præstarẽt:ei dico, qui secundum diuinitatem vere, ac proprie dominus est. Tunc etenim Christus annunciauit nomen patris in Sion, & laudem eius in Hierusalem,quando isti omnes conuenerũt:vnde alibi consequenter ex Christi persona dicitur: in medio ecclesiæ laudabo te. Ecclesia etenim cõgregationem, & cœtum hominum significat. Per reges autẽ,ipsos apostolos intelligit, non solum,quia animi passionibus, atque affectibus regnarent,& quia dominarentur dæmonibus,sed etiam quia ab vniuerso orbe supra ipsos reges honorati sunt, & quia de eis dictum est in psalmo xxxiiii. constitues eos principes super omnem terram. Completa autem huiuscemodi prophetia,redit iterum propheta ad priorem consequentiam.

ἰσχύος

Respondit ei in uia fortitudinis suæ. Inops ille & pauper, de quo in inscriptione psalmi dictum est, respondit, pro locutus est ei,ad quem oratio præsentis psalmi dirigitur. Respõdere enim hoc in loco posuit simpliciter pro dicere, sicuti aliâs

aliâs sæpe ponitur apud scripturam sacram. Per viam vero fortitudinis, illud tempus intelligit,quo vires adhuc aliquas habebat,nec dum eas amittere ceperat,tãta oppressus ac dejectus mœstitia.

Paucitatem dierum meorum annuntia mihi. Hæc similis videtur sententiæ ei quæ habetur in psalmo xxxviii. Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorũ. quis est,vt sciã quid desit mihi. Cernens,inquit, me iam debilitatum esse, & malum hoc ingrauescere, suspicor mediũ, mihi tẽpus vitę supereſſe,quo circa indicari mihi illud opto, vt animæ meæ maiorem curam,ac solicitudinem habeam.

Ne educas me in dimidio dierum meorum. Eductionem hoc in loco peregrinationem animæ appellauit,eductæ,scilicet, per aërem,vel eductæ à corpore. Per dimidium vero dierũ, imperfectionem,hoc est,infructuositatem dierum illorũ appellat, qui sibi ad ferendos virtutum fructus statuti fuerant. Hac enim de causa,certi dies, vitæ hominum statuuntur, vt fructus ferant:precatur igitur non mori in infructuositate, vt ita dicam,seu sterilitate vitæ suæ,sed diutius viuere,donec fructum aliquem adferat. Vel fortassis ita dicit,propter illud quod traditur in psalmo liiii, vbi habetur, quod viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos,vbi vide expositionem. ἀναγάγης

In generatione generationum anni tui. Per generationẽ generationum Hebręi idem intelligunt quod perpetuò. Complicat autẽ propheta inter orandum etiam dogmata de deo. Tu enim,inquit, diuinitate tua æternus es,quinimmo & supra ipsam æternitatem ac sempiternus.

Initio tu domine terram fundasti. Stabilisti,fecisti.

Et opera manuum tuarum sunt cœli. Cœli, inquit, efficaces potentiæ tuæ opus sunt. Per cœlos autem ipsum primũ cœlum intellige,& firmamentum. In principio enim,inquit,fecit deus cœlum & terram: & rursus, & vocauit deus firmamentum cœlum.

Ipsi peribunt. Immutabuntur enim vt pote creaturæ.

Tu autem permanes. Immutabilis vt creator.

Et omnes sicut uestimentum ueterascent. Omnes, hoc est, vtrum q; cœlũ:vel ipsa terra simul cum cœlis,assiduo vsu & tempore vestimentorũ instar veterascent. Vsu enim & tempore

pore vestes consumuntur.

ἑλίξεις

Et sicut opertoriũ uolues eos, & mutabuntur. Inuolues dixit, pro coercebis, & cõtrahes, quod tanta inquit, facilitate efficies, quanta quis opertorium aut pallium aliquod inuoluit. His autem verbis, summam Christi potentiam, ac robur cõstituit quod autẽ superius dixit, peribunt, nunc ait mutabuntur, exponens nimirum, & declarans priora illa verba, & significans, quòd ipsi etiã cœli immutabuntur, ac renouabuntur, in incorruptionem. Atque ideo in huiusmodi sentẽtiam Paulus dicebat, quòd præterit figura huius mundi: & Esaias, ꝙ cœlũ reuoluitur, vt liber. Sunt qui dicãt, ita exponendum esse hunc versiculũ, ꝙ sicut opertoriũ, seu amictus, completo vsu destinato, inuoluitur, sic etiam & cœlum, meliori vsu adueniente, in melius & ipsum mutabitur.

Tu autem idem ipse es. Immutabilis scilicet.

Et anni tui non deficient. Nam quemadmodum secundum diuinitatem cares principio, ita etiam fine. Per annos autem dei, intelligere debemus perpetuitatem diuinæ essentiæ.

τὴν παρά τασιν τοῦ εἶναι ὀνητέον

Filii seruorum tuorum habitabunt. Seruorum tuorũ de quibus superius dictum est, quòd probauerunt serui tui lapides eius, apostolorum nimirum. Filij autem apostolorum ij sunt, quos per euangelium genuerunt: qui eorum filij ideo dicuntur, quia simili morum ac dogmatum eruditione illis coniunguntur. Hi igitur habitabunt in Sion, hoc est, in ecclesia. cuius tu misertus es.

Et semen eorum in seculum dirigetur. Eorum seruorũ tuorum, vel semen filiorum seruorum tuorum. Semen vero, non secundũ carnẽ dixit, sed secũdũ virtutis ac pietatis successionem. Hoc igitur semen in æternũ dirigetur, & pręparabitur. Portæ enim, inquit, inferni non præualebunt aduersus eam.

Psalmus ipsi Dauid.

Hic psalmus gratiarum actiones continet, quod ab eius principio facile dignoscitur.

PSALMVS CII.



Benedic anima mea domino. Gratias, inquit, ei age, eum lauda, & glorifica, qui me tantis ac talibus affecit beneficiis.

Et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Dum ait, omnia quæ intra me sunt, animæ virtutes

tutes intelligit, considerationes nimirum, & cogitationes omnes: vel simul cum his, omnia ac singula sui corporis mẽbra, hoc est, seipsum ex omni prorsus parte, iubet deo benedicere. Insuper & nomini sancto eius: cum hoc nomen omnes eos sanctificet, qui digne illi benedixerint.

Benedic anima mea domino. Intensio est exhortationis, vel etiam simplex sermonis repetitio.

Et noli obliuisci omnes retributiones eius. Retributiones dixit pro beneficia: atque ita Symmachus reddidit. Nam cum à deo multa acceperimus bona, & inobediẽtia nostra ei reddiderimus mala, ipse tamẽ rursus bona nobis retribuit. deinde ipsa connumerat beneficia.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Qui in vno quoque tuo delicto placatur, & propitius fit, si tamen singulorũ delictorum pœnitentiam egeris.

Qui sanat omnes infirmitates tuas. Animæ, scilicet & corporis, quando ardenti pectore pro illis rogas.

Qui redimit de corruptione uitam tuam. Ex animæ nimirum & corporis periculis. vel qui incorruptam vitam donat in resurrectione.

ἐκ φθορᾶς

Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Te dico qui cursum confirmasti, & fidem seruasti. In misericordia autem & miserationibus ideo dixit, quia nullus ex operibus suis iustificatur. Si iniquitates enim, inquit, obseruaueris domine, domine quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est: & rursum, quia apud dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio: & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Commiscet enim deus misericordiam suam bonis operibus nostris, atque hoc pacto omnia supplet, in quibus nos deficimus.

Qui replet in bonis desyderium tuum. Hoc est, qui te bona sitientem, bonis satiat, quidam desyderium hic tale intelligendum esse dicunt, quale habuit Adam vt efficeretur deus: quod desyderium ipse Adam studuit explere in malis dum deo obediens non fuit: tuum vero, inquit, huiuscemodi desyderium implebit deus in bonis, propter tuam nimirum obedientiam. Horum igitur omnium donorum memor, inquit, ô anima benedic deo, qui tanta in te contulit beneficia.

Renouabitur ut aquilæ iuuentus tua. Iuuentus, inquit, seu adulescentia

adulescentia tua omnem illam senectutem depellet, omnemque illum languorem, atque infirmitatem quæ ab animi passionibus obuenerat: nec secus ea omnia depellet, atque aquilæ, veteres pennas deiiciunt. Et eodem pacto per pœnitentiam renouaberis, vt aquila renouatur, cui nouæ pennæ renascuntur.

Faciens misericordias dominus. Subintelligitur verbũ, est.

Et iudicium omnibus iniuriam patientibus. Iudicium vltionis.

Notas fecit uias suas Moysi. Per legem, quam ei mandauit. Per vias autem, diuinam voluntatem, ac mandata eius intelligit. abunde autem diximus de his in psalmo vigesimoquarto, ibi: Vias tuas domine demonstra mihi.

Filiis Israel uoluntates suas. Primum ipsi Moysi, & per illum consequenter vniuerso populo.

Misericors & miserator dominus longanimis & multum misericors. Hæc exposita fuerunt in psalmo LXXXV. ibi: Et tu domine deus meserator & misericors & quæ sequuntur.

εἰς τέλος μηνιεῖ

Non in finem irascetur. Cum facillime reconcilietur pœnitentibus.

Neque in seculum succensebit. Eandem sententiam repetit, sed manifestius.

Non secundum iniquitates nostras fecit nobis, neque secundũ peccata nostra retribuit nobis. Veluti patiẽs & multũ misericors. Eundem autem sermonem de diuina misericordia multipliciter reuoluit, demonstrare cupiens, quòd summa ea in nos deus vsus est.

Quoniam secundum altitudinem cœli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se. Quantum, inquit, est interuallum à cœlo in terram, tantam stabiliuit deus ostendere misericordiam super timẽtes se, immensam videlicet, & quę coniectari non possit. hac autem comparatione propheta vsus est, cum maius aliquod interuallum non inuenisset, quo in exemplum vteretur.

Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates nostras. A nobis dico, quicunque eũ timemus. Nam vbi diuinus timor adest, illis est etiam mandatorum obseruatio.

Quomodo miseretur pater filiorũ, misertus est dominus timentibus se. Miseretur pater filiorum. prouidentiam etenim, & curam illorum habet, & licet in aliquo delinquant, sustinet tamen, admonet, exhortatur, comminatur, longanimis est, verberat, sanat, & omnia denique ad illorum eruditionem, & salutem, quàm diligentissime moderatur.

Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Merito sustinet, ac miseretur, nouit enim figmentum nostrum debile esse atque infirmum.

Recordatus est quoniam pulvis sumus. Hoc ad præcedentis dicti interpretationem consequitur. meminit, inquit, qui de puluere plasmati sumus. de puluere, inquam, qui natura sua, tenuissima quædam atque infirmissima res est. Et quod ait recordatus est, posuit, pro nouit. Nam & hoc idioma est Hebraicæ linguæ.

Homo sicut herba dies eius. Facile enim deficiunt homines, & in hac vita non diu, sed ad tempus tantum permanent. per dies autem, vitam seu vitæ cursum intelligit. Quod si Salomon hominem magnum esse dicit, & quid venerandum ne mireris, ex duplici etenim apparatu homo confectus est, ex puluere nimirum atque ex viuifica illa dei spiratione: vnde terrena illa corporis pars vilipẽditur, alia autem spiritualis ac cœlestis magnificatur: propter animæ nimirũ immortalitatẽ ob proprias igitur infirmitates ac labores, homo inhonoratur, idemque ob virtutes & strenua facta habetur in honore: obseruando etenim mandata, imago dei est & heres regni cœlorum: quę si transgrediatur, & seruus statim efficitur peccati & suppliciorum reus. χόρτος

Tãquam flos agri sic efflorebit. Modo formosus, & pulchra specie mox separatione animę tabefactus, & corruptus.

Quoniam spiritus pertransiuit in illo. Quæcunque aerem, seu spiritum trahunt & remittunt, corruptibilia sunt. vel per spiritum, animam intellige, quæ in vniuersum corpus pertransit, & statuto ac determinato tempore ab eo exit.

Et non subsistet. In præsenti scilicet vita moriẽs, vt homo.

Et non cognoscet amplius locum suum. Ad aliam demigrans habitationẽ, sed neque ipse, inquit spiritꝰ, hoc est, ipsa anima simulac huiꝰ corporis vincula pertransierit, subsistet amplius in ipso corpore, aut illic amplius habitabit, nec cognoscet locum habitationis suæ, ipsum nimirum corpus. Nam etsi animæ resurrectionis tempore propria corpora sint recepturæ, non tamen eadem recipient corruptioni amplius subiecta,

aut

aut mutationibus obnoxia: vnde merito ob huiusmodi immutationem,ea amplius non cognoscent.

Misericordia autem domini à seculo in seculum super timentes eum. A præsenti seculo vsque in futurum, hoc est, in præsenti & in futuro seculo. perpetua enim hic, atque illic est dei misericordia,& nunquam cessabit. nam & hic à præsentibus nos eripit periculis, & illic à suppliciis liberat æternis. est autē hæc misericordia super eos,qui timent dominū.

τοῖς γοῖς *Et iustitia illius in filiis filiorum.* Iustitiam dixit, pro retributione bonorum operum: ad hunc enim sensum Symmachus transtulit. dicit igitur quod huiusmodi iustitia perpetua est. & quod per temporum successiones, filiis filiorum retribuet iis, inquam, filiis qui iuxta patrum viam ambulauerint. deinde eos ponit, apud quos huiusmodi iustitia reperitur.

Iis qui seruant testamentum eius. Testamentum dico diuinorum mandatorum quod disposuit pro adoptatis sibi filiis, pollicitus per illud eis hæreditatem.

τῆ ποιήσαι *Et memores sunt mandatorum ipsius,ut faciāt ea.* Qui,inquit, memores sunt,non vt ea sciant simpliciter, sed vt opere perficiant: filij autem filiorum,non tantum ij sunt, qui per cognationis successionem generantur,sed illi etiam, qui pietatis ac religionis hæredes sunt,ac successores.

Dominus in cœlo parauit thronū suum. Qui igitur illius throno assistere cupiunt cogitent cœlestia,& terrena despiciant. denotatur autē his verbis summa dei celsitudo. Et vide in secundo psalmo expositionem illius versiculi: Qui habitat in cœlis,irridebit eos.

Et regnum ipsius omnibus dominabitur. Veluti creatoris regnum: verum fidelibus, non vt inuitis dominabitur, sed vt sponte subiectis,infidelibus vero,etiam inuitis.

Benedicite domino omnes angeli eius. Cum throni cœlestis meminerit,consequenter assistentium etiam throno, angelorum memoriam facit, exhortans illos veluti conseruos vt communi domino benedicant, atque vt lętentur quòd tanta hominibus contulerit beneficia.

Potentes uiribus. Hoc est robusti. angelorum enim virtus non senescit sed immortalis est: atque ideo virtutes & potestates appellantur,quia potentes nimirum sunt vt perficiant

ciant quæ sibi à deo iniunguntur.

Facientes uerbum eius audiendo uocem sermonum eius. Qui diuina impletis mandata simul ac audiueritis vocem sermonum eius,quæ ab illis, scilicet audiri potest. τῆ ἀκοῦσαι

Benedicite domino omnes uirtutes eius. Cum de angelis dixerit, nunc de aliis ordinibus dicit,de incorporeis nimirum virtutibus.

Ministri eius qui facitis uoluntatem eius. Qui in variis ordinibus ei inseruiunt: quique eius voluntatem perficiunt. deinde in vniuersum omnem exhortatur creaturam ad dei benedictionem,dicens.

Benedicite domino omnia opera eius. Verum quonam pacto deo benedicent,quæ irrationabilia sunt,aut inanimata: dum nimirum pro voce, aspectu vtuntur, pulchritudine, magnitudine,situ vtilitate, atque aliis huiusmodi, quæ omnia admirabilia sunt, sapientiamque ac potentiam dei indicant ab iis enim rationales creaturæ in creatoris laudem mouentur. solent etiam prophetæ sæpenumero ad diuinas laudes concinendas, ipsam etiam irrationalem atque inanimatam naturam aduocare,denotare volentes, quòd rationalis creatura ad dicendas huiusmodi laudes non sufficit: quòd si ipsa etiam irrationalia ad diuinas laudes excitantur, quanto magis à rationabilibus creaturis deus laudandus est.

In omni loco dominationis eius, benedic anima mea domino. Verum quis nam locus est,qui non sit sub dominio dei? certe nullus. restat igitur vt vbicūq; locorum fuerimus,illic indistincte deum laudemus. sed quid ad hæc dicent illi? qui cantare nequeunt cāticum domini in terra aliena, cum propheta euāgelicum cultum ac religionem introducere manifeste videatur,eumque ipsi etiam legi præferre?

Psalmus ipsi Dauid pro mundi constitutione.

In superiori psalmo benedixit deo gratias ei agens, pro beneficiis in nos collatis,in præsenti rursus,ei benedicit, & creaturam omnem ab eo conditam admiratur.

PSALMVS. CIII.



enedic anima mea domino, domine deus meus magnificatus es uehementer. Magnus valde omnibus apparuisti, ob tuorum nimirum operum magnitudinem

magnitudinem & ob ſummam prouidentiam,quã erga creaturam tuam indeſinenter oſtendis.

μεγαλοπρέπειαν

Confeſſionem & magnificentiam induiſti. Per confeſſionem quidem, gratiarum actiones ſignificat, per magnificentiam vero,honorem illum,qui magno atque excelſo cuipiam debetur. Hæc duo,inquit,tibi circumpoſuiſti. ob magnitudinẽ quippe operum & creaturarum,vt dictum eſt,gratiæ deo iuges aguntur,quòd propter humanum genus tot bona creauerit: honorque ei etiam ſummus habetur,tanquam rerum omnium opifici.

Amictus lumine,quaſi ueſtimento. Ille,qui amictus eſt luce, tegitur à luce. ſimile quiddã de deo, ipſe etiam Paulus dicit, qui habitas,inquiens,lucem inacceſſibilem. Ex his vero docemur,deum inuiſibilem eſſe, & intellectu humano cõprehendi non poſſe. Huic autem verſiculo nõ aduerſatur, quod alibi propheta dixit: qui poſuit tenebras latibulum ſuum. Quippe cum inacceſſibilis lux, idem efficiat quod efficiunt tenebræ. vtrunque enim oculorum aciem nõ admittit, quod ſi exterior dei lux, & qua circũdatur inacceſſibilis eſt, quãto magis id quod in ea tegitur,videri non poterit? Cæterum alij per lucem,munditiam,alij cognitionem & ſcientiam intellexerunt.

Extendens cœlum quaſi pellem. Domine,inquit,deus meus magnificatus es vehementer: tu hæc atque illa operatus es: tu facile cœlum extendiſti,nec ſecus, ac ſiquis pellem extẽdat. & Dauid quidem hoc pacto nos docet, quàm facile deo fuerit cœlum creare. Heſaias autem alia quadam atque eleganti tranſlatione vſus,illius etiam immobilitatem ac figurã demonſtrauit,dicens: qui ſtatuit cœlum quaſi camerã. quòd ſi pellem pro tabernaculo intellexeris,dicemus figuram cœli hoc ſermone ſignificari. erat quippe tabernaculum inſtar fornicis. Dictio autem, Extendens, quamuis præſentis ſit tẽporis, tamen pro præterito poſita eſt. ſæpenumero enim apud ſcripturam tempus ponitur pro tempore, quemadmodũ etiam in ſequentibus fieri videbis.

Qui tegis aquis ſuperiora eius. Qui tegis,inquit, & cooperis eius cœli excelſa: ipſum ſcilicet ſecundum cœlum. & diuiſit,inquit, deus inter medium aquæ quæ erat infra firmamentum,& inter medium aquæ,quæ erat ſupra firmamentũ.

Admirandũ

Admirandum eſt igitur, quòd fluida aquæ natura contineri potuerit ſupra firmamentum,quod curuum eſt, & non effluxerit. Nam & ipſum firmamentum fornicis figuram habet, quemadmodum aſpectus docet.

ὀτιθεὶς νέφη

Qui ponis nubi aſcenſum tuum. Qui aſcendẽs ſuper nubem, eaque,vt vehiculo vteris: ſicuti olim in monte Sina.

Qui ambulas ſuper alas uentorum. Qui alis ventorum veheris,quibus verbis denotare videtur illum vbique eſſe. Quippe cum venti,motu velociſſimi ſint, & citiſſime ab extremis terræ finibus ad alios fines perueniant, & totum orbem quaſi momento circumeant.

Qui facis angelos tuos ſpiritus,& miniſtros tuos ignem urentem. Illum etiam inuiſibilis naturæ factorem eſſe prædicat. Eoſdem vero angelos, & ſpiritus, & ignis nomine appellat, vt velocem illorum motum, atque efficaciam exprimeret: vel eorum naturam etiam hoc pacto deſcribens. Angeli etenim ſpiritus intellectuales ſunt, & ignis quidam immaterialis.

Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam. Sed quam nam intelligit terræ ſtabilitatem? Dic quòd diuina diſpoſitio pro ſtabilitate ei effecta eſt. ſuper ſeipſam enim eam ſtabiliuit deus.

Non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Non peruertetur nec cõ mouebitur aliquando.

Abyſſus quaſi ueſtimentum amictus eius. Amictus elementi eius terreſtris, abyſſus eſt: ipſa videlicet aquarum moles, quam mare appellamus: quæ inſtar cuiuſdam veſtimenti terram complectitur, atque expanditur ſuper eam. Poſſunt etiam hæc prophetæ verba intelligi de incomprehenſibilitate ſapientiæ, potentiæ, ac prouidentiæ dei, cuius immenſitatem admiratus,dicit quòd abyſſus diuinæ incomprehenſibilitatis,eſt quaſi quoddam veſtimentum. Nam cum ex omni parte deus incomprehenſibilis ſit, incomprehenſibilitate illa veluti indumento quodam amictus eſſe quodammodo videtur & circundatus.

Super montes ſtabunt aquæ. Aquæ,inquit, in ipſis montibus congregantur, & fontes illic ſcaturiunt,quanquam alioqui ſuaptæ natura ab alto ſoleant ad inferiora defluere. vel aliter: aquæ ac fluctus adeo in altum tollentur,vt ipſa etiam

montium ęquent cacumina.

Ab increpatione tua fugient. Ob authoritatem & efficaciã mandatorum tuorum aquæ quæ in montibus ſcaturiunt, exſiccabuntur, & ſublimes etiam maris fluctus comprimẽtur. Increpauit enĩ, inquit, dominus mare rubrũ & exſiccatũ eſt.

A uoce tonitrui tui formidabunt. Cõtremiſcẽt naturali quadam ratione, vel ad vtilitatem noſtram. Quod ſi aquæ quę ipſo etiam ſenſu carent, facto tonitruo formidabunt, quanto magis nobis, qui rationales ſumus, id accidere debet? vt ſcilicet timore corripiamur.

Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum quem fundaſti eis. Exaltati ſunt montes & depreſſi ſunt campi in locũ, quẽ illis ſtabiliſti. Quòd ſi de montium, & camporum ſitu hæc intelligenda non cenſeas, dici etiam poteſt de aquis maris, quòd fluctus eius aſcendunt, atque extolluntur in altum, quaſi montes & depreſſi, camporum inſtar, humiles deſcendunt: iuxta quem ſenſum ſubintelligenda eſt dictio veluti.

Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur. Montes, ſcilicet vel fluctus maris. Terminus autem iſte eſt mandatum diuinum, quod omnia ſuis ſedibus continet & coercet.

Neque cõuertentur operire terram. Non mutabuntur à ſtatuto ordine. neque enim montes deuoluentur, aut fluctus terminos ſuos pertranſibunt.

Qui emittis fontes in conuallibus. Qui fontes tribuis ad commodum animalium in montibus degentium.

Inter medium montium pertranſibunt aquæ. Illuc enim pertranſeunt flumina. & deinde cauſam addit, dicens.

Bibent omnes ferę agri. Agri, id eſt montis, ſeu ſaltus. neque enim fruſtra deus eiuſmodi aquas emiſit, ſed per illas ignobilium etiam animalium ſalutem procurat.

προσδέξονται & non προσδοκήσουσι

Aſſument onagri in ſiti ſua. Accipient has aquas ob ſuam ſitim. eſt autem onager natura aridum, ac valde ſitibundum animal: quod docet Hieremias eo in loco, vbi ſiccitatem quandam deſcribit, dicens inter cætera: onagri ſteterunt in ſaltibus ſuis, traxerunt ventum, vt animarentur.

In eis uolucres cœli habitabunt. Apud aquas fluminum, & in eorum ripis habitabunt aues, quæcunque ſcilicet aquas incolunt.

De medio petrarum dabunt uocem. Aquæ nimirum, quæ cum im-

cum impetu ac ſtrepitu exeunt de petris, & ſuaui quodam ſuſurro animalia ad potum vocare videntur, ipſoſque homines ad cantum, & diuinas laudes mouere: cum admirandum omnino videatur, quòd ex aridiſſimis petris, natura huiuſmodi, humida ſcilicet, tam copioſe ac perpetuo profluat.

Qui rigas montes de cœnaculis tuis. De nubibus ſcilicet. illinc enim montes irrigantur. quòd ſi montes ab eo irrigãtur, conſequenter & campi, & tota terra ſubminiſtratis videlicet ſuperne pluuiis & cum menſura. ἐκ τῶν ὑπερῴων

A fructu operum tuorum ſatiabitur terra. Per terram, animalia intelligit, quæ ex terra ſunt, ſeu quæ terram habitant: per fructus etiam operum dei, omnes fructus intelligendi ſunt, non tantum ea ratione, quòd illius mãdato facti ſunt, ſed etiam, quia plantæ, quæ fructus producunt, ab eodem ſunt creatæ. Quidam vero præcedentem verſiculum de mõtibus tantummodo intelligentes, præſentem intelligunt de reliqua parte terræ, quæ irrigatur à fructu operum dei, dicentes, per fructum operum dei, hoc in loco, pluuiam intelligi tanquam fructum diuinarum adminiſtrationum quibus nubes creat. deinde addit pluuiarum vtilitatem.

Qui producis herbam pecoribus, & holus ſeruituti hominum. Per dictiones χόρτον & χλόην, quæ hic in Græco habentur, non fœnum & herbam ſimpliciter ſignificare voluit prophe ta, vt Latinus reddit interpres, ſed per χόρτον, quæ magis proprie herba dicitur, quàm fœnum, illam herbam, vt aliqui ſentiunt, quæ incultis in locis naſcitur, per χλόην vero illam quam nos, tametſi minus proprie, vocabuli inopia holus diximus, & ex cultis percipitur locis: quorum alteram datam eſſe dicunt liberis pecoribus, quæ herbis veſcuntur, alterum iis, quę humano generi deſeruiũt, veluti bobus, equis, ouibus, & ſimilibus, quæ animalia propheta ſeruitutem hominum appellauit, quòd hominibus ſeruiunt. Alij vero per χλόην, omnem herbam intellexerunt, quæ humano vſui in cibum deſeruit: qua ratione holus eam appellauimus, & per herbam, quicquid hominibus, in cibi vſum non venit. hanc igitur pecoribus productam dicit propheta, illud vero hominibus. Seruituti etiam hominũ dixit, quia terra hominũ vſibus inſeruit, ob quos à deo fuit creata. χόρτον κτήνεσι καὶ χλόην

τοῦ ἐξαγαγεῖν

Ad educendum panem de terra. Satiabitur, inquit, terra, vt educatur ex ea panis, qui de frumẽto in terra nato cõficitur.

Et uinum lætificat cor hominis. Ipsum etiam vinũ terræ fructus est, & lætificat cor hominis: quippe cum & robur præstet, & sollicitudines remittat.

τοῦ ἱλαρῦναι

Ad exhilarandum faciem in oleo. Et rursus ea ratione vt aridam antea atque asperam hominis faciem hilarem reddat, idq; efficiat in oleo, quod à terræ planta producitur.

Et panis cor hominis confirmat. Vinum quidẽ lætificat cor, panis autem vires fatigatis præstat, & ipsius etiam terræ fructus est. omnium igitur creaturarum prouidentiam habuit deus, tam irrationalium, quàm ratione præditarum: terramque ipsam satiauit, vt pinguefacta, opportuna omnib⁹ alimẽta tribueret & necessaria.

Saturabuntur ligna campi. Irrigabuntur & pinguescent plantæ omnes terræ, & vniuersæ arbores.

ἐφύτευσας

Cedri libani, quas plantasti. Per cedros veluti insigniores arbores, cæteras etiam significauit. plantasti autem, hoc est, è terra eduxisti mandato tuo.

Ibi passeres nidificabunt. Ibi in plantis scilicet, & arboribus, in cedris per passeres simili modo omne aliud volucrum genus intellige. neque enim hominibus tantum sed ipsis etiã auibus, vtilissima fuit arborum creatio.

ἡγεῖται αὐτῶν.

Erodii domus præcedit eas. Erodius genus est auis, quæ prima auium omium nidum figit.

λαγωοῖς

Montes excelsi ceruis, petra refugium leporibus. Vide ipsorum etiam montium ac petrarum vtilitatem & quomodo vel infirmorum etiam animantium summus opifex curam habeat. nam si mõtes nulli essent, nec vllę petræ defecissent, sane olim omnia quæ diximus animantia, & ab immitioribus feris fuissent consumpta.

εἰς καιροὺς

Fecit lunam in tẽpora. In tempora scilicet noctis. lunam enim & stellas in præfecturas noctis creauit, vt eam illuminarent.

Sol cognouit occasum suum. Cognouit occasum suum sol, non veluti is, qui animã aut sensum habeat, sed veluti is qui diuinam determinationem nõ transgreditur. quocirca creatoris mandatum non secus videtur cognouisse, ac si rationem haberet. Est autem sermo hic metaphoricus, & significat quòd

eat quòd ipse etiam sol mãdato dei operatur, & constitutum ab eo occasus sui ordinem obseruat.

Posuisti tenebras, & facta est nox. Determinasti, inquit, tenebras, quæ post solis, & diei lucem succedunt, & facta est nox. tenebras enim appellauit noctem.

In ipsa pertransibunt omnes feræ syluæ. Considera etiam noctis vtilitatem: quæ non tantum hominibus requiem adducit, & diurnis fessos laboribus fortiores reddit, sed ipsis etiam feris liberam prodeundi facultatem præstat.

Catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à deo escam sibi. Catuli leonum frẽdentes vt rapiant, & parent sibi cibos, qui à deo eis ministrantur. ab eo etenim cunctis cibus præbetur animantibus. Qui dat enim, inquit, escam omni carni. vel, vt quærant, & petant cibos à deo. Nam & multi homines sæpenumero, famis aut sitis tempore, animalia conspexerunt cœlum ipsum intueri, & ineffabili quodam quasi sermone factorem suum inuocare.

Ortus est sol & congregatæ sunt, & in cubilibus suis decumbẽt. Naturali enim quodam instinctu feræ omnes cognoscere videntur illud tempus, quod eis ad perambulandum tributum est. κοιτασθήσονται

Exibit homo ad opus suum. Ad opus scilicet diurnũ. dies nãque homini, & aliis mãsuetis animalib⁹ destinata est, ne immitia simul & mitia in vnũ conueniẽtia, mutuo læderentur.

Et ad operationem suam usque ad uesperam. Per opus & operationem propheta æque idem appellat. inter huiusmodi autem sermones dum potentiam dei admiratur, veluti stupore quodam correptus exclamauit, dicens.

Quàm magnificata sunt opera tua domine. Valde admirabilia esse apparuerunt, alio nimirum opere ad aliud optime se habente, & omnibus in vniuersum inter se, ad vnius mundi perfectionem tendentibus.

Omnia in sapientia perfeciſti. Cum nihil, vel minimum sit frustra aut superflue à te creatum, sed omnia rationem habeant, ob quam facta sunt. tametsi interea à nobis ea percipi nõ possint, veluti incomprehensibilia.

Impleta est terra creatione tua. Hoc est, rebus à te creatis. κτίσεως

Hoc mare magnum, & spatiosum. Ipsum etiam mare creatione tua plenum est. σου & nõ κτήσεως

Ibi reptilia, quorum non est numerus. In ipso mari, inquit, nantia atque aquatilia degunt animantia, quæ numerum penè excedunt.

Animalia pusilla cum magnis. Hoc per se clarum est.

Ibi naues pertranseunt. In mari scilicet.

διαπορεύονται ὃν ἔπλασας ἐμπαίζειν αὐτῷ

Draco iste quem plasmasti ad ludendum in eo. Ipsum etiam cete quod creasti, ad subsiliendum in mari. Draconem enim cete appellauit, veluti inter pelagi animantia vastæ cuiusdã magnitudinis animal, quemadmodũ draco inter terrena.

Omnia à te expectant, ut des eis cibum in tempore. Omnia animalia, inquit, in te sperant, tametsi bruta ipsa, nulla animi ratiõe, cuius expertia sunt, sed naturali quodam instinctu id faciunt, quemadmodum supra diximus in versiculo: quærũt à deo escam sibi. Expectant autem vt des eis cibum, in tempore, scilicet indigentiæ.

Dante te eis colligent. Cibum, scilicet.

Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Per manum, tribuendi potentiam, & per bonitatem, prouidentiam intellige.

Auertente autem te faciem tuam, turbabuntur. Faciem dei, custodiam & protectionem diuinam appellat.

Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum cõuertentur. Auferes animam eorum, & morientur, atque ita demum resoluti reuertentur in terram suam, à qua desumpti sunt. Est autem sermo de hominibus.

Emittes spiritum tuum & creabuntur. Emittes, inquit, vitalẽ spiritum tuum, & creabuntur iterum, resurgentes è terra. vel emittes spiritum tuum, qui per sanctũ baptisma venturus est, & creabuntur, in nouam nimirum creaturam, atque in nouũ populum. intelligi enim hoc potest de resurrectione à mortuis, vel de regeneratione baptismatis.

Et renouabis faciem terræ. Hoc est, pulchritudinem terræ, per quam ipsos homines intelligere possumus, vel ipsum etiam terræ elementum: quia terra tunc, vt inquit Apostolus, liberabitur à corruptione.

Sit gloria domini in secula. Cum alia eorum, quæ dicta sunt, iam effecerit deus, alia nunc efficiat, alia deinceps effecturus sit.

Lætabitur dominus in operibus suis. In operibus, inquam, quæ

quæ diuinæ incarnationis gratia effecta fuerint, vel in operibus creationis mundi.

Qui respicit terram, & facit eam tremere. Terręmotu nimirum. Iracunde enim terrã aspicit, cum libet: quæ illius aspectum ferre non valens, contremiscit naturali, vel potius ineffabili quodam sensu.

Qui tangit montes & fumigant. Quemadmodum accidit in monte Sina. Tacti autem à domino montes fumigant instar herbæ, quæ igni propinquior sit facta. Illud vero animaduertendum est, ne verba illa: Qui respicit & qui tangit humano more, sed digne deo intelligamus.

Cantabo domino in uita mea. Donec vixero.

Psallam deo meo, quandiu sum. Eundem repetit sermonem clarioris intelligentiæ gratia.

Iucundum sit ei eloquium meum. Placebit ei sermo meus, quẽ offeram in psalmis & canticis, vel sermo meus, & conuersatio mea illi erit grata.

Ego uero lætabor in domino. Quod sermo meus ac conuersatio mea, vt diximus ei placeat.

Deficiant peccatores à terra & iniqui ita ut non sint. Deficiant, inquam, effecti pro peccatoribus iusti, pro iniquis æqui ita vt amplius non sint quales fuere, sed mutentur. Optat itaque propheta, non vt homines, sed vt vitia deleantur. Vel iniquos & peccatores, ipsos appellat dæmones, aut eos, qui immedicabili vitio laborant, quique alios, non secus ac pestis quædam inficiunt & lædunt. Illud prædictis addi potest, quòd quemadmodum is qui preces ad deum fundit petens nullos esse ęgrotos, nullos pauperes, non hominum, sed ægritudinum & paupertates interitum cupit, ita & beatus Dauid his verbis non hominum, sed vitiorum ac scelerum expetiuit interitum.

Benedic anima mea domino. Finem psalmo apponit consimilem principio. Non me latet pręterea quosdam allegoricè hunc psalmum exposuisse: verũ huiusmodi libenter expositionem omisi, tanquam violentam quodammodo, & quæ nõ facilè ab omnibus recipiatur.

Alleluia.

Abũde dictũ est in proœmio operis de psalmis, quibus inscriptũ est,

 alleluia.

alleluia. Significat autem hæc dictio laudate eum qui est, uel laudate dominum, hortatur itaque nos in præsenti psalmo Propheta, ut hymnos & laudes deo concinamus. Priuatim uero multa connumerat beneficia, in priorem populum dei olim collata atque inter cætera, quomodo pro exiguo, ac tenui populo ut olim erant, amplum ac numerosissimum constituerit.

PSALMVS CIIII.

Confitemini domino & inuocate nomen eius. Simile est dictum illud Prophetæ: Cõfitemini ei, laudate nomẽ eius: quod exposuimus in psalmo XCIX.

Annunciate in gentibus opera eius. In psalmo. XCV. dicit: Annunciate in gentibus gloriam eius, idem æquè dicens, quod nunc. gloria enim dei ea est quã in consequentibus declarabit.

Cantate ei & psallite ei. In procemio operis & multis aliis in locis abunde docuimus de differentia inter canticum & psalmum, quodq; sæpenumero idem significant, quanquam huiusmodi dictiones geminate aut inuicem cõiunctæ intensionem quandam sermonis efficere soleant.

Narrate omnia mirabilia eius. In prædicto etiam psalmo. XCV. Legimus in omnibus gentibus mirabilia eius.

Laudamini in nomine sancto eius. Exultate, inquit, ac valde gloriamini in hoc Christiano nomine. Ad Apostolos enim est sermo, & ad eorum successores.

Lætetur cor quærentium dominum. Hoc est, inuocantium eum in auxilium. Præsto quippe eis aderit. Vel lætetur cor hominum accedentium ad deum per mandatorum semitam, quæ illuc perducit. Inuenient enim eum.

ἐκραταιώθητε

Quærite dominum, & roboramini. Constantes estote & fortes in perquirendo eum, omnemq; animi mollitiem, ac languorem depellite.

Quærite faciem eius semper. Per faciem dei, deum ipsum circunloquitur, vel diuinam indicat custodiam, ac protectionem erga homines: aut ipsum fortassis vnigenitum dei filium, Christum intelligit, qui incommutabilis est imago patris, & character substantiæ eius: qui enim, inquit, vidit me, vidit & patrem meum.

Mementote mirabilium eius, quæ fecit. Quando salutarem eius doctrinam annunciabitis, tunc admirabilia etiam cuncta, quæ fecerit, prædicate.

Prodigia

Prodigia eius, & iudicia oris eius. Repete verbum, mementote. Abutitur autem hic quarto casu, pro secundo: quem loquendi modum dictio etiam Græca seruauit. Prodigia autem ea sunt, quæ à deo præter omnem naturæ legem fiunt: indicia vero ea, quæ deus, data per Moysen lege, decreuit.

Semen Habraæ serui eius. Vos, inquit, ô semen Habraæ, qui serui eius estis. Ad Apostolos autem sermo est.

Filii Iacob electi eius. Apostoli nimirum, qui duobus his à deo insigniti sunt nominibus. Nam & serui ex eo videri possunt, quod dixit ad eos Christus: si ego dominus & magister laui pedes vestros, & electi: quia idem alibi ait: non vos elegistis me, sed ego elegi vos.

Ipse dominus deus uester. Ipse scilicet Christus.

In omni terra iudicia eius. Non in Iudæa tantum, sed vbiq; locorum diuulgata sunt eius iudicia. Vniuerso quippe orbi sunt tradita.

Memor fuit in seculum testamenti sui. Testamenti sui, quod in sæculum est, hoc est, æterni atque incommutabilis. Incipit autem Propheta ex hoc loco connumerare beneficia in Hebræorum populum collata, & ab ipso exorditur Habraam.

Verbi quod mandauit in mille generationes. Idem repetit. Per testamentum enim & per verbum, promissionem à deo Habraæ factam intelligit. Memor etiam, inquit, fuit deus sermonis quem mandauit in mille generationes, hoc est, qui ad multas nationes peruenit. Mille enim posuit pro multis, & mandauit pro pollicitus est.

Quod disposuit ad Habraam. Quod verbum scilicet.

Et iuramenti sui ad Isaac. Memor item fuit iuramenti sui, quod iurauit filio Habraæ Isaac. Eadem etenim promissio filio, quæ patri facta est, tam de regione, quam de multitudine seminis. Quid autem sit iuramentum dei, diximus in psalmo LXXXVIII, ibi: iuraui Dauid seruo meo.

Et statuit illud Iacob in præceptum. Adeo vt ipse Iacob certus iam esset, mandatum illud dei violari non debere.

Et Israel in testamentum æternum. Vt esset ipsi Israel incõmutabile æque ac sempiternum testamentum.

Dicens, tibi dabo terram Chanaam. Palæstinam scilicet, quã Cananei populi habitabant.

Funiculum hæreditatis uestræ. Hoc est mensuram ac portionem

portionem vestram.

Cum essent numero breues. Hæc,inquam,ita disposuit, & pollicitus est Deus,quum adhuc pauci essent Habraam nimirum Isaac & Iacob,atque eorum liberi.

παροικοι *Paucissimi & peregrini in ea.* Quinimmo pauciſſimi cum essent & derelicto pauloante patrio solo, in Chananeorum terra, veluti hospites atque extranei morarentur. Habraam enim,vt inquit scriptura,peregrinatus est in terra Chanaã.

Et pertransierunt de gente in gentem. Per multas nationes vagati sunt,& plurimas sedes commutarunt,quæ omnia in libro Geneseos exponuntur.

Et de Regno in Populum alterum. Aliæ enim regiones ad regis imperium administrabantur', aliæ vero communi populorum consilio,more reipublicæ.

Non permisit hominem nocere eis. Neminem,inquit,permisit iniuria eos afficere. Pharaonem quippe ob Sarram vxorẽ magnis cruciatibus torsit:ipsi quoq; Abimelech Palæstinorũ Regi consimili de causa iratus,& noctu imminens, horrenda quædam cõminatus est supplicia, nisi Sarram restituerer, illud etiam addens, quoniam propheta est Habraã, & si pro te orauerit,viues.ab iratis præterea atq; infensis animis Esau, & Labam,dilectum sibi protexit Iacob, multosq; alios simili modo prohibuit,ne Patriarchis iniuriam inferrent.

ἤλεγξεν *Et redarguit pro eis reges.* Redarguit eos,cõfuditq; ac perterruit,cum iniusti essent,veluti Pharaonem Aegypti & Abimelech Palæstinæ reges.

Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Redarguit, inquam,eos, dicens huiusmodi verba. Christos autem Patriarchas appellauit, veluti sancto spiritu vel gratia prophetandi vnctos, prophetas vero, quia futura multa prædixerunt. Quo circa Deus ipse,cum loqueretur, vt diximus,ad Abimelech,attestatus est de Habraam,ꝙ Prophetas esset. quod siquis dicat,verba præsentis versiculi, vt hic iacent,in libro Geneseos non haberi, satis esse arbitramur, ꝙ quæ ibi dicuntur ad huiusmodi sensum tendant.

Et uocauit famem super terram. Hoc est,ordinauit, seu misit, summo ipse artificio iter præparans Iacob & filiis eius,vt descenderent in Aegyptum,quãdo septem fertilitatis annos, & totidem famis sustinuerunt.

Et omne

Et omne firmamentum panis contriuit. Esculenta omnia consumpsit,& quicquid famis solatium est,deleuit.

Misit ante eos hominem. Fecit Deus vt Ioseph præiret familiam Iacob, & impiorum fratrum malignitate ipse vsus est in bonum. vnde nefarium eorum delictum, quo ille in seruitutem actus est, Propheta hic mitiori vocabulo Dei missionem atque Apostolatum nuncupat, dicens: ꝙ Deus eum præmiserit. Quamobrem ipse etiam Ioseph fratribus suis dicebat: in vitam misit me Deus ante vos.

In seruum uenundatus est Ioseph. A fratribus venundatus est Hismaelitis. & ab Hismaelitis rursus in Aegypto Pentephræ Pharaonis eunucho.

Humiliauerunt in compedibus pedes eius. Afflictus quippe fuit Ioseph à Domino suo in Aegypto, missusque ab eo in carcerem.

Ferrum pertransiit anima eius. Anima eius,hoc est ipse Ioseph pertransiit ferrum. Per ferrum vero ferreum quoddam supplicij genus intelligit. vel, pertransiit ferrum, pro effugit gladium. ad ipsum enim pene gladium deuenerat. σίδηρος διῆλθεν ἡ ψυχὴ αὐτῆς

Donec ueniret uerbum eius. Hoc est, donec veniret sapiẽtia illa, qua somnia coniunctorum comitum dissoluit. vel, donec veniret consilium, quod disposuerat Deus de Ioseph, volens eum & genus eius clarum, ac celebre reddere apud omnes.

Eloquium Domini inflammauit eum. Græca lectio pro eloquio,λόγιον habet: quæ dictio à dictione, λόγος, deducitur: quæ non verbum tantum aut sermonem, sed rationem etiã significat. vnde & λόγιον non eloquium simpliciter,sed rationale eloquium significabit. Sensus erit igitur ꝙ intima illa atque innata cuiq; homini ratio, quam Deus nobis largitus est, vt per eam rationales,& dicamur, & simus, ꝙ hæc inquam natura homini insita rationis flammula eum in afflictionum & calamitatum fornace tentatum, constantem atque inuictum reddidit, ac veluti igne examinatum purgatissimi auri instar summa eum munditia, & puritate conspicuum demonstrauit, atque effecit, vt castitatis zelo succensus, non modo alienam vxorem non appeteret,sed vt dominæ eum etiam appetentis, laqueos, relicta veste, prætergeret.

Misit

Misit rex, & soluit eum. Pharao scilicet, quemadmodum in libro Geneseos omnia aperte sunt tradita.

Princeps populi & dimisit eum. Idem repetit, vt facit sæpenumero.

Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, ut erudiret principes eius sicut se ipsum, & seniores eius sapientiam doceret: Et *ingressus est Israel in Aegyptum.* Deo scilicet omnia hæc ita dispensante. Per modum autem compendij, breuibus verbis historiam narrat.

Et Iacob peregrinatus est in terra Cham. Idem rursus repetit. Per terram vero Cham, Aegyptum intelligit. Aegyptus enim fuit filius Cham. vnde ab vtroque eorum nomen desumpsit.

Et auxit populum suum uehementer. Deus nimirũ, qui auxit populum Israel. Populum vero dei, ideo eos appellauit, quia soli Iudæi rite deum colere videbantur.

Et roborauit eum super inimicos eius. Supra Aegyptios scilicet, qui Israelitas pariter, & ipsum deum oderant.

Conuertit cor eius, ut odio haberet populum eius. Cor scilicet Pharaonis, non illius dico, qui amabat Ioseph, sed alterius, qui eum non nouerat. Indurauit enim, inquit, deus cor Pharaonis, hoc est, obdurari permisit: vt afflicti scilicet Israelitæ cum ardore animi ad Aegypti exitum contenderent, & acerbissimam Aegyptiorum pressuram euaderent.

Et dolum faceret in seruis eius. Vt scilicet strueret insidias. Dixit enim Pharao Aegyptiis: Ecce nunc gens ista valde multiplicatur, & inualescit super nos. Quapropter vniuersos, qui ex Iudæis mares nascerẽtur, occidi iussit, aut necari.

Misit Moysem seruum suum. Deus scilicet misit.

Aaron, quem elegit sibi. Fratrem Moysi.

Posuit in eis uerba signorum suorum. Mandata scilicet diuina, quibus efficerent miracula. vel docuit eos causas signorum suorum, atque eorũ modos. Græca enim dictio λόγους, vt diximus, non solum verba sed rationes etiam & causas significat.

Et prodigiorum suorum in terra Cham. De signis & prodigiis dictum est psalmo LXXVII. ibi: quemadmodum posuit in Aegypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos: in quo psalmo etiam beneficia dei in Israeliticum populũ cõmemorauit.

memorauit. quanquam illic ab exitu Aegypti tantum initiũ faciat, & diuersõ ordine ea prosequatur.

Misit tenebras, & obscurauit. Atqui ante tenebras, alias Aegyptiis plagas intulit: sed beatus Dauid indifferenter hãc plagam primo loco commemorat: vel vt grauissimam omnium præposuit, cum lux, quæ per tenebras aufertur, rerum omnium sit pulcherrima, & hominibus maxime opportuna. In prædicto etiam psalmo LXXVII, nullo ordine, huiusmodi plagas commemorauit, vt ibi diximus in versiculo: misit Cynomyiam.

Quoniam exacerbauerunt sermones eius. Quoniam, inquit, Aegyptij irritauerant eius mandata eo tempore, quo iusserat dimitti populum. Exacerbauerunt autem sermones dei, eis non credentes. Improprie autem atque abusiue dictũ est de sermonibus dei, quòd exacerbauerint eos. vel aliter: per sermones eius illum significat, qui sermones protulerat. Aliqui etiam verbum exacerbauerunt, exponunt pro transgressi sunt, quòd apud Hebræos aliquãdo huiusmodi significationem habeat. Quædam vero exemplaria negandi dictionem habent: Et non exacerbauerunt: ita vt referatur ad Moysem, & Aaron.

Conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum. Vide in prædicto psalmo, ibi: & conuertit in sanguinem flumina eorum.

Et ebulliuit terra eorum ranas. Ibi etiam de hoc dictũ est. Ebulliuit autem, hoc est, repente ranas edidit. Ex aquis enim ortæ sunt ranæ, vt in Genesi legimus, quarum tanta fuit copia, vt ranarum quasi fontes emittere terra videretur: & quãquam Græca dictio ἐξεῖρψεν, quæ hoc in loco habetur, proprie, non tam ebullire, quàm repentes edere significet, quod verbum reptili ranarum naturæ conuenientissimum fuit, tamen hoc pacto satis cõmode sensum reddi arbitrati sumus, postquam vnico latino verbo, vt par erat, sensum apte reddere non sperabamus. ἐξεῖρψεν

In penetralibus regiarum ipsorum. Non tantum omnibus aliis in locis, sed in ipsis quoque regiis domibus, atque in penitioribus eorum locis, quo tutissimum solet esse confugiũ. βασιλειῶν

Dixit & uenit Cynomyia & Scnipes in omnibus finibus eorum. Illic etiam de his dictum est, ibi: misit in eos cynomyiam. σκνῖπας

Posuit

Posuit pluuias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum, & percussit uineas eorum, & ficulneas eorum, & contriuit omne lignum finium eorum: Dixit & uenit locusta, & bruchus: cuius non erat numerus: & comedit omnem herbam in terra eorũ, & comedit omnem fructum terræ eorum: & percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum. De his etiam illic dictum est.

Et eduxit eos in argento & auro. Quod mutuo acceperant ab Aegyptiis deo id iubente, & reputatum est hoc in mercedem ministerij, quod impenderant fabricãdo lateres, & aliis operibus in seruiendo.

Et non erat in tribubus eorum infirmus. Ea autem ratione ita à deo prouisum est, ne aliquis ob ægritudinem in itinere relinqueretur, & quanquam Moyses id specialiter non scripserit, satis tamẽ ex eo intelligi potest, quòd aliquem eorum ægrotasse nusquam traditur. Et fortassis beatus Dauid aliunde hoc didicit, vel aliter: qui deum sequuntur, non infirmantur, quinimmo omnia possunt in Christo, qui eis vires ac robur suggerit. Potuit etiã beatus Dauid id sciuisse, ex aliquo non celebrato libro veluti ex his quos apocryphos nominant, aut ex seniorum sermone, aut etiam à diuino spiritu edoctus, à quo multa perdidicit.

Lætata est Aegyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos. Incubuerat timor, ob flagella à deo Aegyptiis immissa, Iudæorum gratia. Per Aegyptum autem, Aegyptios homines intelligit. Cum autem huiusmodi flagella compendio quodam percurrerit, redit rursum ad beneficia in Hebræos collata.

Expandit nubem in protectione eorum, & ignem ut luceret eis per noctem, petierunt & uenit coturnix, & pane cœli saturauit eos: dirupuit petram, & fluxerunt aquæ, & abierunt in sicco flumina. De his omnibus etiam in prædicto psalmo dictũ est. Abiisse autem dicit in sicco flumina, quia aquæ, quæ à petra manarunt, per aridas regiones deuolutæ sũt. huiusmodi vero aquæ riuulos, flumina appellauit, ob aquarum copiam.

Quoniam memor fuit uerbi sui, quod habuit ad Habraam puerum suum. Illius nimirum promissionis, quod multiplicaturus esset semen eius, & quod daturus eis esset terram Chanaam, hoc est, Palæstinam regionem.

Et eduxit

Et eduxit populum suum in exultatione. Gaudentem scilicet, & lætantem post Aegyptiorum demersionem.

Et electos suos in lætitia. Eundem populum electos appellat, tanquam deo dicatum.

Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum hæreditarunt. Gentium nimirũ illarum quas iam cõmemorauimus. καὶ ἔλαβον μόχθους ἐθνῶν

Vt custodiãt iustificationes eius, & legẽ eius exquirant. Hæc autem fecit exhortans ad obseruationem mandatorum suorum, atque ad exquisitionem legis suæ. Per exquisitionẽ autem, summum desiderium intellige: Nam quod quis valde desiderat, illud etiam summo studio exquirit.

Alleluia.

Hic psalmus similiter, ut proxime præcedens, mirabilia dei opera narrat, multaq; in Iudæorum populum collata à deo beneficia: rursusq; summam istorum ingratitudinem, ac malignitatem, deiq; ineffabilem longanimitatem, & misericordiam exponit: similemq; priori inscriptionem sortitus est.

PSALMVS CV.

Confitemini domino, quoniam bonus. Gratias agite, vt alibi dictum est. vel confitemini ei peccata vestra, quoniam bonus est, iniuriarumque ac delictorum immemor, si qui ea perpetrarunt, scelus illi suum fateantur.

Quoniam in seculum misericordia eius. In præsenti seculo misericordia eius pœnitentibus præsto est, in futuro autem iudicium reseruatur: atque ideo oportet in hoc seculo ei cõfiteri: vel quia deus semper miseretur, decet vt nos etiã semper ei cõfiteamur. vel in seculum misericordia eius est, quia iis qui ea digni sunt, misericordia dei semper patet.

Quis loquetur potentias domini? Hoc est, maxima ac potẽtissima eius beneficia, quæ in populum suum cõtulit. Nemo quippe ea vnquam narrabit ineffabilia enim sunt. vel simpliciter, potẽtias expone, pro magna eius opera. Deus enim noster, alibi inquit, in cœlo, omnia quæcunque voluit fecit. vel potentias eius diuinas, quas operatus est, cum versaretur in carne, ita vt sit prophetia de operibus Christi.

Auditas faciet omnes laudes eius? Quis in vnaquaq; re meritas

ritas eius laudes adnunciabit?

Beati qui custodiunt iudicium. Qui seruant legem dei: vel: qui habent iudicium ad recte iudicandum, non solum aliis, sed sibi ipsis in primis, ita vt non permittant ea quæ, deteriora sunt insurgere aduersus potiora neq; bonũ vinci à malo.

Et faciunt iustitiam in omni tempore. In seipsis, vt dixi, & in aliis.

Memento nostri domine in beneplacito populi tui. Præuidens beatus Dauid incarnationis dispensationem, & futurum nouum populum supplicat sui tunc memoriam haberi, beneplacitum appellans huiusmodi populi electionem à deo faciendam. Memor esto, inquit, nostri, vt cum eligendo illo à te populo, nos simul coniungas. vel beneplacitum appellat bonam voluntatem, de qua angeli dicebant: hominibus bona voluntas.

Visita nos in salutari tuo. Idem rursus repetit, petitionem suam magis intendens. In salutari, inquit, quod per te in mũdo futurum est: hoc est, in incarnatione tua. Ipse enim, inquit, saluabit populum suum.

τοῦ ἰδεῖν *Vt uideamus in bonitate electorum tuorum.* Vt videamus & nos in beneficiis populi tui: ea scilicet, quę illi vident. vnde ad discipulos suos Christus dicebat: multi prophetæ & iusti optauerunt videre, quæ vos videtis.

τοῦ εὐφρανθῆναι *Vt lætemur in lætitia gentis tuæ.* Gentis christianorũ scilicet, de qua rursum angelus dixit: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum.

τοῦ ἐπαινεῖσθαι *Vt laudemur cum hæreditate tua.* Per hæc omnia supplicat communionem & participationem quandam habere in sorte atque in hæreditate noui populi: quasi & ipse beatus Dauid iam omnia crederet, quæ de Christo credenda erant, & magnitudine fidei iam esset insignis.

Peccauimus cum patribus nostris, inique egimus, iniustitiam fecimus. Intelligi possunt verba hæc, & quæ sequuntur, prolata esse veluti in persona eorum qui ex circuncisione credituri erant in Christum, ita vt beatus Dauid reuelatione sancti spiritus futura prænoscens, illorum, vt diximus, personam induens, confiteatur peccata, quæ ante huiusmodi fidem commiserant.

Patres nostri in Aegypto non intellexerũt mirabilia tua. Non intellexerunt

intellexerunt miracula, quæ illic facta sunt.

Et non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. Quæ in eos tunc facta est. Non intellexerunt autem, & memores non fuerunt, hoc est, omniũ obliti sunt. Id vero accidit, quãdo appropinquantes mari rubro, viderunt post se Aegyptiorum exercitum. Tunc enim, inquit, perterriti valde, dixerũt ad Moysem: Quia sepulchra non erant in Aegypto, eduxisti nos vt occideremur in deserto. Item: dimitte nos, vt seruiamus Aegyptiis. Satius enim est eis seruire, quàm in deserto occumbere.

Et exacerbauerũt ascendẽtes in mari rubro. Huiusmodi verba dicentes, iritauerunt eum secus mare rubrũ, cui vicinum est desertũ: vbi castrametati murmurabant, vel ascendentes ad mare rubrum. Ascendentes autem dixit, quia Aegypti regio vnde ascendebant in Palæstinam humilior est.

Et saluauit eos propter nomen suum. Non conclusit eos in manus Aegyptiorum persequentiũ ne blasphemaretur deus, quasi infirmus esset, aut fallax. Nam alioqui ob propriam ingratitudinem indigni erant salute.

Vt notam faceret potentiam suam. Vt summas, inquit, vires suas, non Hebræis tantum, aut Aegyptiis, sed omnibus etiam nationibus notas redderet.

Et increpauit mare rubrum, & exsiccatum est. Statim vt pręcepit, continuo in mari medium quoddam iter exaruit. ἐπετίμησε

Et deduxit eos in abysso, tanquam in deserto. Quasi in arido aliquo solo. In abysso autem dixit, quod per medium maris iter facerent.

Et saluauit eos de manu inimici. Pharaonis scilicet. quædã vero exemplaria habent: de manu prosequentis odio.

Et redemit eos de manu inimicorum. Aegyptiorum scilicet.

Et operuit aqua tribulãtes eos, unus ex eis non remansit. Aqua maris scilicet:

Et crediderunt uerbo eius. Idest promissionibus diuinis.

Et laudauerunt laudem eius. Cecinerunt enim canticum pro victoria, quod mandauit illis Moyses.

Accelerauerunt, obliti sunt operum eius. Cito iterum obliti sunt beneficiorum, quæ contulerat in eos deus. Quando scilicet esurientes & reminiscentes lebetum, carnium, & saturitatis panum, quos in Aegypto habuerant, murmurarunt. ἐτάχυναν

Non sustinuerunt consilium eius. Non expectarunt exitum diuini consilij, quo mira prouidentia, ob eorũ salutẽ auxiliũ à deo serius demittebatur, & esurire permittebantur.

Et concupierunt concupiscentiam in deserto. Concupiscentiam carnium & panum, vt dictum est.

Et tentauerunt deũ in inaquoso. Vide in psalmo LXXVII. ibi: exacerbauerunt in inaquoso, & tentauerũt deum in cordibus suis.

Et dedit illis petitionem ipsorum. Cibos quippe, & aquam largissime præbuit. Per petitionem vero, desiderium hic intellige. Nihil enim aperte petierunt, sed secum taciti murmurantes, ea concupiscebant.

Misit saturitatem in animas eorum. Non tenuiter eos aluit, sed ad satietatem alimentum exhibuit, pro carnibus quidem coturnices, & pro panibus manna: aquã præterea, tum eam, quæ ex amara dulcis effecta est, tum eam quæ in Marathe petra defluxit.

Et irritauerũt Moysem in castris. Dathan nimirũ, & Abyron, qui restiterunt ei, vt in libro Numerorum traditur.

Aaron sanctum domini. Sanctificatũ & dedicatũ deo. Iritauerunt autem eum Core, & alij ambientes fungi sacerdotio.

Aperta est terra, & deglutiuit Dathan. Eum quippe viuum absorbuit.

Et operuit super congregationem Abyron. Et operuit congregationem ipsius Abyron. Superflua enim est præpositio super. In Numerorum autem libro ipsum Dathan, pariter & Abyron congregationemque & iumenta eorum & tabernacula, & omnia denique eorũ bona vnà absorpta fuisse scriptum est: quę beatus Dauid disiunxisse arbitror, vt eorũ calamitatem magis amplificaret.

Et exarsit ignis in congregatione eorum. In congregatione Core scilicet & complicum. ignis enim egressus à domino, incendit CCL viros, qui offerebant incensum.

Flamma combussit peccatores. Superius cõmemoratos: atq; hoc, quia indigne sacerdotium arripere conabantur.

Et fecerunt uitulum in Choreb. Vt traditur in Exodo. Ordinẽ autẽ historiæ propheta nullũ seruauit, sed oĩa antiqui illius populi scelera, atq; impietates, vt sese offerebãt narrauit.

Et adorauerunt sculptile. Ipsum scilicet vitulum.

Et commutauerunt

Et commutauerunt gloriam eius in similitudinem uituli comedẽtis fœnum. Cõmutauerũt honorẽ dei in similitudinẽ vituli, hoc est, in simulachrũ atque in idolum vituli. Addidit autem comedentis fœnum seu herbam, vt græca dictio χόρτος verius significat, carpens Iudęorum amentiam, qui irrationalia colerent animãtia, cum ipsi ratione præditi viderẽtur. Quædam vero exemplaria habent gloriam suam, ita vt gloria eorum intelligatur deus esse, qui per beneficia superius connumerata, eos glorificauerat: vt sit sensus, quòd verum deũ deserentes, loco eius assumpserant vituli simulachrum. χόρτον

Obliti sunt dei, qui saluauit eos, qui fecit magnifica in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro, & dixit, ut exterminaret eos. Dixit enim deus ad Moysem: dimitte me, & indignatus conteram eos.

Nisi Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, ut auerteret iram eius, ut exterminaret eos. Quãdo scilicet placaturus dominũ dicebat: precor domine peccauit populꝰ hic peccatũ grãde, & fecit sibi deos aureos, & nũc, si quidem dimittis eis peccatũ, dimitte, si minus dele me de libro, quẽ scripsisti. Et aliqui dicũt, quòd licet scriptura de vno tantum vitulo loquatur, quòd tamen plures tunc vitulos cõfecerant: quodq; ideo Hebræi dicebant: hi sunt dij tui Israel, qui deduxerunt te de terra Aegypti: & Moyses aureos etiam deos dixit, vt dictum est. Alij vero pluralem numerum positũ etiã dicunt pro singulari, more Hebraici idiomatis. Εἰμὶ

Et spreuerunt terram desiderabilem. Promissam regionem spreuerunt, quãuis optima esset, vt in libro Numerorum legitur. Deinde narrat, quo pacto eam spreuerint. Verũ dices, non spreuisse eos hãc terram, quinimmo admiratos esse, sed propheta intelligit, quòd dũ molles ac languidi fuere, & laborare noluerũt vt illam reciperẽt, spreuisse eam videantur. Ἐξουδένωσαν

Non crediderunt uerbo eius. Quod daturus eam esset populo, quemadmodum promiserat.

Et murmurauerũt in tabernaculis suis. Oĩs enim, inquit, cõgregatio dedit vocẽ, & flebat populꝰ nocte illa, & murmurabãt quãdo. s. exploratores reuersi sunt: & adnũciarũt q̃ potẽtissimi essent illi populi, qui promissionis terram incolerent.

Nõ exaudierũt uocẽ domini. Vocẽ illã. s. qua dixerat daturũ se eis illam terrã. Huiusmodi quippe voci non crediderunt.

Et eleuauit manum suam super eos. Mouit manũ suam aduersus eos, hoc est, puniendi ac castigandi potentia in eos commotus est.

Καταβαλεῖν

Vt destrueret eos in deserto. Vt eos scilicet occideret.

Vt constitueret semen eorum in gentibus. Vt plantaret filios eorum in terra gentium: Chananęorum scilicet & aliorum populorum. Dixit enim, inquit, dominus ad Moysem, omnes viri, qui iam decies tentauerunt me, & non audierunt vocem meam, certe non videbunt terram, quam iuraui patribus eorum, sed filij eorum, qui sunt mecum hic.

Et dispergeret eos in regionibus. Prædictarum gentium.

Et initiati sunt Beelphegor. Beelphegor Moabitarum seu Madianitarum idolo, initiasse sese Iudæi ac dicasse visi sunt, dum solennes ac festiuos ei dies celebrarent, vt in Numerorum libro traditur, quando Moabitidarum puellarũ pulchritudine deliniti, persuasi sunt, vt illorum colerẽt simulachra.

Et comederunt sacrificia mortuorum. Mortua appellat idola tãquã quę sine sensu sunt, & sine aliqua operãdi potestate.

Et irritauerunt eum in adinuentionibus suis. In huiusmodi eorum operibus.

Et multiplicata est in eis ruina. Multi quippe eorũ perierũt.

Et stetit Phinees & placauit, & cessauit quassatio. Surrexit de media congregatione, & placauit deum, quando accepto iaculo Israelitam virum vnà cum Madianitide muliere transfixit: quam ob causam cessauit ira dei: id est populi ruina. Erat autem Phinees filius Eleazari, filij Aaron.

Et reputatum est ei ad iustitiam. Hoc est, in virtutem. Atque ideo præmium à deo ei & semini eius datum est, sacerdotium æternum.

In generationem & generationem usque in seculum. Perpetuo quippe ab omnibus laudatur, pro illata illa nece, quã religionis ac pietatis zelo patrauit.

Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis. In deserto Cades. Illic enim populus sitim perpeti ægre tulit. quo circa murmurauit, & contradixit: vnde aqua, quæ de petra illa effluxit contradictionis aqua appellata est.

Ἐκακώθη

Et afflictus est Moyses propter eos. A deo enim iussus est accipere virgã suã & cõgregare populũ, petramq; alioqui, quę illic erat, & iubere, vt aquã daret. Accepta itaq; Moyses virga,

virga, & congregato populo, dixit: Audite me, ô increduli, nunquid ex hac petra educemus vobis aquam: deinde virga petram bis percussit, & emanauit aqua. quia igitur non allocutus est Moyses petram, vt iusserat deus in gloriã suam, sed pusillanimitate ductus, ad populũ cum indignatione verba direxit, idcirco afflictus est à deo, qui ei postmodum, ac fratri Aaron dixit: quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, propterea non inducetis vos congregationem hanc in terram, quam dedi vobis. Sanctificaretis enim dixit, pro glorificaretis.

Quia exacerbauerunt spiritum eius. Animum Moysi, Israelitæ exacerbauerunt, murmurantes & maledicẽtes ei. Docemur autem his verbis, quemadmodum ipse etiam Moyses, angustiis pressus, pusillanimis effectus est.

Et distinxit in labiis suis. Ambiguo quippe ac flexiloquo sermone locutus est, hæsitans, an aqua flueret. Puto etenim quòd ob frequentes Iudæorum ingratitudines aduersus deũ, qui tãta eis prętiterat beneficia, suspicatus sit Moyses, aquas emanaturas non esse.

Non exterminarunt gentes, quas dixit illis. Hoc traditur in libro Iudicum.

Et commixti sunt in gentibus, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum. Opera iniqua, nimirum, & impia. vide in psalmo LXXVII. ibi: Et auersi sunt, & spreuerunt quemadmodum & patres eorum.

Et factum est illis in scandalum. Hoc quòd seruierint sculptilibus factum est eis in impedimentum diuinæ protectionis, in offendiculumque, & in ruinam.

Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarũ, quas immolauerunt sculptilibus Chanaam. Veluti eos feciisse par est, qui opera gentium didicerant. Gentes enim aliquando olim hæc agebant.

Et infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum. Cõtaminata hoc in loco idẽ est, q̃ cæde infecta.

Et fornicati sunt in adinuentionibus suis. Recedentes enim à deo dæmonibus adhæserunt, quod delictum prophetę, adulterium, aut fornicationem appellant. Intelligi etiam possunt hæc verba de eorum intemperantia.

Et iratus est furore dominus in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam: & tradidit eos in manus gentium. Quemadmodum Iudicum liber docet.

Et dominati sunt eorum ii, qui oderant eos, & tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum, sæpe liberauit eos, ipsi autē exacerbauerūt eum in consilio suo. Maligna quippe, atque ingrata mente sua deum prouocauerunt.

Et humiliati sunt in iniquitatibus suis. Deciderunt enim ab adeptis viribus, infirmique, ac debiles effecti sunt.

Et uidit dominus cum tribularentur, dum exaudiuit orationē eorum, & memor fuit testamenti sui. Testamenti, inquam, ad Habraam, Isaac, & Iacob.

Et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ. Commutauit enim iram in misericordiam. est etenim valde misericors.

Et dedit eos in misericordias. Eorum misertus est.

In conspectu omnium, qui ceperant eos. Adeo palam atque adeo manifeste eorum misertus est, vt omnes qui fecerant eos captiuos, perspicue id cognouerint. Variæ enim gentes, variis temporibus eos in seruitutem redegerunt, quemadmodum in prædicto Iudicum libro traditur. Factum est autem hoc tempore Cyri, Darij, & Artaxerxis, vt Esdras scribit.

Saluos fac nos domine deus noster. Iterum ad preces recurrit.

Et congregá nos de nationibus. Puto petitionem hanc proferri ex persona ecclesiæ, quæ de gentibus congregata est: vel forte ex persona Iudæorum, qui post Babylonicam captiuitatem dispersi sunt.

Vt confiteamur nomini tuo sancto. Vt gratias tibi agamus, tanquam saluatori ac liberatori nostro.

Et gloriemur in laude tua. Magnum etenim quid est, deū laudare. vera etiā, ac summa gloriatio est omnibus, qui eum laudant: ea ratione videlicet, quòd digni effecti sunt tanto ministerio.

Benedictus dominus deus Israel, à seculo & usque in seculum. Benedicendus enim semper est, & laudandus.

Et dicet omnis populus, fiat fiat. Dicet omnis populus: Benedictus dominus: vel dicet omnis populus, fiat, inquam, fiat benedictus dominus.

Alleluia.

Alleluia.

Cum hic psalmus simili modo beneficia dei narret in humanū genus collata, eandem merito cum præcedentibus psalmis inscriptionē sortitus est.

PSALMVS CVI.

Confitemini domino, quoniam bonus, quoniam in seculū misericordia eius. Eisdem verbis propheta in præcedenti psalmo exorsus est.

Dicant qui redempti sunt à domino. Dicant, inquam, quòd bonus est, & quæ sequuntur.

Quos redemit de manu inimici. Diaboli scilicet, est enim sermo de fidelibus Christianis. quanquā Iudæi contēdant psalmum hunc intelligi debere de iis qui ex Babylonica captiuitate reuocati sunt in patriā. quædā vero exēplaria habent, de manu inimicorū, hoc est, de potestate dæmonum.

Et de regionibus congregauit eos. De regionibus gentium congregatos, in vnā ecclesiam, atq; in vnicam fidē coniūxit.

A solis ortu, & occasu, ab Aquilone, & mari. Ex quatuor enī mundi partibus in vnum congregati sunt: quia in omnem terram exiuit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Errauerunt in solitudine, in inaquoso. Errabant olim gentes omnes ambulantes in conuersatione quadam deserta solitariaque ac viduata virtutum fructibus, & omni sacræ doctrinæ potu prorsus carente.

Viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Ciuitas habitaculi proprie cœlum est: cuius viam non inuenerant, veluti errabundi: vel ipsa etiam cognitio dei, virtusq; & religio. κατοικητηρίου

Esurientes, & sitientes. Erant scilicet. neque enim cognitionem dei aut doctrinam vllam habebant, qua cibū, aut potum animabus suis præstarent.

Anima eorum in ipsis defecit. In peccatis nimirum contrita, atque ideo etiam effecta debilis, & infirma.

Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur. Clamabant prophetæ ad dominum, salutem ac redemptionem gentium optantes: ipsique angeli pariter, qui vniuersis sortitō nationibus præsunt.

Et de omnibus necessitatibus eorum eripuit eos. De multiplici, scilicet dæmonum tyrannide.

Et deduxit eos in uiam rectam. Quæ ad cœlum ducit, quam

antea non inuenerunt,cũ in errore degerent: incarnatus vero deus docuit eos omnem veritatem.

κατοικητήριον πόλεως

Vt irent in ciuitatem habitaculi. De qua paulo ſuperius diximus.

Confiteantur domino miſericordias eius. Adnũcient,inquit, miſericordias,dei erga ſe.

Et mirabilia eius filiis hominum. Et narrent,inquit, filiis hominum id neſcientibus, mirabilia dei opera in eos, ſeu propter eos facta.

Quia ſatiauit animam inanem. Vacuas ac eſurientes animas diuino pane impleuit, potuque viuifico, euangelica nimirum doctrina.

Et animam eſurientem ſatiauit bonis. Idẽ repetit aliis verbis.

Sedentes in tenebris, & umbra mortis. Hoc eſt in tenebris erroris.Error etenim vmbra eſt,atque imago corporeæ huius mortis, dum à vera ac perpetua cœleſti vita nos ſeparat, quemadmodum illa à præſenti.

Vinctos in mendicitate & ferro. In mẽdicitate,hoc eſt, inopia virtutũ,in forti prꝛterea ac graui cathena peccatorũ.cathenis enĩ,inquit,peccatorũ ſuorum vnuſquiſq; cõſtringit.

Quia exacerbauerunt eloquia dei. Hoc eſt,deum ipſum loquentem de eorum ſalute,loquẽtem,inquam, per eam rationem, quæ omnibus hominibus inſita eſt, vel per legẽ datam per prophetas,per beneficia,per minas,per plagas,& per cꝛtera omnia;quibus, vt inquit Gregorius theologus, ſtuduit deus vitia hominum conterere.

Et conſilium altiſſimi irritauerunt. Ipſum, ſcilicet altiſſimũ, eorum ſaluti conſulentem. Per eloquia enim dei,& per conſilium altiſſimi,deum ipſum circunloquitur.

Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum. Afflicta eſt miſeriis anima eorum in malis & peccatis.

Infirmati ſunt,& non erat,qui adiuuaret. Qui eriperet eos à tyrannide diaboli.

Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum ſaluauit eos. Hæc verba, quæ propheta diuinorum beneficiorum magnitudinem exprimere ſatagens, in præſenti pſalmo ſæpius, hoc eſt,quater repetit, iam à nobis ſuperius expoſita ſunt.

Et eduxit eos de tenebris,& umbra mortis. Atque hęc verba etiam

etiam ſuperius expoſuimus.

Et uincula eorum dirupit. Vincula videlicet peccati,quibus dæmon eos inuoluerat, vel vincula ſeruitutis dæmonum.

Confiteãtur domino miſericordias eius, & mirabilia eius filiis hominum. Hæc verba, quæ vt ſermonẽ de gratiarum actionibus intenſionem redderet,ſimili modo à propheta quater in hoc pſalmo de induſtria repetuntur, paulo ſuperius à nobis ſatis declarata ſunt.

Quia contriuit portas æreas. Occluſas diu olim, & valide obfirmatas inferni ianuas infregit dominus, quãdo illuc deſcendens carceri emancipatos patres eripuit.

Et uectes ferreos cõfregit. Vectes inquã huiuſmodi portarum.per portas etiam æreas,& per vectes ferreos intelligere poſſumus ſignificari,quàm difficile eſſet euadere loca illa.

Adiuuit eos in uia iniquitatis eorum. Hoc eſt, cum adhuc in iniquis, ac prauis eorum operibus, perſeuerando procederent.

Propter iniquitates enim ſuas humiliati ſunt. Valde enim afflicti ſunt,ob quod miſericordia & auxilio diuino dignos ſe oſtenderunt.

Omnem cibum abominata eſt anima eorum. Omnem inquam cibum animæ rationabilem & omnem doctrinã. adeo enim deprauatis erãt animis,vt ipſa etiã gentiliũ ſtudia faſtidirẽt.

Et appropinquarunt uſque ad portas mortis. Mortem animæ intelligit,quę perpetuis ſuppliciis hominem obnoxium reddit.per portas autem mortis, magna ac grauia nuncupat delicta,quæ morti hominem addicunt, vel ipſam circunloquitur mortem.eſt autem ſermo de fidelibus.

Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum ſaluauit eos. Dictum eſt ſuperius.

Miſit uerbum ſuum, & ſanauit eos. His verbis perſonarum diſtinctio in diuinitate demonſtratur,dum dicitur:miſit verbum ſuum,hoc eſt,filium ſuum. neq; enim dicere poſſumus miſſum, niſi miſſi perſona ſubſiſtat, & viuat. vnde conſona prophetæ noſtro dominus loquens,dicebat: quòd pater eum miſit. hoc igitur verbum quod à patre miſſum eſt, omnem languorem atq; omnem infirmitatem ſanauit.

Et eripuit eos de corruptionibus eorum. Hoc eſt, à peccatis. ἐκ διαφθορῶν

Confiteãtur domino miſericordias eius,& mirabilia eius filiis hominum.

minum. De his verbis superius dictum est.

Et sacrificent ei sacrificium laudis. Sacrificium inquam rationabile, atque euangelicum, laudantes, benedicentes, & gratias agentes.

Et adnuncient opera eius in exultatione. Scientes ignorantibus adnuncient, senes iunioribus. per opera autem dei, illius beneficia, misericordiam & incarnationem intellige, & cętera omnia, quę ad salutarem dispensationē pertinent.

Qui descendunt in mare nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi uiderunt opera domini. Sermo est de Apostolis, qui antea piscatores fuere: qui in mare nauibus descenderunt, & piscatorum munus in aquis maris exercentes, præcipue, ac supra omnes, viderunt opera domini nostri Iesu Christi.

Et mirabilia eius in profundo. Sed quæ nam sint hæc mirabilia, audi ex sequentibus.

Dixit, & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius. Dixit & surrexit procella. facta est enim, inquit, tempestas venti magna & fluctus irruebant in nauim, ita vt operiretur.

Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque in abyssos. Fluctus maris qui tempore illius procellæ excitati sunt, tollebantur modo quasi in cœlos, modo autem in ima descendebant: quemadmodum in huiusmodi fluctuationibus, atque atrocibus tempestatibus fieri solet. Est autem sermo hyperbolicus, quo loquendi modo sæpenumero scriptura vtitur: vt illud est, super niuem dealbabuntur, item illud: ciuitates munitæ erant vsque ad cœlum, & cætera huiusmodi.

Anima eorum in malis tabescebat. In timore atque in periculis defecerat. ipse enim dominus dormiebat, Apostoli vero accedentes excitauerunt, eum dicentes: domine salua nos, quia perimus.

Turbati sunt, & commoti sunt sicut ebrius. Commoti sunt in præcordiis suis: quanquam ebrius quidem à vino commouetur, Apostoli vero timore perturbati sunt.

Et omnis sapientia eorum deuorata est. Sapientia, hoc est, peritia remigandi, tunc omnis defecerat.

Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur. Dum tempestate agitarentur, vt diximus.

Et de oïbus necessitatib⁹ eorū eduxit eos. Ex timore illo videlicet, atq; ex piculo. deinde, quo pacto id factū fuerit, narrat.

Et manda-

Et mandauit procellæ, & stetit in auram, & siluerūt fluctus eius. Increpauit enim, inquit, dominus ventos, & mare: & facta est tranquillitas magna. aura quippe, mitis ac placida est & tranquilla quædam spiratio.

Et lætati sunt, quoniā quieuerūt. Vastissimi, scilicet illi fluctus. ἡσύχασαν

Et deduxit eos in portum uoluntatis suæ. Per portum diuina mandata intellige, quæ illic commorantem ab omni animæ naufragio tutum seruant.

Confiteantur domino misericordias eius, & mirabilia eius filiis hominum. Hæc omnia Apostoli adnunciabunt.

Extollent eum in ecclesia populorum. In nationum omnium congregatione.

Et in cathedra seniorum laudent eum. Eorum scilicet, qui cęteris in concilio supereminent.

Posuit flumina in desertum. Græcos & gentiles, scilicet qui cum eloquentiæ quasi fluminibus, & omnis generis disciplinis redundarent, omni demum sapiētia deserti esse visi sunt, cum illiterati ac piscatores homines eos represserint.

Et exitus aquarum in sitim. Dum huiusmodi studiorum redundantiam ariditate damnauit.

Terram fructiferam in salsuginem, à malitia habitantium in ea. Iudęa regio quæ prophetis, quasi speciosissimis fructibus, olim referta erat, in omnimodam sterilitatem versa est. salsuginosa enim humus, est frugibus prorsus infœcunda: incolarum autem vitio, id effectum est, vt scilicet eiusmodi viros, ea terra amplius non produceret.

Posuit desertum in stagna aquarum. Ecclesiā de gentibus cōgregatam, quę prius virtutū frugibus vacua erat, sacri baptismatis fluentis esse fecit irriguam, quæ abunde adeo effluxerunt, vt ingentis stagni speciem præ se tulerint.

Et terram inaquosam in exitus aquarum. Eandem ecclesiam fidelium, quæ antea inaquosa fuerat, & arida, diuiniq; verbi inops, effecit, vt vitæ dogmata scaturiret.

Et collocauit illic esurientes. Eos qui spirituali cibo diu olim caruerant.

Et constituit ciuitates habitaculi. Habitationis, inquam, spiritualis. intelligit autem varias ac particulares ecclesias fidelium, quæ per vniuersum orbem constitutæ sunt, tam aperte adeo omnia prædicit.

Et semina-

Et *seminauerunt agros*. Euangelicæ prædicationis semine seminarunt Apoſtoli hominum animas, quæ antea agreſtes erant atque incultæ.

Et *plantauerunt uineas*. Rurſus per vineas, animas fidelium intelligit, ferentes virtutum racemos.

Et *fecerunt fructum germinis*. Germinis, inquam, myſtici, Chriſto domino oblati, eumq; lætificantis.

Et *benedixit eis*. Ait enim Lucas de Apoſtolis, ꝙ extollens Dominus manus ſuas benedixit eis. manifeſtum eſt igitur, ꝙ propter Apoſtolos, & eorũ ſucceſſores hoc dictũ eſt.

Et *multiplicati ſunt ualde*. Nam ex duodecim, & ſeptuagintr viris, in numeroſiſſimum populum propagati ſunt.

Et *pecora eorum non ſunt minorata*. Per pecora eos intellige, qui inter Chriſtianos ſimpliciores ſunt, nec tam ſollerti ingenio ſunt prædiți. vel aliter: pecora Apoſtolorum, diſcipuli eorum ſunt, qui inſtar pecorum eos ſequuntur, quocunque duxerint, quiq; veluti rationales oues cibum ab eis capiunt, & numeroſiſſimi etiam fuerunt. cum autem Eccleſiæ augmenta prædixerit, futuras etiam illius perſecutiones, & calamitates adnunciat.

Et *pauci facti ſunt, & afflicti ſunt, à tribulatione malorum, & dolore*. Pauci facti ſunt fideles, cum multa millia eorum pro Chriſto variis cruciatibus interierint. afflicti autem ſunt à tribulatione tentationum & dolore, dum præſentibus bonis ſpoliati, expulſi, verberati, atq; innumerabilia alia paſſi ſunt.

Effuſa eſt contemptio ſuper principes eorum. Per principes, fidelium Reges ac duces illos intelligit, quibus ſuberant, & à quibus multas perſecutiones ſuſtinuerunt: qui principes, tãquam inutiles, à Chriſto contempti ſunt.

Et *errare fecit eos in inuio, & non in uia*. Seduci eos permiſit, tanquam immedicabiles. Eſt autem modus hic loquendi frequẽs apud ſcripturam, vt facere quempiam dicat, qui permittit. Inuium vero & ſine via appellat, peruerſa atque impia eorum dogmata.

Et *adiuuit pauperem ex inopia*. Populum, qui pauper erat adiuuit, ex inopia, quæ eſt propter Chriſtum.

Et *poſuit quaſi oues familias*. Eas quippe, vt proprias oues, in ordinem redegit. per familias autem, quas iuxta Græci nominis ſignificationem, parentelas quis melius dixerit, vniuerſas

uerſas Eccleſiarum congregationes intelligit, tum propter cognationem fidei, tum quia vnum Chriſtum verum patrem familias habent: qui & paſtor bonus appellatur, & animam ſuam poſuit pro ouibus.

Videbunt recti, & lætabuntur. Fideles, qui per rectam viam ſemper incedunt, videbunt ea, quæ ſuperius dicta ſunt.

Et *omnis iniquitas obturabit os ſuum*. Dilatata nimirum prædicatione ad ipſos vſque Reges. per iniquitatem autem iniquos ipſos homines intelligit. ἐμφράξει

Quis ſapiens & cuſtodiet hæc? & intelligent miſericordias domini. Quis ſapiens erit, & obſeruabit hæc, credens quòd futura ſint? & intelligent miſericordias domini, hoc eſt, cognoſcent hæc, vbi finem habuerint. καὶ συνῶσουσι

Canticum Pſalmi ipſi Dauid.

Tituli huius ratio, in proœmio operis, & alibi etiam explicata eſt.

PSALMVS CVII.

Paratum cor meum deus, paratum cor meum. Cantabo & pſallam in gloria mea. Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara. exurgam diluculo, confitebor tibi in populis domine, pſallam tibi in nationibus, quoniam magna eſt ſupra cœlos miſericordia tua, & uſque ad nubes ueritas tua. exaltare ſuper cœlos deus, & ſuper omnem terram gloria tua. Hæc omnia eodem ordine habentur in pſalmo LVI. vbi ea expoſuimus. idem enim ſignificat: magna eſt ſupra cœlos: quod magnificata eſt vſque ad cœlos illa autem verba: exurge gloria mea: item illa: exurgam diluculo: intelligi poſſunt de reſurrectione domini: ipſo ſcilicet Dauid aliud ſupplicante, & Chriſto aliud promittente, & certum etiam reſurrectionis ſuæ tempus præſignante. prorſus quippe diluculo ſurrexit, vt Lucas tradit. Gloriam vero ſuam beatus Dauid Chriſtum appellat, veluti, qui ex eius ſemine naſciturus erat, & ſummam ei gloriam paraturus.

Vt *liberentur dilecti tui*. Nouus populus nimirum. cum dilexiſſet enim, inquit, ſuos Ieſus in mundo. in finem dilexit eos.

Saluum fac dextera tua, & exaudi me, Deus locutus eſt in ſancto ſuo. exaltabor, & diuidam Sicima, & uallem tabernaculorum dimetiar

dimetiar, meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim defensio capitis mei: Iudas rex meus, Moab lebes spei meæ. In Idumæam immittam calciamentum meum. mihi alienigenæ subditi sunt. Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me usq; in Idumæam? Nonne tu deus qui repulisti nos? Et non egredieris in uirtutibus nostris. Da nobis auxilium de tribulatione, & uana salus hominis. In deo faciemus uirtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Hæc omnia etiam eodem ordine reperies, in psalmo LIX. vbi ea exposuimus. Et licet in aliquibus dictionibus modicum quid hæc ab illis differant, eundem tamen sensum habent. Nec admireris, si eadem verba, atque easdem sententias Propheta sæpius repetit in aliis psalmis, cum hic mos apud Hebræos habeatur, & apud Prophetas præcipue.

ἐπιβαλῶ

In finem ipsi Dauid.

De hac inscriptione sæpe alibi dictum est. Illud animaduertendum est, quòd Propheta in hoc psalmo imprecantis quidem personam induere uidetur, re uera tamen Prophetiam eorum malorum contexit, quæ proditorem Iudam, atque eius complices manebant. Est enim hic dicendi modus frequens in prophetis: & plurima exempla apud scripturam inueniri possunt. Vnde & Iesus Naue duodecim tribus diuidens, quando in terram promissionis ingressi sunt, uisus est iussu dei quibusdam benedicere, & quibusdam mala imprecari. Benedictiones autem illæ, & maledictiones, futurorum prophetias continebant.

PSALMVS CVIII.

Deus laudem meam ne tacueris. Præsentem psalmum in persona Christi supplicantis credimus fuisse conscriptum: qui cum hominis personam induisset omniũ hominum more, diutius etiã uiuere cupiebat. Deum igitur alloqui introducitur Christus in hoc psalmo, & dicere: noli deus extinguere aut silentio tradere laudẽ illã, quæ propter me filium tuũ tibi iugiter offertur ab iis, qui mirabilia opera mea inspiciẽtes, summis te propterea glorificant laudibus. Vel noli deus extinguere laudem meam, qua assidue te laudo. Quæcunque enim operor, tibi adscribo, atque in gloriam tuam efficio. Silentio itaque non prætereas preces meas, quas cum laude offero.

Quia os

Quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Peccatorem & dolosum, Iudam intellige, qui os suum aduersus saluatorem aperuit, quando cum principibus sacerdotum, & senioribus populi locutus est, vt Christum prodere.

Locuti sunt aduersum me lingua dolosa. Iudas nimirum & principes sacerdotum, ac seniores populi, dolos, atq; insidias aduersum me simul struentes.

Et sermonibus odii circumdederunt me. Plena odio in me verba vomentes, sæpenumero enim Iudæi, qui Christo circumaderant, huiusmodi sermones proferebant, summo studio contendentes, vt ei aliquo pacto detraherent: quippe, qui aut expresse contumelia eum afficiebant, aut peruerse interrogabant.

Et impugnauerunt me gratis. Hoc est temere, & absque vlla causa.

ἐπολέμησάν

Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi. Cum diligere me debuissent, qui assidue verbo & opere beneficia in eos conuleram, hi contrà, deridebant me, seductorem, iniquum, & deo aduersarium appellantes.

Ego autem orabam. Orabam pro eis. In Euangeliis quippe orari iussit Christus pro calumniantibus, & pro persequentibus. Vel orabam inuocans auxilium tuum. Sæpenumero enim orasse eum ad patrem, ibidem legimus.

Et posuerunt aduersum me mala pro bonis. Ipsi, inquit, contrà operati sunt in me mala, pro beneficiis à me in eos collatis.

Et odium pro dilectione mea. Pro dilectione, qua eos prosequebar.

Constitue super eum peccatorem. Verbum constitue, & alia verba imperatiui & optatiui modi, quæ sequuntur, quanquam sub eiusmodi figura loquendi sint posita, habent tamen significationem futuri temporis, ac si dixisset: constituet, stabit, exibit, & sic de singulis. Constitue, inquit, diabolum super Iudam. Intrauit enim, vt legimus in Euangelio, in eum Sathanas. Constitue vero posuit, pro permitte constitui, iuxta peculiare illud scripturæ idioma, de quo sæpe diximus.

Et diabolus stet à dextris eius. Hoc est, stet ei Sathanas familiaris. Solẽt enim familiares ac domestici alicuius stare ei à

dextris:

dextris: Atque ideo iustis deus dextram regionem in futuro iudicio assignauit. Et aliter: diabolus stabit à dextris eius, dexteras illius operationes rapiens. Quod si apud Zachariam prophetam scriptum legimus, de Iesu magno pontifice, quòd diabolus steterit à dextris eius, animaduertendum est. illic addi causam, vt aduersaretur ei. stetit enim à dextris eius, vt bona, ac dextera illius opera impugnaret.

Cum iudicetur, exeat condemnatus. Cum à morsu propriæ conscientiæ condemnatus fuerit, exibit de Iudæorum concilio condemnatus. pœnitentia enim ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens: peccaui tradens sanguinem innocentem. illi autem dixerũt, quid ad nos? tu videbis. A seipso itaq; atq; ab illis pariter cõdemnatus est. condemnantium enim verba sunt, tu videbis.

ἡμαρτίαν. *Et oratio eius fiat in errorem.* Aberret, inquit, eius oratio & non consequatur, quod postulat. optabat enim Iudas, votisq; ac precib⁹ ipse pariter, ac Christi inimici. quibus se cõiunxerat, id vnum petebant, vt exterminaretur Christus, & eius memoria deleretur. inanis igitur fuit huiusmodi eorum oratio, & votum. vel generaliter etiam dicit, quòd omnis eius oratio aberrabit, quòd non fruetur optatis rebus, ob prauos ac peruersos scilicet eius mores.

Fiant dies eius pauci. Cito post proditionem morietur. modico enim tẽpore superuixit, cũ paulopost suffocatus sit.

Et episcopatum eius accipiat alter. Mathias scilicet, qui illius apostolatum sortitus est. apostoli quippe, episcopi, hoc est, custodes erant & pastores credentium.

Fiant filii eius orphani, & uxor eius uidua. Hæc, & quæ sequuntur ad Iudam pertinere non videtur, cum de vxore, aut de filiis eius, sacra historia nobis nihil tradiderit. Atque ideo Chrysostomus dicit, hæc prædicta esse de alio quodam, qui post reditum populi è Babylone, sacerdotium inuadere conatus est, in quo manifeste hæc oĩa adimpleta esse tradũtur.

Σαλευόμενοι. *Fluctuantes transferantur filij eius, & mendicent.* Veluti tẽpestate concussi ex propriæ domus sede transferẽtur, & mendicabunt, paupertatẽ vnà cũ cæteris calamitatibus sustinẽtes.

Eiiciantur de habitaculis suis. Ex ipsis etiam habitaculis eiicientur, nec in eis dabitur habitandi facultas. per habitacula autem, (vt Græca dictio, οἰκόπεδα, significantius denotat,)

notat) ruinas domorum intelligit. Huiusmodi vero pœnas dabunt, quia paternæ iniquitatis fuere participes.

Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius. Scrutabitur eam fœnerator, quærens sibi reddi quæ crediderat.

Et diripiant alieni labores eius. Post fœneratorem, isti rapient quæcunque fuerint relicta.

Non sit illi adiutor. Nemo ei opem aliquam ferat: post mortem scilicet.

Nec sit, qui misereatur pupillis eius. Nec erit aliquis, qui eorum misereatur, ob rationem superius dictam.

Fiant filii eius in exterminationem. Sed nec simpliciter exterminabuntur: quinimmo & ipsi erunt sine prole. Addidit enim Propheta dicens.

In generatione una deleatur nomen eius. Delebitur eius memoria conclusa in vna generatione: in vnica inquam generatione ipsorum filiorum, nullis aliis post se liberis relictis.

In memoriam redeat iniquitas parentum eius in conspectu domini. Parentum, hoc est, patris, & aui, & aliorum maiorum. nam de matre particulariter inferius dicit. Horum vero iniquitas redibit in memoriam: quia vnà adiutores ei fuere, vel quia filios restituerunt ad vitia. Redituram autem iniquitatem eorum in memoriam, ideo dicit, quia non dimittetur eis delictum nec obliterabitur, aut nihil existimabitur.

Et peccatum matris eius non deleatur. Non delebitur, quia simul cum parentum iniquitate peccatum matris condemnabitur. Per iniquitatem autem & per peccatum istorum, institutionem filiorum intelligit ad vitia, vel consensum, aut auxilium præstitum eorum delictis.

Fiant cõram domino semper. Eorum peccata & iniquitates erunt semper coram deo, id est, nunquam eorum obliuiscetur deus. γενηθήτωσαν ἐναντίον κυρίου διὰ παντός

Et exterminetur de terra memoria eius. Rursus ad Prophetiam reuertitur de Iuda, & est modus hic quidam consuetus aliquando apud Prophetas, quo Prophetias intercîdunt, & alia in medio ponunt, ac rursus ad primum argumentum redeunt, sicuti subministrauerit sanctus spiritus. Exterminabitur vero memoria eius, quia nec bona eius, nec generatio per successiones illius memoriam seruabunt.

Eo quòd non recordatus est facere misericordiam. Quoniam, inquit,

inquit,noluit facere misericordiam erga eum,qui summis impetitus iniuriis,& multiplicibus oppressus fuit insidiis. Quin immo cum ipsis etiam insidiatoribus conspirauit, beneficiorum sibi à Christo collatorum immemor. Nam si meminisset, verisimile est facturum eum fuisse misericordiam, hoc est,illius miserturum fuisse.

τῆ θανατῶσαι

Et persecutus est hominem pauperem, & inopem, & compunctum corde, ut mortificaret. Persecutus vero eum est, quando accepta turba multa à principibus sacerdotum, & senioribus populi, cum gladiis,& lignis venit, vt eum quæreret. Inops autem & pauper Christus dicitur ob tenuitatem assumptæ carnis, & quia adeo inops erat,vt non haberet,vbi caput reclinaret.vt diximus in principio psalmi XL. Compunctum vero corde dixit,iuxta illud: discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Et dilexit maledictionem, & ueniet ei,& noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Propriis enim operibus alteram attraxit, & alteram repulit, & maledicent quidem ei pij ac fideles omnes,benedicet autem nemo.

Et indutus est maledictione,quasi uestimento. Maledictione, inquam, qua prorsus semper detinebatur, quæ nunquam ab eo aberat. Indutus est autem ea,proditione intercedente.

Et ingressa est quasi aqua interiora eius. Non exterius tantum huiusmodi maledictio eum circundedit,sed ea etiã, non secus atque aqua intrinsecus imbutus est.

Et quasi oleum in ossibus eius. Nec tantum intro ingressa est sed vltra etiam interius magis penetrauit. Auget autem sermone suo hoc factum Propheta, grandem esse indicans maledictionis cumulum. Et per aquam quidem,eius vehementiam ostendit, per oleum vero difficultatem in abluendo, & consequenter illius diuturnitatem.

περιξώνυται

Fiat ei quasi uestimentum quo circundatur, & quasi zona qua semper accingitur. Ea scilicet ratione, vt perpetuo eũ contineat, & constringat.

παρὰ κυρίου

Hoc opus detrahentium mihi à domino. Hoc opus,id est,hæc pœna,seu hoc opus pœnarum, qua supra commemorauimus Iudam & complices passuros esse: hæc,inquam,pœna,Iudæ & sociorum, mihi detrahentium à domino erit. Vel iuxta aliam literam,hoc est opus hominum detrahentium mihi apud dominum,

pud dominum,dum scilicet me deo dicunt aduersarium esse.

Et loquentium mala aduersus animam meam. Diximus in psalmo XL. ibi:aduersum me cogitabant mala mihi.

Et tu domine domine fac mecum propter nomen tuum. Fac in me misericordiam. non quia ea ego dignus sim, sed propter te,qui misericors es. Humano autem more Christus hic preces suas fundit, docens nos, vti animi moderatione, si quando iniuria afficimur, atque hoc pacto diuinum nobis auxilium attrahere. Dictum est etiam in eodem psalmo ex Christi persona:tu autem domine miserere mei,& multa alia eiusmodi in XXI. psalmo legi possunt.

Quia bona est misericordia tua. Hoc est,semper vtilis,atque efficax. Humana quippe misericordia sæpenumero inefficax est,interdum vero etiam nocet.

Libera me quia inops, & pauper sum ego. De inope & paupere superius diximus. Legimus etiam dictum ex Christi persona, in psalmo XXI. libera à framea deus animam meam: & in Euangelio pater salua me ex hac hora.

Et cor meum turbatum est intra me. Legimus etiam eum dixisse in Euangelio: Nunc anima mea turbata est:item,tristis est anima mea vsque ad mortem.

Sicut umbra,quæ declinat ablatus sum. Tam cito ablatus sum inquit, sicut aufertur vmbra cum deletur. Præpositio autem illa quæ habetur in dictione Græca,ἀπῆρα, aut superflua est, Hebraici sermonis more, aut idem sibi vult, ac si diceretur:pro bonis,quę eis contuli,ego contra ab illis ablatus, atque interemptus sum.

Et excussus sum sicut locustæ. Tam facile,inquit,ob summã eorum inuidiam è præsenti vita excussus sum, vt locustæ excutiuntur,si quando ventis fuerint agitatæ.

Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum. Duram quippe atq; asperam vitam agebat dominus, & testimonium reddunt quadraginta ieiunij dies & panes illi hordeacei, & spicæ quæ vellebantur à discipulis: tametsi benigna quadam dispensatione, lautiori aliquando mensa vteretur. Et caro mea immutata, seu commutata est ad asperitatem, & squalliditatem quandam: atque hoc propter indigentiam olei:quia scilicet oleo vnctus non sum. Solebant enim veteres vngi,cum lauarentur.

Et ego factus sum opprobrium illis. Illis, inquam, sanguinolentis Iudæis, qui Christum exprobrabant, atq; ei illudebant, vt scribunt Euangelistæ.

Viderunt me, & commouerunt capita sua. Viderunt me suspensum in ligno. Prætranseuntes enim blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: ô qui destruis templum, & in tribus diebus ædificas illud, salua temetipsum.

Adiuua me domine deus meus, & saluum me fac secundum misericordiam tuam. Quemadmodum velut homo patiebatur, ita etiam velut homo preces fundit ad deum. Quod vero ait: Secundum misericordiam tuam, dic, id est, in misericordia tua, & tanquam misericors.

Et sciant, quia manus tua hæc, & tu domine fecisti eam. Sciant, inquit, quòd auxilium hoc tuum est. Adiuuisti enim me, tanquam filium dilectum, nec despexisti veluti tibi aduersarium.

Maledicent illi, & tu benedices. Dicebant enim Iudæi illi deo inimici, nunquid aliquis ex principibus credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non cognoscit legem, maledicta est. Maledictio etiam, dicitur blasphemia.

Qui insurgunt in me, confundantur. Post resurrectionem enim meam, aut post vniuersalem resurrectionem, omnino confundentur.

Seruus autem tuus lætabitur. Propter homines, qui saluati fuerint.

Induantur, qui detrahunt mihi, pudore. Induentur confusione, dispersi in omnes gentes, seruituti addicti, atque inhonorati.

Et operiantur, quasi diploide, confusione sua. Eundem sensum aliis repetit verbis. Diplois autem est vestis duplex.

Confitebor domino ualde in ore meo. Gratias ei agam, tanq̃ liberatori & saluatori.

In medio multorũ laudabo eum. Vere gratias deo agit Christus, & vere laudat eum in medio multorum, cum assidue in Ecclesia legantur Euangelia, in quibus patrem laudat & glorificat.

Quia adstitit à dextris pauperis, ut saluam faceret à persequentibus animam meam. A dextera enim parte adstant, qui in bello alicui opem ferunt. vel aliter: Adstitit ex dextris actionibus,

bus, allectus ad eius auxilium, ab illius virtutibus, & saluauit eum, suscitando illum à mortuis.

Psalmus ipsi Dauid.

De hac inscriptione sæpe dictum est. Hunc autem psalmum Propheta in Christum conscripsit.

PSALMVS CIX.

Dixit dominus domino meo. Pater assumpto in cœlum Christo domino dixit verba quæ sequuntur. Dominum autem patrem, & dominum etiam filium appellat, diuinitatem indicans vtriusq; personæ. Quod si alibi scriptũ legimus, dominus deus tuus, dominus vnus est, dictũ id fuit, non vt vnigenitũ filium deum esse negaret, sed vt eos, qui falso dij putabantur, à vero deo distingueret. Dixisse autẽ eo modo deũ intellige, quo dignũ ac congruũ est, illum loqui. Huiusmodi autẽ verbis impiorum Iudæorũ ora obstruuntur. dicant enim quæso, qui nã sint hi duo domini regis Dauid, quorum alter ex ventre ante Luciferum est genitus, & sacerdotio honoratus secundũ ordinem Melchisedech. Neq; enim hiscere etiam poterunt.

Sede à dextris meis. Quemadmodum per dictionẽ dominus, patri ac filio æquè adtributam, ita etiam per sedem filij à dextris patris, æqualis honor filij cum patre manifestatur. Quorum enim sedes æqualis est, eorundem commune est etiam imperium. Sileant igitur Arrius, & Eunomius, qui æqualem patri filium negant. Quoniam vero deus pater incorporeus est, & dexteram non habet aut sinistram (corporum enim hæc sunt) restat, vt per sedem, requiem & fruitionem diuini imperij intelligamus, vtriq; eorum propriam, & honore parem.

Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Iudæos, Gentiles, Hæreticos, & Dæmones. Dictio autem, donec, non ad distinctionem futuri temporis posita est, sed quemadmodum sæpe alibi diximus, certum tempus designat, & vsquequo, non tollens aliud postea futurum tempus, vt egregie declarat Gregorius Theologus in primo sermone de Filio: & nos etiam antiquos secuti patres, scripsimus in illud dictum Euangelij, donec peperit filium suum primogenitum. Quo-

modo enim ſuſtineri poſſet aliud ſcripturæ teſtimonium? Regnum eius, quod in ſeculum non deſtruetur: aut illud? & regni eius non erit finis. Quod ſi in præſenti pſalmo legis patrem ponere filij inimicos ſcabellum pedum eius, & apud Paulum legis ipſum filium id facere (oportet enim, inquit Paulus, Chriſtum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis) non ideo tamen turberis. Communis etenim vtrique operatio eſt: Ambo eandem habent efficiendi poteſtatem. Omnes autem ſubiicientur, alij quidem inuiti, alij vero ſponte, vbi ſcilicet eum è cœlo deſcendentem viderint, vt manifeſtius docuit Paulus. Ponere etiam ſcabellum dixit, pro ſubiectos reddere, ſeu ſubiugare.

Virgam uirtutis emittet tibi dominus ex Sion. Virga aliquando in ſignum pœnarum ponitur, ſeu caſtigationis, iuxta illud Apoſtoli: quid? vultis in virga veniã ad vos? an in dilectione? quandoque pro paſtorali cura, iuxta illud: paſces eos in virga ferrea. Aliquando vero pro regno: vt illud: Exibit virga de radice Ieſſe. Ponitur etiam pro potentia, vt in præſenti Pſalmo. miſit enim deus pater Chriſto, velut homini potentiã ex cœleſti Sion: vel ex Sion, quę erat Hieroſolymis. Illinc enim potentia operationum, & predicationis Chriſti, principiũ ſumpſit. intelligere etiam poſſumus per virgam virtutis, ſanctam crucem Chriſti. Quid enim ea potentius eſt, aut efficacius, cum tam facile inimicos omnes in fugam conuertat?

καὶ *Et dominare in medio inimicorum tuorum.* In ditionem atque in dominium tuos inimicos compellens, & iugo Euangelico ſubmittens. Hoc autem ſumma admiratione dignum fuit, quòd Apoſtoli in medio inimicorum conſtituti, miniſque ac perſecutionibus tyrannorum vndique impetiti, non tantum illorum manus euaſerint, ſed potentiſſime etiam eos ſuperauerint.

ἀρχὴ *Tecum principatus in die uirtutis tuæ.* In illa, inquit, die quando virtus, & potentia tua illuſtrabitur, tecum erit principatus, hoc eſt, regnum tuum tunc erit in te, non aliunde ſcilicet adueniens, ſed diuinitatis tuæ, naturę coniunctus. Et quia dictio ἀρχὴ, principium ſignificat, & principatum, intelligere poſſumus, quòd principium hoc in loco accipiatur pro filio dei, tãquam cauſa omnium: quia ſimul eſt cum patre: & quòd dies virtutis, ſit primus eius aduentus, quo multa fecit miracu

la: vel etiã ſecundus, quãdo vltima tuba mortuos omnes ſuſcitabit.

In ſplendoribus ſanctorum tuorũ. Quando ſplendebunt ſancti tui. Quid enim apoſtolis fuit ſplẽdidius? qui ſolis inſtar, totum orbem circumeuntes, virtutum ſuarum radiis eum illuſtrarunt. Quòd ſi in præſenti vita adeo clari atque illuſtres fuerant, quales futuros eos eſſe credendum eſt, reſurrectionis tempore? quando iuxta domini vocem fulgebũt iuſti ſicut ſol. Siue igitur de primo ſiue de ſecundo aduẽtu hoc intellexeris, non errabis.

Ex utero ante Luciferum genui te. Verba illa: ſede à dextris meis: item iſta: ex vtero ante Luciferum genui te: dicta mihi eſſe vidẽtur, veluti ex perſona patris ad filium. Illa vero: virgam virtutis tuæ: item illa: tecum principatus in die virtutis tuæ: ad filium quidem, ſed ex prophetę perſona proferri: & hæc quidem verba: ex vtero: veram ac germanam illam diuinam generationem ſignificant, atque identitatem ſubſtantiæ. Verum etenim proles de ventre parentum generatur. Illa vero: ante Luciferum: æternitatem diuinæ huius generationis, dum ante Luciferum eam fuiſſe atteſtantur, hoc eſt, antequam ipſe ſol creatus eſſet: quo loquendi modo alibi etiam propheta vſus eſt, in pſalmo LXXI. dicens: ante ſolem permanet nomen eius: ſed nunquid forte hoc ita intelligendum eſt, vt tantummodo eum pater ante ſolem genuerit, & non antea? Minime. nam & alibi ait: à ſeculo & vſque ad ſeculum tu es: tametſi nec à ſeculo tantum, ſed & ante ſeculũ: neque vſque in ſeculum tantum, ſed etiã ſine fine eum eſſe, diuina tradant eloquia. Oportet igitur verba hæc digna deo intelligere, atque illud concludere quòd ante omnia, etiam ante ipſa ſecula, ſemper fuerit hæc diuina generatio. Ij itaq; qui verba illa, ante Luciferum, referunt ad noctẽ, qua Chriſtus ſecundum carnem natus eſt, patris nimirum beneplacito, & cooperatione ſancti ſpiritus, non recte prophetæ ſermonem intelligunt. Oportuiſſet enim dicere: ante ortũ Luciferi, & non ante Luciferũ. Nam quod ſimpliciter dicitur, ante ſolem, tempus ſignificat, quod fuit ante ipſius ſolis naturam, quemadmodũ contra, ſi ante ſolis ortum dixeris, tempus diluculi ſignificabis. Magnus Baſilius in ſermone de ſpiritu ſancto ait, quòd dicitur quid ex aliquo eſſe, vel ratione

creationis,iuxta illud:vnus est deus pater ex quo omnia. vel
ἐνέργεια ratione naturæ, iuxta illud:operatio nostra ex nobis est : & quemadmodum splendor solis ex sole.vel ratione generationis,iuxta illud:ego exiui ex patre.item quod hic legimus:ex vtero ante Luciferum genui te. Non quòd deus vterum habeat,sed quia veri atque ingenui liberi, ex vtero parentũ nasci solent. Hac igitur ratione,hoc in loco deus ventrem se in generatione filij habere dixit,ad confusionem impiorum:vt in seipsis propriam illi considerantes naturam, discant filiũ verum fructum esse ex patre,veluti qui ex illius ventre dicãtur esse generatus.

Iurauit dominus & non pœnitebit eum. Vt indignatio in deo perturbationem non significat,sed motum diuinæ potestatis ad vindictam,ita iuramentũ dei, non humanos iurãdi ritus, sed confirmationem atque asseuerationem significat diuinæ sententiæ. Et non pœnitebit eum, hoc est, non mutabit decretum,quemadmodum sæpenumero deus consulto multis in rebus facit. Quid autem iurauerit,hoc est,quid asseueranter decreuerit,audi.

Tu es sacerdos in æternum,secundum ordinem Melchisedech. Sacerdos quidem veluti qui mysticũ panẽ & vinũ in cœna apostolis tradidit,quẽadmodũ Melchisedech Habraæ & sociis dedit redeuntibus è bello. Aeternũ autẽ est hoc sacerdotiũ,quia nec principiũ dierũ,neq; vitę finẽ habet,ratione nimirũ diuinitatis Christi,quẽadmodũ nec vllũ habuisse principium, aut finẽ ipsum legimus Melchisedech. verum hunc Melchisedech principiũ aut finẽ non habere dicimus , quia historia id tacuit. At Christus diuinitatis suæ nullum vere vnquam principium habuit, nec finem vllum habiturus est.

Dominus à dextris tuis. Auxilium ei veluti homini laturus. Nam & in psalmo xv. ex persona Christi scriptum legimus:præuidebam dominũ in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi,ne commouear.

Confregit in die iræ suæ reges. De die iudicij sermo est, quando impios reges conteret deus , statutis nimirum ab eo pœnis.quòd si reges ipsos contriuerit, perspicuum est,quòd multo facilius cęteros oẽs puniet,qui aduersus eũ deliquerit.

Iudicabit in nationibus. Hoc est iudicabit nationes:vel eos qui in nationibus digni fuerint,vt iudicentur.

Implebit

Implebit ruinas. Multiplicabit ruinas, multos destruens, quotquot scilicet praue in eum insurrexerint.

Confringet capita in terra multorum. Capita multorũ , hoc σωθλᾶ-
est,multos.nã quod superius singillatim dixit de regib⁹,nũc σει
in vniuersum de aliis dicit.quãquam his verbis, non tantum cõtineatur prophetia futuri iudicij,sed illud etiã doceamur, intolerandas admodũ nobis esse vires dei, qui quoties iratus fuerit,cõfringet reges,& alia faciet,quę superius dicta sunt.

De torrente in uia bibet. Hoc in loco,vitæ ac conuersationis Christi tenuitatem prædicit:quòd scilicet tenuem vitam aggressus,bibet de torrente fluente in via. vel bibet ambulãs in via. Iuxta anagogen vero,per torrentem redundantia intellige tentationum ac calamitatum fluenta, per viam vero, temporariam hanc vitam,& per potum,participationem: vt sit sensus,quòd Christus in præsenti vita tentationũ hac calamitatum erat futurus particeps.

Propterea exaltabit caput. Propter humilitatem ac tenuitatẽ vitæ suæ,inquit,exaltabitur, & ascendens in cœlũ,glorificabitur:sedebitq; à dextris dei: quia hæc non modo eum nihil læserunt, sed in ineffabilẽ eum sublimitatẽ inuexerũt.

Alleluia.

Hic psalmus gratiarum actiones continet.

PSALMVS CX.

Confitebor tibi domine in toto corde meo. Gratias agam tibi non verbis tantum,neque ore simpliciter,aut lingua,sed in toto corde meo, anima cõtrita, oratione assidua, ac mente ab omni mundana cura iam libera , atq; in te totus aspirans. Gratias vero huiusmodi agã,pro beneficiis, quæ tum in me, tum in alios ampliſſime contulisti. Hoc enim promptissimũ est sacrificium,& facilis oblatio: hoc necessarium opus est, quod assidue à nobis exigit deus.

In consilio rectorũ & cõgregatione,magna opera domini. Oĩa opera domini magna sunt in consilio, & congregatione eorum,qui recte sentiunt. Quæcunque enim aut initio effecit, aut nunc facit,aut perpetuo in futurũ efficiet, summa admiratione digna sunt. Admirabili enim sapientia mundũ creauit,& creatũ regit. Intelligitur vero præcipue hoc dictũ, de mirificis dei operib⁹,quę in vniuersa creatura liquido cõspiciuntur:

ciũtur:quę quoties ꝓbi ęque ac pij homines,vnà pariter cõgregati cõtẽplantur,nihil in eis perperã factum,nihil minus aptũ,aut ſuo opifice indignũ inueniũt. Oĩa enim ad amuſſim procreata ſunt,& ſua ratione conſiſtunt,tametſi ſæpenumero multis ob deprauatas eorũ mentes ſecus viſum fuerit.

Exquiſitã in omnes uoluntates eius. Hoc eſt exacte, ac diligenter facta, & quẽadmodum alius interpres ſignificantius reddidit,prædicta opera,perfecta ſunt, & accommodata ad omnes dei voluntates. Diſponunt etenim probos ac ſapientes viros,ad implendam eius voluntatem. Nam quis eſt qui videat,aut audiat huiuſmodi opera, & non excitetur ad ſectandum, quodcunque deo gratum eſſe iudicauerit? intelligens ex his deum vere eſſe, & vere miſericordẽ eſſe? voluntates autem dei ſunt eius mandata.

Confeſſio & magnificentia opus eius. Gratiarum actio, & magnifica laus ſunt dei opera: non tantum hoc, inquam,aut illud opus,ſed in vniuerſum omnia dei opera, & cõiunctim & diuiſim eiuſmodi ſunt, vt ad gratiarũ actiones, & ad magnificas dei laudes, mouere eos poſſint, qui ea aut viderint, aut audierint. Poteſt etiam hoc in loco, iſtud opus particulariter accipi,pro incarnatione domini.

Et iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Hoc ad ſolamẽ eorum dictum eſt, qui afficiuntur iniuriis, & ad eruditionem etiam eorum qui iniurias inferunt, cum iuſtum atque æternum vtrosque dei iudicium maneat, quo alteri requiem, alteri vero ſupplicia, ac pœnas ſuſtinebunt: vel quia iuſtitia eius perpetua eſt,hoc eſt,immutabilis.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum. Verbum, meminit,ſeu memoriam fecit,& alia huiuſmodi, ſolent propheтę ſępenumero ponere,pro operari,quemadmodũ alibi diximus. Ait igitur Propheta,quòd deus operatur mirabilia,nec aliquando ceſſat ab huiuſmodi operatione, vt per ea craſſiores ac rudiores quosque homines ad ſe traducat. Huiuſmodi autẽ fuerunt ea quæ fecit tempore diluuij, & quæ in confuſione linguarum, aut quæ Sodomitarũ tempore, item quæ in tempore Habraam, Iſaac, & Iacob. Et quæ in Aegypto, aut in exitu Iudæorũ ab Aegypto, quęque in deſerto, in terra promiſſionis,in Babylone,& poſt reditũ ex Babylone,aut tempore Machabæorum,& quæ in Chriſti aduentu, & poſt illũ hactenus,

hactenus priuatim ac publice apoſtolorumque ac martyrũ, & aliorum ſanctorum temporibus, in priuatis domibus,in ciuitatibus,& vbique gentium facta ſunt.

Miſericors & miſerator dominus. Qui prędicta omnia facit,magna cum miſericordia,& ſalutem hominum cupit.

Eſcam dedit timentibus ſe. Atqui & non timentibus ſe,cibum pręſtat: verum hoc in loco rationalem ac ſpiritualem animæ cibum intelligit:cœleſtem,inquam,panem,quem ſolis ſe timentibus tribuit. Poſſunt etiam intelligi hęc verba de pane myſtico: vel quia ſæpenumero deus ſeruos ſuos admirandè admodum,& præter ſpem multorum paſcit.quemadmodum Heliam,Danielem,& complures alios.

Memor erit in ſeculum teſtamenti ſui. Iudæi dicunt memorem deum fuiſſe teſtamenti ſui,quia fecit illud eſſe immutabile:illud,inquã, teſtamentum quod de multitudine ſeminis Habraæ, & de promiſſionis terra diſpoſuerat. Nos vero affirmamus verba hęc de Chriſto prophetiã cõtinere. Memor enim erit,inquit,deus in ſeculũ, hoc eſt,in debito, & conuenienti tempore teſtamẽti ſui, quod ad patriarchas diſpoſuit, promittens quòd in ſemine eorum benedicendæ eſſent omnes gentes,& quòd hoc teſtamentum adimplebit deus.

Virtutem operum ſuorũ annunciabit populo ſuo. Antiquo quidem populo oſtendit deus vires operum ſuorum,hoc eſt,potentiam in ſuis operibus, quam omnes cognouerunt per ea miracula,quæ tunc facta ſunt:nouo autẽ populo,per ea quæ poſt reſurrectionem ſuam vbique operatus eſt.

Vt det illis hæreditatem gentium. Iudæis quidem terram promiſſionis,quam gentes olim habitabant: nobis vero vniuerſam illam terram,cuius fideles efficiendi erant domini.

Opera manuum eius ueritas, & iudicium. Per manus patris aliqui filiũ & ſpiritũ ſanctũ intelligunt, tanquã cooperatores atque vnà pariter opifices, quorũ opera, veritatẽ eſſe dicunt,& iudiciũ:veritatẽ quidem,ſancto ſpiritu tribuentes,de quo ſcriptũ eſt:ille inducet vos in omnem veritatẽ:iudicium autem filio,de quo alibi legimus dictũ à domino,quòd pater omne iudicium dedit filio: quocirca ſcriptura ſæpenumero prædicta nomina illis reſpectiue attribuit. vel aliter: dic ꝙ opera Chriſti vera ſunt,& nõ imaginaria,& ſimili modo,ꝙ iuſta ſunt:vel quòd recto iudicio,& congrua adminiſtrandi norma,

norma,à deo omnia dispensantur. Chrysostomus vero versiculum hunc exponens dicit,quòd apud scripturam sæpenumero veritatis nomen reperitur pro misericordia, iuxta quã significationem dicit,quòd dei opera, misericordia ac iustitia plena sunt, cum vtranque semper vnà deus commisceat. Nam si misericordia perpetuo vteretur,negligentes omnino redderemur, rursus si sola iustitia, iam diu olim omnes perissent.

Fidelia omnia mandata eius. Fidelia, hoc est, fidedigna. & quia omnia dixit mandata,primo ea intellige, quæ ad creationem spectant,quæque natura duce, omnia obseruant elementa,cœlum nimirum,sol,luna,sydera,dies,nox,horæ,terra,flumina,stagna,fontes,plantæ, herbæ, & omnia denique, quæ tam ad naturam animæ prorsus expertem quàm ad animatam sed ratione carentem pertinent. Deinde omnia etiam mandata,quæ ab initio humano generi data sunt, quæq; ab iis obseruabantur,qui legem scriptam non habuerant: tertio loco ea etiam,quæ per legem Moysi scriptis tradita sunt,postremo vero ipsa præcepta euangelica,quæ mandata omnia, fidelia sunt,hoc est firma,atque inconcussa. Nam & si quædam Mosaicæ legis mandata soluta sint, verum non tam soluta,quàm in melius disposita, atque intellecta dici possunt. nemo igitur ea poterit delere. Cœlum enim,inquit, & terra transibit,verba autem mea non transibunt.

Confirmata in seculum seculi. Stabilia,inquam, & perpetuo mansura.

Facta in ueritate, & rectitudine. Nihil enim,inquit, in eis falsum est,nihil obliquum. vel aliter: per veritatem, claritatẽ intellige,per rectitudinem vero,rectũ iudicium. omnia enim eius mãdata vera sunt,& clara,ac recte incedere nos docẽt.

Redemptionem misit populo suo. pater misit filium suũ,misit enim me,inquit,prædicare captiuis remissionem. & rursus de eo scriptum est: ipse saluum faciet populum suum. Itẽ Apostolus,qui datus est nobis à deo redemptio.

Mandauit in seculum testamentum suum. In seculum,inquã, conueniens, ac si diceret testamentum suum deus in apto & cõuenienti tempore hominibus tradidit. vel in seculum, pro in æternum,ipsum euangelium,æternum appellans testamẽtum,de quo alibi scriptum legimus: dabo vobis testamentũ æternũ.

æternum. Testamentum enim Mosaicum temporarium fuit, si exteriorem eius sensum,si figuras,& vmbras in eo contentas aspiciemus & occidentem literam, secus vero si interiorem spectemus sensum ac res sub huiusmodi vmbris,ac figuris designatas.

Sanctum,& terribile nomen eius. Christi nomen, sanctum quidem est, veluti quo innumerabilia effecta sunt miracula, terribile vero seu, vt propius signat Græca dictio, φοβερὸν, timendum,quia dæmones expellit, & ægritudines. Quod si Christi nomen sanctum est, oportet ipsa etiam ora, ac linguas,quæ illud laudatura sunt,sancta esse.

Initium sapientiæ timor domini. Est enim huiusmodi timor fons,ac radix sapientię. vbi enim est timor,illic & mandatorum obseruatio: vbi autem obseruatio mandatorum, illic & munditia: vbi vero munditia,ibi etiam & splendor.

Prudentia autem bona omnibus facientibus eam. Hoc est, operantibus secundum prudentiam, bona adcrescit prudẽtia. est enim quædam prudentia mala,de qua scriptum est: prudentes vt malefaciant. vel aliter: prudentia bona est,& vtilis non iis simpliciter,qui eam habent, sed iis qui ea vtuntur in sermone,atque in operibus. σωκοις

Laudatio eius manet in seculum seculi. Christi laus sine fine apud angelos manet,& apud homines. decet igitur vt nos illum semper laudem⁹,& summas illi semper gratias agamus.

Alleluia.

Principium huius psalmi maximam mihi uidetur consequentiã habere ad finem superioris, qua ratione eandem cum illo inscriptionẽ sortitum puto. est etenim ueluti quædam illius pars. Ibi enim legimus: initium sapientiæ est timor domini, hic autem: beatus uir, qui timet dominum. ferunt autem hunc psalmum constare ex duobus & uiginti uersiculis, iuxta Hebraicarum literarum numerum. ipsaq; uersiculorum principia, apud Hebræos omnia huiusmodi literarum signare elementa.

PSALMVS. CXI.

Beatus uir qui timet dominum. In præcedenti psalmo dictum est quod timor domini sapientẽ hominem reddit, in hoc vero quòd etiam beatum:

Beatus

Beatus vir, inquit, qui timet dominum, non tamen qui simpliciter timet, (nam & dæmones etiam deum timent) sed qui timet, vt seruet mandata. ille enim timor leuis atque inanis est, iste autem efficax & potens.

In mandatis eius uolet ualde. Huiusmodi vir, in mandatis domini sui gaudebit & lætabitur. Ita enim significant illa verba, volet valde. hanc autem delectationem, quam ex diuinis mandatis propheta consequebatur, alibi etiam manifestius exprimens ait: quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.

Potens in terra erit semen eius. Reddetur enim potens ac validum, aduersus omnes, qui lædere eos voluerint. semẽ vero domini discipuli sunt, & imitatores Christi. qui similitudinem ac germanitatem vitæ ac conuersationis Christi seruantes, eamque veluti paternam quandam hæreditatem suscipientes, robore, ac viribus semper augentur.

Generatio rectorum benedicetur. A generatiõe scilicet, cõsimilium hominum, qui nõ peruersa sentiunt, sed recta.

Gloria & diuitiæ in domo eius. Gloria, inquit, à deo erit viro timenti eum, & cum gloria etiam diuitiæ: diuitiæ inquã, bonorum operũ. vel gloria ei erit ab hominibus, quia ob huiusmodi virtutem eum honorabunt. simili modo etiam ei aderunt diuitiæ, quia rebus omnibus affluet, quas optabit, iuxta quem sensum intellige, quòd volet valde in mandatis dei, ob suam videlicet summam in deum fiduciam, ac fidem.

Et iustitia eius manet in seculum seculi. Virtus, quæ eum iustificauit incorrupta permanebit in futurum seculum. quippe quæ post hanc vitam, illum semper comitabitur.

Exortum est in tenebris lumen rectis. Exortus est, inquit, deus hominibus, qui in tentationum, atque afflictionum tenebris iacebant. ille, inquam deus, qui lumen, seu lux est veræ liberationis, ac veri refrigerij. vel lumen veritatis, quod apparuit in Christo, exortũ est è terra in tenebris erroris. Ego enim, inquit, sum lux mundi. rectis autem exortam esse diem hanc lucem, id est iis, qui recta sentire possunt, lumenque illud oculis intueri. Nam peruersi omnes ad huiusmodi lucẽ oculos occluduñt.

Misericors miserator & iustus. Hoc de deo etiam dictũ est, qui misericors & miserator est, tanquã qui bonus est, & iustus, tanquam

iustus, tanquam omnium iudex. vide in psalmo. c. ibi: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi domine.

Benignus homo qui miseretur & cõmodat. Miseretur quidẽ eorum, qui in angustiis sunt, cõmodat autem iis qui mutuo indigent. scriptum est enim alibi in psalmo quadragesimo sexto, tota die miseretur, & commodat iustus. χρήσος

Disponet sermones suos in iudicio. Huiusmodi vir timẽs dominum, bene etiã vtetur sermonibus tuis, nec fortuito, aut inconsiderate loquetur, sed cum iudicio, & discretione verba sua dispensabit, vbi opus fuerit. vel quia Græca dictio λόγος non tantum verba, & sermones, sed rationes etiam significat. Dic quòd vir iste, qui timet dominum, recto ac sano iudicio, rationes & negocia sua omnia semper disponet, quemadmodum etiam Symmachus reddidit. Vel quòd bene disponet defensiones suas in futuro iudicio, easque antea summo cum examine ac studio præparabit non secus, ac facere consueuit fidelis quis ac sapiens administrator.

Quia in seculum non commouebitur. In hoc seculo tẽtationes aliquę eum non cõmouebunt, veluti eũ, qui ædificatus est supra solidã fidei, dilectionis, & spei petrã: quiq; propriã conscientiam tutissimã anchoram habet. Nec dicit Propheta ϕ huiusmodi homo nullas passur⁹ sit insidias, (Multę enim trã bulationes iustorũ) sed quòd ab eis nõ cõmouebitur. hoc etenim valde admirandum est, quòd sancti qui innumerabilia passi sunt pericula, adeo cõstantes, atq; immobiles aduersus ea permanserint, & sententiã vsq; ad extremũ finem firmam ac stabilem semper seruauerint. Hæc celeberrima est eorum victoria, hoc dignissimũ prestantium huiusmodi virorũ preconium. vel in futurum seculum non cõmouebitur: iuxta id quod alibi legimus: paratus sum & non sum turbatus: quia scilicet nullius mihi sceleris conscius sum.

In memoria æterna erit iustus. Ob proprias scilicet virtutes, nec tantum viuens erit in memoria, sed post mortem.

Ab auditione mala non timebit. Non formidabit, inquit, licet terribile, atque horrendum aliquid ei fuerit adnunciatum. Nec dixit quòd non audiet, sed quòd non timebit. deposuit enim antea diuitias suas tuto in loco: atque ideo eis semper magis propior fieri festinat. vbi enim, inquit, est thesaurus tuus, illic & cor tuum erit. eadem enim ratione

eos non

eos non timet, qui corpus occidunt, & animam occidere non possunt.

Paratum cor eius sperare in domino. Hoc est stabile, atque inconcussum permanet cor eius in illa spe, quam habet in domino confidens, quod ope illius salutem ac victoriam cõsecuturus sit.

οὐ μὴ φοβηθῇ

Confirmatum est cor eius, non timebit. Vt superius declaratum est.

Donec aspiciat super inimicos suos. Per inimicos, dæmones proprie intellige: donec, inquit, aspiciat super illos ea, quæ vult, aut quæ illi patientur: Quod si formidaturus non est, quousque ruant inimici, multo minus postea ei timendum erit. Asserens quippe id quod ambiguũ magis videri poterat, tacuit quod sequitur tanquam minus ambiguum, minusque incertum. atque hoc pacto dictio, donec, sæpe sumitur apud Hebræos.

Dispersit, dedit pauperibus. Dispersit, scilicet bona sua. dispersionis autem vocabulo liberalitatem donantis expressit. quam etiam veluti semen, aut sationem quandam esse significauit. spargere enim solẽt, qui seminant.

Iustitia eius manet in seculum seculi. Repetit verba iam superius dicta, ad maiorem sententiæ suæ confirmationem. vel per iustitiam hoc in loco eam intelligit, quæ à misericordia proficiscitur, hoc est, ab eleemosyna, & de qua scriptum est: Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.

Cornu eius exaltabitur in gloria. Per cornu, honorem intelligit. est enim sermo metaphoricus. honor ac gloria eius, inquit, magnificabitur. de hoc autem cornu, dictum est in psalmo octuagesimo octauo, Ibi: & in nomine tuo exaltabitur cornu nostrum.

Peccator uidebit & irascetur. Irascetur peccator existimãs, quòd iusti huius viri misericordia suam conuincat ac carpat sæuitiam. talis enim est virtus, molesta nimirum semper, & grauis prauis omnibus.

Dentibus suis frendet, & tabescet. Stridebit quidem atque interiorem mœrorem dentibus suis demonstrabit: attamen loqui non audebit: quia iusti huius viri virtus, os ei obstruet: quinimmo ob summam eius virtutem, & ob præclara eius gesta, inuidia ac liuore tabescet, ipse nimirum sui sæuissimus effectus

effectus carnifex.

Desyderium peccatoris peribit. Peccatoris dico amantis ac cõcupiscentis pereũtes, atq; corruptibiles res: quibus deperditis desyderiũ vnà cum illis perditur. Verũ verba illa: Exortum est in tenebris lumen rectis: quidam applicant illi viro, quem propheta in præcedentibus beatum dixit: & sensum esse dicunt, quod huiusmodi vir timens dominum, illuminabit infidelium animas antea errore obtenebratas: & simili modo ei applicant proxime subsequentem versiculum, dicẽtes: quòd huiusmodi vir misericors est, & miseretur, & quòd iusta iudicat. superius vero nos vtrunque versiculum deo accommodauimus.

Alleluia.

Hic psalmus in gratiarum etiam actiones conscriptus est, unde similem cum præcedentibus inscriptionem retulit.

PSALMVS. CXII.



Laudate pueri dominum, laudate nomen domini. Per pueros hoc in loco seruos significat, nam & in psalmo centesimo trigesimoquarto ait: laudate nomen domini, laudate serui dominum: eandẽ sententiam exprimens, præposteto versiculorũ ordine. Aliqui vero per pueros, intellexerunt puros, ac simplices homines: vel Christi, aut Apostolorũ discipulos. Laudate autem eum, non sermonibus tantũ, sed etiam operibus, iuxta illud: vt videant bona vestra opera, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.

Sit nomen domini benedictum, ex nunc & usque in seculũ. Benedicatur, inquit, & non blasphemetur nomen domini, vobis illud assidue benedicentibus, ac perpetuo laudantibus, opere ac verbis, vt superius diximus. Nam & si nomen domini per se ipsum satis semper benedictum sit, fit tamen in nobis etiam benedictum, quando non solis verbis, sed operibus etiam benedicimus. Deum quippe omnes glorificant, quando virtutum opera ab aliquibus fieri vident.

A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomẽ domini. Non in Palæstina tantum sed vbiq; terrarũ laudandum est nomẽ domini. prędicit autẽ his verbis propheta euangelicæ prædica-

 tionis vo-

tionis vocem, quæ in vniuersum orbem erat peruentura.

Excelsus super omnes gentes dominus. Excelsus erit in gentibus, non quòd tunc efficiendus sit excelsus, sed quia tunc demum excelsus apparebit, quando erunt, qui alta ac sublimia de deo tradent dogmata, quique contemplationibus, & studiis suis, quantum poterunt, ea extollent.

Super cœlos gloria eius. Quia in cœlis ab angelis glorificatur. possunt etiam hæc de Christo intelligi, & de angelis, qui nato Christo cecinerunt: Gloria in excelsis deo.

Quis sicut dominus deus noster? Hæc à propheta dicta sunt, vt falsos illos deos carperet, qui à gentibus colebantur.

Qui in altis habitat, & humilia respicit. Atqui si commensurauit deus cœlum palmo, & terram pugno, vt alibi legimus, item si cœlum, & terram implet, & vbique adest, si incomprehensibilis est, & incircunscriptus, quomodo in cœlo habitat & terram aspicit? Patet igitur ita loqui prophetam, vt Iudæorum, aut aliorum hebetudini consentiret, tametsi illorum mentem paulatim eleuans addidit, dicens.

In cœlo, & in terra. Et superius, inquit, & inferius habitat, hoc est, vbique locorum. vide, quæ diximus, in secundo psalmo, ibi: Qui habitat in cœlis irridebit eos. Alij vero aliter construunt, dicentes: Quis sicut deus noster in cœlo & in terra?

ὁ ἐγείρων ἀνυψῶν

Erigens à terra inopem, & de stercore eleuãs pauperem. Per terram & stercus, tenuitatem ac paupertatem intelligit. laudat autem, atque admiratur propheta dei potentiam, qui de facili immutat quæcunque vult.

Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Non solũ diuitẽ & glorioſum facit, sed cum populi sui principibus eum etiam collocat, hoc est, ad principatũ atque ad imperium eum etiã prouehit per inopẽ vero & pauperem, fidelem populũ ex gentibus congregatũ intellige, quem à turpibus, atq; ab inhonestis affectibus erigens Christus per euãgelium in altum euexit, eundem ei quem populis honorem impertitus: Apostolis, inquam, quos principes super omnem terrã constituerat, vt vidimus in psalmo quadragesimoquarto, postremo maiorem quanda, ac potiorem potentiam dei admiratur qui non ipsas tantũ res immutare possit, sed ipsam etiam rerum naturam. vnde ait.

Qui habitare

Qui habitare facit sterilem in domo matrem de filiis lætantem. Quemadmodum sæpenumero effecit. Quidam domum hic pro puerorum familia intellexerunt. ὡσὶ τέκνοις

Alleluia.

Et hic psalmus in gratiarum actionem conscriptus est, & beneficia à deo Iudæis olim collata connumerat, diuinamq; pariter potẽtiam laudat, & infirmitatem Idolorum carpit.

PSALMVS CXIII.



In exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro, facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius. Per Israelem, & per domum Iacob, Israelitarũ genus significat: per Aegyptũ autem & populum barbarũ, ipsos Aegyptios. In exitu, inquit, populi Israelitici, atq; in recessu domus, seu familiæ Iacob ab Aegyptiorum gentibus. hoc est, vbi discesserũt Hebræi ex Aegypto, tunc regio illa, quam modo Iudæam appellamus, facta est sanctificatio dei: eo quòd veluti res quędam deo oblata, ac dicata sanctior quodammodo effecta est. tunc etiam Israelitarum populus effectus est hæreditas dei, & sub eius potestate manifestius cœpit cõstitui, atque ab eo dirigi. Nam etsi omnes alij populi natura ipsa, & creatiõis iure sub diuina semper fuerint potestate, nullus tamen tantam necessitudinem, aut familiaritatem habuisse videtur, quãtam Israeliticus populus: qui propterea peculiaris dei populus appellatus est. Ex iis autem, quæ diximus, patet dictionem eius, vtrobique ad deum esse referendam.

Mare uidit & fugit. Ipsum etiam mare diuinam nouit potentiam, & ineffabili quodam modo diuinam etiam agnouit voluntatem, non secus ac si rationalis fuisset creatura: vnde diuisum à medio refugit alueo, liberumque ac tutum transeunti populo iter prębuit. fugisse vero dicit ipsum mare, vt non tantum formidasse illud à conspectu dei ostenderet, sed vt celeritatem etiam illius diuisionis demonstraret.

Iordanis conuersus est retrorsum. Hoc accidit tempore Iesu Naue, quãdo Iordanis fluuius cursum suum detinuit, prębens & ipse siccum transitum Arcæ dei. hæc duo miracula vna etiam recensentur per prophetam in psalmo sexagesimoquinto,

moquinto, ibi: Qui conuertit mare in aridam, & in flumine pertranſibunt pede.

Montes exultauerunt quaſi arietes, & colles quaſi agni ouium. Summum atque ineffabile quoddam populi gaudium, quod illis fuit temporibus, deſcribere nobis volens propheta, ipſa etiam inanimata elementa, montes nimirum & colles ludęæ fingit gaudio exultaſſe, ac lætatos fuiſſe, nō ſecus atque arietes & agni faciunt: qui quādo læti ſunt, ſaltibus atq; exultationibus lætitiam ſuam demonſtrant. ſolent enim prophetæ aliquando inanimatis rebus humanos affectus adſcribere, vt diximus in pſalmo nonageſimoquinto, ibi: Lætentur cœli, & exultet terra, commoueatur mare, &c. gaudebunt campi, &c. Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum, à facie domini quando venit, vbi vide.

Quid eſt tibi mare, quòd fugiſti? & tu Iordanis, quòd conuerſus es retrorſum? montes quòd exultaſtis, quaſi arietes? & colles, quaſi agni ouium? Ex quadam proſopopœia propheta nunc ipſa alloquitur elementa, rationem expoſtulans, cur ſic fecerint, tanquam admirandum aliquid id fuerit, & ſupra naturam: & deinde ipſe pro eis reſpondet, ſeu interrogationi ſuę illos reſpondere introducit & dicere.

A facie domini mota eſt terra. A præſentia, inquit, & conſpectu domini exultauit terra, ipſi montes nimirum & colles. prędentiam autē domini intellige aduentū domini in Iudæā. Alio modo etiā expone iuxta ea quæ dicta ſunt in pſalmo xcv. ibi: Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum. & de mari quidem ac de Iordane nihil amplius dixit, tanquā cauſa fugæ, aut detentionis in vtroque ſatis iam nota ſit.

A facie dei Iacob. Scriptum eſt enim alibi, Ego ſum deus Habraam, deus Iſaac, deus Iacob.

Qui conuertit petram in ſtagna aquarum. A facie illius dei, inquam, qui à naturali duritie petram commutat, adeo vt ex ea deinceps aquæ ſcaturiant: de quo diximus in pſalmo ſeptuageſimoſeptimo.

Et rupem in fontes aquarum. In Græco hic, non rupem legimus ſed ἀκρότομον, quę dictio tāetſi pro rupe accipiatur, proprie tamen de re aliqua dici poteſt, quę extrema ac ſumma in parte truncata ſit, aut inciſa. ita igitur hanc petrā propheta appellauit, veluti quæ ob ſummā eius duritiem, etiā in ſumma

ſumma atque in extrema ſui parte vix ferro ſecari poſſet, huiuſmodi loquendi modo vſus, vt miraculum magis augeret. enarratis autem antiquis beneficiis pro præſentibus rebus ſupplicat.

Non nobis domine, non nobis. Non propter nos miſericordiam te facturum confidimus. ſumus quippe ea indigni, quemadmodum & maiores noſtri, qui ſuperius commemorata receperunt à te beneficia.

Sed nomini tuo da gloriam. Tu tamen, inquit, nomen tuum glorifica.

In miſericordia tua & ueritate tua. Glorifica illud, inquit, in miſericordia tua & veritate tua, hoc eſt, miſertus noſtri, & vere miſertus. Miſericordiam enim & veritatem ſæpenumero propheta coniunctim ponit, pro vera miſericordia. Nam diuina miſericordia proprie ac vere & eſt, & dicitur miſericordia: humana autem diuinæ comparata, non vera eſt, ſed vmbra quædam miſericordiæ. Ἐπὶ τῷ ἐλέει

Ne quando dicant gentes, ubi eſt deus eorum? Ne quādo, inquit, gētes noſtri dominētur, & tuam nobis poſtmodum exprobrent infirmitatem.

Deus autem noſter in cœlo, & in terra, omnia quæcunque voluit fecit. Gentes quidem huiuſmodi fortaſſis verba blaterabunt: at nos contrà clamabimus quòd in cœlo atque in terra deus noſter omnia poteſt, tantum velit: quanquam certis, atque ei ſoli cognitis quibuſdam rationibus, ex diſpenſatione ſæpenumero longanimis ſit, & patiens. ὁ δὲ θεὸς ἡμῶν ἐν τῷ οὐρανῷ

Idola gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum: os habent, & non loquentur: oculos habent, & non uidebunt: aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt, non loquentur in gutture ſuo. Omnia idolorum membra, atque omnes eorum partes percurrit, aliquid ſemper amplius in eis carpens: & primo quidem ſenſuum organa, deinde etiam manus, & pedes inſenſibilitatis accuſat, oſtendens nihil aliud eſſe ea ſimulachra, quàm materiam quandam, anima prorſus atq; ſpiritu carentē. Quæret aliquis fortaſſe, cur propheta cæteros ſenſus corporis ordine percenſendo, de ſenſu oris nō dixit, quòd ore ſuo nō guſtabunt, ſed dixit, quòd ore ſuo nō loquentur. & videtur mihi ea ratione εἴδωλα φωνήσουσι

id dictū non fuiſſe,quia audire quidē,videre,odorare, & reliqua,dici videmus ſæpenumero de deo:ſed q̄ deꝰ comedat, nuſquā legimus.vnde loco guſtus,ipſum ſermonē ſemel atq; iterum ori attribuit,quo quis viuere potiſſimum probatur.

Similes fiant eis,qui faciunt ea,& omnes, qui confidunt in eis. Similes eis fiant, ſurdi ſcilicet ac ſine efficacia. verum Idola quidem gentium huiuſmodi ſunt, & qui ea colunt, hoc pacto, vt diximus, ſunt fatui: vt ea venerentur, à quibus nihil opis capiunt: nos vero non ſic.

Domus Iſrael ſperauit in domino, adiutor & protector eorū eſt: domus Aaron ſperauit in domino, adiutor & protector eorum eſt: qui timēt dominum ſperauerunt in domino,adiutor & protector eorum eſt. Nō fruſtra,inquit,ſperauimus in domino, qui opē aſſidue nobis ſuam præſtat,qui fouet nos.in triplicem autem ordinem vniuerſum dei populum diſtinxit, in ipſum ſcilicet Iſrael,in ſacerdotale genus,atque in proſelytos. per domum quidem Iſrael in vniuerſum, Iudæorum populū ſignificans: & leuitas,per domum Aaron, qui primus omnium ſacerdotium adminiſtrauit,& cæterorum poſt ſe ſacerdotum, prima fuit radix: per timentes autem dominum,proſelytos expreſſit vndecunque venientes ex gētibus,& colentes dominum.

Dominus memor noſtri benedixit nobis. Hoc eſt à primis progenitoribus ad hæc vſque tempora gentem noſtrā ſummis ſemper deus affecit beneficiis.

Benedixit domui Iſrael,benedixit domui Aaron, benedixit iis qui timent dominum. Eadem,qua paulo ante,vtitur diuiſione.

Puſillis cum maioribus. Hęc in vniuerſum de omnibus paruis & magnis, non ætate ſolum aut ſtatura intelligenda ſunt, ſed etiam de paruis & magnis, imbecillitate & viribus, paupertate & diuitiis, ignominia & gloria, ſeruitute & libertate.

Adiiciat dominus ſuper nos,ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Augeat,inquit,nos dominus,& filios noſtros.vel adiiciat ſuper nos,bona ſcilicet.quædam exemplaria habent,ſuper vos & ſuper filios veſtros:ita vt prophetam dicamus preces fundere pro Chriſtianis,qui poſtea magis aucti ſunt: & quibus ea adiecta ſunt bona,cœleſtia nimirum, quæ vera ac proprie bona dici poſſunt.

Benedicti uos à domino,qui fecit cœlum & terram. Hæc verba etiam

ba etiam de iis intelligenda ſunt, quibus Chriſtus in cœlum aſcenſurus benedixit:vt Lucas tradit. Benedicens enim Apoſtolis,per eos cæteris fidelibus benedixit.

Cœlum cœli domino. Primum cœlum ſcilicet vbi habitare dicitur deus. Vide in ſuperiori pſalmo,quæ diximus in verſiculo:qui in altis habitat.

Terram autem dedit filiis hominum. Vt ea fruerentur,vt illic habitarent. Propter homines enim eam creauerat.

Non mortui laudabunt te domine,neque omnes qui deſcendunt in infernum,ſed nos,qui uiuimus. benedicimus domino ex nunc, & uſq; in ſeculum. Huic dicto ſimile illud videtur: nunquid confitebitur tibi puluis,aut annunciabit veritatem tuam?item:nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam? mortuos autem ſi paulo altius conſideres, intelligas eos eſſe, qui ante naturalem corporis mortem, virtutum operationibus mortui ſunt:occiſi ſcilicet à peccatis: viuentes vero eos, qui comite viuunt virtute,& ab hac vita ad altiorem etiam,atque ad diuiniorem tranſcendunt. Neque enim peccatores in preſenti vita deum laudant,cum ſcriptum ſit,non eſſe pulchram laudem dei in ore peccatoris:neque etiam in futura, vbi perpetuis affligendi ſunt cruciatibus. At iuſtos contrà,decet, vt in vtraque vita diuinas canant laudes: & ideo dicit, ex nunc & vſque in ſeculum. Et illi quidem deſcendere dicuntur in infernum,hi vero aſcendere in cœlum. Illud etiam animaduerte quòd dum Propheta,in prima perſona dixit: nos qui viuimus,illos ſignificare voluit,qui ſui inſtar claris eſſent præditi virtutibus.

Alleluia.

Hic pſalmus ſimili modo in gratiarum actionem fuit compoſitus.

PSALMVS CXIIII.



Dilexi, quoniā exaudiet dominus uocem orationis meæ. Hac de cauſa, inquit, lætatus ſum, quia exaudiet &c.

Quia inclinauit aurem ſuam mihi. De inclinatione auris dei, diximus in pſalmo XVI. ibi: inclina aurem tuam mihi.

Et in diebus meis inuocabo. Cūctis ſcilicet diebus vitæ meę.

Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me, Tribulationem & dolorem inueni, & nomen domini inuocaui. Videntur hæc consentanea esse iis quæ habentur in psalmo decimoseptimo: vbi ait Propheta, diligam te domine, & deinde addit causam, cur dilecturus sit, dicens: quoniam tu fortificas & confirmas me. Tu enim, inquit, fortitudo mea, & firmamentum meum, & refugium meum, & alia huiusmodi. Et paulopost: laudans inuocabo dominum. Et narrat calamitates, in quas olim inciderat, & quarum mole afflictus, inuocasse se dominum dicit, & exauditum esse. In præsenti igitur psalmo Propheta consimili vtitur loquendi modo, dicens: dilexi quoniam me orantem dominus exaudiet: pro exaudiuit: vel quia imposterum exaudiet. Nam & nunc etiam exaudiuit. Hãc enim dilectionis suæ causam reddit. Deinde post verba illa: & in diebus meis inuocabo: quemadmodum in prædicto psalmo, narrat calamitates, ob quas dicit se inuocasse dominum, & liberatum fuisse, & cuius liberationis gratia dixit: dilexi &c. & quia doloribus mortis, & inferni periculis, dixit se fuisse circundatum, ad huiusmodi verborum declarationem addidit, dicens: tribulationem, & dolorem inueni: sed de his plenius in sæpe dicto psalmo dictum est.

O domine libera animam meam. Amplius atque amplius à futuris malis eam libera.

Misericors dominus & iustus, & deus noster miseretur. Vide quomodo auditorem iustruit: misericors, inquit, est dominus: si peccasti non idcirco desperes: verum quia etiam iustus est, caue, ne summa illius fretus misericordia, iterum cadas: ostendens tamen ad misericordiam illum semper magis inclinare, quàm ad iustitiam, addidit: & deus noster miseretur. quod vero ait: deus noster, ad deorum distinctionem dictum est, quos gentes falso colunt.

Custodiens paruulos dominus. Subintellige verbum, est. Laudat enim Propheta summam domini prouidentiam, qua nisi vniuersos ac singulos custodiret, de facili, aut scorpio interemisset, aut aliud venenosum animal: aut alio pacto celeriter omnes perissent, in foueam aut in præceps aliquod, aut in aliud quodpiam periculum delapsi. Quidam vero intelligunt loqui prophetam de infantibus, adhuc in vtero existentibus:

tibus: qui in obscuris illis, atque humidis locis, instar piscium feruntur, nec cæterorum hominum more, respirare queunt, quique ab illo demum matricis calore, ad frigidum hunc atq; eis insuetum aerem prouenientes, nec modico quidem tempore in hac vita superesse possent, nisi à diuina seruarentur prouidentia. Vel aliter: paruulos eos intellige, qui nuper in virtute stabiliti sunt, quos dominus inexperientia adhuc circundatos conseruat, donec aduersus inimicos magis idonei ad pugnam efficiantur.

Humiliatus sum, & saluauit me. Afflictum me variis calamitatibus liberauit. Permisit quidem prius affligi, vt prudentior fierem, sed huiusmodi postea afflictiones dissoluit: vt eius gratiam & donum agnoscerem, & vtrinque in me beneficus fuit. Et aliter: Deus saluare eos solet, qui humilitatis nouerint amplecti virtutem, & per illam semper magis proficere. ἔσωσε

Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi. quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, & pedes meos à lapsu. Quidam Prophetam putant his verbis ad quietem seipsum exhortari, tanquam qui diuinum auxilium iam sit consecutus, atque ereptus ab afflictionibus, & ab expectata morte, hoc est, à disiunctione animæ & corporis liberatus, & simili modo liberatus à lachrymis, quas antea effundebat, ob insidias nimirum & laqueos, quos inimici aduersus eum struxerant, & in quos sæpenumero lapsus inciderat. Iuxta anagogen vero, per requiem, animæ discessum intellige à præsenti vita: animæ, inquam, iusti alicuius viri: cuius anima ab omni molestia liberatur. Talis enim discessus, beneficio dei adscribi debet. Liberantur enim huiusmodi iusti viri, tam ab huius corporis onere, quàm etiam ab omnibus eius malis: quia, vt ait Paulus, nos, qui sumus in hoc tabernaculo, gemimus grauati: vnde alibi idem Apostolus cupere se dissolui dixit & esse cum Christo. Sed multo etiã magis præsentis psalmi verba congruere videtur probis ac religiosis viris oibus, qui ex hoc corpore iam egressi sunt. Et cum dixisset Propheta: benefecit tibi, addidit etiam: quia eripuit animam meam à peccato. Peccatum quippe mors merito dici potest: quia omnes animæ ad virtutem operationes mortificat. Item, quia eripuit oculos meos à lachrymis.

mis. Nam ereptus ab huiusmodi ærumnis lachrymas amplius non effundam. Item, quia eripuit pedes meos, non à visibilium tantummodo, sed ab inuisibilium etiam inimicorum insidiis, qui gressus meos supplantare conabantur.

εὐαρεστήσω

Delectabor coram domino in regione uiuentium. Regio viuentium, cœlum est, vel futurus mundus, vbi nullus est, qui moriatur. Præsens enim mundus, non viuentium, sed morientium regio dicenda est, vbi nullus est, qui non moriatur. Delectabor, inquit, in illa regione, versans simul cum Angelis, & deum colens absque vllo prorsus impedimento, nullo hoste illic mihi amplius tendente insidias. Vel iuxta aliam literam: placebo domino, hoc est, eiusmodi esse censebor qui deo placere possim. Græca enim dictio, εὐαρεστήσω exponi potest, pro, delectabor, & pro, placebo. simile dictum exposuimus in psalmo quinquagesimoquinto: iuxta alium tamen sensum.

Alleluia.

Præsens etiam psalmus gratiarum actiones continet.

PSALMVS CXV.

Credidi propterea locutus sum. Ait magnus Basilius, quòd cum Propheta in superiori psalmo dixerit: placebo seu delectabor coram domino in regione viuentiũ, modo in huius psalmi principio ait credidisse se: ea scilicet, quæ ibi prædixit, & placebit seu delectabitur in regione viuẽtium: & propterea, inquit, ita locutus sum. Nam & alibi in psalmo XXVI dixit: credo videre bona domini in terra viuentium: tametsi aliam ibi tradiderimus expositionem.

Ego autem humiliatus sum ualde. Cum tanta mihi prouidere datum sit, humiliatus tamen sum valde, & indignum me putaui, ne dono elatus, huiusmodi gratiam amitterem.

ἔκστασει

Ego autem dixi in extasi mea, omnis homo fallax. Per Extasim, stuporem quendam intelligere debemus. Stupefactus enim, inquit, ob admirationem illius regionis viuentium, cuius, per sancti spiritus gratiam, visionem habui, dixi palam ac manifeste, quòd omnis homo in hac vita fallax est, iuxta humanam hanc beatitudinem, quam magnus Gregorius falsi nominis

sed somnij instar cito auolauerit. veluti non permanentem, nitas vanitatum sunt. mutantur enim & corrumpuntur humana, vaquæ in illa sunt viuentium regione, non fallacia, sed vera sunt omnia. Veluti perpetua, immutabilia, atque incorruptibilia.

Quid retribuam domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Nam cum innumeris me affecerit beneficiis, prædictam etiam gratiam ad cumulum addidit. Retribuit autem, hoc in loco, expone, pro, tribuit, quemadmodum etiam diximus in psalmo VII. ibi: si reddidi retribuentibus mihi mala. Cum autem nihil inuenisset condignum quod deo redderet, ait.

Calicem salutaris accipiam. Per calicem salutaris, mortem ac martyrium pro Christo intelligit. Nam & ipse dominus in Euangelio, potestis, inquit, bibere calicem, quem ego bibam? salutis autem ideo dixit, quia saluat, immo eos, qui mortui fuerant, ad meliorem vitam viuificat: pro Christo, inquit, moriar. Sitio enim vt pro eo mortem patiar, qui me tantis cumulauit beneficiis.

Et nomen domini inuocabo. Et ipsum, inquit, dominum inuocabo, vt calicem mihi istum præstet. Proinde si propositũ & mentem animaduertas beati Dauid, manifeste perspicies, illum, quod in se fuit, sæpenumero pro Christo mortuũ esse.

Vota mea domino reddam coram omni populo eius. Reddam, inquit, quicquid deo pollicitus sum, antequam è præsenti vita excedam.

Pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Lætor, inquit, moriens. Honorata enim est apud deum illorum mors, qui ei dicati ac sanctificati fuerint. Nam si illorum vita honorata est, multo etiam magis mors, quæ ad ipsum dominum eos prouehit, sanctorum angelorum comitatu ac societate honoratos.

O domine ego seruus tuus. Dedicatus scilicet atq; oblatus tuo imperio.

Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Repetit nomen serui, gaudens ita appellari. Reiecto enim omni pudore, seruitutẽ hanc libere fatetur, & prædicat. Filium autem ancillæ tuæ, dixit, ostendens se seruum dei, etiam ab ipsis progenitoribus.

Dirupisti

...inquit, peccatorum di-

Dirupisti uincula mea. ...m pœnitentiæ.

Tibi sacrificabo hostiam laudis. Hostiam & sacrificium rationale, quod verum ac proprium est sacrificium, fœtusque ac germen spiritualis ventris mei. Hanc, inquam, hostiã laudis tibi sacrificabo in altari animæ meæ.

Et in nomine domini inuocabo. Et inuocabo nomen domini in subministrationem atque in auxilium huius sacrificij.

Vota mea domino reddam, coram omni populo eius. Repetit verba paulo ante dicta, ad maiorem sermonis sui confirmationem.

In aulis domus domini, in medio tui Hierusalem. Apponit & locum, vbi redditurus est vota. In aulis, inquit, domus domini. Varias enim aulas habuit tabernaculum illud, quod beatus Dauid fabricari iusserat in medio Hierusalem. Et hæc quidem iuxta præcedentis psalmi consequentiam exposuimus, verum Chrysostomi etiam expositionem addamus dicentis, quòd cum præuidisset beatus Dauid quæcunque passuri erant Iudæi in obsidione & captiuitate Babylonica, & mente etiam reuoluisset eos illinc postmodum reuocandos esse, atque in patriã restituendos, prorupit in hæc verba, dicens: Credidi quòd scilicet captiui erunt Iudæi, & quòd in patriam etiam restituentur: credidi vero, ita edoctus à prophetica gratia: & propterea locutus sum de hac re variis scilicet in psalmis. Ego autem humiliatus sum valde, dum affligor scilicet & doleo captiuorũ vicem. Ego autem dixi in extasi mea, omnis homo fallax. Summo ego, inquit, dolore correptus, quo vt adsolet sæpenumero, extra me quodammodo ad tempus effectus sum, & penè redditus sine sensu: eo q̃ maximam humanæ fœlicitatis inconstantiam cernerem, atque in specie mutationem status Iudæorum præuiderẽ, dixi: vere humanum omne bonum fallax est. quia propriæ naturæ ratione permanens non est: verum quia illos rursus in patriam reuocandos perspexi, & non mediocri propterea gaudio affectus sum, dico: Quid retribuam domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? sibi enim propheta atque in rationẽ suam acceptum refert omne beneficium, quod in Iudæos cognatos suos fuerit collatũ. Multa mihi, inquit, beneficia contulit dominus. Quid igitur pro omnibus his illi retribuam?

Animi

Animi valde grati atque hilaris sunt verba. Calicem salutaris accipiam, hoc est, vas libaminum. Libabo, inquit, deo pro salute populi. Erant enim apud Iudæos varij sacrificiorum modi: quorum vnus libamen salutaris dicebatur. Vas autem illud quo libabant, calicis figurã habebat. Et nomen domini inuocabo: ad salutẽ populi. Vota mea domino reddã in cõspectu omnis populi eius, hoc est, promissiones illas persoluam, quas feci pro salute mea cũ essem in periculis. Pretiosa in cõspectu domini mors sanctorum eius. Docemur ex hoc loco mortem seruorum dei angelorum ac cæterorum sanctorum præsentia persæpe honorari. Quorum autem mors honorata est, illorũ vita etiam est honoratior: in qua sectantes virtutum opera, dominum suum colebant. O domine ego seruus tuus, ego autem seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Non communem hanc seruitutem propheta intelligit, iuxta quã omnes sunt serui dei (omnia enim, inquit, seruiunt tibi,) sed aliam seruitutem electione, desiderio, atque amore susceptã: quam cæteris omnibus præponit dignitatibus, exultans & se magis iactans in huiusmodi seruitute, quàm in regia sua corona. Quod vero ait: & filius ancillæ tuæ: cõsimili modo intellige. Dirupisti vincula mea: vincula, inq̃, tristitiæ, quib⁹ ob assiduas calamitates cõstringebar. vel iuxta expositionẽ prædictam: tibi sacrificabo hostiã laudis, pro diruptione scilicet huiusmodi vinculorũ. Dirupisti enim ea gladio misericordiæ. Per sacrificiũ autẽ laudis, hymnos & gratiarũ actiones intelligit. Et in nomine domini inuocabo, pro nomẽ domini inuocabo. Summa enim mihi est fiducia in huius diuini nominis inuocatione, postq̃ illius vires ac potentiã ipse etiam experimẽto cognoui. Quæ sequuntur, intellige, iuxta ea quæ superius declarata sunt. Reddidit etiã vota sua, beatus Dauid coram omni populo, non vt quasi gloriabũdus aliquis se ostentaret, sed vt cæteros ad sui imitationẽ adduceret, & operis sui faceret participes. Ipsa autẽ gratiarũ actio acceptior est omni sacrificio. facillima præterea res est, & qua is etiam qui omnium indigentissimus fuerit, quocunque tempore potest abundare.

Alleluia.

Hic psalmus gratiarum etiam actiones continet. Conuocat enim

uniuersas

uniuersas gentes ad Christi laudes, & ad gratias ei agendas, pro tantis in nos collatis beneficiis.

PSALMVS CXVI.



Laudate dominum omnes gentes. Vniuersas, inquit, gentes appello, quæ ab erroris tenebris ad lucem veritatis adductæ sunt.

Laudate eum omnes populi. Sub aliis verbis eandem repetit sententiam laudationis exhortationem magis intendens. vel per populos, Iudæos illos intellige, qui fideles effecti sunt: vel omnes etiam populos in vniuersum. Oportet enim omnes homines communiter deo gratias agere: quia pro omnium salute misericorditer carnẽ assumpsit, & salutares passiones subiit: Ipsos tamen Iudæos præcipue decet, vt Christum laudẽt. qui dixit: non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.

ἐκραταιώθη

Quoniam roborata est super nos misericordia eius. Valida ac fortis effecta est misericordia dei. Ampla enim ac vehemens in omnes defluxit, tametsi multi à se eam repulerint. Seipsum vero nobis propheta, hoc in loco coniungit: quemadmodum sæpe alibi facere consueuit, vnum se ex iis reputans, qui in Christum credunt.

Et veritas domini manet in æternum. Veritas, inquam, euãgelij, quæ apostolis per Christum data est. Nam quæ in lege scripta sunt, non veritatem, sed vmbram continebant veritatis. Adueniente autem euangelica veritate vmbra illa legis cessauit, non secus atque adumbratio aliqua picturæ extinguitur. Quando veri colores super eam immittuntur. Gratia enim, inquit, & veritas. Per Iesum Christum facta est.

Alleluia.

Et hic psalmus etiam gratiarum actiones continet pro receptis beneficiis.

PSALMVS CXVII.



Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Huiusmodi verba habentur etiam in psalmo CV. vbi ea exposuimus.

δη

Dicat sane domus Israel quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius: Dicat sane domus Aaron, quoniam

quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius: Dicãt sane omnes qui timent dominum, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Omnes enim hi bonitate & misericordia dei, multis modis potiti sunt. In triplicem autem ordinem propheta distinxit populum dei, quemadmodum & alibi fecit in psalmo CIII. ibi: domus Israel sperauit in domino: cumque omnes populi ordines in vnum chorum conuocauerit, iusseritque debitas deo gratias agere, & dicere quòd bonus est, & quòd in seculum misericordia eius, narrat ea postmodum, quæ ad se pertinent. Decebat nanque vniuersum populum condignas deo gratias agere pro rege suo, qui pro eis certauerat, quique in tentationes & calamitates inciderat, & mirabiliter fuerat ab eo liberatus.

De tribulatione inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine. Non simpliciter, inquit, exaudiuit me, sed in latitudine, hoc est, in libertate, ab arcta & angusta in latam atque amplam regionem me deducens. Dictum est etiam in IIII. psalmo, in tribulatione dilatasti me: vbi vide, quæ exponendo dicta sunt.

Dominus mihi adiutor, & non timebo quid faciat mihi homo. Habentur & hæc verba in psalmo XXVI. ibi: dominus illuminatio mea, & salus mea, quẽ timebo? Illud considera, quomodo non hoc dicit, quòd ab homine nihil passurus sit, sed quòd tantum negat se timere, tametsi pati aliquid contigerit: quòd si patiar, inquit, id accidet, non ob imbecillitatem dei, quasi opem ille suam mihi adferre non possit, sed ob illius permissionem, qui hac ratione me erudire constituit, ac dirigere.

Dominus mihi adiutor, & ego respiciam inimicos meos. Ille pugnabit pro me, & ego inimicos meos respiciam, cadentes scilicet: & visibiles quidem corporeis, inuisibiles vero, animi atque intellectus oculis intuebor. Accommodari etiam possunt hæc verba iis omnibus, qui certam ac stabilem in domino spem habuerint.

ἐποπτεύσω με

Bonum est confidere in domino, quàm confidere in homine: bonum est sperare in domino, quàm sperare in principibus. Beatus enim inquit, qui sperat in domino: & alibi etiam maledictus omnis, qui sperat in homine: Item, alius sapiens dicit, respicite in antiquas generationes, & videte, quis nam sperauerit in

domino,

domino, & confusus sit. Quòd si aliquis confusus esse videtur, ille in domino, vt oportebat, non sperauit. Atque ideo Paulus huiusmodi sermonem confirmans, dixit: spes autem non confundit. Illud etiam animaduerte, quòd propheta hic, non dixit, bonum seu melius hoc esse, comparando scilicet illa ad hoc summum bonum, sed auditorum imbecillitati condescendens, humanum in morem sic locutus est.

καὶ τῷ ὀνόματι κυρίου

Omnes gentes circundederunt me, & nomine domini ultus sum eos: circundantes circundederunt me, & nomine domini ultus sum eos. Omnes gentes, quæ in circuitu sunt Palestinæ regionis in vnum congregatæ simul in me irruentes impetum fecerunt, ac veluti in sagena me comprehenderunt. vel varias dæmonum copias fortassis significat, quæ vnà aliquando iustum aliquem adoriuntur, variisque ac multiplicibus modis ei pauorem incutiunt. Repetens autem propheta sæpius, se circundatum fuisse, & sæpius vltum inimicos suos, huiusmodi repetitione, & ineuitabilis periculi magnitudinem ostendit, & admirandam fuisse liberationis rationem constituit. & summam denique diuini nominis fuisse potentiam docet, quo tanta potuit efficere.

ὡσεὶ μέλισσαι κηρίου

Circundederunt me, sicut apes fauum, & exarserunt sicut ignis in spinis, & nomine domini ultus sum eos. Periculorum magnitudinem describit. Et per apum quidem similitudinem, vehementiam & promptitudinẽ inimicorum significat, per ignem vero effrenatam iram. Apes siquidem fauo mellis inuento, summa promptitudine ac vehementia illum circundant, ac mellis succum exugunt: ignis etiam vbi rubum aliquem aut spinetum apprehenderit, retineri non potest.

ἐνετρά πλω

Impulsus, uersus sum, ut caderem, & dominus adiuuit me. Impulsus, inquit, ab hostibus veluti iamiam casurus declinaui, hoc est, parum abfuit, quin caderem, & dominus adiuuit me, vt vires suas, & studium suum in me magis demonstraret.

Fortitudo mea & laus mea dominus, & factus est mihi in salutem. Fortitudo mea, inquit, & laus mea dominus est. In eo etenim vires meas omnes habeo: propter eum etiam ab omnibus laudor, & glorificor, quòd talem adiutorem sortitus sum. vel ipsum deum semper laudo, qui factus est saluator meus.

Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum. Et rursum factus

sum factus est mihi dominus vox exultationis & salutis, hoc est, factus est causa vocis exultationis, & vocis salutis: quæ canitur in tabernaculis iustorum, cum ob admirabiliter mihi præstitam salutẽ impulsus sim vt exultationẽ & salutem illam laudarẽ, quam mihi tribuit. vel impulsus sum ad laudandum eum in exultatione & salute. Per tabernacula autẽ iustorum, puto eum prophetice eremitarum tuguria prædicere, in quibus Dauidici psalmi præcipue decantantur: vel varias, ac particulares, quæ per orbem sunt ecclesias.

Dextera domini fecit uirtutẽ. Dextera domini, id est diuinũ auxiliũ, quod tribuit vobis victoriam, & trophæum erexit.

Dextera domini exaltauit me. Erexit me iam penitus inclinatum. vel glorificauit me, postquam inimicos meos in fugam conuertit.

Dextera domini fecit uirtutem. Eandem rursus sententiam repetit, & præ lætitia in gratiarum actione extenditur. vel ter nominans dei dexteram, triplex trium personarum auxilium in diuinitate denotauit.

Non moriar sed uiuam, & narrabo opera domini. Non moriar deinceps, nec perdar ab iis, qui circundederunt me, quẽadmodũ ipsi sperabãt: cum illi cõtra potius perierint: sed viuam, & laudabo mirabilia dei. vel non moriar animę morte, sed viuam ea vita, quæ est secundum deum. vel non moriar, sed viuam, hoc est, immortalis ero: quia mea cantica canentur perpetuo, & illorum cantus nullo vnquam tempore deficiet. Possumus etiam hunc versiculum intelligere, vt sermo sit de resurrectione, & asserat propheta, se non moriturũ ea conditione, vt nulla ei amplius resurrectionis sit spes: quinimmo si moriar, inquit, perpetua mihi tamen non erit mors: atque ideo non vere moriar, sed vnà cum cæteris hominibus rursum viuam, & propterea narrabo opera domini, qui mihi simul cum aliis bonis resurrectionem hanc largitus est.

Castigãs castigauit me dominus, & morti non tradidit me. Castigauit autem, dum in varias me permisit calamitates incidere, ea nimirum ratione, vt periculorum atque afflictionum timore, de cætero melior ac prudentior fiam. nec tamen permisit me mori, quinimmo eripuit à periculis, ea ratione vt vires suas, & studium suum erga me ostenderet, vt diximus.

Aperite mihi portas iustitiæ. Tabernaculi portas, vbi legaS lis iacebat

lis iacebat iustitia, iustificationes scilicet legis.

Ingressus in eas confitebor domino. Intro ingressus in eas, inquit, agam gratias domino & laudabo eum, sicuti pollicitus sum. Per portas autē iustitiæ, tabernaculi vt diximus portas intelligē, seu ecclesiarum, quæ vbique locorum sunt, in quibus iustitia vnà cum reliquis virtutibus colitur, & intra quas beatus Dauid ingressus, per psalmos suos cōdignas pro tantis beneficiis domino gratias agit.

Hæc porta domini, iusti intrabunt in eam. Videtur mihi propheta, arctam illam atque angustam portam signare, de qua dominus in euangeliis ait: intrate per angustam portā. Hanc etenim propheticis oculis cernens beatus Dauid, clamat dicens: hæc est porta domini: hæc est illa porta, de qua dominus Iesus Christus docebit vos. vel illa porta, quæ ad Christum ducit. Et deinde addidit: quòd iusti tantum intrabunt in eam, hoc est, per eam. Quamobrem ipse etiam Christus dixit, quòd pauci sunt, qui inueniunt eam.

Confitebor, quia exaudisti me, & factus es mihi in salutē. Rursus pollicetur se gratias acturum deo.

Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Hæc est etiam prophetia, quæ ad Christum pertinet. Animaduertendum vero est, prophetas persępe sermonem inceptum intercidere: ea nimirum ratione, vt ipsæ prophetiæ, vmbra quadam ac velamine obtegantur, ne si apertius traderentur, maius sacris libris immineret ab inimicis periculum. Delerent enim eos omnes fortassis. Per ædificantes autem, sacerdotum principes intelligit ac scribas, & doctores Iudæorum, quibus cura commissa fuerat ædificandi & perficiendi populum in fundamento legis. Lapis vero reprobatus, sine dubio Christus est: lapis quidem ob summam soliditatem ac constantiam aduersus omnia vitia. Peccatum enim, inquit, non fecit. Reprobatus vero ab ædificantibus, vt inutilis: quia Iudæi Samaritanum eum dicebant, & negabant eum esse à deo. Quinimmo populi seductorem appellabant: verum lapis iste, qui ab illis reprobatus est, ita postmodum approbatus fuit, vt factus sit in caput anguli, effectus nimirum angularis lapis. Neque enim omnis lapis esse potest angularis lapis, sed ille tātum, qui aliis probabilior est, & ex vtroq; latere potest in vnum angulum duos parietes colligare. Christus vero effectus est lapis angularis: quia in seipso duos populos in vnam fidem coniunxit: fidelem nimirū populū ex circuncisione, & illum qui ex gentibus. quocirca apostolus Paulus de eo dixit: quòd Christus est pax vestra, qui fecit ex vtroq; vnū. Prēterea ipse etiā dominꝰ ad Iudęos dicebat, se alias oues habere quæ non erant ex illo ouili, & quas adduci etiam oportebat, vt fieret vnum ouile atq; vnus pastor. vel per angulum intelligit ecclesiam fidelium: quia quemadmodū angulus facit duos parietes in se coniungi, ita etiam ecclesia duorum populorum, vt diximus, coniunctionem atque vnitatem operatur. Huius autem ecclesiæ, quam lapidi angulari comparari diximus, Christus caput est, tanquam vnius corporis prēcipuum ac principale membrū, nec tantum caput, sed coniunctio & vinculum & fundamētum.

A domino factus est iste, & est mirabilis in oculis nostris. Iste angulus nimirum, hoc est, ista duorum parietum, seu potius duorum populorum coniunctio, à deo ipso, & non à simplici quopiam homine facta est: & est mirabilis in oculis nostris, eo quòd digni effecti sumus, vt coniunctionem hanc oculis nostris videamus. Quomodo igitur opus hoc non est admirabile?

Hæc dies, quam fecit dominus. Per diem, mundi fœlicitatem intelligit. Nam quemadmodum scriptura sæpe diē malum dicit, non vt solarem diei cursum aliquem malum designet, sed mala illa, quæ in eo die sunt, ita etiam per bonum diem, bona illa intelligit: quæ in eo die perfici cōtingit. Prędicare vult igitur Propheta hoc in libro, summa illa bona, quæ in die resurrectionis domini futura erant, & quæ Christus ipse operatus est. Nam & iratum hominibus deum conciliauit, & dæmonis tyrannidem dissoluit, & mortis potentiam exinaniuit. Eos qui vel ipsius terræ habitatione indigni erant, fecit esse dignos cœlo. erroris tenebras dissoluit, fugauit peccata, plantauit virtutes, & innumerabilibus denique bonis mundum repleuit.

Exultemus, & lætemur in ea. Spirituali scilicet gaudio. Exhortatur autem fideles omnes ad hanc lætitiam, tanquā dignos tantis bonis effectos.

O domine salua fane. Populum tuum scilicet. σῶσον δή

O domine bene prosperā. Populū tuum nimirū, aut euan- εὐόδωσον

 gelicæ

gelicæ prædicationis fidem.

Benedictus qui uenit in nomine domini. Hoc etiam ad Christum pertinet, qui venire dicitur in nomine domini, hoc est, à domino patre, atq; ab eius substantia. quo circa ad Iudæos dicebat: ego veni in nomine patris, & non accipitis me. vel in nomine domini, pro in nomine dei: eo quòd Christus dei nomen habet, estque, & appellatur deus.

Benediximus uobis de domo domini. Nos prophetæ, inquit, qui olim tanta præuidemus bona, benediximus vobis hominibus, qui estis ex domo domini, qui estis ecclesiæ grex, & digni effecti estis, quibus benedicamus.

ἐπέφανεν — *Deus dominus, & apparuit nobis.* Christus, qui per incarnationem suam hominibus apparuit, deus ac dominus est. Prophetico autem more futura narrat tanquam præterita.

ἑορτὴν ἕως τῶν κεράτων — *Constituite solennitatem in condensis, usque ad cornua altaris.* Vnus quidem interpretum exposuit: agite celebritatem in operientibus, hoc est, in sacrificiis, per quæ altare operiri ac tegi solet, vsque ad eius cornua, hoc est, vsque ad eius extremitates. Alius vero: festiuitatem, inquit, agite in germinantibus, hoc est, in florentibus coronis, atque in virentibus arborum ramis: Græcam enim dictionem στοιβεῖν, quę hic habetur, alij idem significare intellexerunt, quod operire, alij vero idem, quod germinare. Hoc autem sermone, omnino illud suademur, vt celebrem deo ac splendidam solennitatem agamus: & quæ iuxta Hebræos quidem, eo modo agenda est, vt iam diximus, iuxta fideles vero spiritualibus celebranda est sacrificiis, & virtutum coronis, bonorumq; operum ramis: quorum densitate ac copia inuisibile animæ nostræ obtegatur altare.

Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te. Ea, inquit, ratione, quia deus meus es, à me tibi maximę agendæ sunt gratiæ, tametsi nulla in me hactenus contulisses beneficia. Oportet enim nos deo creatori gratias agere, & illum glorificare, & quia creauit nos, & quia perpetuã nostri prouidentiam habet.

Confitebor tibi quia exaudisti me, & factus es mihi in salutem. Gratias, inquit, semper tibi agam, vt benefactori.

Cõfitemini domino, quoniã bonus, quoniã in seculum misericordia eius. Hic psalmus eodẽ versiculo finẽ faciens, quo initium sumpsit,

sumpsit, circulum atque orbem quẽdam imitatur, & ad eadẽ agenda rursus populũ suadet, ad quæ initio etiam suaserat.

Alleluia.

Varias status sui mutationes sustinuit beatus Dauid, quemadmodum diximus in proœmio operis. Nam & aliquando belli pericula euadere ei contigit: aliquando autem in calamitates incidere: & aliquando placidiorem, ac magis tranquillam uitam habere: & modo quidem per mandatorum dei uiam incessit, modo uero ab illa decidit. Quæ omnia breui in hunc psalmũ cõgessit. Ad lectoris præterea institutionem multas preces suas apposuit, quas deo sæpius uerbis tantum, & non scriptis obtulerat. Potest autẽ hic psalmus fideles omnes ad uirtutem accedentes perfectiores reddere, & omnes qui hactenus negligentius uixerint, ad uirtutem excitare. Et quoniam in hoc psalmo frequenter inuenies mentionem fieri de lege, de testimoniis, de mandatis, de iustificationibus, de iudiciis, de eloquiis, atque id ferè in unoquoque uersiculo, (de his etenim, ut breui dicam, totus psalmus pertractat. Huic enim materiæ beatus Dauid eum applicauit,) uide quæ in XVII. psalmo dicta sint, ibi: & omnia iudicia eius in conspectu meo. Vnde quotiens aliquid huiusmodi inuenerimus, superfluum fuerit ibi dicta repetere. Illud tamen scire oportet, quòd licet hæ dictiones inter se differant, ut ibi iam dictum est, ut plurimum tamen his nominibus beatus Dauid ipsam legem significauit, ueluti continens à contentis.

PSALMVS CXVIII.

BEati immaculati in uia. Per viam, transitoriã hanc vitam intelligit, beatos eos dicens, qui absque reprehensione per eam ambulant, & recte viuunt. Græca enim dictio ἄμωμος, non tam immaculatum quàm irreprehensibilem significat.

Qui ambulant in lege domini. Qui legitime viuunt, & secũdum dei legem conuersantur, & non extra eam.

Beati qui scrutantur testimonia eius. Qui cum studio & cũ attentione ea legunt, & occultum in eis inuestigant thesaurum.

In toto corde exquirunt eum. Exquirunt autem, quia lucem ac pulchritudinem eius iam quodammodo degustarũt. quocirca totis desiderij velis ad illum tendentes, mundana o-

mnia pertranſeunt, atque illum ſolum inquirunt, feſtinantes nimirum cum eo eſſe, atque illi placere. Ille vero exquirere deum dicitur, qui per mandatorum ſemitam incedit, quæ ad illum ducit.

Non enim qui operantur iniquitatem, in uiis eius ambulauerunt. Vbi abſolute dicit, viam, præſentem vitam vt plurimum intelligit, vbi vero vias dei, ſeu vias eius, legē intelligit, & præcepta. Ait igitur, quòd omnes, qui aliqua in re inique agunt, non ambulant in viis dei. vbi enim quis delinquit, ſtatim ab eis noſcitur declinare.

σφόδρα

Tu mandaſti mãdata tua cuſtodiri ualde. Tu in lege tua hoc mandaſti, & maledictionem aduerſus mandatorum tuorum contemptores addidiſti. Oportet nos igitur illum timere, qui mandata ſua adeo obſeruari iuſſit: & ſimili modo, nihil eorum tranſgredi, quæ ab illo nobis tradita, atque ordinata ſunt.

Vtinam dirigantur uiæ meæ, ad cuſtodiẽdas iuſtificationes tuas. Vtinam, inquit, viæ conuerſationis meæ adeo dirigantur, vt tua adimpleam mãdata. Poſtulat autem hoc, optime dignoſcens, quòd ex ſeipſo nihil poſſet perficere niſi dei ope ac gratia adiutus fuerit. neque enim volentis aut currentis, vt inquit Paulus, ſed eſt miſerentis dei.

ἐν τῷ με ἐπιβλέπειν

Tunc non confundar, cum proſpexero in omnibus mandatis tuis. Vbi viæ meæ, vt dixi, à te fuerint directæ, tunc non confundar. Ego etenim iam proſpexi ad omnia mandata tua, & omnia iam adimpleui. vel aliter: tunc non confundar, cũ proſpexero ad omnia mandata tua: cum ſcilicet omnia adimpleuero. Qui enim aliquod diuinum negligit mandatum, ex huiuſmodi contemptu ignominiam pariter refert, & condemnationem. Illud tamen adnotandum eſt, quòd legere poſſumus etiam hunc verſiculum: tunc non confundar: quia proſpicio: & ad huiuſmodi lectionem aptatur prima expoſitio. Græca enim dictio vtranque patitur lectionem.

ἐν εὐθύτητι ἐν τῷ μαθεῖν με ἕως σφόδρα

Confitebor tibi in rectitudine cordis, cum didicero omnia iudicia iuſtitiæ tuæ. Cum legem tuam didicero, gratias tibi agam in recto corde, atque ex tota anima, quòd edoctus fuerim, & mentem meam illuminaueris, & quòd ſummis à te affectus ſim beneficiis.

Iuſtificationes tuas cuſtodiam, ne me derelinquas uſque ualde. Legem,

Legem, inquit, tuã cuſtodiam, vtpote eam edoctus. atq; ideo peto à te, ne me diu derelinquas. hoc enim ſignificat, quod ait: vſque valde. noli igitur me diu derelinquere, tametſi ad priuatum meum, & ad commune aliorum commodum, noui te perſæpe hoc vſum conſilio, vt me veluti neglectum à te, derelinquere viſus ſis.

In quo corriget aduleſcentior uiam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos. Interrogat, & reſpondet. & quoniam aduleſcentiæ ætas natura ipſa ſimplex, ac leuis eſt, & facilis cui imponatur. merito ſumma ei opus eſt cuſtodia, & obſeruatione mandatorum dei, quibus dirigatur & conſeruetur aduleſcentum vita.

In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis. In toto corde, non diuidens ſcilicet mentem meam ad ſeculi huius cogitationes. ſupplex igitur peto à te, ne me indignum, à mandatis tuis repellas. Eſt autem humilitatis ſermo, illius dico humilitatis, quæ virtutem ſectatur. vel ne repellas me, ſi quando ad eorum obſeruationem frigidior fuero: quinimmo ſi quid in me huiuſmodi acciderit, reaccende precor denuo calorem meum.

In corde meo abſcondi eloquia tua, ut nõn peccem tibi. Eloquia, hoc eſt, mandata. abſcondi autẽ ea, in penu cordis mei, vt eorum memoriã indelebilem conſeruarem, vtque hoc pacto, ea ſemper ante mentis oculos habens, nunquam peccem tibi. neque enim ille homo peccare permittetur, qui tanto cũ ſtudio eorum ſemper meminerit.

Benedictus es domine, doce me iuſtificationes tuas. Benedicit dominum propheta laudans eum, quòd vtilitatem acceperit ab eius lege: quam etiam rogat melius ſe ac ſublimius edoceri.

In labiis meis annunciaui omnia iudicia oris tui. Non tantum ego ea didici, ſed aliis etiam annunciaui.

In uia teſtimoniorũ tuorũ delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis. Non dixit in diuitiis ſimpliciter, ſed in omnibus. Ambulãs, inquit, in via mandatorum tuorum, ita delectatus ſum, ac ſi diuitias omnes poſſiderem. vel non ſecus delectatus ſum, atque is, qui ſeculi diuitiis delectari ſolet.

ἀδολεσχήσω

In mandatis tuis meditabor, & cõſiderabo uias tuas. Pro meditabor, in Græco legimus ἀδολεσχήσω, de quo diximus in

psalmo LIIII, ibi: cõtristatus sum in meditatiõe mea. crebro, inquit, meditabor in mandatis tuis, atque ex hoc exquisitius vias tuas, hoc est, placita ac voluntates tuas, consyderabo.

In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos. Meditabor, inquit, & nõ obliuiscar. eorũ enim quæ quis fuerit meditatus, diuturniorem memoriam conseruat.

Retribue seruo tuo. Pro mandatorum & iustificationum tuarum meditatione, aliquam, inquit, seruo tuo retributionem redde.

ζήσω καὶ *Viuam & custodiam sermones tuos.* Accepta retributione, quam mihi dederis, viuam, inquit, meliori vita, ad ea semper me extendens, quæ ante me sunt. Quædam autem exemplaria habent, viuifica me, & custodiam.

Reuela oculos meos, & consyderabo mirabilia de lege tua. Aufer velum hoc, & tegmen ab oculis animæ meæ: crassitudinem nimirum & obstaculum legalis literæ: atque hoc pacto admirabiles & reconditos in lege sensus consyderabo, qui ad incarnationem, atque ad alia aduentus tui pertinent mysteria.

Peregrinus ego sum in terra, ne abscondas à me mandata tua. Præsenti, inquit, vita vtor vt transitoria, ad aliam nimirũ vitam festinans: atque ideo indica mihi, quæso, profundius mandata tua, vt studiosior eorum fiam, & intensius ad te curram.

κρίματά σου *Concupiuit anima mea desyderare iudicia tua in omni tempore.* Anima mea valde semper concupiuit teneri desyderio iudiciorum tuorum. valde, inquit, mihi placuit iudiciorum tuorum desyderium. atque ideo in omni tempore ea semper desyderaui, hoc est, ardenter amaui. vel concupiuit anima mea iudicia tua in omni tempore, ita vt eorum tenerer desyderio. vel quia ea desyderabam.

Increpasti superbos. Cõminat⁹ es supplicia in lege tua iis, qui mandatorũ tuorum contemptores fuerint. vel maledixisti eis, quemadmodum in sequentibus dicetur.

Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Scriptum est enim, maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quę scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.

Aufer à me opprobrium & contemptum: quia testimonia tua exquisiui. Illud dico opprobrium quod prior negligentia mea mihi

mihi præstitit, multis nimirum ob eam exprobrantibus & contemnentibus me. vel aufer, pro, repelle, & noli omnino permittere, vinci me aut affligi ab hostibus, neque ab insidiatoribus meis.

ἠδολέσχει *Etenim sederunt principes, & aduersum me obloquebãtur, seruus autem tuus meditabatur in iustificationibus tuis.* Illi quidẽ calũniabantur me, irridentes, quòd legem tuam meditarer, ego vero in illius meditatione semper magis intendebam, vtilitatem nimirum cognoscens, quæ mihi illinc proueniebat. per principes autem, intelligere possumus principatus & potestates tenebrarum huius seculi.

Nam & testimonia tua meditatio mea est, & consilia mea, iustificationes tuæ. Illis quidem alia omnia cordi sunt, alia omnia prorsus meditantur: mihi autem lex tua meditatio est, & certa norma, cuius consilio dirigar.

Adhæsit pauimẽto anima mea, uiuifica me secundum uerbũ tuum. Ferè, inquit, pauimento ac solo ipsi adhæsi. hoc est, valde humiliatus sum. atque ideo fac me, quæso, secundum legem tuam viuere. vel adhæsit anima mea terrenis rebus, quibus affixus sum.

Vias meas annunciaui. Peccata mea tibi nota feci.

Et exaudisti me. Quærentem remissionem peccatorum. Dic enim, inquit, tu primus iniquitates tuas, vt iustificeris.

Doce me iustificationes tuas. Diligentius scilicet, & profundius.

Viam iustificationũ tuarum instrue me, & meditabor in mirabilibus tuis. Fac, inquit, vt legis tuæ viam cognoscam, cupio enim per eam incedere, & de cætero meditabor, & versabor, in admirabilibus operibus, quæ à te facta sunt, faciens ea esse argumentum meditationis meæ.

ἀπὸ ἀκηδίας *Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in uerbis tuis.* Lassus, inquit, ac remissus effectus sum præ tristitia, quam aut secularium rerum sollicitudo afferre mihi solet, aut perpetuum quod mihi est cum dæmone certamen. firmum me igitur, ac stabilem redde, in verbis tuis, hoc est, in meditatione mandatorum tuorum, ne ab ea meditatione discedam, quæ abiicere à me potest omnem dormitationem tristitiæ.

ἀδικίας *Viã iniustitiæ amoue à me, & lege tua miserere mei.* Via iniustitiæ est

iustitiæ est omnis actio iniusta, quæ authorẽ suũ ad iniustitiam deducit. per eam enim viam omnes ambulant, qui iniusti sunt. hanc, inquit, viam amoue à me, & miserere mei, lege misericordiæ tuæ, quæ eorum omnium semper misereri solet, qui ex corde ad te preces fundunt.

Viam ueritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus. Vera dogmata, viæ atque itinera sunt veritatis: per ea etenim ad deum quis recta incedit. vel quia Christus est veritas, (ego enim, inquit, sum veritas & via) dicere possumus quòd via veritatis, est via Christi: euangelica nimirum conuersatio, quam fidelibus statuit. hanc viam igitur propheta, velut sibi præcognitam dicit se amasse: similiter & iudicia dei, euãgelica nimirum præcepta quæ asserit se non ignorasse.

Adhæsi testimoniis tuis domine, noli me confundere. Indissolubili, inquit, quodam vinculo eis affixus sum. rogo igitur ne me confundas, permittens me ab hostibus superari.

Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum. Quando liberasti, inquit, animam meam à tentationibus, atque ab angustiis, tunc cucurri viam mandatorum tuorum, hoc est, studiosè per eam incessi, versans in eis & in lege tua.

Legem pone mihi domine uiæ iustificationum tuarum, & exquiram eam semper. Sed quomodo ait legem pone, cum lex viæ iustificationum dei, iam diu esset data? dicendum est igitur, dixisse eum: legem pone mihi, pro, doce me: iuxta quem sensum Symmachus pro, legem pone, dixit, ostende. nam qui docet, videtur quodammodo de nouo statuere, ac legem ponere, dum ignaros exhortatur ad bona, & auertere eos studet à vitiis. in præcedentibus etiam dixit: doce me iustificationes tuas. vel declara mihi viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper. occulta enim est multis illa via, eo quòd obscura esse videtur.

νομοθέτησόν μοι κύριε τὴν ὁδὸν

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Scrutabor quidem magno studio, & diligenter considerans, eam seruabo. dictum est autem alibi, quòd legis custodia esse dicitur, quando quis adimplet legis mandata.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam uolui. Deduc me, inquit, in eam. solet enim deus omnes eos illuc deducere,

deducere, qui animo erga eum prompti sunt. per semitam autem, quam Græci τρίβον appellant, quasi tritam, viam hanc intelligit, veluti non nouam viam, sed tritam, vt dixi, eo quòd iusti per eam ambulant, & solent eam frequentare.

Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Conuerte (inquit) cor meum ad dilectionem mandatorum tuorum, & illius promptitudinem adiuua, & noli permittere, vt in auaritiam conuertar, & à seculi huius negociis vincar. petit autem omnia à deo, docens illum omnia efficere. sine me, inquit, nihil potestis facere. hæc igitur deinceps sit tibi norma in sequentibus, vbi similia inuenias. adiuuat autem deus, non omnes promiscue, sed dignos se, & qui totum intulerint, quod in se fuerit.

Auerte oculos meos ne uideant uanitatem. Auerte eos à noxiis spectaculis, ita vt inania non videant. oculos autem non corporis tantum, sed animæ etiam intelligit.

In uia tua uiuifica me. Hæc etenim via verã iis vitam præstat, qui in ea versati fuerint. præsens etenim vita, vera vita non est, cum mortem secum ferat.

Statue seruo tuo eloquium tuum, in timore tuo. In me, inquit, seruo tuo dominicum mandatum tuum, firmum ac stabile efficito in timore, ita vt diuina eloquia tua verenda mihi sint ac timenda.

Aufer opprobrium meum, quod suspicatus sum. Quod infligi mihi est à peccato, quodque ego iam diu infligi mihi timebam à dæmone, seu ab insidiatoribus meis. vel quod suspicatus sum, cum in ærumnis, atque in miseriis me constitutum cernerem. περίελε

Quia iudicia tua benigna. Quoniam iuste iudicas, cognoscens, quòd pœnitentia ducor, quodque in te speraui, ac me tibi totum prorsus obtuli. χρηστὰ

Ecce concupiui mandata tua, in iustitia tua uiuifica me. Esurio, inquit, & sitio mandata tua. viuifica me igitur in tua iustitia. quod ferè idem est cum iis verbis, quæ superius dixit: in lege tua viuifica me. δικαιοσύνη

Et ueniat super me misericordia tua domine, salutare tuum secundum eloquium tuum. Vt scilicet misericordiam consequar & salutem. misericordiæ enim finis est, vt salutem consequamur.

quamur. Veniat autem hæc salus iuxta promissionem tuam. Pollicitus enim es in lege tua te omnes saluaturum, qui custodiunt mandata tua.

Et respondebo exprobrantibus mihi uerbum. Iis qui afflictionem, & calamitatem meam mihi exprobrant, respondebo verbum hoc, quod sequitur.

Quod speraui in sermonibus tuis. Hoc est, quod ego illis respondebo, speraſſe me in dei verbis, qui multa bona omnibus pollicitus est, qui illius seruauerint mandata. Quam ob causam afflictiones, & calamitates omnes facile sustineo: optima nimirum in spe educatus.

Et ne auferas de ore meo uerbũ ueritatis usq; ualde. Ne auferas à me in perpetuum propheticam gratiam: sed si ex dispensatione ad tempus illam abstuleris, rursus precor mihi eam restitue. Vel ne permittas diu ex ore meo veritatem auferri, si quando, vt accidere potest, ab ea me decidere contigerit. Vel, ne valde eam auferas, hoc est, nunquam auferas.

Quoniam in iudicijs tuis supersperaui. Quoniam in lege tua valde speraui, confidens si legem tuam seruauero, conseruandam in me esse veritatis tuæ gratiam.

Et custodiam legem tuam semper, in seculum & in seculũ seculi. Semper legem tuam custodiam, hoc est, in omni negotio. Illa autem verba: in seculum & in seculum seculi: idem significant, quod semper: tametsi ad maiorem perpetuitatis atque æternitatis intensionem dicta etiam esse possunt. Vel, custodiam hanc legem tuam, non in hoc tantum seculo, sed etiam in futuro, quod seculum seculi appellatur, tanquam præsenti seculo honoratius. His autẽ verbis promptitudinis vehementiam demonstrauit, quam habebat, vt legem obseruaret.

Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui. Prospere dirigebar ad omnia, quę agenda erant. Causa autem huius rei fuit, quia mandata tua dilexi. Vel cum calamitatibus circundarer, animo non angebar, quia inter afflictiones illud mihi saltem delectationi & solatio erat, quòd conscius mihi essem, diligenter me exquisisse omnia mandata tua. Solet autem bona conscientia maximum semper solamen præstare.

Et loquebar in testimonijs tuis coram regibus, & non confundebar. Loquebar legem coram regibus, & bonum inde nomen reportabam. Libere enim loquebar in mandatis tuis, & timore nullo

re nullo cohibebar. Cõgruunt etiam hæc verba sanctis Christi martyribus.

Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi ualde, & leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. Meditabar quidem in eis, legens ea, leuabam autem manus meas ad mandata tua, operibus videlicet ea adimplens & perficiens.

Et meditabar in iustificationibus tuis. Pro meditabar in Græco legimus ἠδολέσχουν de cuius significatione superius dictum est. ἠδολεσχουν

Memor esto uerbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dediſti. Erga me seruum tuum, inquit, memor esto illius verbi, in quod me sperare iussisti. Verbum autem hoc tuum illud est, quo dixisti te misericordem esse, atque ideo omnes eos etiam saluaturum, qui mandata tua custodierint, quemadmodum alibi declarauimus. Debemus etiam digne deo intelligere sermonem hunc: Memor esto: pro, perfice & ad finem deducito. Neq; enim vlla in deum cadit obliuio, aut reminiscentia.

Hæc me consolata est in humilitate mea. Hæc spes scilicet me consolata est, hoc est, spes ista recreauit ac refouit me, in humilitate ac miseria illa constitutum, inquam, assiduæ tentationes & calamitates me deduxerant.

Quia eloquium tuum uiuificauit me. Verbum, inquit, illud tuum, de quo paulo ante diximus, cum præ tantis afflictionibus angerer, ac pene mortuus essem, iterum me ad vitam reuocauit.

Superbi iniquè agebant usque ualde, à lege autem tua non declinaui. Illi quidem in multis legem tuam transgrediebantur, ego vero illis non me adiunxi. Vel iniquè agebant, deridentes me, quòd legi tuæ semper incumberem, & ab illius meditatione nunquam recederem. Superbos autem appellat, legis contemptores. Tales enim esse solent elati omnes, ac superbi.

Memor fui iudiciorum tuorum à seculo domine, & consolatus sum. Quæ à seculo, hoc est, quæ ab initio sunt, & in futurum erunt. In his autem iudiciis continetur, quòd virtute præditos homines, tametsi ad tempus affligi permittas, tandem glorificabis. Quodque eos inhonorabis, qui prauis imbuti sunt moribus, quanquam interea tranquillam ac felicem vitam degere videantur.

ἀθυμία *Tristitia detinuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Tristis fui, inquit, propter peccatores, partim quidem iratus, quod legem tuam adeò contemnant, partim etiam dolens, quod ipsi perituri sint.

Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ. Cantandæ, hoc est, meditandæ à me sunt: vbicunque habitauero, vbicunque vitam degero. Vel aliter: loco canticorum mihi erant, & in psalmos eas mihi constituebam, atq; eas psallendo, delectabar.

Memor fui nocte nominis tui domine, & custodiui legem tuam. Nocturno, inquit, tempore quando immundi dæmones, plures solent perturbationes afferre, ego te in memoria semper habebam, & præ timore tuo sapientior reddebar. Vel in nocte passionum, atque affectuum, & quando ab illis obtenebrabar.

Hæc facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisiui. Hæc memoria scilicet. Solet enim Propheta aliquando verbum mutare in nomen: iuxta illud, hæc me consolata est in humilitate mea. Hæc memoria, inquit, ideo mihi facta est, quia valde exquisiui iustificationes tuas. Illinc enim ego timorem accepi.

Portio mea domine, dixi, custodire legem tuam. Tu portio mea es. Hæreditas, inquam, mea, & diuitiæ meæ. Alia enim terrena omnia despicio. Atque ideo dixi: hoc est pollicitus sum custodire legem tuam, & nullo pacto eam transgredi.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum. Te, inquit, pro delictis meis ex toto corde deprecatus sum: miserere ergo mei, iuxta eloquium tuum. Scriptum est enim in lege tua, quòd delinquentium misereberis. Vel secundum promissionem, aut distinctionem tuam. Per faciem autem dei, ipsum deum circumloquitur.

ὁδούς σου *Cogitaui uias tuas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* Legem tuam meditatus sum, conuersationisque, ac vitæ meæ semitam direxi ad mandata tua. Quædam autem exemplaria habent: cogitaui vias meas, hoc est, prius consideraui, quid agendum mihi esset, aut quid dicendum: atque ideo ambulaui intra mandata tua.

Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.

Paratus

Paratus sum ad custodiendum ea, atque ideo ab eorum difficultate, aut seueritate turbatus non sum. Malum enim quod quis prius considerat, atque expectat, tolerabilius efficitur. Vel dæmonibus, seu tentationibus me inuadentibus, turbatus non sum, sciens, quòd impetum in me facturi erant. quam ob causam ad tolerantiam me præparaui.

Funes peccatorum circumplexi sunt mihi, & legem tuam non sum oblitus. Funes peccatorum, prauæ sunt dæmonum cogitationes, quibus ceu vinculis quibusdam, nectere, atque alligare omnes conantur, quibus cum certant. Hi, inquit, funes mihi circumplexi sunt, nec tamen ideo oblitus sum legis tuæ. Illius enim timore, omnibus peccatorum vinculis veluti gladio quodam incisis liberatus aufugi. περιεπλάκησαν ἐμοὶ

Media nocte surgebam ut confiterer tibi, ad iudicia iustitiæ tuæ. Media nocte quando dæmones aduersum homines magis insurgunt, & alios quidem ad prauas cogitationes, alios vero ad ipsa vrgent facinora. Vel aliter: eo, inquit, tempore surgebam è lecto, vt tibi confiterer, quando somnus quiescentibus suauior videri solet: surgebam dico, vt confiterer, hoc est, vt gratias tibi agerem, propter iudicia iustitiæ tuæ. Hæc autem iudicia tu nobis parcens, mandasti lege tua obseruari: vt dum tui timorem addiscimus, moderatiores efficiamur: ne intemperantiam secuti, maioribus damnemur suppliciis. Vel surgebam, vt confiterer tibi peccata mea, propter iudicia iustitiæ tuæ, hoc est, timens propter ea. τοῦ ἐξομολογεῖσθαί σοι ἐπὶ τὰ κρίματα

Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Aeque ego, inquit, atque illi, te timeo, æquè etiam mandata tua obseruo. Vnus etenim ex illorum numero sum, qui te maxime venerantur, atque obseruant.

Misericordia tua domine plena est terra, iustificationes tuas doce me. Tu totius orbis misereris, tu omnes nutris, tu omniũ curam ac prouidentiam habes, tu patiens es ad omnes. Miserere igitur mei, & doce me iustificationes tuas, ita vt altius & perfectius eas intelligam. Huiusmodi autem verbis vtitur beatus Dauid, non quòd procul esset à misericordia dei, sed vt illum sibi magis beneuolum redderet, & vt ampliorem erga se misericordiam conciliaret.

Bonitatem fecisti cum seruo tuo domine, secundum uerbum tuum. Beneficio, inquit, affecisti seruum tuum. Ita enim Symmachus reddidit.

chus reddidit. Secundum autem verbum tuum, quod in lege scriptum esse diximus. Ibi enim expresse pollicitus es te affecturum beneficio eos, qui tibi placere studuerint. vel aliter: quia Græca dictio λόγος, non verbum tantum, sed rationem etiam significat secundum rationem, inquit, feci sti hanc bonitatem, hoc est, secundum id quod dininitatem tuam decet. Continet autem hic sermo gratiarum actiones, pro acceptis beneficiis.

Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. Doce me, inquit, bonitatem erga amicos & cognatos, disciplinam in actionibus, & scientiam in contemplando. Instrue me igitur in his omnibus, quia mandatis tuis obtemperaui, vel quia credidi, quòd instrui deberem à mandatis tuis, atq; ab illis sapientior reddi.

Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui. Antequam affligerer ego peccaui, & quia post peccatum castigatus sum, de cætero legem tuam custodiui, timés ne si rursus mihi peccare contingeret, rursus pari modo afflictione aliqua castigandus essem. Solet enim post peccatum afflictio consequi, atque humiliatio. Fortassis etiam, de ea loquitur humilitatis virtute, quæ cordatis hominibus de conscientia innascitur peccati, ita vt sensus sit: quòd peccatum sibi fuit causa humilitatis.

Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas. Tanquam bonus, & misericors doce me sincerius, vt ego etiam bonus fiam. Sæpius vero idem repetit, orationem intendens, ac veluti diuinæ doctrinæ auidus.

Multiplicata est super me iniustitia superborum, ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua. Illi, inquit, summa me afficiunt iniuria, ego tamen propterea à mandatis tuis non recedam, nec superbos imitabor: quinimmo scrutabor mandata tua, in quibus consolationem capio. Per superbos autem & dæmones intellige, & legis contemptores.

Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego uero legem tuam meditatus sum. Induratum est, inquit, eorum cor aduersum me. Lac enim coagulatum in caseum obdurescit. Vel quia Græca dictio, ἐτυρώθη, non tam coagulatum quàm caseatum significat. Caseatum est, inquit, hoc est, pingue effectum, & abundans iniquitatibus. Effici enim solet pinguius lac, vbi in caseum

in caseum concreuerit.

Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Vtile quidem mihi fuit corripi à te variis afflictionibus, vt iustitiam tuam addiscerem: ꝙ scilicet tu peccantes castigas. Quòd si in præsenti vita punis peccatores, quanto magis id facies in futura?

Bona mihi lex oris tui, super millia auri & argenti. Lex, quam Moysi tradidisti, bona mihi est, eo ꝙ instruit, atq; erudit me. Nam & corpus castigat, & mores dirigit, & sapientiorem animam reddit. ἀγαθός μοὶ ὁ νόμος

Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me, da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Tu me, inquit, plasmasti, tu mihi prudentiam præsta, tu me doce, & ego addiscam mandata tua, quę hominem ad rectam semitam dirigunt. Aliqui etiam dicunt, ꝙ filius & sanctus spiritus dici possunt manus patris: eo ꝙ per eos omnia fecit.

Qui timent te, uidebunt me, & lætabuntur, quia in uerba tua supersperaui. Videbunt me proficere, si mihi intellectum præstiteris: & lętabuntur, ꝙ in mandatis tuis valde sperauerim & non in aliis seculi huius auxiliis.

Cognoui domine, quòd iustitia iudicia tua, & ueritate tua humiliasti me. Experientia cognoui, quòd iudicia tua iusta sunt, quodq; merito multis me afflictionibus depressisti, vt prudentior fierem. In te enim deliqueram.

Fiat mihi misericordia tua, ut consoletur me, secundum eloquium tuum, seruo tuo. Fiat mihi seruo tuo misericordia tua, vt me calamitatibus afflictum refrigeret. Fiat autem hoc mihi, iuxta promissionẽ tuam. Pollicitus enim es in lege tua, opem te laturum esse omnibus pœnitentibus.

Veniant mihi miserationes tuæ, & uiuam. Mihi, inquam, qui modo tristitia ac mœrore pene eram suffocatus.

Quia lex tua meditatio mea est. Veniant mihi, inquit, illæ miserationes tuæ, quia deinceps, præ cæteris omnibus, lex tua erit meditatio mea.

Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me. Erubescant, ꝙ nihil potuerunt perficere, eo ꝙ superati & profligati sunt. Ipsos autem dæmones intelligit, seu diuinæ legis contemptores, vt diximus. Iniuste autem fecerunt iniquitatẽ in me, quia propter inuidiam me aggressi sunt.

Ego autem meditabor in mandatis tuis. De hoc iam alibi sæpe dictum est.

ἔπιστρεψάτωσαν *Conuertant me timentes te, & qui cognoscunt testimonia tua.* Ij, inquit, qui timent te conuertant me, si aliquando seductus, à mandatis tuis aberrauero.

ἄμωμος *Fiat cor meum irreprehensibile, in iustificationibus tuis, ut non confundar.* Irreprehensibile fiat cor meum, dum in iustificationibus tuis meditatur, & vtinam timore eorum purgatus, nõ confundar, turpe aliquid committens.

Deficit in salutare tuum anima mea. Abit quodammodo, atque dissoluitur anima mea, desiderij vehementiam non ferens. Per salutare autem salutarem Christi incarnationem intelligit. Ait igitur se illius salutaris desiderio maxime teneri.

In uerba tua superspe rauí. In verbis tuis confido, futurum esse quod cupio: in eius dico verbis, quę in lege de ipso saluatori scripta sunt. Aliqui vero intelligunt beatum Dauid hęc verba dixisse de sua salute. Opto, inquit, eam consequi salutem, quæ à te prouenit: & in mandata tua valde confido: quòd sicut licet ea obseruans saluabor. Illud etiam annotãdum duximus quòd indifferenter Propheta nunc singulari sermone, verbum dicit, nunc verba in plurali.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me? Debiles effecti sunt animæ meæ oculi, aspicientes in legem tuam, Defecerunt autem quęrentes, quando consolaberis me: instruens scilicet & docens me, & occultos inlege tua thesauros reuelans.

Quia factus sum sicut uter in pruina, iustificationes tuas non sum oblitus. Aiunt vtrem pruina frigefactum constringi. Talem se beatus Dauid effectum esse dicit: constrictum nimirum & castigatum calamitatibus. Qua de causa negat se vllo vnquam tempore iustificationum dei futurum immemorem, ne rursum in tentationes, & calamitates deferri eum contingat. Alij vtrem dicunt tractum in pruina molliorem ac laxiorem fieri. Talis, inquit, ego effectus sum, quia multis calamitatibus distractus, tandem etiam debilitatus, ac dissolutus sum: attamen neque ideo iustificationes tuas oblitus sum. Vel aliter: Factus sum sicut vter, mortuus nimirum quantum ad animi affectus: veruntamen capax eloquiorum

quiorum dei. Effectus autem sum huiusmodi in pruina diuinæ gratiæ, quæ ab eo descendit, & passionum mearum flammam refrigerauit. Atque ideo non recessi à lege tua, sciens, quòd per illam ego gratiam etiam à te consecutus sum.

μοὶ *Quot sunt dies serui tui? quando facies mihi de persequentibus me iudicium?* Quot sunt? pauci prorsus. Quando igitur facies mihi iustitiam de persequentibus me inuisibilibus seu etiam visibilibus inimicis? facies autem hoc iudicium, si illos in fugam conuerteris, & procul à me eos insecutus fueris.

ἀδολεσχίας *Narrauerunt mihi iniqui garrulitates, sed non ut lex tua.* Narrauerunt mihi dogmatum quorundam nugacitates legi tuæ contrarias. Vel, ij, qui legem tuam interpretabantur, narrauerunt mihi garrulitates: legi tamen consonum aliquid nõ dicebant. Possunt autem hæc verba generaliter aduersus omnes hæreticos accommodari.

ἀδίκως *Omnia mandata tua æquitas: iniuste persecuti sunt me, adiuua me.* Ea, inquit, mandata omnia vera sunt, in quibus nemini inferendam esse iniuriam mandasti. Adiuua me igitur affectum iniuria, & vindictam sume de iis omnibus, qui legem tuam transgrediuntur. Est autem hic sermo de visibilibus inimicis.

Paulominus consummauerunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua. Penè, inquit, interemerunt me. Consummare dixit, prouitam finire. Consummauerunt me igitur, hoc est, præparauerunt vt meam vitam consummarent. Vel concluserunt me in terra, seu euerterunt me in terram: ego tamen à meditatione aut ab obseruatione mãdatorum tuorum non recessi.

Secundum misericordiam tuam uiuifica me, & custodiam testimonia oris tui. In misericordia tua viuifica me, taquam misericors. Et de his verbis, viuifica me, iam superius dictũ est. Testimonia vero oris tui, ea dico, quæ Moysi mandasti.

In seculum domine uerbum tuum permanet in cœlo. Mandatum tuum incommutabile in cœlo semper permanet. Illud, inquam, mandatum, quo cœlum in suo semper ordine continetur.

In generationem & generationem ueritas tua. Veritas huius mandati in omni semper generatione constanspermanet: & ordo semel constitutus, in diuersa non mutatur.

Fundasti terram, & permanet ordinatione tua. Hæc etiã permanet ordinatione tua, hoc est, quemadmodũ tu disposuisti.

Perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi. Permanet dies, vt ordinasti. Antiquum enim atque à te statutum ordinẽ conseruat. Huius autem perseuerantiæ causa est, quia hæc, & alia omnia simul tibi seruiunt, & mandato tuo non secus, ac serui domino suo, obtemperant. Altius etiã intelligendo: verbum tuũ in cœlo semper permanet, apud Angelos. Facientes enim inquit, verbũ eius. In generationem etiã & generationẽ antiqui & noui poquli est veritas tua: illa, inquàm, veritas, quæ est in lege. Apud vtranque enim generationẽ verbum tuũ verum esse prædicatur. Fundasti etiã Ecclesiã, & in Euangelica eam fide stabilisti? Ecclesiam dico, quæ antea terra merito dici poterat, quia terrena sapiebat, & in terrenis versabatur, Ideoque permanet, vt ordinasti. Et quanquam multa tentationum, ac persecutionum maria, vt ita dicam, quasi Oceanus quidam, vndique in eam irruerint, non tamen aduersus eam præualuerunt. Perseuerat etiam dies, hoc est, pietatis ac religionis lumen, quod simulac ex Euangelij prędicatione ortum atque accensum est, ab aduersarij potentia nunquam extingui potuit. Prophetice autem hæc dicta sunt.

Nisi quòd lex tua meditatio mea est, tunc forte perissem in humilitate mea. Nisi, inquit, ea de causa fuissem liberatus, quia assidue meditor legem tuam, proculdubio calamitatib⁹ tunc, maiori in me cum impetu irruentibus, perissem in afflictione mea.

In seculum domine non obliuiscar iustificationes tuas: quia in ipsis uiuificasti me. Per totum seculum, iustificationum tuarum memoriam non amittam: quoniam per ea tu me iam penè expirantem viuificasti. Ideo autem liberatus sum, quia legem tuam meditabar.

Tuus sum ego, & saluum me fac, quia iustificationes tuas exquisiui. Scriptum est enim in lege tua, quòd qui fecerit eas iustificationes, viuet in eis. Quoniam igitur ego tuus suum, salua me ab insidiatoribus meis. Tuus autem sum, veluti qui iustificationes tuas toto corde exquiro.

Me expectauerunt peccatores, ut perderent me. Mihi, inquit, insidiati sunt. Nam qui insidiantur expectare eum solent, cui insidias tendunt.

Testimonia

Testimonia tua intellexi. Prudentior à te effectus, atq; ideò in illis refrigeror & consolor.

Omnis consummationis uidi finem, latum mandatum tuum ualde. Finem, inquit, cognoui esse in humano quolibet aut diabolico studio. Latum enim mandatum tuũ valde. Neq; enim humanam mentem arctat, quinimmo ad cognitionem atque ad intelligentiam, eam dilatat. Ab ea enim ego dilatatus sum, & finem omnis consummationis cognoui. Vel aliter: omnis cõsummationis, hoc est, omnis destructionis finẽ noui. qualis nimirũ mortis finis sit iusto homini, & qualis peccatori. Sequitur: Latum mandatũ tuum valde: quia eos omnes recreat, & eorũ corda dilatat, qui in angustiis atq; afflictionibus versantur. Per mandatũ vero legem intellige. vel, latum est mandatũ tuum, eo ꝙ angustias & ærumnas nullas præstat, tametsi inertibus ac pigris hominibus laboriosum id esse videatur.

Quã dilexi legẽ tuã domine, tota die meditatio mea est. Valde, inquit, amaui legẽ tuã, atq; ideò tota die meditor in ea: quacunq; scilicet die: modo illã legens, modo mente contẽplans, modo etiã operibus omnia perficiens: quæ in ea mandantur. ὡς

Super inimicos meos instruxisti me mandato tuo, quia in seculum, meum est. Omnes qui legem non obseruant, inimici illorum sunt, qui eam obseruant. Super eos, inquit, docuisti me, mandatum tuum, quia illud semper dilexi. Quo circa illi quidem me iniuria afficiunt, ego vero eos minime, quia maiorem scilicet à te sapientiam edoctus sum. ἐσόφισάς με ἐμή ἐστι

Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Ipsis etiam doctoribus meis sapientior effectus sum, quia assidue meditor legem tuam, quæ illuminare, atque instruere solet mentes hominum.

Super senes intellexi, quia mandata tua exquisiui. Super antiquiores me, inquit, & maiores ætate. Et subnotare videtur ipsum Saul. Talis etiam fuit, & Daniel, qui Susannæ causam supra omnes populi seniores intellexit. Est autem huius maioris sapientiæ causa diuinorum mandatorum inquisitio, diligensque inuestigatio, & custodia. Possunt etiam hæc verba legi ex persona noui populi, cuius inimici sunt Iudæi: eo quod aduersus eos inimico atq; infenso semper sunt animo. Dici etiam possunt Iudæi, doctores, eo quòd primi ipsi gentes docuerunt esse vnum deum, primique sacræ scripturæ li-

 bros,

bros eis tradiderunt. Appellabimus eos etiam seniores, veluti priorem atque antiquiorem populum. Filius meus, inquit, primogenitus Israel. Super hos Iudęos igitur nos in lege melius instructi sumus: quia illam sapientius iuxta occultiores sensus intelligimus. Quocirca magis etiam eam amamus, cùm multis de causis, tum præcipue, quia omnia nobis præsignauit, quæ pertinerent ad Christum.

Ab omni uia mala prohibui pedes meos, ut custodiam uerba tua. Feci hoc, inquit, ne mandata tua spernerem, quæ hoc iubent.

A iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem statuisti mihi. Non homo, sed deus: quem cum timerem, non declinaui ab eius mandatis.

λάρυγγι *Quàm dulcia gutturi meo eloquia tua, super mel ori meo.* Eloquia dico, quæ corporis quidem gutture proferuntur, sed interiori animæ gutture gustantur. Illam autem intelligit voluptatem, qua omnes ij fruuntur, qui intellectualibus animæ sensibus pollent. Iis etenim qui inualidiori sunt stomacho, quiq; cibum male digerunt, ipsum etiam mel amarũ videtur.

A mandatis tuis intellexi, propterea odi omnem uiam iniustitiæ. Ab his, inquit, instructus sum, & effectus sapientior. atq; ideò ab omnibus malignis hominibus aduersus sum.

νόμος σου *Lucerna pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis.* Luminis enim ac lucernæ instar lucis radios emittens semitam illam manifestam reddit, quę ad virtutem deducit. In nocte etenim præsentis vitæ, atq; in affectuum nostrorum tenebris rectam nobis lex viam ad bene ac beate viuendum demonstrat, nec labi nos sinit in peccatum. Per pedes etenim, & per semitas, vitæ ac conuersationis modum intellige. Illud etiam sciendum, quòd lex Mosaica iuxta literam intellecta, lucerna iis est, qui per illam virtutum semitam incedunt, qua ad actiones pertinet. Spiritualiter vero intellecta, lucerna illis est, qui per contemplationis callem feruntur ad deum.

Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Vbi vtilitatis illius experientiam cepi, quæ à mandatis tuis prouenit, statim iuraui, hoc est, pollicitus sum, & statui mihi veluti incommutabile iuramentum vt ea obseruarem. Statuere enim dixit, pro stabilire.

Humiliatus sum usq; ualde domine: uiuifica me secundum uerbum tuũ. Diu, inquit, humiliatus sum à volũtaria, seu etiã ab inuoluntaria

luntaria afflictione. De verbis autem, viuifica me, iam superius dictum est, ibi: adhæsit pauimento anima mea &c.

Voluntaria oris mei beneplacita fac domine. Voluntarias, inquit, promissiones meas, quas nulla necessitate, sed sponte ac volenti animo pollicitus sum, suscipe, precor, benignus, & dirige. Huiuscemodi autem fuit promissio illa, ac iuramentum obseruandi mandata.

Et iudicia tua doce me. Difficilia enim sunt, atque obscura. Iudicia enim, inquit, tua abyssus multa. vel doce me, vt ꝓfundius ea intelligam.

Anima mea in manibus tuis semper, & legem tuam non sum oblitus. Animam, inquit, meam in manus tuas semper trado, teque vt illius custodem protectorem, ac moderatorem suscipio. atque ideo legis tuæ oblitus non sum, ne fortassis caderem. ἐν χερσί σου

Posuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erraui. Posueruut mihi laqueum vt comprehenderent me, & seductus non sum à mandatis tuis, timens ne in laqueum inciderem: verum qui ambulant in lege dei in laqueos incidere non possunt.

Hæreditaui testimonia tua in seculum: quia exultatio cordis mei sunt. Perpetuam hæreditatem ea esse reputaui, & lucrum quoddam, quod perire non posset. Hoc autem sermone affectum suum indicat erga diuina mandata.

Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in seculum propter retributionem. Persuasi, inquit, cor meum, & conuerti illud ad facienda semper mandata tua: atque hoc, ob repositam iis omnibus retributionẽ, qui quæ tibi placita sunt, adimpleuerint.

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi, adiutor & defensor meus es tu, in uerba tua supersperaui. In lege, inquit, tua confisus sum quæ & eos iustificat, qui illam obseruant, & bona insuper eis pollicetur.

Declinate à me malignantes, & scrutabor mandata dei mei. Maligni nanque homines & dæmones, fidelium atque piorũ animos perturbant & impedimentum eis pręstant.

Adiuua me secundum eloquiũ tuum. Iuxta promissionẽ tuam. Pollicitus enim es in lege te eos omnes defensurum, qui illã seruauerint. vel simpliciter iuxta promissionem tuam. ἀντιλαβοῦ μου

μὴ ἀπόσυν με

Et uiuifica me. De hoc iam dictum est.

Et non confundas me ab expectatione mea. Ne confundi me permittas, aut frustrari spe in te mea.

Adiuua me & saluus ero, & meditabor in iustificationibus tuis semper. Ab inimicorum insidiis saluabor.

Spreuisti omnes discedentes à iustificationibus tuis, quia iniusta cogitatio eorum. Tanquã inutiles neglexisti & repulisti eos. recedunt autem à dei lege, qui quæ iniqua sunt, cogitant.

παραβαίνοντας

Transgressores reputaui omnes peccatores terræ. ideo dilexi testimonia tua. Quisquis deliquerit, iudicio meo, legis tuæ trãsgressor efficitur. atque ideo legem ego tuam dilexi, ne simili modo transgressor existimarer. terrę autem peccatores dixit, quia de terra sunt, vel quia in terra peccant.

Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui. Dũ iudicia tua, inquit, lego in animo quidem, timore corripior, ipsum tamẽ corpus huiuscemodi timore non castigatur. Tu igitur confige & ipsum corpus hoc timore, ita vt ad immoderata desideria, aut ad minus honesta opera, amplius non feratur.

Feci iudicium & iustitiam: non tradas me calumniantibus me. Iustum, inquit, iudicium feci. Me igitur, quod iustum est, iudicantem ne tradas quæso iis, qui iniuste mihi insidiantur. Nec dominentur mei iniqui homines, cum ego æqua & iusta semper sectatus sim. Dictio autem Græca, ἀδικοῦσι, non tam calumniantes quàm iniuriam seu iniustitiam facientes significat.

Suscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi. Longanimis esto seruo tuo pro bono, ita vt per syncerã pœnitentiam superuenientes peccati sordes possit abluere, nec superbi, hoc est, nec legis contemptores calumnientur me, quasi fato quopiam, & non ob delicta mea, in calamitatem huiusmodi inciderim. vel non calumnientur me, vt temere pœnitentem, aut tanquam frustra sperantem vllam salutem.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium iustitiæ tuæ. Animæ, inquit, meæ oculi non mediocriter debilitati sunt, dum ad salutem illam assidue aspiciunt, quæ ex te pendet, & ad promissionem iustitiæ tuæ.

Fac cum seruo tuo domine secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me. Fac misericordiam tuam in seruum tuum,

tuum, tanquam misericors. vel fac beneficium in misericordia tua: & misertus mei, doce me iustificationes tuas.

γνώσομαι κυρίῳ

Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum ut cognoscã testimonia tua. Et si intellectum mihi præstiteris, cognoscam ea.

Tempus faciendi domino: dissipauerunt legem tuam. Tempus est tibi domino faciendi scilicet vltionem, cum iniqui legẽ tuam spreuerint & destruxerint.

Propterea dilexi mandata tua, super aurum & topazion. Quia illi legem tuam dissipauerunt, ego idcirco eam magis dilexi, quàm aurum aut pretiosos lapides, aut omnes denique diuitias.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar. Non ad hoc tantum, aut ad illud mandatum, sed ad omnia mãdata tua: quod maioris perfectionis signum est. Ad id vero dirigebar, vt tibi inseruirem, vtque tibi parerem, qui mandata ea obseruari iusseras: cum illi contra te ad iram excitarent.

Omnem uiam iniustam odio habui. Qui mandata dei diligit, omne vitium odit, veluti eis cõtrarium. Neque enim inter se conueniunt vitium & virtus, lux & tenebræ, ægritudo & sanitas.

ἐξερεύνησον αὐτά

Mirabilia testimonia tua, ideo perscrutata ea est anima mea. Mirabilia sunt: quia & omne virtutis genus docent, & omne vitium arcẽt. & idcirco anima mea non simpliciter, aut vulgari quodam modo ea scrutata est, sed perscrutata: summa nimirum cum diligentia atque exquisitione.

Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Vel ipsis ætate paruulis, nec dum etiam viris: vel mẽte atque intellectu paruulis: vel ipsis etiam fidelibus, qui ex gentibus crediderunt, veluti nuperrime deo adiunctis: vel simpliciter, nouo populo christiano, qui paruuli nomen merito habet, propter voluntariam humilitatem.

Os meum aperui, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Os, inquam, animæ meæ, hoc est, mentem meam: hanc etenim mentem prauis ego cogitationibus claudens, & bonis aperiens, prudentiæ spiritum & sapientiæ gratiam attraxi. Verba autem illa, desiderabam, perscrutatus sum, superspersi, & alia huiusmodi, vehementiorem animi intensionem demonstrant.

Respice in me & miserere mei secundũ iudiciũ diligentiũ nomen tuum.

men tuum. Quilibet homo misericordia dei assidue indiget. respice igitur in me tentationibus afflictum. secundum iudicium vero, hoc est, iuxta determinationē, quam posuisti diligentibus te, iudicans te eorum misertum iri, atque auxiliaturum eis, & præsertim iis qui in tentationibus forent.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniquitas. Viam, inquit, vitæ meæ secundū legem tuam direxi. Non dominabitur igitur mei iniquitas, ita vt faciam eam. Omnis enim, qui facit peccatum seruus est peccati. vel iniquitatem dixit pro iniquo homine, rogans, vt iniqui homines sui non dominētur. omnem etiā iniustitiam dixit, quæcunque scilicet ea fuerit, pro nulla iniustitia.

Redime me à calumniis hominum, & custodiam mandata tua. Ne aut illi me calumnientur, aut ego illos, grauissimū enim quid est calumnia, & desperationem persæpe in eos immittit, qui pusillanimes sunt, atque in diuina sapientia parū cōfidunt. Pollicetur autem beatus Dauid diuina se obseruaturum mandata in retributionem, atque in præmium præstitæ sibi à deo libertatis. vel redime me, & custodi, ne perturber, à calumniis, quæ mihi sæpenumero impedimenta solent præstare.

ἐπίφανον *Faciem tuam ostende super seruum tuum: doce me iustificationes tuas.* Ostende mihi, inquit, illam potentiam tuam, quam in prospiciendo habes, & custodiēdo creaturam tuam, hoc est, respice in me. vel aliter facies patris est filius. Qui vidit, inquit, me, vidit & patrem. Vnde & patris character filius dicitur. Rogat igitur propheta incarnandum filium sibi ostēdi, qualis nimirum futurus sit, & tradendas similiter euangelij iustificationes edoceri. vel ex persona noui populi ad deū supplicat, petens mitti sibi hunc filium, & doceri se ab eo iustificationes legis.

διεξόδους ὑδάτων κατέδυσαν *Decursus aquarum subierunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Per aquarum decursus, charadras & valles intelligit, ac loca concaua, per quæ aquæ fluere solent. Oculi, inquit, mei lachrymando concaui effecti sunt, charadræque ac vallis cuiusdam speciem subierunt: vel contabuerunt lachrymarum copia: quam ideo emisi, quia transgressores non custodierunt legem tuam. Tota etenim nocte miseriam ego illorum deflebam. Intelligi etiam possunt hæc verba, vt pertineant

tineant ad Iudæos, qui inique agentes Christum interemerunt. Lachrymatus enim est dominus super eos, tanquā super cognatos, ac eiusdem generis homines.

Iustus es domine, & recta iudicia tua. Hoc assidue cogitare, dicere, credere, & confiteri optimum est.

Mandasti iustitiam testimonia tua, & ueritatem tuam ualde. Mandasti ea valde, iustitiam nimirum & veritatē. vel mandasti ea testimonia obseruari, vt valde iusta, & valde vera. Lex etenim tua quod iustum est, omnibus retribuit, tam iis qui recte agunt, quàm iis qui non recte: & verax etiam est, in promissionibus suis.

Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt uerba tua inimici mei. Zelus quo propter te accendor, quod ab eis spernaris: vel iusta ira, qua pro te commoueor, quod mandatorum tuorum obliti sunt, quodque à veteri meditatione sua recesserunt inimici illi mei, qui ob ardorem animi in te meum mihi infensi sunt.

Ignitum eloquium tuum uehementer, & seruus tuus dilexit illud. Purissima, inquit, atque immaculata est lex tua, quasi aurum quoddam ignitum, atque igne examinatum. Similem sententiam habuimus in psalmo vndecimo, ibi: eloquia domini eloquia casta, argentum ignitum. Eadem enim dictio vtrobique est, in græca lectione, quæ & ignitum significat, & igne examinatum. Hoc vero eloquium seu mandatum tuum is solus diligit. Qui seruus tuus est, qui tibi seruit, te colit, & cum timore veneratur.

Adulescentulus sum ego, & contemptus, iustificationes tuas non sum oblitus. Iuxta historiam beatus Dauid adulescentior erat inter cæteros fratres, & propter staturæ exilitatem fuit etiam contemptus à patre, quando Samuel propheta vnctu-rus eum in regem, aduenit. Fuit etiam iunior ipso Saul & neglectus ab eo, cum persecutiones ab eo varias sustineret: verumtamen hic iunior & neglectus supra hos omnes, diuinorum mandatorum meminit. Possumus etiam intelligere hæc verba, vt prolata sint ex persona noui populi, qui contemptus quidem & neglectus fuit ab antiquo Iudæorum populo, & tamen supra eum diuinam legem intellexit, atque obseruauit.

Iustitia tua iustitia in seculū. Diuina iustitia proprie ac vere est

est & dicitur iustitia. quencũque enim deus iustificauerit, is iuste atque in æternum iustificatur: hominum vero iustitia huiusmodi non est, sed temporalis & persæpe fallitur.

Et lex tua ueritas. Lex tua idem ferè est, quod veritas, cum in omnibus vera dicat. vel veritatem dixit, pro rectitudine, iuxta illud: Iustus es domine & recta iudicia tua. De hoc etiam dictum est in psalmo decimooctauo, ibi: Iudicia domini vera simul & iustificata.

Tribulationes & angustiæ inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est. Inter tot calamitates meas illud mihi vnicũ fuit solamen, quo dolorem leuabam, quod in mandatis tuis assiduus meditabar.

ζήσομαι σύν *Iustitia testimonia tua in seculum.* Hoc est, iustitia æterna, vt prædiximus.

Intellectum da mihi, & uiuam. Græca dictio συνέτισον, non solum significat intellectum da, sed etiam prudentem facito. si igitur intellectum & prudẽtiam mihi dederis, viuam, & vere viuam. nam qui prudentes non sunt, vere nõ viuunt. eorum etenim vita inanis est.

Clamaui in toto corde meo, exaudi me domine, iustificationes tuas exquiram. Dum tribularer, inquit, clamaui ad te: nec simpliciter, sed in toto corde meo: ideo exaudi me. nam si exaudieris, iustificationes tuas perquiram.

Clamaui ad te, saluum me fac, & custodiã mandata tua. Eandem repetit sententiam, preces suas magis intendens, & promissionem confirmari cupiens. saluum autem fac me, periclitantem scilicet.

ἐν ἀωρίᾳ *Præueni ante tempus, & clamaui, quia in uerba tua superspe rauí.* præueni, inquit, diluculum. in ipsa etiam intempesta nocte, cum tempus adhuc non esset, quo exurgere homines solent: & clamaui ad te, confidens in verbis tuis, quæ per sanctũ mihi spiritum manifestasti. clamabit enim, inquit, ad me, & ego exaudiam eum.

Præuenerunt oculi mei diluculo, ut meditarer eloquia tua. Ipsum etiam diem præoccupauerunt oculi mei, diluculi nimirum tempore: atque hoc vt legem tuam meditarer. orabat autẽ beatus Dauid ante tempus, hoc est, ante diluculũ. in ipso verò diluculo, meditationibus atq; cõtẽplationibus vacabat.

Vocem meam audi domine secundum misericordiam tuam. In tua scilicet

tua scilicet misericordia, ac tanquam misericors.

Secundum iudicium tuum uiuifica me. Secundum legẽ tuam fac, vt viuam, atque vt legitime viuam.

Appropinquauerunt persequẽtes me iniquitati, à lege autem tua longe facti sunt. Quanto illi magis iniquitati appropinquãt, tanto magis à lege tua se elongant. in quibusdam vero exemplaribus iniquitatem in quarto casu scriptũ est, vt sit sensus: quod persequentes me appropinquauerũt iniquitatem mihi, hoc est, iniquitatem suam prope me adduxerunt, ac penè cõprehenderunt me. huiusmodi vero homines tam praua operantes longe facti sunt à lege tua.

Prope es tu domine. Alibi etiam ait: prope est dominus omnibus inuocantibus eum. item alibi scriptum est: deus appropinquans ego sum, & non deus à longe, iuxta illud: Nõne cœlum & terram ego impleo? dicit dominus. Et rursus: adhuc loquente te dicam, ecce adsum. appropinquat igitur deus iis, qui per profectum & ascensum, ei pariter appropinquant. peccatores vero elongantur à deo. de eis enim scriptum est, ecce qui elongauerint à te, peribunt.

Et omnes uiæ tuæ ueritas. Tua omnia vera sunt, & firma. vel omnes prouidentiæ tuæ rationes, quibus mundum gubernas, veræ sunt, tanquam prouidentia tua vera sit prouidẽtia. vel omnia iudicia tua vera sunt, tanquam tuta & recta.

Initio cognoui ex testimoniis tuis, quòd in seculũ fundasti ea. A principio, inquit, ex his cognoui, quod æterna illa esse stabilisti. nam cum ea intelligere inciperem, cognoui quod fecisti immobilia ea esse, atque incommutabilia, & quod nullus ea aboliturus esset: quod si plura ex his per euangelium aboleri videntur, re vera tamen iuxta interiorem atque reconditum sensum non abolentur, sed iuxta exteriorem quandam apparentiam, & ipsius literæ vmbram, vt iam declaratum est.

Vide humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non sum oblitus. Vide, inquit, afflictionem meam, & ex huiusmodi me eripe calamitatibus: quia licet propter legem tuam affligerer, eius tamen oblitus non sum, nec sustinui iniquum aliquid agere aut odisse insidiatores meos. vel vide humilitatis meæ virtutem, & eripe me, quia legis tuę oblitus non sum, illius, inquam legis, quæ humilitatem iubet esse sectandam.

Iudica iudicium meum, & redime me. Iudicium meum dico, quod

quod cum iis mihi est,qui me oppugnant.

λόγον *Propter uerbum tuum uiuifica me.* Propter legem tuam,propter quam in mortis periculo constitutus sum, viuifica me à sæuissimis hostibus oppressum.

Longe à peccatoribus salus,quia iustificationes tuas non exquisierunt. Longe est salus ab iniquis. in periculo enim sunt, quia mandata tua contemnunt, verum mihi ea salus prope est.liberabor etenim ab illorum insidiis,quia mandata tua ego exquisiui. vel docentis sermo est,dicens, quod nulli peccatores saluabuntur, tametsi in hac vita fortunati ac felices esse videãtur. vel peccatores, à deo auxilium non consequẽtur,eo quòd illius iustificationes contempserunt.

Misericordiæ tuæ multæ domine,secundũ iudiciũ tuũ uiuifica me. Tu valde misericors es. fac igitur vt in vniuersali iudicio beatam ego vitam viuam,quando boni ac iusti in vitam abibunt æternam. vel fac me in hac vita viuere secundum legẽ tuam,adiuuans promptitudinem meam,& simul cooperans.

Multi qui persequuntur me & tribulant me, à testimoniis tuis nõ declinaui. Complures visibiles, atque inuisibiles persequutores sunt, qui quærunt me comprehendere,& omne tentationum genus excitant, verum ego in te solo fretus à testimoniis tuis auersus non sum. variis autẽ modis repetit prophetа ea,quę sæpe ab eo dicta sunt,& diuersis prolata tẽporibus.

ἀσωτεῖν τας *Vidi insipientes & tabescebam,quia eloquia tua non custodierũt.* Superius etiam dixisse eum legimus,tabescere me fecit zelus meus,quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Vide quoniam mãdata tua dilexi domine,in misericordia tua uiuifica me. Aliquãdo viuificari petit propter mandatorũ obseruãtiam, & aliquãdo propter misericordiã dei: illud quidẽ vt se iustificet,hoc vero vt modestiam, atq; humilitatem suã in exemplum cæteris proponat. perfectioris autem animæ est quod secundo loco eum facere diximus. nemo enim,vt inquit Apostolus,ex operibus legis iustificatur.vide in psalmo centesimosecũdo,quæ dicta sint, in illo versiculo:qui coronat te misericordia & miserationibus.

Principium uerborum tuorum ueritas. Omnia, inquit, verba tua veritate nituntur.nam si earum principia sunt vera,consequenter & reliqua etiam vera sunt,& principio suo correspondent. fortasse etiam de primis verbis loquitur, quæ locutus

cutus est dominus ad Adam: ab omni, inquiens ligno, quod in paradiso est,comede.de ligno autem scientię boni & mali non comedetis. in quacunque autem die comederitis,morte moriemini. principium enim est hic sermo verborum omnium,quæ à deo ad hominem dicta sunt: qui à deo etiam fuit verus,vt in vniuersum humanum genus mors imperium sumpserit.

Et in seculum omnia iudicia iustitiæ tuæ. Hoc est,æterna sũt, atque inconcussa. nam & superius dixit: quia in seculum fundasti ea.

Principes persecuti sunt me gratis,& à uerbis tuis formidauit cor meum. Non ab illis formidauit, qui occidunt corpus sed à verbis tuis: quia tu non corpus tantum, sed animam etiam occidere potes in gehenna,hoc est, mãdata ego tua magis timui,quàm seculi huius principes, ob quorum timorem nunquam ego aliquid aduersus tua commisi mandata. intelligere etiam possumus principum nomine ipsum Saul regem: quem cum beatus Dauid occidere sæpius potuisset, ob venerationem tamen mandatorum dei abstinuit. principi enim, inquit,populi tui non maledices. quod si maledicere prohibemur,quanto magis lædere,aut occidere?

ἀγαλλιᾶ σομαι *Exultabo ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Quemadmodum,inquit,quis diues efficitur inuentis spoliis, ita eloquia tua mentem illuminantia, & scientiæ thesaurum præstantia,me diuitem faciunt.

Iniustitiam odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi. Non simpliciter odio habui,sed etiã abominatus sum. est autem abominatio maior quædam odij intensio. de odio enim iam superius dixerat: iniquos odio habui & legem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ. Septies apud Hebræos sæpenumero ponitur pro pluries. sæpe, inquit,in die laudaui te,propter iudicia iustitiæ tuæ.hoc est, propter legem tuam, vel propter dispensationes, atq; administrationes tuas.quæ cum iudicio à te fiunt: cum iuste omnia & decenter facias.quod si septies referri dicamus ad numerum, diem hic intelliges perfectũ, hoc est,diem & noctẽ. & cõnumera hoc pacto,mediam noctem,diluculum, manè, tertiam horam,sextam,nonam,& vesperas.

Pax multa

Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Diligentibus legem tuam pax est, non cum inuisibilibus inimicis, sed cum deo: & non est illis offendiculum aliquod. lex etenim omnem illis viam virtutis explanat, & omne peccati impedimentum aufert. vel illis est pax cum iis, qui eiusdem sunt fidei, tametsi hi sæpenumero pacem habere cum eis nolint.

Expectabam salutare tuum domine, & mandata tua dilexi. Et dilexi ea, vt adinuenirem, quod expectabam.

Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea uehementer. Non solum custodiuit, sed etiam dilexit: nec tantum dilexit, sed dilexit vehementer.

Seruaui mandata tua & testimonia tua. Quæ superius diuisit, nunc coniungit.

Quia omnes uiæ meæ in conspectu tuo domine. Causa, inquit, huius obseruationis meæ est, quia omnes cõuersationis meæ viæ, & omnis actio mea in conspectu tuo perficitur, & te teste, vitæ meæ semitam ambulo. præuidebam enim, inquit, dominum in conspectu meo semper. vnde timens te, qui omnia mea semper vides, obseruo etiam mandata tua, & testimonia tua.

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo domine. Non auertatur, nec repudietur à te, tanquam quæ admittenda nõ sit. quæ nam autem fuerit hæc deprecatio, audi.

Iuxta eloquium tuum da mihi intellectum. Ecce prophetæ nostri deprecationem. fac, inquit, me non iuxta humanas artes, aut mundi scientias sapere, sed iuxta rationem tuam, vt & sermones tuos intelligam, & legem tuam ad plenum cognoscam.

Intret postulatio mea in conspectu tuo domine. Postulationẽ Aquilas orationem dixit, & Symmachus suppositionem. & superius quidem dixit: appropinquet: modo vero, intret. nã si appropinquauerit omnino etiam intrabit.

Secundum eloquium tuum eripe me. Iuxta sapientiam tuam libera me ab afflictionibus: vel iuxta promissionem tuam, quemadmodum & superius dictum est. nam priuatim dominus ei pollicitus fuerat, auxilium atque opem suã se illi præstiturum esse.

ἐξερεύξαιντο *Eructent labia mea hymnum cum docueris me iustificatiões tuas.*

Simulac

Simulac iustificationes tuas sapientius me docueris, hymnum aliquem in gratiarũ actionem mea efferant labia: hymnum, dico, priuatu aliquem, qui pro huiusmodi acceptis beneficiis in laudem tuam, atq; in gratiarum actionẽ conscriptus sit. hoc autem orationis & precum genere suũ propheta omnibus ardentissimum demonstrat desyderium.

Pronunciet lingua mea eloquia tua. Assidue ea loquatur, ita vt semper eadem, aut mediter, aut alios doceam, & nulli rei alij vacem. φθέγξοιτο

Quia omnia mandata tua, iustitia. Hoc est rectitudo, seu directio: mandata, inquam, tua humanam vitam moderantia. huiusmodi autem sermone superius etiam vsus est, dicens: iudicia testimonia tua.

Fiat manus tua, ut saluet me, quia mandata tua elegi. Adueniat, vt saluet me. huiusmodi illud est, quod alibi legimus: esto mihi in deum protectorem.

Concupiui salutare tuum domine, & lex tua meditatio mea est. Salutem eam concupiui, quæ à te est, & non humanum aliquod auxilium: atq; ideo lex tua meditatio mea est, vt per eã ab inimicorũ insidiis me eripias. possunt hæc etiam intelligi dicta esse de saluatoris nostri incarnatione, quæ quoddam mundi salutare à deo missum merito appellatur, (natus est enim, inquit, nobis hodie saluator.) quod salutare propheta noster videre optabat: quemadmodum alibi diximus. vnde merito subdit: lex tua meditatio mea est: veluti quæ de huiusmodi sæpenumero loquitur salutari: tametsi adumbrate atque obscure admodum illud nobis significet.

Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. Viuet anima mea veram vitam, quando qui bona fecerunt, ibunt in vitam æternam: & laudabit te tũc sublimius & perfectius. & iudicia tua legalia adiuuabunt me, qui ea seruaui, & non mediocrem mihi fiduciam præstabunt, quædam vero exemplaria habent optantis in modum, viuat & adiuuẽt: ita vt precetur propheta viuere vitã ex virtute, quæ proprie vita est: & adiuuari ad hoc à lege, quæ dirigat eum, & moderetur, vt prædictum est.

Erraui sicut ouis perdita: quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Erraui non deperdita aut relicta via mãdatorum tuorum, sed erraui in montibus, errabundus illic de-

gens, huc atque illuc pertransiens, dum persecutionem sustineo. quære igitur me, & iterum ad priorem habitationem reducito, persecutores meos compescens: quia mandata tua nō neglexi. vel sermo est ex noui populi persona. erraui, inquit, quasi ouis perdita per rectam religionis semitam non ambulans, sed per obliquas quasdam atque ambiguas vias, quæ ad perditionem ferunt. quære seruum tuum. omnia, inquit, seruiunt tibi. quære eum igitur tu, ô pastor bone, qui iuxta euangelicam deperditæ ouis parabolam, animam posuisti pro ouibus tuis, & me perditam ouem ad ouile tuum congrega. verum quod sequitur, aduersari videtur huic sensui. neque enim obliuisci dicitur mandatorum dei is, qui nondum ea didicit, sed qui ea olim edoctus est. nisi quis fortasse tempus, hoc in loco, positum esse dicat pro tempore: non sum oblitus, hoc est, non obliuiscor.

ἀναβαθμῶν

Canticum ascensuum.

Quindecim hæc cantica eandem prorsus inscriptionem habent: uidelicet canticum ascensuum: uel iuxta alium interpretem, canticum ascensionum. huiusmodi autem inscriptionem sortita sunt, quia captiuos in Babylone Iudæos ascensuros esse prædicunt in Hierusalem. continent nanque huiusmodi materiam, & tradunt quomodo illi tunc in captiuitate constituti, deum rogauerint, ac tandem ab eo exauditi, suam patriam receperint. & incipiunt quidem à clamore atque à precibus, quas ad deum fundebant, cùm ea calamitate premerentur, finem uero habent, qui ad illud tempus pertinet, quo integre in patriam restituti fuerunt. & hoc quidem secundum historiam. iuxta anagogen uero huiusmodi inscriptionem habent hæc cantica, quia inter cæteros psalmos huiusmodi præcipue dei populum à Babylone, hoc est, à seculi huius confusione, ubi in passionum atque in affectuum seruitute captiuus detinebatur, ad supernam deducunt Hierusalem. quicunque enim legerit, atque intellexerit, quanto antiquus ille populus, terrestris Hierusalem teneretur desyderio, & quomodo lamentabatur, & quales ad deum emittebat uoces: quæ nam etiam diceret uerba, cum illuc reduceretur: atque ea denique omnia, quæ in his canticis continentur, ardentior profecto, & ipse reddetur, & uehementiori amore flagrabit supernæ ac cœlestis Hierusalem.

PSALMVS. CXIX.

AD *dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* In captiuitatis scilicet calamitate, quam in Babylone sustinui. clamorem autem non oris intelligit, sed animæ valde dolentis & contritæ atque ad solum deum intentæ, qui solus eripere hominem potest à periculis. huiusmodi etenim animæ clamorem statim exaudit deus. verba autem hæc ex fidelium etiam persona dicta esse possunt.

Domine eripe animam meam à labiis iniustis, & à lingua dolosa. Hoc est, quod à deo petiit cum clamaret. vel hoc vnà cum aliis, quæ inferius postulasse eum videbimus. per labia autē iniusta, ea intelligit, quæ iniustitiam in alto loquuntur, quēadmodum in septuagesimosecundo psalmo scriptum est. vel calumniantium, & iniquorum hominum labia. linguam etiam dolosam, eorundem linguam appellat, vel speciatim insidiatorum linguam.

Quid detur tibi & quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Alius interpres reddidit, quid dabitur tibi, & quid apponetur? ad ipsum enim supplicantem propheta sermonem conuertit interrogans, quænam ei defensio, seu quænam dabitur vindicta aduersus dolosam linguam illam. & significare nobis videtur hoc sermone, vel quod huiusmodi lingua ob summam suam malignitatem difficillime poterit superari, vel quod nulla ei defensione aut vindicta aduersus talem linguam opus est: cum doloso homini, dolus ipse satis ampla sit pœna.

Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Hoc etiam à propheta ad supplicantis populi consolationem dictum est, cui his verbis suadere nititur, tristandum ei minime esse. cum potentis dei sagittæ acutæ effectæ sint aduersus iniquos, & dolosos, & cum desolatoriis pariter carbonibus paratæ: ita vt iniqui ferro cędendi, atque igne exurendi & penitus delendi sint. per sagittas autem & carbones varia suppliciorum, ac pœnarum genera intelligit. quidam vero per potentem hoc in loco, diabolum significari dixerunt, tanquam inualescentem aduersus negligentes, atque inertes: & per sagittas cū carbonib⁹ desolatoriis, cogitatiōes quascunq; passionum, atque affectuum plenas. nam & cito

sagittarum instar penetrant : & carbonum, hoc est, ardentium prunarum instar incendunt, & virtutem delent, quasque ipse etiam Apostolus carbones ignis appellauit. deinde rursus sermo est, ex persona supplicantis populi. sequitur enim.

παροικία

Heu mihi quia peregrinatio mea prolongata est. In Babylone nimirum, seu in captiuitate, cuius nunc diuturnitatem deplorat.

Habitaui cum tabernaculis Cedar. Habitaui, inquit, in medio tabernaculorum Cedar. hanc etenim miseriam etiam deplorat. Cedar autem regio quædã est, Babyloni proxima, quæ habitatores prauos habebat. inter hos vero, Babylonij Iudæos habitare statuerant. & quia Cedar interpretatur obtenebratio, non immerito ij, qui inter tenebrarum tabernacula habitant, lamentantur. possumus autem tenebrarum tabernaculum appellare, moram illam, ac consuetudinem, quam quis inter animi affectus & passiones ducit, quæ mentem obtenebrant.

παροικισεν

Multum peregrinata est anima mea. Multis annis, ac longo tempore in captiuitate peregrina fuit.

Cum iis qui oderant pacem, eram pacificus. Cum contentiosis illis hominibus Cedar pacem agebam, nec pro mundana aut temporali re vlla eis aduersabar : quinimmo vt captiuus omnia illis permittebam. docemur autem his verbis tales fieri & nos, cum omnibus scilicet pacem habere. nam si cum iis etiam, qui pacem ipsam oderunt, pacificos nos esse decet, quanto magis cum iis, qui pacem amauerint? erimus autem tales, si veluti hospites atque exteri in hoc mundo vixerimus, si tanquam peregrini conuersabimur, non contendentes pro præsentibus huius seculi rebus, neque animum in eis quasi in permanẽtibus ac perpetuis rebus ponentes.

Cum loquebar illis, oppugnabant me gratis. Gratis dixit pro sine causa, nullam nimirum occasionem habentes, sed temere omnia administrantes: quod ex eo perspicere licet, quod nec tunc parcebant mihi, quãdo ego pacifice agebã cum eis.

Canticum ascensuum.

PSALMVS CXX.

Leuaui oculos meos in mõtes, unde ueniet auxiliũ mihi. Hoc cantico ea verba prædicuntur à propheta, quæ dicturi erant Iudæorum captiui, cum ex Babylone discessuri essent, & ascensuri in Hierusalem. per montes autem cœlos intelligit, ob summam scilicet eorum altitudinem. illinc etenim sperabant aduenturum sibi esse consuetum dei auxilium: quo ducente illæsi in patriam peruenirent. deinde sermonem suum magis declarat, dicens.

Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum, & terram. Ab eo qui vere dominus est. proprium enim dei est, vt omniũ creator dicatur, cum ipse solus sit, qui possit creare. & nos igitur si animæ oculos in cœlum leuauerimus, eosque à terrenis rebus omnibus dimouerimus, diuinum simili modo consequemur auxilium.

μὴ δῴης

Ne des in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te. Hoc ad fraternum amorem pertinet, vt vnusquisque pro altero effundere ad deum preces addiscat. ne des, inquit, pedem tuum in commotionem, hoc est, in fluctuationem: neque à recta virtutum via auertaris : ne idcirco ipse etiam deus, qui te custodire solebat, dormitet, hoc est, ne ipse etiam negligens videri possit in iis quæ ad custodiam tuam pertinent : eo quod inaduertenter sis lapsus. vel, ne des iter tuum in fluctuantia & lubrica negotia, sed tutam legis, ac mandatorum semitam conscende, quæ rectum iter incedentibus præstat.

οὐ νυσταξῇ οὐδὲ ὑπνώσει

Ecce non dormitabit, neque soporabitur, qui custodit Israel. Deus eum non negliget, nec negligenter aliquid erga illum aget, qui per tutam, quã diximus, viam incesserit, & à lubrico seculi calle abstinuerit. possumus & nos fideles omnes dici nouus Israel: quemadmodum sæpe alibi diximus : præcipue in psalmo quadragesimotertio, ibi : Exurge, quare obdormis, domine.

φυλάξει σε ὁ θεὸς χειρα δεξιὰν σου

Dominus custodiet te, dominus protectio tua ad manũ dexteram tuam. Dominus te hoc pacto incedentem custodiet, dominus protectio tibi erit, iuxta manum dexteram tuam, hoc est, adiutor tibi erit in bello. solent enim, qui aliquem protegunt, illius dexteræ assistere. vel, protectio tua

ad dexteras actiones tuas : protegens nimirum te bona opera facientem . vel, protectio tibi erit per actiones tuas bonas,& dexteras.

Per diem sol non uret te,neque luna per noctem. Tantam tui curam habebit,vt neque solem,aut lunam permittat tibi perturbationem aliquam inferre : quod dixit, vt summum erga huiusmodi hominem dei studium esse demonstraret . verisimile est autem antiquum populum prædicto tempore hanc gratiam à deo fuisse consecutum. Lunam autem vrere dixit, iuxta aliquos, eo quod non humida sit tantum,sed etiam calida. vel sol non vret te, neque etiam luna lædet te . vrere enim dixit pro lædere.

Dominus custodiet te ab omni malo, custodiet animam tuam dominus. Eandem sæpius repetit sententiam, sermonem confirmans , & diuinæ protectionis desyderio nos exhortans, vt per rectam, quam diximus,virtutum semitam incedamus. vel custodiet corpus tuum , & animam tuam , ab omni periculo.

Dominus custodiet introitum tuum & exitum tuum. Hoc est, conuersationem , & vitam tuam . vel ingressum in hanc vitam, & exitum ex ea. vel omnem vitam,quæ in ingressu, atque in exitu perspicitur.

Ex nunc & usque in seculum. Hoc est, & in futurum : vel vsque in seculum vitæ tuæ.

Canticum ascensuum.

PSALMVS. CXXI.



Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domũ domini ibimus. Huiusmodi verba dicebant , cum incederent, & proficiscerentur cum gaudio.

Stantes erant pedes nostri in aulis tuis Hierusalem. Cum prædicta audissemus verba , pedes nostri illico stantes erant in aulis Hierusalem,opinione scilicet , seu reputatione nostra. visus enim mihi sum illic consistere , ita animo imaginatus ob vehemens patriæ desyderium.

Hierusalem ædificata,ut ciuitas. O Hierusalem, quæ olim, vt vera ciuitas,constructa es.

Cuius

Cuius participatio eius in idipsum. Vel iuxta alium interpretem:cuius contiguitas simul est, hoc est, cuius participationes,atque habitationes ob inhabitantium multitudinem contiguæ , atque in vnum connexæ sunt. Nam quod ait:in idipsum:idem est,quod vnà,aut simul.

Illuc enim ascenderunt tribus , tribus domini. Hoc ad maximam Hierusalem laudem dictum est. Neque enim adeò magnitudine sua,aut ædificiorum structuris, ornata erat, quantum vna hac re,quod vniuersæ tribus populi Israel, ter in anno illuc congregabuntur , quando totus populus in vnum conueniebat: in Paschate nimirum , in Pentecoste , atque in Scenopegiis . Illuc igitur olim ante captiuitatem ascenderunt tribus Israel, illuc congregabantur . Domini autem tribus eas appellauit,tanquam peculiarem dei populum,vel tanquam tribus à deo ordinatas.

Testimonium ipsi Israel. Quæ res,inquit,demonstratio quędam est non vulgaris ipsi Israelitico populo, diuinæ promissionis, quæ finem suum iam est consecuta. Nam & multiplicatum est semen Habraam, & promissionis terram obtinuit. Vel contestatio hæc fuit populo Israel . Contestatus est autem deus , quod aliquando , & certis temporibus illic essent congregandi. Ordo est, illuc ascenderunt tribus , & quæ sequuntur: ita vt abundet dictio,enim. Et quod ait : testimoniũ ipsi Israel,defectiuus est sermo. Subintelligenda enim est dictio,iuxta· vt sit sensus, quod illuc ascenderunt iuxta contestationem & diuinum mandatum à deo olim factum ipsi populo.

Ad confitendum nomini domini. Hoc est, vt per diuinum cultum à lege ordinatum,condignas deo gratias agerent.

Quia illic collocatæ sunt sedes in iudicium. Ecce alia laus vrbis Hierusalem. Illic etenim stabiliti sunt,inquit, regales throni ad populum Iudicandum. ἐκάθισαν θρόνοι

Sedes super domum Dauid. Hoc est,in domo,seu in palatio Dauid. Vel,primo loco sedes sacerdotum dixit, secundo autem loco regias sedes.

Interrogate quæ ad pacem sunt ipsam Hierusalem. Ad ipsam, inquit , Hierusalem pacifica loquimini verba . Pax scilicet sit tibi:pax populo . Deinceps etenim immensam , atque (vt ita dicam) profundam pacem habebit,& gaudium. Alius ve- ἐρωτήσατε

ro interpres: salutate eam: dixit.

Et abundantia diligentibus te. Et abundabunt non tui tantum ciues, sed vicinæ etiam gentes, quæ te diligunt. Prophetiam autem continent hæc verba.

Fiat pax in uirtute tua. Alius autem interpres in futuro dixit, fiet. Per virtutem autem, ipsos Iudaici populi milites intelligit, quibus certissima erit pax, si bellum, aut hostem nullum habuerint.

Et abundantia in turribus tuis. Alius etiam interpres in regiis tuis dixit: & alius in septis tuis. Illud etiam sciendum est, quod in Græca lectione, non in turribus simpliciter legimus, sed in πυργοβασίαις: qua dictione hoc in loco mœnia turribus circunsepta ac munita intelligimus.

Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te. Propheræ verba sunt ad ipsam Hierusalem. Propter cognatos, inquit, meos Israelitas, & propter tribus eiusdem populi, rogabam pacem pro te: vt illi nimirum in pace degentes & deum suum colerent, & pro acceptis beneficiis condignas ei gratias agerent.

Propter domũ domini dei nostri quæsiui bona tibi. Propter sacrũ dei templum, quod in te constructum est, tranquillitatẽ, atq; abundantiam tibi studiose quæsiui: vt proprium scilicet, atque antiquum decorem recuperares, & diuinum cultum lege constitutum.

Canticum ascensuum. PSALMVS CXXII.

AD *te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlo.* Ex eiusdem populi persona proficiscentis in patriam, legenda sunt hæc verba. Habitare autem deus dicitur in cœlo, veluti, qui in sanctis, ac mundissimis angelicis virtutibus, illic in cœlo habitantibus, requiescit. Nam & de sanctis, qui in terra sunt, dictum legimus inhabitabo in eis, & inambulabo.

Ecce sicut oculi seruorum ad manus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ ad manus dominæ suæ, ita oculi nostri ad dominum deum nostrum, donec misereatur nostri. Hac seruorum atque ancillarum comparatione, seu exemplo: illud significare volunt, quod ad deum assidue & constanter aspiciunt, quodque nullam

lam aliunde habent auxilij spem, quinimmo, & quod nunquam desistent, donec misericordiam consequentur. Verbum autem, misereatur, tametsi optantis modum teneat, futuri tamen significationem habet, pro miserebitur. Quidam etiam dicunt ancillæ comparationẽ ideò appositam fuisse, vt maiorem affectionis intensionem in deum ostenderent. Magis etenim id fieri solet ab ancillis, vtpote infirmiori sexu, quàm à seruis.

Miserere nostri domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione. Contemptu, inquit, atque opprobrio, ab iis afficimur, qui nos fecere captiuos, atq; à prauis etiam vicinis qui calamitatibus nostris delectantur: vel ab aliis gentibus per quarum regiones in patriam incedebant. Repetitio autem illa verbi miserere, ardorem quendam animi demonstrat: supplicant igitur ea ratione misericordiam à deo consequi, & celerius in patriam restitui.

Amplius repleta est anima nostra. Prædicta scilicet despectione. ἐπὶ πλεῖον

Opprobrium abundãtibus, & despectio superbis. Subaudi verbum obueniat. Obueniat igitur opprobrium, & despectio ad humiliationem scilicet, atque eruditionem eorum, ne dum prospere omnia eis succedunt, & superbi sunt, extollantur inde, atque eleuentur aduersus humiliores, atque infortunatos homines. Congruit etiam hic psalmus iis omnibus qui ad supernam ambulant Hierusalem, quique à visibilibus atq; ab inuisibilibus læduntur inimicis.

Canticum ascensuum. PSALMVS CXXIII.

NISI *quia dominus erat in nobis (dicat sanè Israel) nisi quia dominus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos, sanè uiuos deglutissent nos.* Hæc verba ex eorum persona prolata sunt, qui iam reuersi erant in Hierusalem. Agunt enim gratias deo, atque hortantur vniuersum populum, vt cum eis dicant: quod cum quidam hostes aduersus eos modo ex captiuitate reuersos, consurrexissent (vicinæ enim gentes contra eos bellum mouerant, cum nondum munita esset Hierusalem) nisi erepti, inquiunt, ἀρα

pti, inquiunt, fuissemus à periculo, ea ratione, quia dominus erat in nobis, præ summa sanè tunc inuidia, viuos nos omnes deglutissent. Hoc autem figurato sermone Propheta summam imminentis ruinæ celeritatem denotauit. Quidam etiam aiunt dictionem, quia, hoc in loco abundare.

Cum irasceretur furor eorum in nos, sanè aqua demersisset nos. Per aquam vehementem hostium impetum intelligit. Qui idcirco ira ac furore perciti erant, quod Iudæorum populus fuisset in patriam restitutus. Dictionem autem sanè, posuit pro, cæterum, seu etiam pro, vere.

Torrentem pertransiuit anima nostra. Vehementem atque inordinatum hostium impetum momentaneumque, & omne obuium secum rapientem, turgido torrenti comparat, quemadmodum & superius aquæ comparauit. Pertransisse autem dixit pro, prætergressam esse, atque effugisse. Anima etiam nostra dixit, pro ipsi nos, veluti à parte totum significans.

Sanè pertransiit anima nostra aquam intolerabilem. Vere eam prætergressi sumus, atque in securitate nunc consistimus.

Benedictus dominus qui non dedit nos in prædam dentibus eorum. Per dentes, & feritatem & potentiam hostium denotauit: quasi auidi viderentur, vt ipsos etiam viuos homines deglutirent.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo uenantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Quemadmodum hostium vires, ac feritatem denotauit, indignationeque & potentia armatos eos esse docuit, ita etiam populi debilitatem declarat, passeri illum comparans. Est etenim passer infirmissimum quoddam animal, & captu facillimum. per laqueos vero insidias eorum varias, ac machinationes intelligit, quas omnes contritas esse dicit, ac dissolutas.

Adiutorium nostrum in nomine domini, qui fecit cœlum & terram. Non in curribus neque in equis, aut in huiusmodi viribus, quemadmodum in psalmo decimonono prædictum est, sed in nomine domini, qui vere deus est, hoc est, adiutorium nostrum in sola dei inuocatione consistit: dum scilicet vel deum illum appellamus, aut alio modo eum inuocamus. Vel, in nomine domini circunloquendo dixit, pro in domino.

in domino. Congruit etiam hic psalmus iis omnibus, qui diuina prouidentia à tentationibus, & à calamitatibus fuerint liberati.

Canticum ascensuum. PSALMVS CXXIIII.



Vi confidunt in domino, sicut mons Sion. Hic psalmus optime consequitur ad præcedentes, & gratiarum actiones continet, pro liberatione ab inimicis. Ij, inquit, qui confidunt in domino, erunt, sicut mons Sion: constantes nimirum, incommutabiles, & securi.

Non commouebitur in seculum, qui habitat in Hierusalem. Qui habitant, inquit, in Hierusalem in seculum, hoc est, per totum seculum determinatum non euertentur, nec decident. Proprie autem hæc Prophetæ verba ad eos pertinent, qui in superna ac cœlesti habitant Hierusalem. Illi etenim nunquã commouebuntur.

Montes in circuitu eius, & dominus in circuitu populi sui, ex nunc & usque in seculum. Maximam etiam, inquit, securitatem habet ob montes qui in circuitu eius sunt, verum illa præcipua est omnium securitas, quod dominus eam custodit. Idcirco, qui illic habitant non commouebuntur vsque in seculum: in seculum, inquam, quod ad ipsius Hierusalem salutem, iam à deo determinatum est, vt diximus.

Quia non dimittet dominus uirgam peccatorum super sortem iustorum. Causam reddit diuinæ custodiæ. Per peccatores autem, impios, atque iniquos omnes intelligit, quales etiam ipsi sunt dæmones. Per virgam vero, eorundem regnum, aut potentiam intelligit. Iustos vero eos appellat, qui secundum legem viuunt.

Ne extendant iusti ad iniquitatẽ manus suas. Iustos deus sua hac custodia, & protectione frui voluit, vt iniquum aliquid non attingant, sed benefactorem colant.

Benefac domine bonis, & rectis corde. Sermonẽ suum Propheta in orationem conclusit. Bona, inquit, facito domine, & bona dato hominibus bonis & rectis, qui non peruerso aut doloso, sed simplici sunt corde.

Declinantes

Declinantes autem in tortuositates adducet dominus cum operantibus iniquitatem. In tortuositates, hoc est, in peruersa atque obliqua. Huiusmodi enim homines adducet deus ad pœnas, & perpetuis eos tradet suppliciis. vel repellet eos tanquã iniquis hominibus similes.

Pax super Israel. Subaudiendum est verbum, sit. Cõgruit etiam hic psalmus iis, qui in excelsa atque incõmutabili ecclesia habitãt, in cuius circuitu sunt sublimes doctores, munientes nimirum & custodientes eam, & Christus etiam in circuitu populi sui.

Canticum ascensuum. PSALMVS CXXV.

Cum conuerteret dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Hic psalmus etiã consequentem ad præcedentes materiam continet. Per cõuersionem enim propheta, reditum ac restitutionem intelligit in patriã: cuius patriæ filios, hoc est, cuius populum in captiuitate olim constitutum, captiuitatem Sion appellauit. Per consolationem vero, refrigerium intelligit. Reuersi, inquit, in patriã valde refrigerati sumus. Nam Græca dictio ὡσεὶ, pro qua interpres reddidit, sicut, nõ solum hanc significationẽ habet, sed interdum ponitur pro quàm, id est pro valde, quẽadmodum & alibi. Quàm bonus deus Israel. Vtrobique enim eadem habetur dictio. Vel facti sumus quemadmodum consolati, hoc est, in gaudio fuimus atque in lætitia.

Tunc repletum est gaudio os nostrum. Hoc est iucundis ac lætis verbis, quæ summum animæ gaudium significabant.

Et lingua nostra exultatione. Idem repetit. Prædicit autem quæ futura erant, veluti iam facta.

Tunc dicent inter gentes. Tunc ij qui in gentibus sunt, dicent. vel simpliciter, gentes visa admiranda populi restitutione cum admiratione dicent.

Magnificauit dominus facere cum eis. Hæc sunt verba quæ finitimæ gentes dicent, loquentes de nobis Iudæis: magnificauit dominus facere cum eis: eo quod magnam in eis fecit misericordiam. Deinde iterum sermonem profert ex populi persona dicens.

Magnificauit

Magnificauit dominus facere nobiscum. Vere magnificauit, vt diximus: est etiam proprium hoc idioma Hebraicæ linguæ dicere: dominus fecit cum illo. subintelligitur enim dictio, misericordiam.

Facti sumus lætantes. Et quia restituti sumus in patriam, & quia dei potentia nota facta est vicinis gentibus.

Conuerte domine captiuitatem nostram sicut torrentes in Austro. Supplicant deinceps pro iis qui in captiuitate remanserant. Multi enim in Babylone relicti fuerant, quibus pari modo reditum in patriam præstari petunt. Conuerte, inquit, domine reliquias nostræ captiuitatis, ipsamque captiuitatẽ vrge atque impelle, non secus ac vrgere atque impellere soles torrentem per austrum. Solet enim hic ventus disiecta ac liquefacta nubium densitate pluuiam adducere, & torrentes magno cum impetu mouere. vel huiusmodi metaphora vsus est, optans captiuitatem torrentis instar cito ferri, ita vt quãprimum cesset, & tota prorsus euacuetur, Iudæorum nemine in Babylone amplius relicto. Cito etenim exsiccantur torrentes. vel per austrum, seu notum, ipsam intelligit Hierusalem, hoc nomine à prophetis persæpe alibi appellatam, tanquam situ suo vergentem ad austrum. Conuerte, inquit, eam captiuitatem in austro, hoc est in Hierusalem.

Qui seminant in lachrymis in exultatione metent. Qui seminant spem salutis in orationum lachrymis, huiusmodi spei fructum metent in exultatione. Fructus autem erit liberatio à pressura. Totus autem hic sermo iis congruit, qui in tentationibus sunt.

Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Ab vniuersalibus ad particularia pertransiit, de iis loquens, qui in captiuitate fuerãt, & dicit: quod cum irent in captiuitatem, in itinere ibant, & flebant, spem illam seminantes, quam diximus.

Venientes autẽ uenient in exultatione, tollentes manipulos suos. Verum in eorum reditu venient illinc exultãtes, & messem, hoc est seminatæ spei fructum ferentes: quem ideo in lachrymis seminarunt, quia quemadmodum frumenti semen indiget pluuiis, ita & huiusmodi spei semen, ad ferendos fructus indiget lachrymis: & quemadmodum terrenus ipse ager, aratri ferro indiget vt concreta terra scindatur, atque incidatur, ita & anima afflictionibus indiget, & tentationibus, quæ

maiori

maiori quadam duritie illius duritiem molliant, ne ſpinas germinet, aut tribulos, aut huiuſmodi alias noxias herbas.

Canticum Aſcenſuum. PSALMVS CXXVI.

NIſi *dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerunt qui ædificant eam.* Cum reuerſi eſſent Iudæi ex captiuitate, templumque & ciuitatem rurſum ædificare cœpiſſent, prohibebãtur à vicinis gentibus ob inuidiam pariter & timorem, ne eorum res proſpere ac feliciter ſuccederent. Et multum quidẽ temporis fuit, annorum ferme quadraginta, quo & Iudæi ædificare, & illi contrà modis omnibus impedire eos nitebantur. Hoc igitur erudiens propheta noſter docet, vt ad deum confugiant, & coadiutorẽ incepto operi inuocẽt, atque in hanc prorumpit ſententiam: niſi dominus cooperatione ſua adſtiterit, & domum ipſe conſtruendam ædificauerit, fruſtra omnes ædificantes laborant. Diſtulerat autem aliquot annis deus ſuum Iudæis auxilium impẽdere, vt paulatim à ſomno, vt ita dicam, excitarentur, & ne diuturna quiete inertiores fierent, atque ad prioré redirent prauitatem, veluti quos celeriter ac de facili deus liberaſſet à malis. In vniuerſum etiã hic ſermo multis poteſt caſibus, ac propoſitis accommodari.

Niſi dominus cuſtodierit ciuitatẽ, fruſtra uigilat, qui cuſtodit eam. Sed quid dico, inquit, de ciuitatis ædificatione, cum neque conſtructam ac iam perfectam ciuitatem cuſtodire, aut conſeruare quis poſſit abſque illius auxilio?

τὸ ὀρθρίζειν ἐγείρεσθαι μετὰ καθῆσθαι

Vanum eſt uobis ante lucem uigilare, ſurgere poſtquam ſediſtis, qui manducatis panem doloris. Cæterum, inquit, vos, ô Iudæi, qui doloris panem manducatis, hoc eſt, qui nec panẽ ipſum abſque dolore comeditis, qui in afflictionibus vitam ducitis, admoneo, fruſtra id à vobis fieri, vt ante lucem ſummo mane, operi atque ædificationi incumbatis. Fruſtra etiam à vobis fit, vt poſtquàm ſediſtis, ſtatim ad accelerandum ipſum opus ſurgatis, hoc eſt, quod & noctu ſomno non vacatis, & interdiu nulla fruimini quiete. Quib⁹ verbis dolore illos atque anguſtiis plenos eſſe oſtendit: ea nimirum ratione, quia non ſolum fatigabantur laborando, ſed etiam aduerſus hoſtes eis pugnandum erat. Armati etenim mœnia conſtruebant, & bant, & aduerſus impedientes pariter bellum gerebant, duplicem hoc pacto ærumnam ſuſtinentes.

Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas domini filii. Cum dilectis ſuis deus ſuauẽ ſomnum dederit, ſomnum dico, curis ac ſolicitudinibus vacuum, hoc eſt, cum quietem ac libertatem à perturbationib⁹ præſtiterit. Dabit autẽ hanc quietem tunc, cum vtile ac bonũ fuerit eam dari. Tunc non templum tantum, aut ciuitatis mœnia ædificari vobis concedetur, ſed dabuntur etiam & filij, qui ita deo grati erunt, vt illius hæreditas atque illius populus appellari mereantur. Hoc autem dixit tanquam bonorum omnium caput. Liberorum enim procreationi Iudæi ſtudebant quàm maxime. Verum hæc noſtra expoſitio ad Iudæos tantum, & priuatim pertinet. vt autem magis in vniuerſum dicam, cum deus dederit dilectis ſuis ſomnum, vt prædiximus, tunc non tantum ea perficientur, quæ cum ſtudio acta fuerint, ſed addentur etiam perpetui, vt ita dixerim, quidam filij, filij, inquam, hęreditas domini: ac ſi diceret hæredes ſtudiorũ, hæredes virtutum, hæredes dati à domino.

Merces fructus uentris. Merces illa, quæ de ventris prouenit fœcunditate, pietatis eſt merces. Retributio ſiquidem illa quæ in liberorum ac prolis datur copia, retributio plærunque ſolet eſſe virtutum. Iuxta anagogen vero, ij qui à deo in filios per regenerationis lauacrum adoptãtur, merces ſunt incarnationis Chriſti: Chriſti inquam, qui vere ac proprie eſt fructus ventris beatæ Virginis, veluti qui ex ea abſq; vllo viri ſemine natus eſt.

Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filii excuſſorum. Quemadmodũ, inquit, ſagittæ quæ in manu robuſti alicuius viri ſunt, ob illius vires ac fortitudinem. terribiliores eſſe videntur, ita & filij eorum, qui à Babylonica excuſſi fuerint captiuitate, hoſtibus ſuis timendi ac terribiles videbuntur, propter inſuperabilem nimirum adiutoris dei potentiam. Tales etiã ſunt ſpirituales fidelium doctorum filij, qui à dæmonum captiuitate excuſſi ſunt: ipſis ſcilicet dæmonibus terribiles ac timendi.

Beatus uir, qui implebit deſyderium ſuum ex eis. Sed quibus nam eis? ex eis dico bonis, quæ ſuperius commemorauimus: ex hoc videlicet, quod perficiatur templi & ciuitatis cõſtructio:

ctio: quod requies detur, & liberatio ab omnibus perturbationibus: quòd multam ac pulchrã prolem ſuſcipiãt: quòdq; alia huiuſmodi dei dona conſequantur.

ἐν τῷ πύλαις *Non confundentur cum loquentur inimicis ſuis in portis.* Ii qui deſyderium ſuum impleuerint, vt dictum eſt, non confundentur quaſi imbecilles, cum in portis ciuitatis hoſtes ſuos allocuti fuerint. Omnes etenim eorum res, ac negotia bene ſe habebunt. Vel non confundentur quaſi infirmum ac debilem habeant deum, quemadmodum ante ciuitatis inſtaurationem, hoſtes eis exprobrabant, ſed multa loquentur cum libertate. Antiquis autem mos fuit, vt hoſtium nunciis, aut legatis ante portas ciuitatis loquerentur.

Canticum Aſcenſuum. PSALMVS CXXVII.

Beati omnes qui timent dominum. Recte conſequitur hic pſalmus ad præcedentem. Nam cum illic beatum eum dixerit propheta, qui impleuerit deſyderium ſuum ex eis, vt declaratũ eſt, hoc in loco vniuerſalem magis, & perfectiorem beatitudinem deſcribit. Beati enim vere ſunt, qui timent dominum. Vniuerſalem autem dictionem addidit dicens: beati omnes: vt denotaret pauperes aut ſeruos, aut alioqui mancos, aut mẽbris mutilatos ac beatitudine non priuari, modo deũ timuerint. Nam ſi hoc vnum adfuerit, nihil eiuſmodi impedimento illis eſſe poteſt ad beatitudinem. Contrà qui deum non timet, tametſi omnibus potiatur bonis, quæ alioqui hominibus amanda, atque appetenda eſſe videntur & beata, omnium tamẽ eſt miſerrimus: cum tamen is qui deum timet, ſi omnia ei aduerſa contingant, quæ abominabilia hominibus atque execranda eſſe videntur, omnium beatiſſimus ſit. Et aliter: pulchritudo, fortitudo, diuitiæ, gloria, multorũ item atque elegantium filiorũ copia, & alia huiuſmodi, non proprie beatum quem faciunt, ob huiuſmodi ſcilicet bonorum incertitudinem atque inſtabilitatem. Deinde declarat qui nam ii ſint, qui dominum timent, dicens.

Qui ambulant in uiis eius. In viis ab eo ſtatutis, & per diuina præcepta demonſtratis.

τοὺς καρπῶν *Labores palmarum tuarum manducabis.* Cum docuerit quis nam vere ſit beatus, & oſtenderit illum vere beatum dici, qui deum timet, atque ex hoc adhortatus fuerit populum ad ambulandum in viis dei, deinceps ad hunc timentem deum ſermonem dirigit, futura ei bona prædicens. Quidam vero palmas dici intellexerunt pro manibus, veluti à parte totum. Eſt etenim palma pars manus: & ſenſum huiuſmodi eſſe dicunt, quod timens deum manuum ſuarum labores percipiet, & nullo impediente lucrum componet. Atque hoc pacto Aquilas & Symmachus reddidere. Aliqui vero figuram hic contineri dixerunt, quam græcę ἀντισηματίαν vocant, hoc eſt, ſignificationem contrariam. Ad cuius declarationẽ animaduertendum eſt primo, quod Græca dictio καρπὸς non ſolum palmam, ſeu potius iuncturam manus ſignificat, ſed etiam fructum: iuxta quem ſenſum, præſentis verſiculi litera legenda eſſet: labores fructuum tuorum manducabis. Exponunt igitur hoc pacto: vt labores fructuum, dictũ eſſe affirment, pro fructus laborum, & ſenſus ſit, quod manducabit fructus laborum ſuorum quiſquis timuerit dominum.

Beatus es. Si times ſcilicet deum. ad maiorem enim ſermonis ſui confirmationem, iterum repetit beatitudinem.

Et bene tibi erit. Et proſpere tibi cuncta ſuccedent.

Vxor tua ſicut uitis abundãs in lateribus domus tuæ. Quemadmodum vitis abundat racemis, ita & ipſa filiis abundabit. Abundantem autem eam filiis dixit, hoc eſt, ornatam ac ſtipatam. Latera autem, ſeu potius, vt in Græca lectione habetur, κλίτη, pars quædam domus ſunt: quo ſermone idem ſibi vult ac ſi diceret: in circuitu domus tuæ. alius vero interpres reddidit, in penetralibus domus, hoc eſt, in thalamis, vbi recumbere ac requieſcere ſolemus.

Filii tui, ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Florentes nimirum atque in ſummo vigore, tanquam nouæ oliuarum plantæ.

Ecce ſic benedicetur homo, qui timet dominum. Huiuſcemodi diuina benedictione fruetur. Per benedictionem vero gratiam & beneficium intelligit, tanquam laude dignum, & de quo bene ab omnibus dicendum ſit. Quod ſiquis quæſtionẽ moueat dicens, quomodo iis qui timent deum, non maiora promittantur bona, ſed hæc tantum temporalia: illud in primis dicẽdum eſt, prophetam ad eos ſermonem ſuum dirige-

re,qui talium bonorum amore detinẽtur: deinde illud etiam addemus,quod ex abundanti propheta hæc etiam bona pollicetur,veluti vnà cum æternis bonis deus hæc temporalia etiam ſit præſtiturus: ſecundũ quod alibi ſcriptum legimus: quærite primum regnum dei,& hæc omnia adiicientur vobis.Iuxta anagogen vero:vxor pij ac religioſi viri eſt anima, quæ coniugis inſtar corpori coniuncta, virtutibus iis delectatur quæ corpori inſunt: filij vero illius animæ diſcipuli ſunt, & eiuſdẽ religionis imitatores,ſeu ſucceſſores: qui etiã in ſpiritualis ætatis augmẽto florent,ac vigent,& ipſum doctorem circundant,rationalibus eos cibis paſcentem.

Benedicat te dominus ex Sion. Laudet te,& gratias etiã tibi tribuat.quem enim ſuſcipit deus,eum etiam laudat, & quem laudat,eundem gratiis ac donis multiplicibus ſolet cumulare. Dominũ vero dixit ex Sion, pro qui habitat in Sion,hoc eſt,in ea domo ſeu in eo templo,quod eſt in Sion. Illic etenim habitare dicebatur deus, eo quod ibidẽ ſacerdotibus reſponſum dabat,atque ad eos loquebatur.

Et uideas bona Hieruſalem omnibus diebus uitæ tuæ. Bona quidem inferioris ac terreſtris huius Hieruſalem hæc ſunt: opes,diuitiæ,potentia,exercitus,victoria de inimicis, gloria apud omnes,atq; alia huiuſmodi:bona vero ſupernæ ac cœleſtis Hieruſalem ea ſunt, quæ nec oculus vidit, neque auris audiuit,& quæ in cor hominis non aſcenderunt.

Et uideas filios filiorum tuorum. Iuxta hiſtoriam quidẽ generis tui ſucceſſores: iuxta anagogen vero per filios filiorũ, hæredes ac ſucceſſores in religione,ac pietate intelligit:te nimirum eos docente,& ſpiritualiter regenerante.

Pax ſuper Iſrael. Huiuſmodi etiam verba habuimus in pſalmo CXXIIII.per Iſraelem vero, non ſolũ antiquum populum, ſed nouum etiam intelligimus, vt alibi ſæpe dictum eſt.quod ſi pax interciſa eſt aliquando, id illorum gratia effectum eſt,qui ſe indignos præſtiterunt. neque enim cõminante deo,deſperandum nobis eſt,ſed per pœnitentiam confitendũ,vt illius à nobis iram auertamus, ſicuti fecerunt Nineuitæ:nec rurſus eodem deo bona pollicente, nobis pigreſcendum eſt:quinimmo maiori tunc ſtudio nobis eſt contẽdendum, vt promiſſiones illius ad finem perducamus. ſiquidem & Iudæ dominũ promiſſiſſe nouimus,quod ſimul cum aliis

aliis apoſtolis conſeſſurus eſſet ſuper thronum, & iudicaturus duodecim tribus Iſrael:veruntamen promiſſionem huiuſmodi tandẽ repulit,& ſe ea indignum eſſe omnibus probauit.

Canticum Aſcenſuum. PSALMVS CXXVIII.



Aepe oppugnauerunt me à iuuentute mea. Hæc verba etiã ex populi perſona dicta ſunt, cui ſæpenumero,vt diximus, bellum illatum eſt à finitimis illis gẽtibus, quæ & templi & ciuitatis inſtaurationem impedire nitebantur. Per iuuentutem vero, hoc in loco Propheta primum illud tempus intelligit,quo populus è Babylone in patriã reuerſus eſt. quod ſi hæc verba de dæmonum impugnatione intelligenda eſſe dicas,per iuuentutem expones primam ætatem. In ea etenim à dæmonibus ſtatim nobis bellum infertur.

Dicat ſane Iſrael,ſæpe oppugnauerunt me à iuuẽtute mea. Aperte hoc & palam dicat, vt omnibus innoteſcat, à quantis nos deus liberauit periculis.

Etenim non potuerunt mihi. In me aliquid non potuerunt, ſeu non prorſus præualuerunt aduerſum me, deo ſcilicet illud non permittente. atque ideo frequentius me impugnabant contendentes ſubuertere.

Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores. Impij,inquit, ac praui homines,multa mala machinati ſunt ſupra dorſum meum,hoc eſt,non tantũ coram me,atque in conſpectu meo aut palam, ſed retro etiam & clam, ac latenter plurima in me moliti ſunt,corpori meo & carnib⁹ meis etiam non parcentes.

Prolongauerunt iniquitatem ſuam. Dum diu ſcilicet me impugnant.

Dominus iuſtus. Vere iuſtus eſt, me quidem pati permittens,vt moderatior fiam,illos vero iniuſte in me irruentes, tanquam inuidos caſtigans.

Concidit ceruices peccatorum. Elatas hoſtium ceruices,hoc eſt arrogantiam & ſuperbiam illorum abſtulit, dum illis nos ſuperiores facit.

Confundãtur & conuertãtur retrorſum omnes qui oderunt Sion.

Optãtis sunt verba, tametsi, vt ex Græca lectione manifestè dignoscitur, imperantis modũ habeant. vel prophetico more imperatiuo modo vsus est, pro futuro, ac si diceret: confundentur & conuertentur: quam loquendi figuram in sequentibus etiam obseruabis. Possumus etiam hunc psalmum de noua Sion, & de futura fidelium ecclesia intelligere.

χόρτος *Fiant sicut herba tectorũ.* Non simpliciter dixit sicut herba quæ supra domos in tectis nascitur. Tabescit enim hæc facilius & citius deperditur. Fiant igitur caduci & faciles ad ruinam: cito etiam pereãt, ac sine fructu. Deinde in hac herbæ similitudine immoratur, narrans quæ nam ei accidant.

Quæ priusquam euellatur, exaruit. Immatura atque intempestiua exaruit. Aliæ etenim non prius arescunt, quàm fructum dederint, & post datum fructum euelluntur.

De qua non impleuit manum suam qui metit. Ideſt quam nemo metit, eo quod iam antea periit.

Nec sinum suum qui manipulos colligit. Et sinum suum non implebit, quemadmodum fieri solet in tempestiua ac matura herba.

οἱ παράγοντες *Et non dixerunt prætereuntes, benedictio domini super uos.* Et super qua herba viatores non benedixerunt, vt benedici solet metentibus. Per benedictionem vero, vt diximus, diuinã gratiam intelligit.

Benedeximus uobis in nomine domini. Ista etiam verba ex prætereuntium viatorum persona dicta sunt. Benediximus autem vobis dixit, pro benedictionem vobis precati sumus. in nomine domini pro inuocando ipsum dominum.

Canticum Ascensuum. PSALMVS CXXIX.

DE *profundis clamaui ad te domine.* Hunc psalmum conscripsit Propheta, modum narrans, quem ipse seruaret quando in tentationibus atq; in calamitatibus constitutus ad deum orabat: & docet eos pariter, qui ex Babylonica captiuitate in patriam reuersuri erant, se imitari, & sperare in domino. Ex profundo, inquit, corde clamaui ad te, non ex summis labiis. Alter enim clamor ardentissimus est, & alter frigidissimus: & ille quidem inferne intensus ex intimo corde ascendit, & cum

cum labore: hic vero superne ab ore & remissus ac maxima cum facilitate: ille etiam orãtem prorsus trahit ad deum: alter vero sola vocis organa commouet. Per clamorem igitur, emissam vocem intelligit, non cum exteriori hac spirationis vehementia, sed cum interiori affectus intensione.

Domine exaudi uocem meã. Ex profundo scilicet emissam.

Fiant aures tuæ intendentes in uocẽ deprecationis meæ. Aures dixit pro audiendi potentia. Intende, inquit, ad preces meas, veluti rationabiles, & decenter factas, ex ardentissimo nimirum atque intentissimo corde.

Si iniquitates obseruãueris domine, domine quis sustinebit? Si exquisiueris, & diligenter inuestigare volueris delicta omnia, quis quæso inquisitionem huiusmodi tuam sustinere poterit? vel quisnã inultus relinquetur? certe nullus. Quis enim, inquit, gloriabitur mundum se habere cor? vel quis vere dicere poterit se mundum esse à peccato? Omnes, inquit Paulus, peccauerunt: & rursus de seipso: nihil mihi cõscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Illud autem domine domine, admirantis in modum dictum est: admirantis dico summam dei misericordiam & benignitatem.

Quia apud te propitiatio est. Vere, inquit apud te, vera illa est propitiatio, & misericordia: quoniam parcendo ac remittendo semper exquiris.

Propter nomen tuum sustinui te domine. Non ob mea virtutum opera, saluatorem te mihi adfuturum speraui. Peccator etenim ipse etiam sum, vt dictum est, sed id futurum speraui propter nomen tuum, ne scilicet cõtemneretur nomen tuum ab inimicis, quasi qui populum tuum à calamitatibus eripere ac saluare non posses. Vnde dixisse deum legimus apud Ezechielem: non propter vos hæc facio, sed propter nomen meum, ne despiciatur in gentibus. ὄνομα

Sustinuit anima mea in uerbo eius. Expectaui & speraui in diuina illa permissione, quæ ad patriarchas & progenitores nostros facta est: quod scilicet promissionis terram hæreditabimus: & quod si audiuerimus te, bona terræ comedemus. vel etiam promissionem illam: quod tu eos omnes saluabis, qui placere tibi studuerint: atque eos qui pœnitentiam egerint peccatorum.

Sperauit anima mea in domino. In solo scilicet deo, & nul-

la alia in re.

ἀπὸ φυλακῆς πρωΐας

A custodia matutina usque ad noctem, à custodia matutina, speret Israel in domino. In eo nimirum, qui à periculis solus eripere eum potest, & saluare. Custodias autem antiqui, certas noctis partes appellabāt: eo quod milites in exercitibus noctem in quatuor solent partes diuidere, quibus alternatim vigilantes reliquum exercitum ab hostium insidiis custodiunt. Quartam igitur noctis vigiliā, matutinā custodiā appellabāt, veluti quę mane ipsum iamiam adfore significaret. Admonet igitur propheta vniuersum populum Israel, vt totō vitæ tempore, in solo domino spem suam collocet. Per diem enim & noctē, omnē prorsus vitam significauit. Nam qui inceperit à matutina custodia & peruenerit ad noctem, & rursum ad matutinam redierit custodiam, hic circularem diei & noctis ambitū peraget. A mane etenim incipiens redibit ad mane.

πολλὴ

Quia apud dominum misericordia, & multa apud eum redēptio. Vera nimirum misericordia quam & celerem & validam & illabantem iis omnibus præstat, qui deo digni sunt.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Populum Israel, deo scilicet placere studentem, ac iuxta legis præcepta conuersantem. Congruit autem hic psalmus nouo etiam populo Israel.

Canticum Ascensuum. PSALMVS CXXX.

Domine non exaltatū est cor meum, neque eleuati sunt oculi mei. Hunc psalmum etiam conscripsit in se ipsum beatus Dauid, narrans qualē animi moderationem haberet, quando à tentationibus atque à calamitatibus liberatus, quietē vitam agebat. instruit tamen & populum è Babylonica reuersum captiuitate, eandem secum humilitatem, atque animi moderationem sectari, docens in factis etiam atque virtutibus propriis non confidere, sed in vnico tantum deo sperare. non exaltatum est inquit, cor meum, elatione aliqua, aut temeraria existimatione, neque oculi mei superbiæ morbo eleuati sunt. sed dicet aliquis nōnne hoc in loco propheta gloriatur? quod elationis ac superbiæ vitium est. profecto gloriatur.

riatur. verum, exigente id tempore, gloriari etiam nos decet de virtute: quando nimirum non ad ostentationem gloriamur, sed ad audientium commodum, hoc est, quando illi huiuscemodi gloriatione, ad virtutum imitationem inuitantur. & cum dixerit: non exaltatum est cor meum, atque addiderit: neque eleuati sunt oculi mei, docuisse videtur quodvbi primum cor exaltatum in nobis fuerit, oculi etiam deinceps eleuantur.

Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Non ambulaui, inquit, cum hominibus maioribus, & supra me admirandis. cum huiuscemodi enim viris conuersatus non sum, indignum me illorum conuersatione esse reputans. nisi illi fortassis me inuitum coegissent. vel per magnos & admirandos, eos forte intelligit, qui sibi ipsis magni atq; admirabiles esse videbātur, hoc est, qui animo elati essent, & superbi, ac si diceret: non tantū ego superbiā euitaui, sed cū hominibus eo vitio laborantibus etiā non conuersabar.

εἰμὴ ὑψὶ τὴν μητέρα ἀντα πο δώσεις

Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam sicut ablactatus in matrē suam, ita retribues animæ meæ. Si humilia, inquit, non sum sectatus, sed animo eleuatus sum, cum humilis tamen, atque abiectus essem, & veluti infans, qui à matris papilla abstinuit, ita retribues. vel quia Græca dictio, ὡς non solum ita, sed valde etiam significat, alio modo expone. tu valde retribues animæ meæ. vtitur etiam hoc in loco propheta futuro indicatiui, pro optatiuo, quemadmodum sæpe huiuscemodi abusus apud scripturam reperimus. vel vere retribues: retributionem scilicet superbiæ. quidam vero ita construunt: si non humiliter sentiebam, tanquam ablactatus erga matrem suam, &c.

Speret Israel in domino ex nunc, & usque in seculum. Me scilicet imitatus qui in calamitatibus, in otio & quiete, & in omni denique tempore in deū spero. congruit etiam hic psalmus nouo populo Israel. fortasse etiā beatus Dauid & præsentem & proxime præcedentem psalmum ex eorum persona conscripsit, qui inter reuersos è Babylonica captiuitate, pij magis & religiosi erant: narrans scilicet quas inter afflictiones emitterent ad deum preces, & qualem post quam ab eis liberati sunt animi moderationem haberent: atque hoc ad vtilitatem & eruditionem nostram qui à sæuiori dæ-

monum captiuitate liberati ſumus.

Canticum aſcenſuum. PSALMVS CXXXI.



MEmento domine Dauid, *& omnis manſuetudinis eius.* Hunc etiã pſalmũ propheta ex populi perſona cõſcripſit ſupplicãtis templi cõſtructionẽ exurgere, atque id impetrare optantis, ſi non propter ſe, ſaltem propter illud ſtudium, quod eorum progenitor Dauid rex in deum habuiſſe perſpicitur: vtpotè qui ante primam templi conſtructionem, locum ei idoneum multa cum diligentia perquiſiuit. per manſuetudinem vero, patientiam intelligit, quam beatus Dauid, erga Saulem & ſocios, erga Semei, qui contumelia eum affecerat, atque erga omnes alios hoſtes ſuos ſummã oſtendit, ſolius autẽ manſuetudinis meminit, quia in hac virtute præ cæteris excelluit. vel per hanc virtutem cæteras quoque intellexit, memento, inquit, Dauid mitiſſimi hominis, atque ob manſuetudinem ſuam tibi olim chariſſimi.

ὡς ὤμοσε τῷ κυρίῳ εὔξατο τῷ θεῷ Ιακώβ

Quomodo iurauit domino, & uouit deo Iacob. Memento eius inquit, quemadmodum cum iuramentõ ea deo pollicitus ſit, quæ inferius dicentur.

Si introibo in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendam ſuper lectum ſtrati mei, ſi dabo ſomnum oculis meis, & palpebris meis, dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inuenero locum domino, tabernaculum deo Iacob. Memento, inquit, quemadmodum ipſe olim zelo quodam correptus eſt, cum domini Arcam huc atque illuc errabundam ac vagam circumferri videret. & cum iuramento pollicitus ſit, dicens non faciam ego hoc, neque illud, donec inuenero locum domino dignũ, hoc eſt, locum templi, & habitationem Arcę ac tabernaculi. & re vera etiam nõ quieuit, donec illum inuenerit. quemadmodum in primo Regum libro traditur. dictio autem, ſi, hoc in loco, idem ſignificat quod non: quemadmodum ſæpe alibi diximus. Tabernaculũ vero, & domus dei, dicebatur locus ille, vbi reſponſa atque oracula dabantur à deo: vbi etiã ad probos & ad virtute præditos homines loquebatur, vt in ſuperioribus diximus. nam alioqui deus nulla habitatione ſeu domo indiget, aut tabernaculo.

Ecce au-

Ecce audiuimus eam in Ephrata. Quoniam, inquit, à patribus noſtris, vel etiam aliunde ex ſacris libris audiuimus eam, Arcam nimirum, in Ephratæ locum delatam fuiſſe. eſt autem Ephrata eadem, quæ & Bethleem. legimus enim alibi apud ſcripturam: Bethleem domus Ephrata: Item Iacob, vxorem Rachel ſepeliuit in Hippodromo Ephratæ: hæc, inquit, eſt Bethleem. appellabatur nanque olim locus ille primi poſſeſſoris nomine.

Inuenimus eam in campis ſyluæ. Inuenimus eam, hoc eſt, eo modo didicimus, vt ſupra dictum eſt, à maioribus nimirum noſtris, ſeu ex diuinis libris. didicimus inquam, eam commoratam fuiſſe in campis ſyluæ, hoc eſt, huc atque illuc errantis in morem circunlata, vtpote quæ certum ac deſtinatum locum aliquem non haberet. hoc autem dicunt demonſtrare contendentes, quod beatus Dauid neceſſario admodum pro ea zelo correptus eſt, vt locum illum inueniret, pro quo ipſi in præſentia ad deum ſupplicant.

Introeamus in tabernacula eius, adoremus in loco, ubi ſteterũt pedes eius. Hec verba ex ſanctorũ perſona dicta ſunt, qui in populo ex captiuitate in patriam reſtituto aderant. prædicitur autem his verbis, quemadmodum templum denuo erigendum erat, & quemadmodum ipſi illuc ingreſſuri erant, & adoraturi ibi deum, vt antea. tabernacula autem, templi aulas appellauit, vel ipſum templum, plurali vſus numero, Hebræorũ more, vt ſæpe diximus. Præterea dei tabernacula, ac pedes dei, & ſtetiſſe deum, humano more dixit, vt auditorum hebetudini condeſcenderet. illinc etenim horrendæ illæ voces exibant, quæ obſcura, atque ambigua quælibet de Iudęorum rebus declarabant, & futura prædicebant.

εἰσελευσόμεθα προσκυνήσωμεν

Exurge domine in requiem tuam. Hoc eſt, in templum tuũ atque ad eius ædificationem, in quo antea requieſcebas, hoc eſt, veni ad illud templum, atque ad illius loci auxilium, quod refrigerium, vt ita dicam, præſtare tibi ſolebat, & requiem.

Tu & Arca ſanctificationis tuæ. Exurge, inquit, tu vnà cum ſanctificationis tuæ Arca. poteſt etenim & illa quemadmodum olim, admiranda nunc etiam multa perficere, propter diuinam gratiã, quæ in ea eſt. diuinæ etenim gratiæ domus merito poterat appellari. ſanctificationis etiam Arcam dixit

tanquã

tanquam sanctificatione plenam, & per quam multa sanctificari dicebantur. nam & omnia quæ in ea reponebantur, sancta erant, & præsertim lex, quæ quoslibet ad se accedentes sanctificabat. vel per sanctificationem templum ipsum intelligit, tanquam deo sanctificatum, & quod in psalmo septuagesimotertio sanctuarium appellauit, dicens: incenderunt in igne sanctuarium tuum.

ἐνδύσονται *Sacerdotes tui induentur iustitia.* Si hoc factum fuerit, sacerdotes tui instar vestis iustitiam induent: cultus nimirum diuinos. vel omni iustitia induentur, hoc est, vniuersa virtute, vtpote iam deum colentes, atque in dies magis virtutis ipsius studium amplexuri.

ἀγαλλιάσονται *Et sancti tui exultabunt.* Et reliqui, inquit, homines, qui tibi sanctificati ac dedicati sunt, exultabunt, hoc est, vniuersus populus tuus lætitia afficietur. vel per sanctos, eos intelligit, qui præ cæteris excellebant virtutibus. deinde rursus ad memoriam confugiunt beati Dauid, seipsos indignos esse iudicantes, qui gratiam à deo possint impetrare.

Propter Dauid seruum tuum non auertas faciē Christi tui. Hoc est, eum nō respuas, qui vt princeps foret super nos, à te in regem vnctus est. tuum autem dixit, vt dei beneuolentiā erga eum ostenderet. vel vnctum à te per legem tuā. non auertas autem eum nobiscum pro templi, ciuitatis & regni erectione supplicanté, nec inanes illius preces fore permittito.

Iurauit dominus ipsi Dauid ueritatem. Hoc est, stabilem ac veram promissionem fecit.

Et non contemnet eam. Cum verax sit, quinimmo & ipsa veritas. quæ nam autem fuerit hæc promissio audi.

De fructu uentris tui ponam super thronum tuum. Hoc est, in throno, atque in sede regni tui. nec tantum hoc dicit sed & alia, quæ sequuntur.

Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos, & filii eorum in seculum seculi sedebunt super thronum tuum. Si filij tui, inquit, qui per successiones regnabunt, legem meam obseruauerint. per testamentum enim & per testimonia, legem ipsam intelligit, quemadmodum, & sæpe alibi præsertim in psalmo centesimodecimo octauo, vbi etiam diximus: si obseruauerint, inquit, testimonia, quæ ego eos docebo, si lectioni legis meæ vacauerint, nō ipsi solum regnabunt, sed illorum etiam filij perpetuam regni successionem consequentur. & hæc quidē à deo eis promissa sunt: verum postquam ipsi pacta non obseruarūt, iure etiam à promissis deciderunt. possunt etiam hæc verba intelligi, vt ab eis dicta sint, ea ratione vt deum sibi magis conciliarent, reuocantes ei in memoriam antiquas pollicitationes, & rogātes quodammodo vt eas adimpleret, vel vt mutuo sese consolarentur, & bonam populo spem præstarent. deinde addunt etiam sequentia verba, veluti & quę à deo olim dicta etiam fuissent ad beatum Dauid.

Quoniam elegit dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Sedebunt, inquit, filij tui in throno tuo, quoniam dominus elegit Sion, in qua sedes est regni tui. ille inquam dominus, qui hæc tibi nunc loquitur verba: ego videlicet qui dominus sum.

Hæc requies mea ī seculū seculi. Hoc est, hęc habitatio mea.

Hic habitabo quoniam elegi eam. Hæc & sequentia dicunt tanquam etiam sibi promissa.

Venationem eius benedicens benedicam. Per venationem, ciborum atque eduliorum suppeditationem intelligit. hæc, inquit, benedicens benedicam, hoc est, præstabo magna cum abundantia. θήρευν & non χήρευν

Pauperes eius saturabo panibus. Hoc est, diuites reddam.

Sacerdotes eius induam salute. Hoc est, securitate, ac bona valetudine.

Et sancti eius exultatione exultabunt. Qui nam sint sancti dei, iam sæpe alibi dictum est. quod autem ait exultatione exultabunt, item benedicens benedicam, & alia huiusmodi, quidam idioma esse dicunt Hebraicæ linguæ: quidam vero huiusmodi sermone vti dicunt scripturam, ad maiorem intēsionem, & ad validiorem sententiæ confirmationem.

Illic oriri faciam cornu ipsi Dauid. In Sion scilicet, in qua oriri ei faciam gloriam, ac celsitudinem ex genere Dauid, quia & à posteris glorificabitur, & illius generatio semper regnabit. ἀνατε λῶ & nō ἀνατε νῶ

Parauī lucernam Christo meo. Christo meo, hoc est, regi meo Dauid. Meum autem ideo dixit, vt beneuolentiam suam erga eum ostenderet, vt diximus. Per lucernam vero gloriam posterorum eius intelligit, quæ lucernæ instar, gloriæ eius splendorem

splendorem omnibus demonstrat, & huiuscemodi generationis progenitorem, veluti quoddam lumen futuris generationibus illucere facit. Vel, per lucernam, generis sui splendorem ideo intelligit, quia splendet inter gentes. Verum hæc omnia ea conditione illis promissa sunt, si testamentum dei custodiuerint, vt dictum est.

Inimicos eius induam confusione. Inimicos scilicet Dauid aut generis eius.

Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Super ipsum Dauid seu super eius semen. Super ipsum autem, hoc est, tempore ipsius Dauid, vel tempore seminis eius, quo tempore templum meum summo cum splendore florebit, hoc est, eo regnante. Quidam vero per cornu, & per lucernam, regem intelligunt Zorobabel, cuius hostes aiunt fuisse confusos, & quo regnante templum domini, quod diu olim profanatum dirutum, atque vt (ita dicam) tabefactum fuerat, efflorvit. Quidam etiam verba illa: quia elegit dominus Sion, & quæ sequuntur omnia, prophetiam continere dicunt de iis, qui in Iudæorum populo digni fuerunt, vt propheticam gratiã consequerentur. Et quoniam iuxta historiæ sensum psalmum iam exposuimus, restat, vt tradamus etiam quæcunque de saluatore nostro in eo tractantur. introibimus, inquit, in tabernacula eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Hęc verba ex fidelium persona prophetice dicta sunt, qui mutuo inter sese consultãt, quid nam facturi sint. Et per tabernacula, loca intelligunt, quæ in Palæstina sunt, vbi habitauit aut conuersatus est Christus. Per locum autem vbi steterunt pedes eius vel eadẽ intellige tabernacula, & loca, in quib⁹ dominus ambulauit, vel ipsam crucẽ, cui Christi pedes cõfixi fũt, & quam in psalmo nonagesimooctauo scabellum pedum eius appellauit. Ex vniuersis siquidem mundi partibus illuc confluunt homines, atque in ea sancta loca ingrediuntur, & adorant illic dominum. Exurge, inquit, domine in requiem tuam tu & arca sanctificationis tuæ, hoc est, tuæ diuinitatis tabernaculum, tuum scilicet sacratissimum corpus. Quemadmodũ enim arca illa sancta dei, ex incorruptibilibus lignis fabricata erat, & purissimo insuper auro inaurata, ita etiam assumpta Christi humanitas, ex incorrupto eius corpore erat compacta, ex ipsaque vera, ac sanctissima diuinitate (vt ita dicam) erat

erat deificata, per vnionem nimirum illam ineffabilem veri dei. Sacerdotes tui induentur iustitia: Euangelica nimirum, vel omni virtutum genere ornabuntur: & sancti tui exultabunt, & quicunque cum sacerdotibus amatores fuerint virtutum, Angelicam peragentes conuersationem, illorum etiam more exultabunt. Propter Dauid seruum tuum ne auertas faciem Christi tui. Si nullam aliam ob causam, propter me saltem seruum tuum, quæso, ne Christi tui præsentiam, auertas: qui per incarnationem suam hominibus apparebit: quinimmo rogo te, vt cito appareat. Veritas etiam quę iurata fuit ipsi Dauid quod semen eius consessurum esset super thronum regni eius, ad ipsum etiam Christum pertinet. Hic etenim vere ac proprie illius semẽ fuit. Quia ex semine quidem fuit Dauidico propter matrem, quæ à beato Dauid genus ducebat. Fuit etiam vere rex, eo quod subditis suis fidelibus, legem imposuit, & summam eorum curam habens, veri regis, & directoris amorem atque officium docuit, cum pro eis mortuus sit: quę omnia veri regis characterem ac figuram exprimunt. Si custodierint, inquit, filij eius testamentum meum, Euangelicum nimirum: & testimonia mea, hæc, quæ docebo eos: te scilicet prædicante. Est etenim hic sermo ex persona patris ad Christum natum ex semine Dauid vnigenitum filium: sermo inquam, de Apostolis & discipulis, quos in Euangelio etiam Christus filios suos appellauit, tanquam per doctrinam & fidem sibi adoptatos. Si igitur hi filij tui hæc fecerint, quæ dico, non ipsi tantum, sed eorum etiam discipuli sedebunt super thronum tuum: super thronum inquam pastoris & doctoris. Constitues enim eos, inquit, principes super omnem terram. Vel in fruitione & requie æterni regni. Quæ promissio sanè tunc demum adimpletur, si custodierint legem, vt dictum est. Hæc requies mea in seculum seculi. Aeterna dei requies Ecclesia est fidelium, in qua deus quiescit. Portæ enim, inquit, inferni non prævalebunt aduersum eam. Per venationem autem eius, seu vt Græca dictio θήρα, aliter significat, per capturam, prædicationis sagenam ac rete intelliges, per quam Christus venatur & capit eos, qui in hac natant, vt ita dicam, erroris salsugine. Vel venationem & capturam illam iuxta quam piscatores Apostoli, non amplius viuos pisces capiebant, vt occiderent, sed mortuos peccatis homines irretiebant,

irretiebant, vt viuificarent. Per pauperes etiam eius, pauperes spiritu intellige, quos cœli pane, hoc est, cœlesti regno, Christus erat saturaturus. Sacerdotes autem eius, æterna Christus tunc demum induet salute, si antea iustitia induti fuerint, vt prædictum est. Eius etiam sancti exultatione exultabunt, post discessum scilicet ex hac vita. Tunc etenim & sacerdotes ita induti erunt, vt diximus, & sancti exultabunt. In Ecclesia etiam oriri fecit cornu ipsi Dauid, hoc est, gloriam, atque honorem Dauidici nominis celebrari, atque exaltari, dum laudatur scilicet & glorificatur ob omnibus, tanquam progenitor Christi. Vel oriri fecit, validum & sublime cornu regni ipsi Dauid, in Sion, feriens scilicet, atque deiiciens quoscunq; sibi aduersantes. Hoc autē est regnum Christi. Lucerna vero, quæ Christo fuit parata, caro illa sanctissima est, quæ à deo fabricata, & diuinitati fuit coniuncta: quæ lucentissima erat, propter vitæ splendorem. (Fuit etenim sine peccato) & quia in ea requieuit, septemplicis illius fulgentissimæ lucernæ instar lucentissima septemplicis spiritus potentia. Vel per lucernam, Euangelium intellige, per quod omnes qui constituti erant in tenebris, illuminati sunt, & ad clarissimam deducti virtutem. Lucerna enim, inquit, pedibus meis verbum tuum. Vel ipsum etiam domini præcursorem, de quo scriptum est: ille erat lucerna ardens. Inimici vero eius dæmones sunt, & reliqui omnes veritatis inimici: qui etiam omnes pariter confundentur, sed præcipue in die resurrectionis vniuersæ carnis. Et super ipsum denique efflorebit illius sanctificatio: sancta nimirum Ecclesia, quæ omnes ad se accedentes sanctificat, quæque ipsum Christum tanquam florentissimam coronam in decorem, atque in ornamentum erat habitura.

Canticum ascensuum. PSALMVS CXXXII.

ἰδοὺ δὴ τὶ καλὸν ἢ τὶ τερπνὸν ἀλλ' ἢ τὸ κατοικεῖν

ECce *sanè quid bonum, aut quid iucundum, quam habitare fratres in unum.* Integram atque plenam captiuorum restitutionem prospiciens beatus Dauid, & quomodo à perturbationibus atque ab ærumnis liberati, templum & ciuitatem iterum ædificaturi erant, & sub vno principe vitam acturi, admonet eos, ne

eos, ne rursus diuidantur, ne in diuersas ac varias scindantur partes, vt antea, quando decem tribus proprium habebant ducem, & reliquæ duæ alterum imperatorem: quæ res transgressionum legis contentionumque, & calamitatum persæpe illis causa fuit. Admonet igitur eos, vt vnà, atque sub eodem degant principe, dicens: Ecce sanè quid tam bonum, aut quid tam iucundum est, quàm vt fratres eodem habitent in loco, atque eisdem animis, summa cum concordia & consensu. Et multa quidem bona sunt, quæ non sunt iucunda & rursum iucunda multa, quę non bona: fratrū autem concordia & cōmuniscorum habitatio, vtrumq; hoc in se bonū continet. Nemini enim dubium esse puto, quod fraterno consensui vtrunq; hoc conueniat bonum. Deinde huiusce modi bonum, similitudine atque exemplo quodam describit dicens.

Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Hoc quod diximus, adeò bonum est & iucundum, sicut legale illud vnguentum, quo sacerdotes vngebantur, quodque super eorum capita effundi solebat. Nam quemadmodum huiusce modi vnguentum bonum est, vtpote sanctum, & iucundum etiam, veluti odoriferum: ita & illa communis fratrum habitatio, atque concordia, summum quoddam bonum est, veluti quod, & natura ipsa, & lege etiam diuina commendatur. Et iucundum bonum est, eo quia vtile est, & commodum: & quoniam à sacerdotum capite vnguentum in barbam descendebat, addidit, quod descendit in barbam: & deinde, in cuius nam barbam descenderet, expressit dicens: in barbam ipsius Aaron. Hic etenim sacerdotum omnium primus vnguento vnctus est. Vel per Aaron, quēcunq; sacerdotem intelligit, tanquam omnes ab eo descenderent. Et quoniam vnguentum hoc à barba in sacerdotalis indumenti oram rursus descendebat, iterum addidit, dicens.

Quod descendit in oram uestimenti eius. Oram seu marginem vestimenti, reliqui interpretes os vestimenti reddiderūt. Eo vsque enim descendebat.

Sicut ros Aermon, qui descendit in montes Sion. Aermon mons est, Libano adiacens, vbi multa niuium copia conseruatur, vnde vapores generantur, qui aërem montium Sion crassiorem atque hebetiorem reddunt, ac rorem æstatis tempore non modicum efficiunt: quem bonū quidem esse dicemus, veluti

veluti terræ arescenti necessarium, iucundum vero, eo quod æquabiliter & cum delectatione superne in terram defertur. quia igitur ros iste causam atque originem habet ex monte Aermon, idcirco rorem Aermon eum appellauit.

Quoniam illic mandauit dominus benedictionem. Illic, id est in communi habitatione, in concordia, in amore fraterno, atque in dilectione, quæ est virtutum omnium caput. Cæterum dei benedictio erga homines idem est, quod diuina gratia: & benedictio ab hominibus in deum, diuina laus est, seu gratiarum actio. Benedictio vero ab hominibus in homines, humana esse dicitur ad deum oratio, quando nimirum pro aliis preces effundimus ad deum.

Vitam usque in seculum. Et rursus, Dominus mandauit & misit in concordes homines diuturnam vitam vsque ad seculum ab eo determinatum, hoc est, per vniuersum, ac præstitutum vitæ tempus. Nam quemadmodum contentio mortes operatur, ita & pax vitam, cum vnanimes, ac pacifici homines neque mutuo sese occidant, neque ab hostibus lædi possint: quia coniuncti sunt, & muniti. Congruit etiam hic psalmus fidelibus omnibus Christianis.

Canticum ascensuum. PSALMVS CXXXIII.

Ecce sanè benedicite dominum omnes serui domini. Cantica ascensuum, seu (vt diximus) ascensionum in hoc psalmo finem accipiunt: quem Propheta in gratiarũ actionem desinere voluit. Iubet enim hic condignas deo gratias agi, qui & captiuitate populum liberauerat, & ei præstiterat, vt per tot inimicas gentes illæsus, atque tutus in patriam rediret, & ab assiduis finitimarum gentium bellis quiesceret: qui etiam ciuitatem & templum rursum ædificari permiserat, feceratque vt securi iam conuersarentur, atque habitarent in patria. De cętero enim, inquit, vos ô serui & cultores dei, condignas deo gratias agite. Seruus autem dei dicitur, qui eum colit, atque illius paret mandatis.

Qui statis in domo domini, in aulis domus dei nostri. Vos, inquam, deo benedicite, qui assidue in templo commoramini qui templum à modo perfectum, suoque decore & cultu iam recepto ingredimini.

In noctibus

In noctibus extollite manus uestras in sancta, & benedicite domino. Nolite, inquit, vniuersam noctem somno perdere, sed in ea manus vestras ad sancta sanctorum extollite: vbi propter diuinam illam gratiam, quæ illic erat, habitare deus dicebatur: atque in noctibus præcipue deum laudate, quando mens à sollicitudinibus & curis magis vacua est: quando vobis maius ocium adest. Quod si noctu eos iubet è lecto surgere, atq; in templum accedere, quã nam vnquã veniã ij cõsequẽtur qui tẽpore illo neq; etiã domi ad preces, neq; ad orationem consurgunt. Deinde rogat pro populo, dicens.

Benedicat tibi dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram. De huiuscemodi verbis alibi etiam dictum est, videlicet in psalmo centesimo vigesimo septimo. Hic psalmus præterea omnibus potest accommodari.

Alleluia.

Iam in superioribus dictum est, quod psalmi, qui huiuscemodi habent inscriptionem gratiarum actiones continent.

PSALMVS CXXXIIII.

Laudate nomen domini, laudate serui dominum. De his verbis diximus in psalmo CXII.

Qui statis in domo domini, in aulis domus dei nostri. Hæc verba ad vnguem habentur in proxime præcedenti psalmo, vbi ea exposuimus: verum hic nõ vniuersum populum alloquitur Propheta, sed eos qui in templum frequentius accedebant. Vos, inquit, qui statis in templo, laudate deum. Iis etenim, qui in templo non manebant, non licebat deum laudare, neque alio in loco ad deum orare: ea nimirum ratione vt templũ cernentes, atque ea, quæ erant in templo, diuinæ maiestatis nunquam obliuiscerentur.

Laudate dominum, quoniam bonus est dominus. Quoniam misericors, ac beneficentissimus est in omnes. Sed in illos præsertim, qui eum laudant.

Psallite nomini eius, quoniam pulchrum est. Pulchrum est ei psallere. Ex psalmis etenim & canticis, diuinorum dogmatum excellentiam addiscimus. Psalmi etiam & cantica psallentium mentes protendunt ad deum, humanos affectus sedant, animam cantu delectant, & cum delectatione coniun-

ctam quoque vtilitatem adferunt. Vide quæ dicta sint in psal mo nono in eo versiculo: psallam nomini tuo altissime.

Quoniam Iacob elegit sibi dominus. Quoniã dominus ex om nibus nationibus Israeliticum sibi populum elegit, ac sibi re posuit, veluti eum populum à quo solo coleretur.

Israel in peculium sibi. Populum Iudæorum descendentem ex Iacob, duplici nomine appellauit, Iacob nimirum & Is rael: quemadmodum ipse etiam patriarcha Iacob vtroq; hoc nomine fuit appellatus. Eundem, inquit, populum elegit sibi deus in hæreditatem, atq; in sortem: & ideo peculiarem po pulum illum persæpe appellauit: ea nimirum ratione, quod non secus illum amaret, summoq; studio custodiret, quàm di uitias quasdã non vulgares, & peculiũ quoddã pretiosissimũ.

Quoniam ego cognoui quod magnus est dominus. Ecce quod aliam diuinæ laudis causam apponit, dicens: quoniã ego am plius quàm vos cognoui: vel quia id exactissime noui, quod dominus magnus est. Cognoui autem id à diuina gratia, & quia illius opera multa cum prudentia consideraui.

Et dominus noster præ omnibus diis. Hic si quidem est: illi vero non sunt. Hic etiam vere dominus, illi autem non vere dij. Nam etsi comparationis verba hæc esse videantur, non tamen falsos deos vero deo comparat: sed ex dispensatione quadam propter populi hebetudinem Propheta sic loquitur: quippe qui alibi deum deorum appellat: & nunc etiam audi torem pedetentim erigit, mirabilium rerum ipsum deum ope ratorem esse demonstrans, ac deinceps paulopost gentium deos subsannans. Dictum est etiam in psalmo nonagesimo sexto: nimis exaltatus es super oẽs deos: ibi vide, quæ in expo sitione diximus.

Omnia quæcunque voluit, fecit. Eadem verba habentur in psalmo CXIII. ibi: Deus autem noster in cœlo, & in terra o mnia quæcunque voluit, fecit.

ἐν τοῖς θαλάσσαις

In maribus & omnibus abyssis. Maria quidem varios ma ris sinus appellat. Congregationes, inquit, aquarum appella uit maria. Abyssos autem subterranea loca, quæ imperscruta bilia sunt: in quibus tamen fecit omnia deus, quæ voluit. De inde priuata quædam dei opera admiratione digna laudat, maiora præteriens, vt ex minoribus, magnitudinem eius sum mis esse laudibus dignam ostenderet.

Educens

Educens nubes ab extremo terræ. Qui ex ipsa inferiori ter ræ profunditate nubes educit, eosque tametsi graues sint, in al tum extollit, & illarum humorem, qui natura sua deorsum fertur, vt sublime eleuari facit.

Fulgura in pluuiam fecit. In tempus scilicet pluuiæ, vel in pluuia. Effecitque vt quæ suapte natura mutuo sese per dunt, vnà ac pariter sine alterius læsione coniuncta defe rantur, ita vt neque fulgur, quod natura ignitum est, pluuia lem aquam consumat, neq; aqua rursum magna vt delata ful gur extinguat.

Qui educit uentos de thesauris suis. Per thesauros dei, hoc in ὁ θησαυρὸς loco Propheta occulta illa loca intelligit, vnde exeunt venti. occultus enim esse dicitur thesaurus, eo quod & generatio & locus eius ignoratur. Thesauri nomine præterea, non tan tum pecuniæ aut occulta alia bona intelliguntur, sed & ipsa etiam loca, vbi thesauri recondi solent. Vel qui educit ven tos tanquàm è thesauris suis, vt subintelligatur dictio illa, tanquam, vel, quasi: ita vt ex his verbis educendi facilitas de notetur & quod eos deus semper in promptu habet, cum vo luerit. Illud autem quàm maxime admirandum est, quod mo do hunc, modo illum, deus ventum emittat, & aliquando vna vtrunque, persæpe etiam plures vno atque eodem tempore, persæpe etiam nullum prorsus: atque hæc omnia ex vtilitate, & nihil sine ratione: illis scilicet interea inclusis, veluti in quibusdam thesauris: atque illinc quotiens deo libuerit, ma xima cum facilitate eductis.

Qui percussit primogenita Aegypti ab homine usque ad pecus. De hoc diximus in psalmo LXXVII. vide ibi: in versiculo: fe cit semitam iræ suæ. Vsque ad pecus vero dixit, vt calamita tem augeret.

Emisit signa & prodigia in medio tui Aegypte, in Pharaonem, & in omnes seruos eius. Ibidem etiam dictum est, quod posuit in Aegypto signa & prodigia sua in campo Taneos. Cunq; grauissimæ omnium plagæ meminerit, collectim postmodũ signa dixit, & prodigia.

Qui percussit gentes multas. Siue eas quæ transitum Iudæis prohibebant: seu gentes, quæ in Palæstina erant. In compen dio etenim omnia narrat & cursim.

Et occidit reges fortes. Illarum scilicet gentium duces.

Seon regem Ammoreorum & Og regem Baſam. Seon quidem rex diuitiis ac militum copiis erat celeberrimus: Og vero magnitudine ac fortitudine corporis conſpicuus, in omnium hominum ore ferebatur. Aiunt enim eum lecto vſum fuiſſe ferreo, nouem cubitorum in longitudine, & quinque in latitudine.

Et omnia regna Chanaam. Hoc eſt, Paleſtinæ prouinciæ: cuius populi magis particulariter præ cæteris Chananei dicebantur.

Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Iſrael populo ſuo. Bis hæreditatem dixit, vt illius prouinciæ vbertatem denotaret, ac ſi diceret: hæreditatem dico, ac vere hæreditatem.

Domine nomen tuum in ſeculum, & memoriale tuum in generationem & generationem. Propterea, inquit, nomen tuum, ac memoria tua in ſeculum atque in omnes generationes perpe tua erit: apud eas nimirum, qui huiuſcemodi à te beneficiis donati ſunt.

Quia iudicabit dominus populum ſuum. Iudicabit eum pro vlciſcetur eum. Quoties ab inimicis læſus fuerit, hoc eſt, iuſtũ ei reddet iudicium.

παρακληθήσεται *Et in ſeruis ſuis exorabitur.* Hoc eſt, ad orantes & placantes eum ſeruos ſuos flectetur. Vel populum quidem peccantem iudicabit, & pœnas ab eo exiget, à pœnitentibus vero exorabitur, atque eos adiuuabit.

τὰ εἴδωλα *Idola gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum.* Huiuſcemodi verba habes etiam in pſalmo centeſimo decimotertio. At qui apud nos ſunt etiam ſanctorum imagines, quæ & aurum, atq; argentum ſunt & opera manuum hominum: verum enim vero Idola non ſunt: quoniam Idolorum quidem primæ ſpecies, ac prima eorum argumenta, falſa

πρωτότυπα ſunt: fabulæ nimirum: quę nulla rei veritate ſubſiſtunt. Deos etenim ſibi adſcribunt gentes, qui dei non ſunt, ſed dæmones falſo ſibi diuinitatem arrogantes: verum ſanctorum noſtrorum imagines primas ſuas ſpecies veras habent, ac prima eorum argumenta, vera ſunt: quoniam ſecundum veram rerum hiſtoriam, vere id fuerunt quod appellantur, & vera etiam quęcunque de illorum vita ac conuerſatione traduntur. Vnde Idola ſceleſtorum ac nequiſſimorum hominum aut dæmonum

dæmonum ſunt ſimulachra: noſtræ autem, ſanctorum & clariſſimorum hominum imagines.

Os habent & non loquentur, oculos habent & non uidebunt, aures habent & non audient. Hæc verba pari modo illic etiam habentur.

Neque enim eſt ſpiritus in ore eorum. Reddit rationẽ Propheta, & docet, quomodo Idola omnia ſenſibus careant. Et delectatur, dum in eorum accuſatione atque repræhenſione ſermonem ſuum magis extendit.

Similes fient eis, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Ibidem etiam huiuſcemodi habentur verba.

Domus Iſrael benedicite domino, domus Aaron benedicite domino, domus Leui benedicite domino, qui timetis dominum, benedicite domino. Illic etiam huiuſcemodi ordinum diuiſionem fecit, vbi vide, quæ per nos in expoſitione dicta ſunt. Quanquam ibi Propheta ſperare iuſſit, hic autem benedicere, propter prædicta nimirum beneficia. Et cum Aaron meminerit, deinceps ad ipſius Leuiticæ tribus principem patriarcham recurrit, vt ſermonem ſuum clariorem redderet, & magis vniuerſalem.

Benedictus dominus in Sion. Dictum eſt in pſalmo vigeſimoſeptimo.

Qui habitat in Hieruſalem. Hoc eſt, in templo ciuitatis Hieruſalem.

Alleluia.

Hic pſalmus multa proxime præcedenti conſona habens, ſimilem etiam ſortitus eſt inſcriptionem.

PSALMVS CXXXV.

Confitemni domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Gratias ei agite pro innumerabilibus beneficiis. Alio autem modo hunc verſiculum expoſuimus in principio pſalmi. c v. Apposuit etiam Propheta verba hæc, quoniam in ſeculum miſericordia eius, omnibus ſubſequentibus verſiculis, vt maiorem diuinæ huiuſcemodi miſericordiæ laudem eſſe demonſtraret, vel etiam vt lectorem in admirationem, ac ſtuporem diuinæ maieſtatis adduceret.

Confitemini deo deorum quoniam &c. Falsorum scilicet deorum, vel deorum falsi nominis. Illorũ etenim etiam deus est. nam & si à deo inhonorati sunt dæmones, ipsique deo pariter aduersentur, veruntamen & illius serui sunt, & voluntati eius necessario succumbunt.

Confitemini damino dominorum, quoniam &c. Dominorum dico huius seculi, qui ad modicum tempus tantum, & non perpetuo sunt domini: atque ideo vere domini non sunt: tametsi ita appellentur. Rex enim, inquit, regnantium, & dominus dominantium.

τῷ ποιήσαντι *Ei qui fecit mirabilia magna solus, quoniam &c.* Solum dixi, ad idolorum distinctionem. nam alioqui per dominum eum intelligit, qui in tribus personis vnus deus est.

τῷ *Ei qui fecit cœlos in intelligentia, quoniam &c.* In sapientia nimirum. Per prędicta autem, summam deo esse attestatur bonitatem, & misericordiam, rerumque omnium dominiũ cum summa potentia & sapientia ei adscribit.

τῷ στερεώσαντι *Ei qui stabiliuit terram super aquas, quoniam &c.* In psalmo vigesimo tertio dixit etiam Propheta: ipse super maria fundauit eam vide quæ illic dicta sunt.

Ei qui fecit luminaria magna solus, quoniam &c. Solem in potestatem diei, quoniam &c. Lunam & stellas in potestatem noctis, quoniam &c. Et fecit, iuquit, deus duo luminaria magna, luminare magnum in præfecturas diei, & luminare minus in præfecturas noctis & posuit ea in firmamento cœli, vt lucerent super terram & imperarent diei ac nocti.

Ei qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum, quoniam &c. Ei dico, qui flagellis Aegyptum affecit.

Et eduxit Israel de medio eorum, quoniam &c. in manu potenti & in brachio excelso, quoniam &c. Eorum scilicet Aegyptiorum. Per manum autem, & per brachium dei, diuinam intelligit potentiam. Magnæ autem potentiæ, prodigia illa fuerũt & signa, quæ in Aegypto facta sunt, magnæ etiam potentiæ quod captiuum illinc populum eduxit.

Ei qui diuisit mare Rubrum in diuisiones, quoniam &c. & eduxit Israelem per medium eius, quoniam &c. & excussit Pharaonem & potentiam eius in mari Rubro, quoniam &c. Per diuisiones, aquarũ sectiones intelligit. In duas etenim partes mare illud diuisit, vt plene omnia traduntur in Exodo. Per excussionem

sionem vero proiectionem & demersionem intelligit:

Ei qui transduxit populum suum in deserto, quoniam &c. Atq; hoc etiam non minori admiratione dignum est, quàm quod per medium mare rubrum deducti sint. Multa etenim populo aduersa in deserto & dura contigerunt, fames scilicet ac sitis, terræ siccitas atque ipso igne ardentiores soles radij, ferarum præterea innumerabilis multitudo, ac multa denique alia grauia incommoda, quæ omnia tamen illæsi atque tuti superauerunt. Prætermisit autem propheta in discursu multa, quæ colligi posse ex Mosaicis libris putauit. τῷ ἐξαγαγόντι

Ei qui percussit reges magnos, quoniã &c. & occidit reges fortes, quoniam &c. Seon regem Ammoreorum, quoniam &c. & Og regem Basam, quoniam &c. & dedit terram eorum hæreditatem, quoniam &c. hæreditatem Israel seruo suo, quoniam &c. Hæc omnia etiam habuimus in superiori psalmo.

Quia in humilitate nostra memor fuit nostri dominus, quoniã &c. & redemit nos de inimicis nostris, quoniam &c. Nobis scilicet humiliatis atque afflictis, videns enim, inquit, vidi afflictionem populi mei qui est in Aegypto. Illud vero animaduerte quomodo Propheta dixerit: deum memorem nostri fuisse, & redemisse nos, ipsum Iudæorũ genus vniuersum sibi quodammodo vendicans, atque appropriãs propter primos scilicet communes omniũ progenitores. Deinde priuata in Iudæos beneficia omittens, ad vniuersalem dei prouidentiam conuertitur dicens.

Qui dat escam omni carni, quoniam &c. Omni nimirum naturæ necessaria æque distribuens.

Confitemini domino cœli, quoniam &c. Factori scilicet ac domino cœli. quod si cœli dominus est, omnino etiã & terræ. vel cœli deum dixit, quia illic fertur habitare. Possumus etiam tam præsentem quàm proxime præcedentem psalmũ nobis accommodare, & nos inter nos admonere, atque exhortari ad agẽdas gratias deo, qui variis beneficiis olim populum suum affecit, qui inimicos dissipauit, & omnia alia operatus est, quę in superioribꝰ dicta sunt. quod si iuxta anagogen exponere hæc voluerimus, prophetam dicemus per Iacob & per Israel electum nouum populum intelligere, per Aegyptum vero impietatem & peccatum: per signa etiam ac prodigia, quæ in medio Aegypti facta sunt, ea intelligemus

miracula,quæ per Christũ,& per apostolos,ac reliquos sanctos effecta fuere. Similiter per Pharaonem & seruos eius, ipsum dęmonẽ,ac omnes dęmonis cultores:per gentes etiam multas:& per reges fortes, pari modo ipsos dæmones: atque illos magis priuatim,qui inter eos maiorem in alios potestatem habent: & per Seon & Og reges, ipsum Satanam atque illum,qui post eum statim inter omnes dæmones primus est. Per regna quoque Chanaam, vitiorum tyrannides intellige. Per terram vero eorum nouo populo datam, regiones illas dices significari à quibus dæmones expulsi sunt,cum earum olim dominarentur. Denique per domum Israel, vniuersum fidelium populum,& per domum Aaron,ipsos sacerdotes,& per domum Leui,diaconos ac ministros, & per timentes dominum,eos qui clariori quadam prædíti sunt virtute:per Sion,ecclesiam, & per Aegypti primogenita, voluptuosos animi affectus,ac passiones eas,quæ præ cæteris dęmoni magis placerent? Per mare rubrum,amaram impiorum dogmatum(vt ita dixerim)salsuginem,in qua infideles detẽti veluti quodam aquarum profundo suffocantur: per desertum,infructuosam errorum sterilitatem, per quod tamen pij ac fideles illæsi pertranseunt, & in fertilem atque vberem tandem veritatem deueniunt: & per humilitatem nostram, non illam tantum intelligere debemus, quæ per afflictiones atque calamitates efficitur,quæque inuoluntaria est,sed eam etiam,quæ virtute constat,& est voluntaria.

Psalmus ipsi Dauid.

Hic psalmus ex sacerdotum Leuitarũ,& cantorũ qui in Babylone captiui fuerãt, persona cõscriptus est:ita tamen ut quæ futura erant, antea prædixerit. Nos etiã docet,in huiusce modi calamitatibus eadẽ agere, atque hoc pacto deum ad misericordiam incitare. Est autem hic psalmus apud Hebræos sine inscriptione.

PSALMVS CXXXVI.

SVper *flumina Babylonis, illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Captiui enim cum essent Iudæi in Babylone, extra ciuitatis mœnia commorabantur:atque ideo secus fluminũ ripas sæpenumero incedentes,priuatim inter se se,cum

se cum silentio lamentabantur. Consilio autem diuino factũ est,vt postquam bona illa despexissent Iudæi, quæ habebant in manibus,inuiti deciderint ab eis,vt rursus ad eorum desyderium commouerentur. Hoc pacto enim solet deus,ad sensum atque ad cognitionem eos reuocare, qui beneficia in se collata neglexerint,aut non cognouerint: dum illos nimirũ à concessis donis permittit decidere.

In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. In salicibus scilicet,quæ in illius regionis medio,secus fluminum ripas erant dispositæ. Per organa autem musica illa instrumenta intelligit, cum quibus canere solebant cantica, veluti psalterium,citharam,aut alia huiusmodi. Attulerãt enim ea instrumenta, ad concinendas diuinas laudes, verum cum ea in salicibus suspẽdissent,attoniti rursum ac mœsti ea spectabant, atque occasionem illinc lamentationum magnam sumebant,repetentes memoria diuinum cultum, & conuersationem illam laude dignam,quam habuerant in Sion. Iuxta anagogẽ,in salicibus expone,p in ocio. Per salices enim quę infructuosæ arbores sunt, cessationẽ à cantibus significauit.

Quia illic interrogauerunt nos,qui captiuarunt nos, uerba canticorum, & qui abduxerunt nos hymnum. Interrogauerunt nos, vt responderemus verba canticorum:præterea & hymnum, hoc est, iusserunt nos canere, cupientes nimirum cantu nostro delectari:vel etiam irridere ea volentes,quæ nos diuina ac veneranda esse ducebamus. οἱ αἰχμα λωτεύ σαντες λόγοις ᾠδ ῶν

Cantate nobis de canticis Sion. Dicebant scilicet.

Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? Respondimus scilicet, quomodo,inquam, cantabimus, diuina lege id prohibẽte? Vide quemadmodum captiuitas illos iam meliores reddidisset. Nam cum in propria ciuitate ac regione legem essent transgressi, modo in aliena eam obseruant. Per alienam etiam terram,quodcunque humanum cor potest intelligi,quod à cultu atque à religione dei alienum sit. Et consona sunt huic dicto,illa domini verba: nolite sancta dare canibus,& margaritas nolite proiicere ante porcos.

Si oblitus fuero tui Hierusalẽ,obliuioni detur dextra mea. Hoc est,potẽtia,seu efficacia mea. Paralyticus,inquit,reddar,vel arescat manꝰ mea,itavt in ea nihil amplius sensus relinquaẽ.

Adhæreat lingua mea gutturi meo, si non meminero tui, Detineatur

tineatur vox mea atque impediatur: vel omnis à me operationis, & sermonis potentia auferatur. Horum enim alterum per dexteram, & alterum per linguam significauit. Hæc etiã à nobis dicenda sunt de superna Hierusalem. vel per dexteram quidem, opera virtutis intelligit, per linguam vero scientiæ contemplationem. Lingua etenim sermonem profert, & sermo scientiam & contẽplationis sensus explicat. Per gutur etiam gulæ affectus intelligere possumus, hoc est, ciborum voluptatem. Obliuioni, inquit, detur omnis mea operandi potentia, atque hoc per ipsam ignauiam. & omnis similiter cõtemplandi virtus ciborum adhæreat voluptati, ita vt ad diuinæ scientię delectationẽ, de cætero immobilis fiat, & in ea amplius non versetur.

Si non præposuero ipsam Hierusalem in principio lætitiæ meæ. Hæc, inquit, atque illa patiar, si præ cæteris omnibus in mea memoria ipsam Hierusalem non collocauero, tanquam illam, quæ inter omnes voluptates ac delectationes meas primum locum obtineat, & omnis meæ lætitiæ ac gaudij præcipuum sit caput.

Memento domine filiorum Edom, diem Hierusalem, dicentium, euacuate, euacuate usque ad fundamẽta eius. Filios Edom Arabes appellat: qui vnà cum Babyloniis pugnauerant aduersus Iudæos, & Hierusalem: qui etiam cùm ea ciuitas euerteretur, ipsos vrgebant euersores, vt vsque ad fundamẽta euerterent. Memento, inquit, eorum vt condigna eorum meritis retribuas supplicia, eo quod cognati nostri erãt, & nihilominus ob inuidiam, cæteris omnibus inimicis, sæuiores, in nos fuerunt. Et cum dixerit filiorum Edom, addidit, diem Hierusalem, hoc est, diem Hierosolymæ calamitatis. A secundo autem casu indifferenter ad quartum pertransit. vel aliter: memento filiorũ Edom, qui fuerunt in die calamitatis Hierusalem. Potest enim vterque sensus elici ex his verbis: quia græcę orationi in quarto casu subitelligi potest dictio κατὰ. Ita enim sæpenumero subintelligitur, & sensus efficitur, quẽ diximus: in die Hierusalem, hoc est, in die Hierosolymę calamitatis.

Filia Babylonis misera. Quemadmodũ Hebræis mos est, filium hominis, hominem appellare, ita & filiam Babylonis, Propheta ipsam Babylonem appellat. O filia, inquit, Babylonis misera: ob ea nimirum, quæ tibi contingent. Prædicit enim futuram illius ciuitatis ruinam.

Beatus qui retribuet tibi retributionẽ tuam, quam retribuisti nobis. Verba hęc ex persona populi dicta sunt, inimicorũ euersionem appetentis. Retributionem vero quã retribuisti, dixit, pro afflictionem quam dedisti: ita vt præpositiones illæ hoc in loco superfluæ sint, quemadmodum & alibi diximus.

Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram. Iram suam populus ad immaturã etiam ætatẽ extendit, beatos eos dicẽs. Qui vel ipsos Babyloniorũ infantes, cum sæuitia crudeliter occiderint. Verum non huiusmodi sunt nostra fidelium vota, qui discipuli sumus mitissimi ac misericordis domini: qui vel ipsos etiã inimicos diligi iussit & eorũ curã haberi. Sed ad anagogicũ sensum reducẽda sunt, quæcunq; recte accõmodari possunt. Per filios igitur Edom, dæmones intellige, qui mutuo sese fidelis cuiuscunque animę diuitias, ad extremũ vsque fundamentũ euacuare iubent. Per Hierusalẽ etenim, vnãquanque huiusmodi fidelem animam intelligimus significari. Per miserã vero Babylonẽ, ipsam impietatem miseria atque ærumnis circundatam, veluti à pietate superatam, ac demũ oppressam. Hanc etenim impietatẽ quisquis destruxerit beatus erit. Per paruulos etiam eius, cogitationes affectuum plenas, ac nuper exortas intellige: vel pueriles etiã ac fatuas, quas qui opprimit, & allidit ad fidẽ, hoc est, ad Christum, beatitudinem hanc consequetur. (Petra etenim, inquit, erat Christus.) Quicunq; igitur eas, vt dixim⁹, ad Christum alliserit, atq; hoc pacto perdiderit, beatus erit.

Psalmus ipsi Dauid. PSALMVS CXXXVII.

Confitebor tibi domine in toto corde meo. Eadẽ verba habentur in principio psalmi noni, vbi exposita sunt.

Et in conspectu angelorum psallam tibi. Corã angelis inquit, psallam tibi, hoc est, ego inferius in terra canam tibi simul cum angelis, quorum propriũ ac peculiare, opus est, vt te laudent. vel per angelos sacerdotes intelligit, solet enim scriptura aliquãdo sacerdotes angelos appellare atque etiam deos, Labia enim inquit, sacerdotis custodient

ſtodient iudicium, & ex ore eius exquirent iuſtitiam, quia angelus domini omnipotentis eſt. Iterum alibi: Deis nō male dices, & principi populi tui nō dices male. coram, inquit, ſacerdotibus canam tibi cantica in gratiarum actiones.

Quoniam audiſti omnia uerba oris mei. Quoniam omnes preces meas exaudiſti, quæ decenter tibi factæ ſunt.

Adorabo ad templum ſanctum tuum. Reddam tibi gratiarum actiones.

Confitebor nomini tuo ſuper miſericordia tua, & ueritate tua. Et gratias tibi agam, quia miſertus es mei, & vere miſertus es, vt alibi diximus: vel quia vere omnia adimpleuiſti, quæ mihi es pollicitus.

ἐπὶ παν *Quoniam magnificaſti in omne nomen ſanctum tuum.* Quoniam ſanctum nomen tuū mirabile eſſe feciſti in omne opus, vel in omne tempus. ſubaudienda enim eſt aliqua eiuſmodi dictio. omnia enim quæcunque feciſti, nominis tui magnificentiam prædicant. alius vero interpres reddidit: quia magnificaſti ſuper omne: & tunc, alio etiam modo intelligi poteſt, vt ordo, ac ſenſus ſit: quia magnificaſti ſanctum tuum ſuper omne nomen.

In quacunque die inuocauero te, uelociter exaudi me. Eadem hæc verba habentur in pſalmo CVIII.

πολυωρήσεις *Magnipendes me in anima mea potētia tua.* Hoc eſt, tu animæ meæ non mediocrem rationem habebis: quinimmo magnæ illa tibi erit curæ, præſertim cum hoc facere poſſis. vel aliter: tu inquit, potentia tua animam meam extolles, hoc eſt, exaltabis, & facies eam calamitates atque ærūnas omnes ſuperare. verbum autem magnipendes, pro quo in Græco hic habetur, πολυωρήσεις, idem ſignificat, quod rationem habere, ſeu magnificere: quemadmodum & Græcum verbum, ὀλιγωρέω idem ſignificat quod paruipendo, aut negligo, vt diximus in fine pſalmi vndecimi, ibi: ſecundum altitudinem tuam magnipendiſti filios hominum.

L. f. VI *Confiteantur tibi domine omnes reges terræ.* Omnes nimirum pij, ac fideles. deinde cauſam addit, ob quam eos iubeat gratias agere.

Quia audierunt omnia uerba oris mei. Verba, inquit, oris mei per legem dicta, per prophetas, per euangelium, per Apoſtolos. neque enim ita debemus ob reliqua à deo accepta beneficia

neficia ei gratias agere, quantum ob hoc ſpirituale diuinorum eloquiorum donum, vnde omnis defluxit pietas, & religio, & omnis denique vita, virtute prædita: quod veriſſimum eſt animę beneficium.

ᾠδὰις & nō ὁδοῖς *Et cantent in canticis domini.* Cantent, inquit, tibi cantica quæ in laudem tuam ſunt compoſita. cantica enim domini omnia eſſe dicuntur, quæ tam à Moyſe quàm à beato Dauid conſcripta fuerunt. poſſunt etiam cantica domini appellari omnes laudationes in deum.

Quoniam magna eſt gloria domini. In Græco pro gloria δόξα, legimus: quę dictio non gloriam tantum ſed opinionem etiam ſignificat. magna eſt, inquit, opinio illa, quę habetur de deo, eo quod magnum eum eſſe opinātur, qui illius beneficia cognouerunt. vel magna eſt gloria eius, iuxta quod ſcriptum eſt, plenum eſt cœlum, & terra gloria eius, cum homines vnà, atque angeli eum glorificent.

Quoniā excelſus dominus & humilia reſpicit. Simile eſt hoc illis verbis: qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo atque in terra, quemadmodum habetur in pſalmo centeſimo duodecimo. vel natura quidem excelſus eſt, humilia autem reſpicit, veluti qui & terræ prouidentiam habet, & ad humiles, ac tenues res prouidentiam etiam ſuam extendit: vel, qui humiles corde reſpicit, atque cuſtodit.

Et alta à longe cognoſcit. Humiles ſiquidem actiones & diuina celſitudine indignas, neque etiam cum prope eſt, videre, aut intueri ſuſtinet deus: iuxta quod ſcriptum eſt, ex dei perſona, ad impios dictum eſſe: non noui vos. alta vero ac ſublimia quæcunque, & diuinitate eius digna, etiam à longe peruidet. nouit enim, inquit, dominus viam iuſtorum. his autem verbis multa dei benignitas demonſtratur. vel de diuina præſcientia ſermo eſt, quod dominus ſcilicet omnia nouit etiam antequam fiant.

Si ambulauero in medio tribulationis, uiuificabis me. Me, inquit, in miſerias atque ærumnas tuentem ſeruabis, atque in periculis conſtitutum eripies, & vjuificabis.

ἐπ' ὀργὴν *In iram inimicorum meorum extendiſti manus tuas.* Extendiſti manus tuas ad furorem, & rabiem eorum, atque hoc pacto eam extinxiſti.

Et ſaluum me fecit dextera tua. Tua potentia,

Dominus

Dominus retribuet pro me. Inimicis meis scilicet. mihi enim, inquit, vindictam, & ego retribuam.

Domine misericordia tua in seculum. Similia sunt verba illa: quoniam in seculum misericordia eius.

Opera manuum tuarum ne despicias. Tu misericors es, inquit, tu opifex. vtraque igitur de causa benigne ac studiose respice ad nos, ne despicias nos dura oppressos tyrannide, ac iamiam perituros. vel non despicias nos rogantes atque inuocantes te.

PSALMVS CXXXVIII.

Psalmus ipsi Dauid.

Domine probasti me, & cognouisti me. Probasti me, inquit, tentationum, atque calamitatum probatione. nec tamen hoc dicit beatus Dauid, quasi ante hanc probationem deus eum ignoraret. nouit etenim deus omnia, etiam antequã fiant. sed probasti, inquit, vt ab iis, qui me probatum esse ignorabant, cognoscerer, atque vt existerem eis in exemplum fortitudinis: & cognouisti me exactissime, qualis sum. vel probasti, & cognouisti, pro diligenter nosti. nam & Apostolus dicens, quod deus scrutatur corda, non significare voluit deum ignorasse aliquando, antequam scrutaretur: sed exactissime, atque apertissime, illum omnia nosse.

Tu cognouisti cathedram meam, & surrectionem meam. Hoc est vitam meam vniuersam. in his etenim humana vita consistit, in quiete nimirum, atque in motu, in ocio atque in negotio, in requie, & in operatione.

Tu intellexisti cogitationes meas de longe. Nequis fortasse deum suspicaretur per experientiam ac probationem hominum animos cognoscere, sermonẽ suum castigauit. nam qui humanas cogitationes nouit, ante earum motum immo vero, qui multo tempore ante eas præuidit, nulla profecto experientia, aut probatione indigere putandus est.

Semitam meam & funiculum meum inuestigasti. Omnem vitæ meæ rationem ac modum tu perscrutatus es, quantum scilicet vitæ tempus præcesserit, & quantum sit reliquum. funis autem apud Aegyptios atque apud Persas itineris mensura est, & idem ferè, quod apud nos dicitur stadium. verba autẽ probasti

probasti, & inuestigasti in deo veram & certam scientiam, & cognitionem denotant.

Et omnes vias meas præuidisti. Actiones meas omnes, bonas & malas. & non dixit vidisti sed præuidisti, antequam scilicet fierent.

Quod non est dolus in lingua mea. Hoc quoque simul cum cæteris omnibus bene nosti, quod in sermonibus meis nullum vitium est, nulla peruersitas, nullum scelus. deinde magis vniuersaliter dicit. δόλος

Ecce tu domine cognouisti omnia nouissima, & antiqua. Vltima & prima, hoc est, omnia prorsus, & nihil cognitionem tuam effugit. nosti omnia, quæ futura sunt, & quæ fuerunt.

Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. Nõ solum formasti, sed conseruas etiam, & tueris, ita vt alterum quidẽ ad creationem, alterum vero ad prouidentiam pertineat.

Mirabilis facta est cognitio tua, ex me. Cognitio tua, inquit, magna facta est super me (ita enim alius interpres reddidit) hoc est, super capacitatem intellectus mei facta est. quod etiam ex sequentibus magis declarauit, dicens. ἡ γνῶσίς σου

Inualuit, & non potero ad eam. Fortior ac potentior facta est, quàm vt comprehendi possit, cogitatione ac consideratione mea: & non potero ad eam, appropinquare nimirum, ita vt comprehẽdam. per cognitionem autem dei, nihil aliud significare voluit, quàm scire & cognoscere eum qualis naturæ sit. nam quod sit deus, hoc proculdubio scimus, quid autẽ, aut qualis sit illius substãtia, ignoramus. similiter quod vbicunque deus est, nouimus, quomodo autem id fieri possit, nescimus. pari etiam modo nouimus, quod bonus est, quod misericors, quòd sapiens & potens, sed bonitatis, misericordiæ, sapientiæ, & potentiæ, modus, aut qualitas à nostra cognitione procul est. his consona sunt, quæ habẽtur apud Ecclesiasten, dixi sapiens efficiar, & ipsa lõgius facta est à me, magis quàm erat, & profunda profunditas, quis inueniet eã? Paulus etiam: ô profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei dixit, quàm imperscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. quidam vero ita intellexerunt, mirabilis facta est scientia, ac sapientia tua ex creatione, & formatione mea: & ita inualuit, vt vere cognoscam, quod nõ potero ad eam peruenire vt cõdignis eam laudibus celebrem. verum si ἐκραταιώθη

rum si plene atque exacte non nouit eam beatus Dauid, quomodo eam admiratur? ob hoc ipsum, inquit, summe eā admiror, quia incomprehensibilis est. nam & solares radios intueri, atque comprehendere non valemus, atque ob hoc ipsum eos plurimum admiramur. deinde aliam dei potentiam admirabundus narrat, quod prouidentia nimirum ac potentia sua, deus vbique adest, atque omnem implet locū.

Quo ibo à spiritu tuo: & à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum tu illic es: si descendero in infernum, ades. Per spiritū dei, & per faciem dei, deum ipsum circunloquitur. vel per spiritum dei, sanctum spiritum intellige. per faciem vero, ipsum filium, tanquam veram patris figuram, & certissimum illius diuinæ naturæ characterem. qui enim, inquit, vidit me, vidit & patrem meum. per cœlum autem superna, & per infernū, inferna loca denotauit. deinde etiam abyssum dicit, & profundum maris: per quæ omnia inaccessa hominibus loca subsignauit.

Si assumpsero alas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Per alas, potentiam illam mentis intelligit, qua humanus intellectus mouetur. si alis, inquit, intellectus mei in abyssum maris peruenero, eo consilio vt illic saltem possim à te abscondi, potentia tua nihilominus illuc etiam me deducet, & rursus detinebit me, hoc est, neq; illuc etiam sine tua potentia accedam: quinimmo illa præibit me, illa iter concedet, atque illic etiam me detinebit, ita vt illinc euadere non valeam. per diluculum autem, illud tempus intelligit, quo potissimum humana mens sobria esse solet. superflua est etiam dictio, enim. quidam præterea per diluculum, orientem intellexerunt, occasum vero, per extrema maris, vt sit sensus: si intellectu meo, veluti alis quibusdam munitus, in oriente eleuatus fuero, & peruenero vsque in occidentem, potentia tamen tua illa erit, quæ & in oriente dux mihi erit, dum eleuor: & in occidente me cōprehendet, cum illuc peruenero.

Et dixi, nunquid tenebræ conculcabunt me? & nox illuminatio in deliciis meis. Cogitaui intra me, nunquid, si tenebras ingressus fuero, latere potero ita vt ab illis abscondar? ita enim significare volunt ea verba: nunquid tenebræ conculcabunt me? quod metaphorice dictum est. nam ij qui solum pedibus conculcant,

conculcant, obtegere illud atque abscondere quodammodo etiam videntur. deinde intellexi quod ipsa etiam nox in deo lucida est. hunc etenim deum propheta delicias suas appellauit, cuius vel solam memoriam oblectamentum sibi summum esse arbitratur. memor enim, inquit, fui dei, & delectatus sum. cognoui igitur quod nec ipsæ tenebræ abscondere me poterunt à deo.

Quia tenebræ nō obscurabuntur à te. A te, dixit pro apud te, quemadmodū alius etiam interpres reddidit. nam quæ apud nos sunt tenebræ apud te tenebræ non sunt. tibi etenim omnia lucent. deinde magis declarat dicens.

Et nox sicut dies illuminabitur. Apud te scilicet.

Sicut tenebræ eius, ita & lux eius. Sicut tenebræ eius noctis lucidæ sunt apud te, sic etiam & lux diei, hoc est, duo hęc æque se habent apud te, æque lucent, æque splendescunt: & iuxta hoc, sensus est: quod omnia apud deū manifesta sunt. intelliguntur etiam hæc verba iuxta alium sensum: tentationum, inquit, atque afflictionum tenebris stipatus dixi: quod tentationes forsitan mei dominabuntur, verum te ita postmodum volente, nox illa nigroris, illuminatio lætitiæ mihi effecta est. reliqua etiam consequenter prædictis interpretanda sunt. Gregorius vero theologus aliter hoc dictum exposuit. me, inquit, deliciis vacante nox illa deliciarum, quæ mentem obtenebrat, visa mihi est quædam esse illuminatio. nox enim, inquit, vndique mihi misero erat, & ignorabam. arbitrabar enim delicias lucem esse. ὁ φῶς

Quoniam tu possedisti omnes renes meos. Per renes suos seipsum propheta, Chrysostomi sententia, circunloquitur, veluti à parte totum describens. quoniam tu, inquit, possedisti me, hoc est, possessionem tuam me effecisti: dignum nimirum tua prouidentia. nam qui aliquid possidet, illius etiam curam habet.

Adiuuisti me de uentre matris meæ. In septuagesimo etiam psalmo dixit, de ventre matris meæ tu es protector meus: ex ipsis nimirum cunabulis, atq; à prima, & tenera ætate. ἀντελάβου

Confitebor tibi, quoniam terribiliter magnificatus es. Multa sæpe admirari solemus, sed absque vllo timore, veluti pulchritudinem, ac magnitudinem corporum, ædificiorum etiā, & artium scientiam, atque alia huiusmodi: verum si maris

profunditatem intuemur, non simpliciter admiramur, sed cũ timore. Propheta igitur vastum pelagus atque immensum diuinæ sapientiæ potentiæque & administrationis profundum intuitus, atque oculorum vertiginem passus, cum timore, atque admiratione in seipsum reuersus, clamauit dicens: gratias tibi soli agam.

Mirabilia opera tua. Omna enim, inquit, in sapientia fecisti.

γινώσκει *Et anima mea cognoscit ualde.* Cognoscit quod hæc admiranda sunt.

ἐν κρυφῇ *Non est occultatum os meum abs te, quod fecisti in abscondito.* Nota ac manifesta etiam tibi est ossium meorum formatio, seu creatio. ea etenim latere fecisti, atque ipsa carne contegi. vel aliter: os, hoc est, mulier ipsa, non est occultata, quando comedit de ligno. Eua etenim os dicitur viri sui Adam, eo quod ex illius costa creata est, iuxta illud: hoc nunc os ex ossibus meis: quam etiã in occulto ideo fecisse de° dicitur, quia extasim tunc immisit deus in Adam.

ὑπόστασις *Et substistẽtia mea in inferioribus terræ.* Manifesta etiam tibi est corporis mei substantia, quæ post mortem meam in terræ profunditate abscondetur, atque dissoluetur, hoc est, & compactum me vidisti in vtero matris meæ, & dissolutũ rursus videbis in vtero terræ. vel aliter: nota tibi est subsistentia mea, & formatio mea, quæ in materni vteri viscеribus, veluti in terræ inferioribus contexta est.

τὸ ἀκατέργαστόν μου *Imperfectum me uiderunt oculi tui.* Aut Embrionem informem intelligit, qui in naturę officina figuram adhuc nullam acceperat, aut imperfectum mentis motum. nosti, inquit, me priusquam formarer, & cogitationes meas, priusquam mouerentur, hoc est, nosti omnia, antequã fiant. vnde alius interpres reddidit: informem me viderunt oculi tui.

In libro tuo omnes scribentur. Liber dei est summa eius scientia: scriptura vero, perpetua memoria. in libro igitur diuinæ scientiæ omnes scribentur tam iusti quàm peccatores. verum hic diuinæ scientiæ liber magis est vniuersalis. est etenim alius liber scientiæ dei magis priuatus, in quo soli iusti scribuntur: ea ratione, quod eos tantum cognoscere, hoc est, approbare dicitur, iuxta id quod scriptum est: nouit dominus vias iustorum.

Die formabuntur, & nemo in eis. Formabuntur in luce sancti spiritus, formatione nimirum optima, & mundissima, quę formationi materiali, atque vt ita dicam, nocturnæ est contraria: & in eis, qui in eo libro scripti sunt, vt diximus, nemo est, qui spiritualiter eo pacto formatus non sit: spiritualiter nimirum, vt diximus, concinnatus, ac directus. nos igitur vt potuimus versiculum hunc declarauimus, sumpta expositionis occasione ex Gregorio theologo. Chrysostomus vero difficultatem atque obscuritatem huius versiculi confessus, sensum tantummodo ex alio adducit interprete. informem me, inquit, viderunt oculi tui. atque ita viderunt, vt eos vident, qui in libro tuo scripti sunt: eos inquam, qui in tempore, hoc est, tempestiue creati & nati sunt ita, vt ne vna quidẽ dies ad perfectam eorum creationem deficiat.

ἡμέρας

Mihi autẽ ualde honorati sunt amici tui deus. Amici dei sunt quicunq; per virtutem, familiaritatem ac beneuolẽtiam eius adipiscuntur. vos enim, inquit, amici mei estis. virtutis igitur non minima pars est, amicos dei honorare.

ἐκρατύνθησαν *Valde prævaluerunt principatus eorum.* Alius interpres, capita eorum dixit, hoc est, ipsi amici dei. fortes enim, inquit, facti sunt virtute, adeo, vt à vitiis superari nõ possint. vel per principatus, potentiam & facultatem intellige, quam eorum vnusquisque aduersus immundos spiritus fortitus est. significare autem mihi videtur tam Apostolos quàm eorum successores, & alios omnes fideles, si qui illorum instar, virtute fuerint præditi.

Dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur. Vtitur propheta figura hyperbole. conabor, inquit, eos dinumerare, & adeo immensæ erunt multitudinis, vt supra numerum esse reperiantur. est autem hic quidam loquendi modus: apud deum vero non ipsi tantum numerabuntur, sed omnes etiam capilli capitis eorum.

Exurrexi & adhuc sum tecum. Erectus sum à calamitatibus, & tui tamen, vt multi in secunda faciunt fortuna, oblitus non sum.

Si occideris deus peccatores. Subintelligendum est: bene habet. per peccatores autem, ipsos dæmones intelligit, atque homines quoscunque legis transgressores. occidi autem dicuntur dæmones, quando inefficax atque inualida redditur

eorum potentia. peccatores vero homines tunc interimuntur, quando necatis vitiis ipsi ad virtutem conuersi fuerint. vel in peccatoribus propheta corpus occidi optat, quãdo delictorum vulnera immedicabilia sunt: atque hoc, ne aliis impedimento sint ad studia virtutum.

Viri sanguinum declinate à me. Sanguinolenti scilicet & cæde lætantes, qui quoscunque occiditis, quibus superiores estis. huiuscemodi autẽ sunt diabolici omnes, qui factis partim, & partim sermone suo cæteros perdunt. non minima etiam est virtus delinquentium commercia declinare.

ὅτι ἐριστικοὶ ἐστὲ ἐν διαλογισμοῖς λήψονται

Quoniam contentiosi estis in colloquiis. Quia litigiosi, inquit, estis in sermonibus, seu in prauis consultationibus vestris, vt alius interpres reddidit.

Accipient in uanitate ciuitates suas. Hoc est, in vanum ac frustra proprias habitabunt ciuitates. Domini enim, inquit, est terra. permanebunt enim huiuscemodi homines infructuosi & steriles ad virtutem.

Nónne eos qui te oderant domine, oderam? & in inimicos tuos tabescebã? perfecto odio oderam illos: inimici facti sunt mihi. Cũ superius dixerit, à me autem valde honorati sunt amici tui deus, nunc dicit: nónne eos, qui te oderant domine, odi? & illic honoris magnitudinem significans, valde dixit: hic etiã pari modo summum odium exprimere volens, ait: tabescebam, hoc est, indignatione maxima aduersus eos æstuabam quodammodo, & consumebar.

γνῶθι

Proba me deus, & cognosce cor meum. Atqui in principio psalmi dixit: Domine probasti me, & cognouisti me. verum melius adhuc probari, & cognosci cupit, nõ vt deus ipse melius eum cognoscat, qui omnia nouit, sed vt ij, qui prophetæ animum, ac mentem non nouerant, illius magis certiores reddantur.

ἔταστόν μι

Examina me, & cognosce semitas meas, & uide si uia iniustitiæ in me est, & deduc me in uia æterna. Eandem repetit sententiam, aut propter eos qui sibi iniuriam intelerant, confirmãs nulla se eos affecisse iniuria: aut etiam amplius probari cupit: vt si conuictus fuerit, talem animum aut mentem non habere, emendari rursus possit, ac dirigi.

Psalmus ipsi Dauid.

PSALMVS

πονηροῦ

Eripe me domine ab homine maligno. Hoc est, scelesto. ipsum etenim scelus malignum esse quid dicitur: eo quod mala atque afflictiones authori suo præstat. eripe me, inquit, non à dæmoniis, non à feris, aut draconibus, sed à maligno homine. maligni etenim homines illis omnibus deteriores sunt. nam & feras multas legimus, quæ sanctos viros veneratæ sunt. quibus contrà maligni homines innumerabilia intulerunt mala. feræ præterea aperte ac palam malignitatem suam exercẽt, atque vt ita dicam, ingenue: homines vero clam id faciunt, atque in occulto, & subdole. Dæmones item sancto crucis signo fugantur, & quoties à sanctis viris increpati fuerint, secedunt: homo vero malignus ipsi etiam deo aduersatur. nam cum iubeat deus inimicos etiam amari, ille cõtrà, non inimicos tantum, sed ipsos etiam benefactores odit. beatus etiam Paulus solo verbo Dæmones expulit: Alexãdri autem fabri malignitatem superare non potuit. deinde declarat quem nam dicat malignum.

A uiro iniusto eripe me. A legis transgressore. vocat autem deum propheta in adiutorium, quia difficillimum est ab huiuscemodi cauere hominibus. vide in psalmo XLII. expositionem illius versiculi: á viro iniusto & doloso eripe me. & cum in præcedenti psalmo dixerit: viri sanguinũ declinate à me: item in psalmo XC. discedite à me, omnes qui operamini iniquitatem, & sponte sua, pro viribus se ab eis auerterit, nunc deũ adiutorem suũ inuocat. oportet etenim vnũquenq; antea vires suas adferre, atq; ita demum deũ inuocare. neque enim deus tibi cooperabitur, nisi tu quoq; studium adhibueris & diligentiam: sed nec tu studio, aut diligentia tua aliquid perficies, nisi ille suam tibi opem porrexerit.

Qui cogitauerunt iniustitiam in corde. Tales, inquit, iniusta & noxia cogitauerunt ac peruersa.

παρεῖδόσουτο

Tota die instruebant prælia. In tota vita sua bella parauerunt, modo aduersus hunc, modo aduersus alium. inueteratum enim vitium quiscere eos non sinebat: quinimmo persuadebat magis, vt modo clam, modo palam pugnarent. per prælia autem, doli etiam intelligũtur atque insidiæ, & quodcunque aliud offensionis genus, quod cogitatione, verbo

aut opere commiti possit.

ὡσεὶ ὄφεως

Acuerunt linguam suam quasi serpentis. Incitarunt eam, vt exitiale venenum emitteret, noxium nimirum ac pestilentem sermonem.

Venenum aspidum sub labiis eorum. Hoc est, in lingua atque in ore eorum. perniciosus autem sermo aspidis veneno comparatur, veluti valde nocuus, atque ad perdendum efficacissimus. vides igitur, quo pacto vitium, in huiuscemodi feritatem homines immutauit. quod si eorum natura, quantum corporeis oculis cerni potest, immutata non videtur, immutatum est tamẽ propositum, immutata est mens: quo factum est, vt ad sæuitiam, atque ad immanitatem sint deducti.

Custodi me domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniustis eripe me. Quę superius dicta sunt, rursus repetit, orationem intendens. peccator autem, atque iniustus, quicunque intelligendus est, qui delinquit, atque iniuria vel seipsum, vel alterum afficit. seipsum enim iniuria afficere quis dicitur, quomodocunque quis peccet: alterum vero non semper. & quẽadmodum sæpenumero scriptura iustitiã in vniuersum pro quacunque intelligit virtute, sic contra, iniustitiam persæpe ponit pro omni vitio.

Qui cogitauerunt supplantare gressus meos. Cogitauerunt impedimentum præstare itineri, & conuersationi meæ, quã ex lege moderor.

Absconderunt superbi laqueum mihi. Superbus est, quilibet legis transgressor, veluti qui legem despicit, vt sæpe diximus. legis autem transgressor est, quisquis delinquit.

Et funibus extenderunt laqueum pedibus meis. Multiplicibus ac clandestinis insidiis ac plagis tetenderunt mihi laqueos.

σκάνδαλα

Iuxta iter scandala posuerunt mihi. Hoc est, in iis locis quæ contigua erant ipsi viæ, seu prope viam. hoc autem fecerunt, vt dum incautus illinc incedo, in ea scandala inciderem. per scandalum autem offendiculum intelligit. enarrat etiam & dilatat propheta sermonem de insidiis. absconderunt enim, inquit, insidias, & extenderunt eas etiã iuxta semitã: quo sermone, & praua eorum studia denotare voluit, & scelera.

Dixi domino, deus meus es tu. In huiuscemodi periculis existens, & capi iamiam expectans, omnia alia auxilia omisi,

omisi, solumque deum inuocaui, dicens: Deus meus es tu, ne despicias creaturam tuam.

Auribus percipe domine uocem deprecationis meæ. Qua liberari postulo.

Domine domine uirtus salutis meæ obumbrasti super caput meum in die belli. Domine domine, qui potentia illa es, qua ego saluor, tu in die belli protexisti, & custodisti me, tu securum me fecisti, dum seruas me, non tantum à sagittis, & gladiis, intactum, sed à solaris etiam impetus molestia. Beneficia vero accepta connumerat, tanquam eorum memor & homo grati animi: eo nimirum consilio, vt deum deinceps magis ac magis ad suum auxilium trahat.

ἀπὸ τῆς ἐπιθυμίας μου

Ne tradas me à concupiscentia mea, peccatori. Ne permittas me ob prauam meam concupiscentiam sub dæmonis peruenire potestate. Verisimile enim est cõcupiscere eum aliquando res prauas: verum, inquit, precor, ne hac de causa me condemnes, ne proiiciar, aut expellar à te. per peccatorem autem vt diximus, legis transgressorem intelligit.

Cogitauerunt contra me, ne derelinquas me. Meditati sunt peccatores aduersum me.

μήποτε

Nequando exaltentur. Nequãdo magis temerarij fiant, atq; imprudentiores victoria sua inflati aduersum me.

Caput circuitus eorum, labor labiorum suorum operiet eos. Per circuitum sagenam intelligit, aut rete, hoc est, insidias. Caput inquit, insidiarum suarum, in quo potissimum confidunt, idipsum erit, quod eos abscondet, ac perdet: quod alio etiam nomine, laborem labiorum suorum appellauit: eo quod meditando in eo laborarunt, & cum labore inuenerunt. Per eadem etenim ipsi destruentur arma, per quæ ipsi alios sperant destruere. Vel per laborem labiorum, prauas meditationes, & scelesta eorum consilia intelligit. huiuscemodi enim est prauitas, vt authori suo perniciem, atque interitum adferat.

ἐν πυρὶ

Cadent super eos carbones in igne. Non simpliciter carbones dixit, sed in igne, hoc est, multum ignem habentes, ac valde inflammati. Per carbones autem supplicia intellige, quæ à deo desuper immittuntur, quæque carbonum instar ardentium acerbissimas infligunt pœnas. Prophetiam vero continent hæc verba, aduersus huiusmodi insidiatores, in quorũ

multos ignis à deo immissus ac delatus est.

Deiicies eos in miserijs, & non subsistent. In afflictionibus, quæ miseros eos reddunt: nec miserias tantum sustinebunt, sed ob illarum immensitatem ex primo etiam impetu deiicientur.

Vir linguosus non dirigetur in terra. Hoc est, incontinens, garrulus, nugax, immodestus: aut etiam contentiosus vir, non prosperabitur: quinimmo euertetur, atque in præceps deferetur.

Virum iniustũ mala uenabuntur in interitum. Et alius sapiens dixit, iniquitates hominem venantur. Et quoniam venatores persæpe aliqui sunt ad salutem, hoc est qui feras capiunt, non vt perdant, sed vt seruent, propterea addidit, in interitum, hoc est, in perditionem. Sunt autem hæc verba, doctrina ac sensu referta non vulgari.

Cognoui quod faciet dominus iudicium inopum, & causam pauperum. Licet tardus sit aliquando dominus ad eorum vindictam, qui oppressi sunt, & quos hoc in loco inopum & pauperum nomine appellat, attamen noui, inquit, & aut in præsenti aut in futura vita faciet dominus & iudiciũ & causam eorum, hoc est, quod eos vlciscetur. Hoc autem dixit, vt iniuria affectos quoscunq; homines consolaretur, simulq;, vt ipsos iniuria inferentes perterreret, & moderatiores redderet.

Veruntamen iusti confitebuntur nomini tuo. Verum te, inquit, tardante, iusti non scandalizabuntur, sed gratias agent, scientes, quod omnia cum ratione facis, & ad nostram vtilitatem.

Et habitabunt recti cum uultu tuo. Per rectos rursum iustos intelligit, qui habitabunt, inquit, tecum, hoc est, cum tui memoria. cum ea semper existentes, nec vnquam recedentes. Vel, per rectos quidem, Apostolos significat: per faciem vero dei Christum, veluti illius substantiæ characterem. Volo enim, inquit, vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum. Possunt etiam & aliter, iusti quidem, ij dici, qui per actiones, virtutem operantur, recti vero, qui per contemplationem: vel iusti ij, qui simpliciter virtuté amplectũtur, recti vero qui cum iudicio & ratione. Et quoniã hic psalmus de futuro iudicio pertractat, de Christoq; & de Apostolis, idcirco quidam ei inscriptionem apposuerunt: in finem, psalmus ipsi Dauid.

Psalmus

Psalmus ipsi Dauid. PSALMVS CXL.

Domine domine clamaui ad te, exaudi me. Clamaui, inquit, ad te, clamore quodam igniti atque ardentissimi cordis, quo clamore, & Moyses cum taceret, à deo audiebatur: & Anna etiam nihil loquens: non autem oris clamore, quo Iudæi petitiones & preces suas multiplicantes non audiebantur, sed clamore animæ. Nam quemãdmodum, qui ore clamat, totum prorsus corpus intendit, sic & qui corde clamat, totam animam & mentem ad deum conuertit: atque hoc pacto dignus efficitur, qui exaudiatur.

Intende uoci orationis meæ dum clamo ad te. Dum clamo, inquit, vt dictum est, quasi, si non ita clamauerit, ad vocem deprecationis suæ, deus mentem adhibiturus non sit.

Dirigatur oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Duo altaria olim erant in templo, aureum quidem alterum intra adyta in sanctis sanctorum: alterum vero æneum, quod exterius collatum erat. Et in aureo quidem incensum adolebatur, æneum vero cæteris inseruiebat sacrificiis. Incensum præterea multa conficiebatur cum impensa atque munditia iuxta legis mandatum, & gratissimus deo esse videbatur is vapor, qui illinc ascendebat, eo quod odoratissimus esset, & quia nouum alium dei cultum præsignabat. Dirigatur igitur, inquit, oratio mea coram te, non secus atque illud legale incensum ad te in cœlum dirigitur: oratio, inquam, mea, quæ incensi instar ex corde meo euaporat. Cor etenim meum igne quodam promptitudinis, veluti focus, atque altare quoddam accensum est. Vnde orationem suam, quasi odoratum aliquem vaporem emittit. Et hæc quidem de incenso dicta sint: cæterum sacerdotes legem habebant, quod vbi nullus sacrificium offerret, ipsi sponte sua bis in die sacrificarent, mane quidem agnum vnum, & vespere alterum: erantque hæc sacrificia pura, munda, & deo maxime grata: cum alia sæpenumero ab offerentium vitiis, minus pura viderentur. Vespertinum vero huiuscemodi, quod diximus, sacrificium, honoratius atque acceptius erat, quàm matutinũ. Nam quod mane offerebatur, ad vespertinum respiciebat, vespertinum vero vniuersum

uersum sacerdotale diei opus, officium, ac ministerium perficiebat. Dirigatur igitur, inquit, domine manuum mearum eleuatio, sicut vespertinum dirigitur sacrificium. Vel eleuatio manuum mearum fiat sacrificium vespertinum, & sit ita acceptabile, quemadmodum illud tibi acceptum esse solet, ita vt os nostrum, vnde preces emittuntur, purum sit ab omnibus prauis sermonibus: quinimmo & ipsum etiam cor, à quo preces proueniunt, cogitationibus omnibus malis vacuum sit: & ipsæ pariter manus, quas eleuamus ad te, mundæ efficiantur ab omni rapina, auaritia, & à quocunque illegitimo opere.

Pone domine custodiam ori meo. Sciens Propheta quod os, malorum magna causa esse solet, si negligatur, quemadmodum cõtrà, bonorum, si cura eius habeatur. Linguæ enī facilitas innumerabilia gignit mala: & quemadmodum nulla esse solet vtilitas domus aut ciuitatis, nec portarum aut mœnium, nisi etiam adsint custodes, & norint, quando aperire oporteat & quando claudere, & quod multo hac in re opus est studio, ac multo magis etiam superno auxilio, sciens inquam hæc omnia, ex intimo corde preces fundit, & dei opem inuocat. Per oris autem custodiam, mentis præfecturam intelligе, quæ animaduertere debet, & scire, quænam efferenda, & quænam etiam retinenda sint. Neque enim, vt alibi dicitur, tot vnquam homines à gladio quot à lingua ceciderunt. Dedit autem linguæ deus duo mœnia, dentium nimirum & labiorum, vt per ea irrationales illius motus coerceret. Verum Propheta aliam etiam custodiam ad hæc implorat timēs adhuc, ne indecorum aliquid proloquatur.

προσοχῆς περὶ τὰ χείλη μου

Et ostium munitionis circum labia mea. Ostium custodiæ quę os ipsum obseruet. Hæc autem verba idem æque significant quod illa, quæ in præcedenti habuimus versiculo.

Ne declines cor meum in uerba malitiæ. Ne conuerti permittas cor meum ad indecentes cogitationes. Nam si os meum custodia munitum fuerit, hoc, quod dico, consequens erit & factu facillimum.

τοῦ προφασίζεσθαι προφάσεις

Vt prætexam prætextus in peccatis. Ita vt non tantum non inclinet ad eą malitiæ verba, sed etiā vt non prætexam prætextus, atque excusationes in peccatis, quemadmodum primi parentes fecerũt, cum peccassent. Adam etenim in Euam, & Euam in serpentem, peccati causam prætexendo reiecere, pari modo homicida iræ tyrannidem prætexit: adulter concupiscentiæ vires: fur inopiam & necessitatem: & alius aliud quid. Verum hæc, quæ diximus, peccata non gignunt, sed humana negligentia. Et manifestum hoc tibi fiet, si bene animaduerteris. Sciens enī diabolus, quod confessione deus placatur, & negatione magis irritatur, persuadet peccatoribus prætexere, quod ipsi non peccauerint, sed quod aliquid, peccati causa eis extiterit.

Cum hominibus operantibus iniquitatem. Ne inclines, inquit, me, vt simul cum iniquis hominibus excusationes prętexam. Solent enim huiusmodi homines post peccatum excusationes & prætextus varios adducere.

Et non communicabo cum electis eorum. Quod si hoc factum fuerit, vt me adiuues, non coniungam me, nec communionē aliquam habebo cum illis: quinimmo neque iniquorum eos tantum euitabo, qui infimi, atque abiectiores sunt: sed nec etiam cum iis commune aliquid habebo qui inter illos potentiores & clariores esse apparuerint.

παιδεύσει ἐλέγξει

Erudiet me iustus in misericordia, & arguet me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Increpet me iustus, coerceat, & reprehendat: humanitas autem peccatoris, mihi nunquam inseruiat. Melius enim est flagellum iusti, quàm gratia peccatoris, & melior virga iusti, quàm honor praui hominis. In misericordia autem dixit, eo quod iustus misericorditer castigat, dum castigando cauet, ne perdat.

Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum. Simul fugiam, inquit, iniquos, eorumque operam, & obsequia reiiciã, atque vnà precabor aduersus eorum beneplacita, hoc est, aduersus eorum voluntates, ne scilicet eorum concupiscentiæ perficiantur. Has etenim beneplacita appellauit.

ἐχρίμφθησαν πέτρας

Absorpti sunt iuxta petram iudices eorum. Potentes ac principes illi, qui omnia pro arbitrio administrabant, deleti, ac perditi sunt instar petræ, quæ demersa est, & cuius nullum relinquitur vestigium. Hoc etiam de impio alibi dictum est. Quæsiui enim, inquit, eum, & non est inuentus locus eius. Hoc pacto nimirum describens, quomodo ab ipsis, vt ita dicam, radicibus illius memoria prorsus extincta sit. Demersi autem sunt, dixit pro demergentur, quæ futura erant, prophetiæ

prophetiæ lege, narrans, vt præterita.

ἀδωὶθησαν: non ἀδωνήθησαν

Audient uerba mea, quoniam iucunda fuerunt. Symmachus autem reddidit, audient locutiones meas iucundissimas. Suscipient, inquit, sapiẽtes viri verba mea, quoniã piis ac fidelibus hæc iucundissima sunt, veluti vtilia ac vera.

διεσκορπίαθη

Sicut crassitudo terræ erupta est, super terram, dispersa sunt ossa eorum apud infernum. Quemadmodum terræ crassitudo aratro discissa rumpitur, & in proximam terram spargitur, sic & ossa eorum dispergẽtur in sepultura. Hanc etenim infernum appellauit.

Quia apud te domine domine oculi mei: in te speraui, ne auferas animam meam. Ne auferas, inquit, animam meam, dum inimicorum persecutionem, & maximas insidias sustineo.

Custodi me à laqueo, quem constituerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatẽ. Per scandala & per laqueos, insidias rursus intelligit.

ἔπεσοῦν ἐν ἀμφιβλήστρῳ αὐτῶν κατὰμόνας προσερχόμενον

Cadent in rete suum peccatores. In proprium, inquit, rete incident, quod aduersum me tetenderunt, & propria comprehendentur sagena. vel iuxta aliam literam: cadent in rete eius, hoc est, eius dei.

Singularis sum ego usquequo transeam. Segregatus nimirum ab eis effectus solus, & procul ab eorum sentẽtia: nec tantum loco separatus, quantum à proposito, & consilio aliorũ alienus. separatus autem ab eis, vsquequo moriar.

Intelligentiæ ipsi Dauid, cum esset orans in spelunca.

Quid significet inscriptio intelligentiæ, multis in locis declarauimus. Per spelunca uero illam intelligit, in qua beatus Dauid latuit, dum Saulem fugeret. Cum autem eo illic latitante aduenissent Saul, & facti ignarus exterius moraretur, resciens Dauid, se illic ab hoste circundatum, ac penè conclusum esse orationem hanc ad deũ protulit.

PSALMVS CXLI.

VOce mea ad dominum clamaui, uoce mea ad dominum precatus sum. Atqui, nec loqui poterat, nec clamare, ne cognitus scilicet statim comprehenderetur, & periret. Restat igitur vt per vocẽ, & clamorem, intensum cordis affectum intelligamus. Corde etenim & non voce clamabat, ipsaque mẽte ad deum preces

preces efferebat.

ἐκχεῶ ἀπαγγελῶ

Effundam in conspectu eius orationem meam. Hoc est proponam.

Tribulationem meam ante ipsum pronunciabo. Eandem rursus sententiam repetit. Tribulationem, inquit, meam quę ad auxilium deum flectere poterit, pro oratione ei proponam. Ipsa siquidem tribulatio non solum attẽtiores homines reddere solet cum narratur, sed fiduciam etiam ei præstat non minimam, qui cum gratiarum actione eam protulerit: vnde maxima iustificatio efficitur, ad hoc, vt quis exaudiatur.

ἐν τῷ ἐκλείπειν

Dum deficit in me spiritus meus. Hæc, inquit, facio, quia in periculis sum, quia futurũ est, vt moriar. Auxilio etenim ex omni parte desperato, seipsum penitus ad deum conuertit.

Et tu cognouisti semitas meas. Ego quidẽ in maximis constitutus periculis hæc faciam, tu autem domine conuersationis meæ semitas cognouisti: tu nosti quod nulla eos iniuria affecerim, qui mihi insidiantur. Quo circa iniuria ob solam eorum inuidiam in periculis versor.

In uia hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. In hac etiam via fugæ meæ occultarunt laqueum, clam insurgentes aduersum me, atque exitum mihi non præmeditato præcludere studentes. vel aliter de intellectualibus inimicis hęc dicta sunt, qui non tantum in vitiorũ via occultos tendunt laqueos, sed quod grauius est, etiã in via virtutis: veluti in patientia superbiam, & in eleemosyna, inanem gloriam.

ἀπέβλεπον

Considerabam ad dexteram, & respiciebam, & non erat qui agnosceret me. In dextera enim parte amici atque adiutores adesse solent. Spectabam igitur inquit, ad dexteram, verum nullus mihi aderat adiutor.

Periit fuga à me. Hoc est defecit, etiam mihi fugæ remedium: cum in spelunca scilicet conclusus sim, atque effugere non valeam.

ὁ ἐκζητῶν

Et non est qui exquirat animam meam. Qui vlciscatur, qui liberet, qui defendat.

Clamaui ad te domine. Cum de humano auxilio prorsus desperauerim.

Dixi tu es spes mea. Tu salus scilicet.

Portio mea in terra uiuentium. In terra viuentium existens, nullam ego terrenam habeo hæreditatem, nullum seculi huius

ius patrimonium, sed te vnum in thesaurum possidens diues sum. vel tu es sors mea, & diuitię meę, in cœlo nimirũ, vbi vere est terra viuentiũ: quia immortales sunt, qui illic habitant.

Intende ad deprecationem meam, quoniã humiliatus sum ualde. Afflictionem & calamitatem suam Propheta proponit, vt deum magis placet, atque ad suum flectat auxilium. Dictum est etiam alibi afflictus sum, atque humiliatus sum valde: & rursus: vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia delicta mea.

ἐκρατειώθησαν

Libera me de persequentibus me, quoniam præualuerunt supra me. Cum illic, inquit, cõclusus sim, vnde nulla datur fuga.

Educ de custodia animam meam, ut confiteatur nomini tuo. Per custodiam conclusionem illam intelligit, qua conclusus erat in spelunca. Custodiam enim carcerẽ persæpe appellamus. Per animam etiam suam seipsum circunloquitur. Educ, inquit, me ex hoc loco, vbi cõclusus sum, vt gratias tibi agam. Iuxta anagogen vero: custodia ipsũ corpus dici potest, quod animam in se, quasi carcere quodam conclusam coercet.

ὑπομενοῦσι

Me sustinebunt iusti, donec retribuas mihi. Aquilas vero reddidit: me expectabũt iusti donec remuneratus fueris me. Sustinebunt, inquit, expectantes me, donec ex calamitatibus liberatus fuero: atque hoc eo vsque facient, donec tu pro huiuscemodi afflictione atq; humilitate mea, gratiam mihi retribueris. Tales vero sunt sanctorum animæ. Nam & cum afflictis simul dolent, & cum gaudentibus lætantur.

Psalmus ipsi Dauid, cum persequeretur eum filius eius Absalon.

In multis exemplaribus hunc psalmum absque ulla inscriptione reperimus, tametsi in aliquibus ea inscriptio habeatur, quam præposuimus. Consimilem, penè inscriptionem habet tertius psalmus, cui inscribitur: psalmus ipsi Dauid, cum fugeret à facie Absalonis filii sui.

PSALMVS CXLII.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in ueritate tua. Exaudi tanquam verax. Pollicitus enim es te exauditurum eos qui nomen tuum recte inuocauerint: & mihi rursus priuatim idem etiam promisisti.

Exaudi me in iustitia tua. Veluti iustus, & qui non sustines quenquam ab altero affici iniuria: nec tantum parentes vetas

vetas à filiis lædi, sed nec quenquam ab extraneo. Chrysostomus vero pro veritate hic misericordiam intelligit, & pro iustitia, benignitatem. Solus enim deus vere miseretur, & sola dei iustitia benignitate est permixta. humana enim iustitia caret misericordia.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo. Non cupio, inquit, iudicio tecũ disceptare. Noli igitur & tu, quæso iudicio mecum contendere. Iustificaberis enim in sermonibus tuis, & vinces quoties cum me seruo tuo iudicatus fueris.

Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Non dixit simpliciter, non iustificabitur, sed in conspectu tuo non iustificabitur, hoc est, si ad summam iustitiam tuam comparetur, & iuxta illam exquiratur. vel si consideratio habeatur ad beneficia tua, aut ad mandata tua omnia. atque ideo beatus etiam Iob dicebat. Vilipendi me ipsum, & contabui, terramque me & cinerem putaui: manum ponam ori meo. vide etiam in psalmo CXXIX. expositionem illius versiculi. Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit? quod vero ait: omnis viuens: idem est. quod omnis homo vitæ particeps. verum iuxta apostolũ in hac vita iustificamur gratis gratia dei, quæ est per fidem Iesu Christi.

Quia persecutus est inimicus animam meam. Dictio, quia, in superiori versiculo rationẽ reddit: in præsenti vero, narrantis in modum ponitur. Per inimicum etiam iuxta historiã Absalonem intelliges. iuxta anagogen vero ipsum dæmonem.

Humiliauit in terra uitam meam. Deiecit ac prostrauit me inimicus in terrã non tantũ ea ratione, quod calamitatũ pondere depressus sum, sed quia ipsam etiã humum pro sede ac strato meo habui, veluti qui exul eram à patria, ac semper in fuga. iuxta anagogen, inuisibilis inimicus ad terrena me negotia deflexit, cum à cœlestibus me antea extraxisset. Nomẽ vero humilitatis, vt sæpe diximus, plura significat. Neque enim virtutis tantũ nomen est, sed pro ea etiã ponitur humilitate, quæ à calamitatibus prouenit, atq; à peccatis. Accipitur etiã humilitas pro quodã vitio, quod ex auaritia nascitur, aut à pusillanimitate. veluti cum quis obolũ magni æstimat, aut quæ tenuia ac vilia sunt, digna studio: quẽadmodũ pueri faciunt. qui pilas aut talos esse aliquid magnum existimant.

Collocauit me in obscuris sicut mortuos seculi. In afflictionis tenebras

tenebras me immisit,& mentem meam veluti caligine quadam obduxit.quod vero ait,mortuos seculi,dixit, ad demonstrandam tenebrarum magnitudinem.Neque enim mortuos simpliciter,sed seculi mortuos dixit,hoc est, antiquos seu antiquitus mortuos,augere nimirum volens sententiam, quam profert sublimiori, atque vt ita dicam , tragico quodam sermone.Ij etenim quos seculi mortuos dicit , in profundissimis iacent tenebris,multa nimirum humo obruti.

Et contristatus est in me spiritus meus. Anima mea dolore affecta est,ob summam afflictionem.

In me turbatum est cor meum. Tumultuatũ est, inquit, cor meum,in me & torsionibus affectum est.

Memor fui dierum antiquorum. In quibus deo gratus eram, & prospero euentu res meæ omnes procedebant.Vel memor fui dierum quibus maiores nostri, & secunda vtebantur fortuna,& virtutibus excellebant.vel dierum quibus per tentationes & calamitates exquirebantur. solet enim huiuscemodi memoria non minimum afferre solamen.

Meditatus sum in omnibus operibus tuis. Reuoluẽs mecum mirabilia tua,& omnes eos animo recensens, qui admirandè à te ex calamitatibus liberati sunt.

In factis manuum tuarum meditabar. Memoria, inquit, versabar in vniuersis opificiis tuis, eaque summa prouidentia tua plena esse inueniens,spem bonam accepi, quod non despicies me,tot calamitatibus oppressum ac miseriis.

Expandi ad te manus meas. Rogans scilicet,& supplicans.

Anima mea sicut terra inaquosa tibi. Anima mea ad te tota respicit,tuum non secus auxilium sitiẽs, atque inaquosa terra & sitibunda pluuiam desyderat.

Velociter exaudi me domine , defecit spiritus meus. Defecit, ita vt nunquam adeo.Dimittet autem me spiritus,nisi tu cito exaudiueris.

Ne auertas faciem tuam à me , & similis ero descendentibus in lacum. Ne derelinquas me & statim moriar . Mortui enim sunt,qui in lacum descendunt.Hoc pacto etiam mortuus videtur, quantum ad virtutis opera, ille qui auxilio tuo priuatus est.Auertit autem deus faciem, hoc est, protectionem & custodiam suam ab hominib⁹ prauis.Mundus enim, inquit, est oculus tuus ne videat praua.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam,quia in te speraui. Significa mihi,inquit,cito misericordiã tuam, vt ante experientiam,promissione tua refrigerer . Deinde rationem apponit,cur præstãda ei sit misericordia.quia scilicet in te speraui.huiuscemodi enim spes magnopere solet deũ cõciliare.

Notam fac mihi domine uiam,in qua ambulabo , quia ad te leuaui animam meam. Atqui tam naturalis lex quàm scripta docẽt rectam viam.verũ nunc,vel illud dicere intendit,quod consciẽtia sua peccatis esset inquinata:vel quod plurima ab hominibus ignorantur.atque ideo Paulus dicebat:quid orem⁹, & quẽadmodũ oportet,nescimus.Ad te igitur,inquit,oscitabundus specto:indica mihi viam,per quam ambulem ad te.

Eripe me de inimicis meis domine,ad te confugi, doce me facere uoluntatem tuam,quia deus meus es tu. Non dixit doce me voluntatem tuam,sed doce vt faciam eam.Beatus enim,inquit, qui non nouit tantum,sed facit eam.cognoscere enim facilius est,operari vero difficilius,iis præsertim,qui superna doctrina atque ope indigent.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. In viam rectam & planam,qualis est via virtutis.Recta quidem,veluti sine errore:plana vero tanquam periculis & scandalis libera:quæ dicere possumus esse peccandi affectus.

Propter nomen tuum domine uiuificabis me. Non ob meam virtutem,sed propter tuum nomen . Misericors etenim appellaris,vt dictum est in psalmo CXIII.ibi:non nobis domine non nobis,sed nomini tuo da gloriam.

In iustitia tua educes de tribulatione animam meam,& in misericordia tua exterminabis inimicos meos,& perdes omnes qui tribulant animam meam. Quam initio psalmi iustitiam appellauit,eandem nunc eodem repetit nomine:& quam illic veritatem dixit,nunc dicit misericordiam . exterminabis autẽ & perdes inuisibiles inimicos,hoc est,expelles & delebis eos quantum scilicet pertinet ad ipsum,qui hoc petit.quod vero ait,viuificabis,educes,exterminabis, & perdes, non tantum in eo sensu intelligi potest, vt verba futuri sint temporis, & prophetiam contineant, sed intelligi etiam possunt, vt in optantis modum sint dicta.

Quia ego seruus tuus sum. Eo quod & inseruire tibi festino,& præcepta tua,tanquam domini iussa obseruare satago.

Psalmus ipsi Dauid aduersus Goliath.

Quædam exemplaria non habent uerba illa: aduersus Goliath. Nihil tamen impedimento est quin adesse possint: quasi compositus fuerit hic psalmus in gratiarum actionem post trophæum illud de gigante reportatum, & post multas alias victorias. Dicere etiam possumus compositum fuisse hunc psalmum aduersus inuisibilem atque intellectualem Goliath: communem nimirum omnium inimicum diabolum.

PSALMVS CXLIII.

εἰς παράταξιν εἰς πολέμους

BEnedictus dominus deus meus qui docet manus meas in aciem, & digitos meos ad bella. Laudādus de⁹ est, qui manus & digitos meos in acie prosperat, & in bello: & qui mihi tribuit, vt hostes meos superem, & præclara huiuscemodi erigā trophea. Prosperari etiam dicuntur manus in inuisibili aduersus dæmones prælio, dum extendimus eas ad virtutes, & dum ad deum eas puro corde eleuamus. Possum⁹ etiam dicere quod beatus Dauid edoctus sit à domino mouere manus in acie & digitos in bello: quia & corporeis mēbris visibiles inimicos, & animæ membris inuisibiles dæmones superabat. Nos etiā docemur à Christo tollere manus in acie & digitos ad deū, ita vt crucis figuram exprimant.

Misericordia mea & refugium meum, adiutor meus & liberator meus, protector meus, & in ipso speraui. Misericors enim, inquit, est, & quæ sequuntur.

Qui subdit populum meum sub me. Neq; enim in sola inimicorū subiectione, superno nobis opus est auxilio, sed etiā in beneuoli atque amici populi regimine: & quēadmodum victoriæ quæ de inimicis parantur, à diuino prouenium auxilio, ita etiam familiarium ac beneuolorum subiectiones.

γνώθης αὐτῷ ὅτι λογίζῃ αὐτῷ

Domine quid est homo quod cognitus es ei? aut filius hominis, quoniam reputaris ab eo? Huiuscemodi penè verba habuimus in psalmo octauo, vbi expositionē videre poteris. quia, inquit, donasti ei, vt cognoscat te deum esse, & quia reputaris ab eo, hoc est, cognoscaris deus esse. & quia in cogitationib⁹ & cōsiderationibus, atque in animo illius versaris. magnum etenim hoc est, & supra humanæ naturæ tenuitatem.

Homo uanitati similis factus est. Hoc dicit propter corporis infirmitatem, & quia humanum nihil est stabile, sed corruptibilia

ptibilia omnia, & quæ cito transeunt. Per vanitatem autem inania ac fatua hominum studia significauit.

Dies eius sicut umbra prætereunt. Cito pertranseunt, vmbrę instar, quę modicū apparet, & videtur esse, & cito auolat.

Domine inclina cœlos, & descende, tange montes, & fumigabūt. Atqui descendere deus non potest, cum vbique adsit, & impleat vniuersa: verum humano more Propheta nunc huiuscemodi protulit verba, vt per ea (terribilia enim admodum videntur) illos perterreat, qui magna sapiunt, & tument superbia, vtque eorundem comprimat temeritatem. Nam etsi tangere montes, & fumigare, horrenda quædam videantur verba: inferiora tamen sunt, ac valde distant à diuina dignitate. Ait igitur descende quæso, & tange montes, vt eos punias, qui humanæ naturæ imbecillitatem ex se ipsis non cernunt, & nihilo sapientiores fiunt: quinimmo contra potius desipiunt. In monte etenim Sina olim huiuscemodi terrores facti sunt. vnde populus magno timore affectus est, castigatiorque ac moderatior redditus.

ἀστραπὴν ἀστραπήν

Fulgura fulgurationem & disperdes eos, mitte sagittas tuas & conturbabis eos. Per fulgurationē & sagittas, flagella ac supplicia appellat, veluti famē, pestem, & alia huiusmodi. Notioribus enim, & terribilibus hisce vocabulis resupinum & contemptorem hominem, veluti à somno excitans, exurgere eum facit & tremere. Possunt etiam hæc verba de primo saluatoris aduentu intelligi. Nam & in psalmo XVII. de inclinatione cœli scriptum legimus, inclinauit cœlos, & descendit. Similiter de montibus & de fumo, quod fundamēta montium turbata sunt, & quod ascendit fumus in ira eius. De fulgure etiā & de sagittis, quod misit sagittas suas, & dissipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos: vbi vide quæ exponendo dicta sunt. nec tamen ab re fuerit, eadem hæc verba de secundo Christi aduentu intelligere.

Emitte manum tuam ex alto. Tuam scilicet adiuuandi potentiam.

Eripe me, & libera me de aquis multis. Per aquas allegorice inimici intelliguntur, eo quod aquarum, seu torrētis instar, multo cum impetu ac vehementia, & nullo ordine ferantur, & quodcunque obuium est, pertrahant. vide in psalmo LXVIII. expositionem primi versiculi.

De manu filiorum alienorum. Hoc est, de manu hominum, qui à me alieni sunt, vel qui à deo alieni sunt, propter summa nimirum eorum scelera.

Quorum os locutum est uanitates. Mendacia scilicet atque inutiles, & noxios sermones.

Et dextera eorum dextera iniustitiæ. Quorũ, inquit, & sermones mali sunt, & opera pessima.

Deus canticum nouum cantabo tibi. In gratiarum scilicet actionem. Nam quemadmodum rex à paupere, quem beneficiis affecerit, nihil aliud quærit, quam gratum animũ, & laudem, ita etiam deus à nobis nihil aliud poscit: verum ille laudes quærit, vt clarus, ac celebris fiat, deus vero, vt clariorem eum reddat, qui huiuscemodi laudes obtulerit.

In psalterio decachordo psallam tibi. Olim psalmi huiuscemodi organis deo canebantur, nunc fidelis quilibet tunc demum psalterium decachordum efficitur, si quinque corporis sensus, & quinque animi potẽtias, in se apte, atque concinne dispositas habuerit. Quoties igitur oculus recta videt, & auris spiritualibus superne intendit vocibus, & reliqui omnes ac singuli sensus, & potentiæ prędictæ irrepræhensibiliter, & digne deo id operantur, quod decet, tunc in decachordo psalterio deo canimus, eique gratias agimus, & illius nomen glorificamus.

Qui das salutem regibus. Neque enim exercitus, aut humanæ vires saluare eos solent, sed dei potentia.

δαυὶδ τὸν δοῦλον αὐτοῦ

Qui redimis Dauid seruum tuum de gladio maligno. Ex graui scilicet prælio atque ex acerba morte.

Eripe me, & erue me, de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est uanitatem, & dextera eorum dextera iniustitiæ. Hęc verba etiam superius dicta sunt, verum eadem nunc repetit Propheta, orationem ac preces suas magis intendens.

ὧν οἱ υἱοὶ αὐτῶν ἱδρυμένα κεκαλλωπισμέναι

Quorum filii eorum sicut nouellæ plantationes, stabilitæ in iuuentute sua. Fœlicitatem eorum describit, & diuitias. quorum, inquit, filij florẽtes sunt, atque in vigore, veluti nouellę plantæ auctæ in iuuentute sua.

Filiæ eorum eleganter compositæ, atque ornatæ, ut similitudo tẽpli. Hoc est ornatæ, instar templi, vel adeo ornatæ, vt ob summam elegantiam, atque ornamentum templi similitudo videantur.

Promptuaria

Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc. Hoc est, ob multã reconditorum bonorum copiam, in aliud promptuarium euacuata. quasi prima illa promptuaria essent angusta, atque ideo delata ad maiora promptuaria: iuxta illud, destruam horrea mea, & maiora ædificabo.

Oues eorum fœcundæ, multiplicantes in egressibus suis, boues eorum pingues. Per egressus, aut partus intelligere debemus, aut exitus ad pascua.

πολύτοκα πληθύνοντα ἐν ταῖς ἐξόδοις

Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Non tantum eorum segetes & campi florent & vineæ: sed stabiles etiam sunt eorum maceriæ. Per maceriem etiã, seu (vt potius Græca dictio φραγμὸς significat) per sepem aut ciuitatis mœnia accipiuntur, aut priuati muri domus. quorum, inquit, igitur nihil decidit: sed neque excursiones, aut clamores in eorum sunt vrbibus, vel (iuxta alium interpretem) in suburbiis eorum. vbi enim tumultuatio est, aut perturbatio ex bello, illic etiam excursiones hostiũ sunt. De hac materia dictum est etiam in psalmo LXXII. quia zelaui in iniquis, pacem peccatorum videns.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Multi, inquit, hunc populum ob visibilium huiuscemodi bonorum copiam, beatum dixerunt, cumque fallacem hanc vulgi sententiam posuerit, suam deinceps Propheta meliorem, ac rectiorem infert dicens.

Beatus populus, cuius dominus deus eius. Cuius portio dominus deus eius: vel cuius dominus est deus eius: cuius deus dominatur: nec simpliciter, sed quia illius paret mandatis. hæc etenĩ beatitudo vera est, veluti bona, stabilis, ac ꝑpetua.

Laudationis ipsi Dauid.

Hic psalmus laudationem dei continet, quæ omnibus cõmunis esse potest, & ex fidelis cuiusque persona proferri.

PSALMVS CXLIIII.



Exaltabo te deus meus, rex meus. Alta ac sublimia de te contemplans, vel altitudinem tuam ignorantibus declarans.

Et benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi. Absurdum enim esset, postquam ipsa

 etiam

etiam irrationalis creatura creatorem suum semper glorificat(cœli enim,inquit, enarrãt gloriam dei) si rationalis homo in hoc laudationis genere ab ea vinceretur, nec semper deum glorificaret, per laudes nimirum & per bona opera, iuxta id quod scriptum est: & videant bona vestra opera, & glorificent patrem,&c. Sumus etenim præ cæteris omnibus nos deo debitores, & quia fecit nos,cum non essem⁹, & quia tales creauit:homines scilicet & fideles: & quod creatos cõseruat,& quia prouidẽtiam nostrum omnium habet,in vniuersum omnium,ac priuatim singulorum, secreto & palam, tam scientium quàm ignorantium. Quis enim omnia ea enarrare posset,quæ deus propter homines creauit?& ministerium illud,quod nobis impendit? corporis formationẽ, animæ nobilitatem,sapientiam,naturæ legem,& legem scriptã, & quod bonorum omnium est caput, illius incarnationem, passiones & mortem? Horum omnium igitur, atque innumerabilium aliorum beneficiorum,deo debitores sumus.

Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum,& in seculum seculi. Hæc verba per se clara sunt.

ἀινετὸς *Magnus dominus & laudandus ualde,& magnitudinis eius non est finis.* Magnus non tantum, vt magnarum rerum opifex, sed vt magnorum donorum largitor: & propterea valde laudandus est.quod si nullus est finis diuinæ magnitudinis, cõsequenter nullus erit etiam diuinis laudibus modus.

Generatio & generatio laudabit opera tua. Tam præsens generatio quàm quæ ventura est, hoc est omnis generatio. Opera autem hic ea dicit Propheta, quæ mundi initio illis sex diebus facta sunt:vel miracula & prodigia,quę assidue in omni generatione ab eo fieri contingit.

Et potentiam tuam pronunciabunt. Potentiam quam in prædictis habes generationibus,vel potentiam præstandi beneficia,& infligendi supplicia. Generationem autem & generationem eos appellat, qui in vnaquaque generatione sapiẽtes sunt,& dei amatores,qui primum quidem à seipsis diuina opera laudant, deinde etiam eius potentiam cæteris annunciant.

Magnificentiã gloriæ sanctitatis tuæ loquentur,& mirabilia tua narrabunt, & uirtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt. Per mirabilia quidem ea intelligit,quæ in aliquorũ

in aliquorum hominum beneficium facta sunt, quemadmodum in Hebræorum transitu ex Aegypto columna ignis, & columna nubis,rubri maris diuisio,aqua ex petra, coturnix, atque alia huiusmodi.per terribilia vero ea significat,quę ad supplicium atque in pœnam aliquorum facta sunt, veluti flagella contra Aegyptios,aut alias gentes immissa. Vel aliter: per mirabilia quidem contemperatas temporum mutationes intelligit, florentes item hortos, prata, nitidos ac potabiles fontes,flumina,ac riuulos suauiter fluentes, pluuiarum irrigationes,terræ fœtus, arborũ innumerabiles species, fructuũ varietates,mites ac molliter spirãtes ventos, solis splendorẽ, lunæ lampadem,stellarum pulchritudinem,& alia quæcunque tam in animantibus quàm inanimatis admiratione digna sunt.per terribilia vero,fulgura,tonitrua,fulmina,pestẽ, famem,niuem,grandinem,glaciem,diluuia, incendia,& alia quæcũq;, tam in inanimatis quàm in animantibus terribilia sunt.per magnitudinem vero & magnificentiam,diuinæ naturæ,sapientiæque,ac potentiæ excellentiam,intellige.deinde in melioribus, ac benignioribus dei beneficiis magis immoratur,ostendens,illum ad humanitatem atque ad misericordiam semper magis vergere & ad mitiora declinare.

Memoriam multitudinis benignitatis tuæ eructabunt. Annunciabunt sermonem plenum memoria immẽsæ tuæ bonitatis. τὴν μνήμην τῆς χρηστότητός σου

Et iustitia tua exultabunt. Hoc est, ob iustitiam tuam, reminiscentes nimirum,ac narrantes,quomodo vnicuique conuenientia pro dignitate largiris : quomodo & beneficiis afficis,& pœnis,& iuste omnia administras. exultabunt igitur quod neque virtus à te irremunerata relinquetur, neque vitium incastigatum.

Misericors & miserator dominus,lõganimis & multum misericors. Hæc verba etiam habentur in psalmo CII.

Benignus dominus uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Loquens propheta de diuina bonitate, sermonem amplificat,sciens in ea potissimum dei diuitias consistere.neque enim saluari potuissemus,nisi magna illius benignitas adfuisset nobis & misericordia. vniuersis autem dixit, & non iustis tantum: quinimmo & peccatoribus: nec rationalibus tantum,sed etiam irrationalibus: & denique quibuscunque,tametsi minimis operibus suis miseretur: quippe qui χρηστὸς

& gehénam,& omnes alias æternas pœnas peccatoribus,prę ſumma miſericordia cõminatus eſt, vt earum timore à vitiis abſtinerent,& virtutem adepti,cœlorũ regnum conſequerẽtur.& qui in hac etiã vita ſępenumero delinquentes caſtigat, vt(ſi velint)meliores eos reddat,vel ſaltem , vt in futura vita minores eis pœnas tribuat, atq; vt huiuſcemodi caſtigatiõis exemplo,alios erudiat,& moderatiores reddat.

Confiteantur tibi domine omnia opera tua. Gratias tibi agãt, rationalia quidem,ipſa per ſe: irrationalia vero,& inanimata,per illos,qui ea conſpiciunt,atque his vtuntur , & propter quos etiam facta ſunt.gratias agant igitur, quod omnia , ſapientiſſimæ huic creationi tuæ & tam vtili opificio tuo participant,ac tua fruuntur prouidentia.& inanimata quidẽ gratias tibi agant,per admirandam eorum naturam, homines vero per laudandam ipſorum conuerſationem,ac vitam.

Et ſancti tui benedicant tibi. Qui tibi ſanctificati ac dedicati ſunt.hos enim pręcipue decet,tibi ſemper benedicere, curis ac ſollicitudinibus ſeculi liberatos , atq; idoneos puro ac mundo corde tuas laudes proferre, tanquã aliis ſapientiores.

τὴν δωα σείαν σου

Gloriam regni tui dicent,& potentatum tuum loquentur,ut notum faciant filiis hominum potentatum tuum , & gloriam magnificentiæ regni tui. Docebunt hæc omnia cæteros ignorantes,vt nota hæc eis faciant. cupit enim deus laudari , non quod laudibus indigeat , ſed vt cæteri , qui diuinam potentiam & gloriã,ignorant, per huiuſcemodi laudationes eam addiſcãt.

Regnum tuum regnum omnium ſeculorum. Perpetuum ſcilicet atque æternum, ſine principio & ſine fine: quod manifeſtius etiam ex ſequentibus facit.

Et dominatio tua in omni generatione & generatione. Vbique gentium nimirum,atque omni tempore.

Fidelis dominus in omnibus ſermonibus ſuis. Conſtans & verax,& dignus cui fides adhibeatur.

Et ſanctus in omnibus operibus ſuis. Irreprehenſibilis,& nullam alicui iuſtæ querimoniæ occaſionem præſtans.

ὑποστηρίζει

Regit dominus omnes qui corruunt,& erigit omnes eliſos. Cũ de regno dei dixerit,quòd ſcilicet eſt ſine fine , & de ſermonibus quòd veri ſunt,& de operibus, quòd reprehẽdi nõ poſſunt,& ad hęc omnia,de diuina magnificentia,potentia, gloria,benignitate,& aliis huiuſcemodi rebus, iam tractauerit, nunc rurſus

nunc rurſus de diuina loquitur miſericordia , quæ ſane magna gloria eſt regni eius , dicens : quòd non tantum ſtantes conſeruat,ſed caſuros etiam ſubfulcit , ita vt non cadant , & humi iacentes erigit,eos ſcilicet qui non aduerſantur.neque hunc aut illum tãtum deus adiuuat,ſed omnes in vniuerſum, atque ipſos etiam ſeruos,pauperes,atque ignobiles. omnibus etenim volẽtibus,auxilium ſuum deus promptiſſime impertitur.deinde aliud beneficij genus propheta connumerat. eſt etenim varia ac multiplex illius cura ac ſollicitudo pro nobis omnibus.

Oculi omnium in te ſperant domine,& tu das eſcam eorum in tẽpore opportuno: aperis tu manum tuam,& imples omne animal bona uoluntate. Similia ſunt hæc verba iis,quæ habẽtur in pſalmo CIII.omnia enim,inquit,à te expectant,vt des cibũ eorũ in tẽpore.& rurſum: aperiẽte te manũ tuam omnia implebũtur bonitate: quę verba ibi expoſuimus.quod igitur illic bonitatem dixit,hoc in loco bonã voluntatem appellauit.vidiſti quomodo oſtendit propheta, quod deus bonus & benignus eſt vniuerſis,& quòd miſericordia eius ſuper omnia opera eius,quodque non terra,pluuia,ſol,atque aer, ſed diuinum mandatum animantibus cibum largitur . per manuum vero apertionem,præbendi facilitatem demonſtrauit. εὐδοκίας

Iuſtus dominus in omnibus uiis ſuis. In diſpenſationibus nimirum & prouidẽtiis.quod vero ſuperius diximus ſignificare dictionem,ſanctus,idem nunc ſignificat dictio,iuſtus.

Et ſanctus in omnibus operibus ſuis. Eandem repetit ſententiam,magis declarando , ita vt verſiculus ſuperius declaratus,atque hi duo idem ſignificent . vel iuſtus in mãdatis ſuis: eo quòd commenſurauit illa deus cum eorum potentia, quibus ea diriguntur.

Prope eſt dominus omnibus inuocantibus eum,omnibus inuocantibus eum in ueritate. Cum ea dixerit , quæ in cõmune infidelibus etiam data ſunt , narrat nunc ea , quæ fidelibus priuatim præſtitit . quòd ſcilicet prope eos ſit , quodque protegat eos ac defendat. in veritate autem hoc in loco poſuit pro recte,atque vt oportet.

Voluntatem timentium ſe faciet, & obſecrationem eorum exaudiet,& ſaluabit eos. Voluntatem dico quæ vtilis fuerit , & à diuina non diſcrepauerit voluntate.

Cuſtodit

Custodit dominus omnes timentes se. Diligẽtes scilicet eum ex toto corde. custodit autem ab iis omnibus, à quibus custodire decet.

Et omnes peccatores disperdet. Eos scilicet qui immedicabili morbo laborant. disperdet autem eos, seu exterminabit eos à populo suo.

Laudationem domini loquetur os meũ. Semper enim, inquit, laus eius in ore meo.

Et benedicat omnis caro nomini sancto eius in seculum & in seculum seculi. Dictum est etiam in psalmo centesimosecundo: Benedicite domino omnia opera eius. vide illic expositionem. vel benedicat omnis caro, quæ credidit scilicet, hoc est, quæ est fidelis. nam infidelis caro benedicere non poterit. per carnem vero totum hominem significauit.

Alleluia.

Hic psalmus etiam diuinas laudes cõtinet quod ex ipsa inscriptione etiam denotatur. in quibusdam uero exemplaribus huic inscriptioni additum est, Aggæi & Zachariæ. uerum id neque apud Hebræos reperitur, neque apud aliquem aliorum interpretum, neque etiam apud ipsos septuaginta.

PSALMVS. CXLV.

Auda anima mea dominum. Simile illud est: Benedic anima mea domino.

Laudabo dominum in uita mea, psallam deo meo, quandiu fuero. Verba illa, psallã deo meo, quãdiu fuero, magis ea declarãt, quæ iam dicta sunt: hoc est, laudabo dominum in vita mea.

Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. In quibus nõ est salus, vt seipsos saluare possint. qui si seipsos saluare nequeunt, multo minus alios poterunt. consyderare enim potes, quomodo variis subiecti sunt egritudinibus & periculis, atque ipsi demũ morti, quam minime effugere possunt. audiant hęc igitur, qui ad humana oscitabundi attendunt auxilia. deinde docet, quomodo nõ sit salus in eis.

Exibit spiritus eius. Anima nimirum illius principis, in quo confidis.

Et reuertetur in terram suã. Ipse scilicet princeps, hoc est, illius

illius corpus in terrã reuertetur, à qua initio desumptus est. terra enim, inquit es, & in terram reuerteris.

In illa die peribunt omnes cogitationes eius. De die loquitur exitus animę à corpore. cogitationes vero eas intelligit, quas mortuus hic princeps de seculi rebꝰ habuerat, de diuitiis nimirum, de gloria, & potentia, de confœderatione, atque aliis huiusmodi. post quã vero ab humana spe propheta lectorem abduxit, quod reliquũ est, tutum ei ac securum deinceps portum ostendit, atq; inexpugnabilem quandam turrim. est autem optimus admonẽdi modus, primum ab infirmioribus abducere, & deinde fortiora statuere: inania destruere, & vera erigere: arguere fallacia, atq; vtilia demonstrare. αὐτῆ

Beatus cuius deus Iacob, adiutor eius, spes eius in domino deo eius. In psalmo centesimo decimoseptimo dictum est: bonũ est confidere in domino quàm confidere in homine, bonum est sperare in domino quàm sperare in prĩcipibꝰ. beatus, inquit, ille, cuius adiutor est deus Iacob, qui solus vere deus est, in quo patriarcha ipse Iacob olim fretus est, à quo non vulgare auxilium in necessitatibus suis reportauit. hoc enim significare mihi videntur illa verba: deus Iacob. deinde adiutoris huius potentiam narrat: ea nimirum ratione, vt ad illum veluti ad potentissimum omnium principem, confugiamus.

Qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: qui custodit ueritatem in seculum. Qui semper verax est, & quando beneficia pollicetur & quoties pœnas comminatur.

Qui facit iudicium iniuriam patientibus. Non solum iuxta illud, mihi vindictam, & ego retribuam dicit dominus: in futuro nimirum seculo: sed quia retribuit etiam in præsenti.

Dat escam esurientibus. Non solum iuxta illud: beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur: sed etiam, quia in præsenti vita deus indigentibus prouidet. possent autem innumerabilia adferri exempla eorum, quos deus in præsenti vita, aut vltus est, propter scelera, aut propter indigentiam nutriuit, tribuens necessaria.

Dominus soluit compeditos, dominus sapientes facit cæcos, dominus erigit delapsos. Compeditos dico, nõ solum mundanis calamitatibus, sed etiã peccatorũ cathenis, & nõ tantũ cæcos corporeis oculis, quorum tamen cæcitatem persæpe, datam σοφοὶ καὶ ἐρρα γμένους

diuinitus

diuinitus sapientiam, cumulatissime repleuisse videmus: sed mente etiam cæcos, atq; intellectu. Delapsos etiam non tantum eos dicit, qui ex bona valetudine atque à feliciori statu in ægritudinem atque in infelicitatem delapsi sunt, sed eos etiam, qui ex virtute in vitia deciderunt: quales antea getes fuerant, qui compediti & ligati erant, quantum ad ipsam pertinet virtutem, & cæci ad veritatem, & delapsi in perditionis præcipitium.

προσηλύτους

Dominus diligit iustos, dominus custodit proselytos. Iustos quidem eos dicit, qui ante euangelium ob virtutem resplendebant: Proselytos vero eos, qui post euangelium ad religionem, atque ad fidem accesserunt. vel per iustos, perfectiores omnes ad virtutem intelligit: per proselytos vero eos, qui nuper confirmati sunt. illos etenim diligit deus tanquàm sibi gratos, istos vero conseruat tanquàm delicatiores, atque infirmiores, atque ad pugnam aduersus dæmones nondum exercitatos.

Orphanum & uiduam suscipiet. Hoc est, defendet. quod dupliciter potest intelligi. Orphanus enim est, qui parentes reliquit propter Christum, & vidua, simili ratione ea est, quæ virum dimittere sustinet propter Christum. quemadmodum autem orphano parentes charissimi sunt, atque honoratissimi totius sui generis, ita etiam viduæ maritus charissimus esse solet & summo honori. Orphanus etiam dici potest, qui cunque dæmonem relinquit, quem antea veluti patrem ac vitiorum doctorem habebat. simili modo per viduam, anima illa potest intelligi, quæ desponsatum antea diabolum reliquit, cui etiam adiuncta erat, atque inseruiebat.

Et uiam peccatorum disperdet. Via peccatorum vitium est, & prauitas. dictum est etiam in fine primi psalmi: & iter impiorum peribit.

Regnabit dominus in sæculum. Filius dei, qui nunc regnat, vt deus, regnabit etiam, vt homo, in sæculum: quando dicet: data mihi est omnis potestas in cœlo, & in terra. Vel simpliciter: deus regnabit perpetuo, & regni eius non erit finis.

Deus tuus Sion in generationem, & generationem. Subintelige verbum, erit, aut verbum, regnabit. dictum est autem in præcedenti psalmo, regnum tuum regnum omnium sæculorum, & dominium tuum in omni generatione, & generatione. Per generationem igitur & generationem, morientium, & resurgentium generationem intellige. Sion vero, fidelium Ecclesia dicitur, vt in XCVI psalmo declaratum est, ibi: & exaltauerunt filiæ Iudææ.

Alleluia.

Laudatorius est etiam hic psalmus, & similiter omnes sequentes.

PSALMVS CXLVI.



Laudate dominum, quoniam bonus est, psalmus. Bonum est, inquit, laus, seu diuina laudatio. Symmachus vero transtulit, alleluia, quia bonum est canticum.

ὅτι ἀγαθὸν ψαλμὸς

Deo nostro iucunda sit laudatio. Iucunda, ac suauis reputetur nostra laudatio, atque ab eo benigne suscipiatur: hoc autem fit, quando, qui deum laudat, vitam viuit virtute prædicam. Videtur etiam hic psalmus spectare ad reditum ex Babylone, quod manifestum fit ex sequentibus.

Aedificans Hierusalem dominus. Subaudi verbum, est. Pertinere autem videntur hæc verba ad illam sententiam, quam alibi tradidit, dicens: nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.

Dispersiones Israelis congregabit. Prophetia hæc est de Iudæis, qui in captiuitate relicti fuerant. Neque enim vnà omnes reuersi sunt.

Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Hoc etiam Apostolus Paulus dixit, asserens, quòd deus humiles consolatur. Animarum enim medicus cum sit, consolandi officium suscepit, vt eos refrigeraret, qui præ summis tentationibus & calamitatibus, corde contriti sunt. Quòd si huiuscemodi afflictos homines consolaturus est, multo etiam magis eos consolabitur, qui vera humilitatis virtute humiliati sunt. Harum autem contritionum vincula quibus afflicti homines alligantur, piæ quædam curationes, atque admonitiones sunt quæ partim in bonis operibus, partim vero in sanis sermonibus consistunt. Hæc igitur de diuina benignitate dicta sunt. Quæ sequuntur, illius potentiam prædicant, & nobis omnibus fiduciam atq; animum apud eum præstant.

Qui numerat

Qui numerat multitudines stellarum. Qui illarum numerum apprime nouit. Quidam vero numerare dictum putant, pro cognoscere, vt sic sensus. Quòd stellarũ etiã multitudinẽ deus nouit, & quomodo se habeant, loco, ordine, forma, & magnitudine: & denique quod habitudinem, quam inter se habent, cognoscit, & causam.

Et omnibus eis nomina uocat. Qui nomina determinat, quibus ea appellet: quòd sanè maius est, quam dinumerare. Demonstrare igitur illud videtur propheta, quod qui sanat contritos, alligabit etiam eorum contritiones, qui in captiuitate conterebantur: & quòd ille qui innumerabilem stellarum multitudinem adeo cognoscit, vt vnamquamque proprio nomine appellet, quod sanè summæ cognitionis ac scientiæ indicium est, ꝙ ille, inquam, omnino etiam eos omnes nouit, qui dispersi sunt, aut in diuersis captiui regionibus. Et ꝙ velut omnium misericors eorum etiam miserebitur: & quod tanquam omnipotens, eosdem facillime poterit congregare.

Magnus dominus noster, & magna potentia eius. Quia rem grandem Propheta superius dixit: ꝙ scilicet tot Iudæorum multitudines vbiq; gentium dispersas deus esset congregaturus, deinceps de diuina pertractat potentia, confidere omnes iubens, & absq; vlla dubitatione in eum credere.

Et sapientiæ eius non est numerus. Noli quærere quonam modo, aut qua ratione illud facturus sit. Nam quemadmodũ diuinæ magnitudinis nullus est finis, ita etiam eius sapientiæ nullus est numerus. Noli igitur de eo aliquid dubitare, cuius magnitudinem ac sapientiam infinitam esse didiceris.

Suscipiens mites dominus. Fouens, ac recreans, patrisq; seu curatoris instar eos fouens.

Humilians autem peccatores usque ad terram. Destruens eos funditus, & ad solum vehementer eos allidens. Hoc enim significant ea verba, vsque ad terram. Per mites autem, humiles corde homines intelligit, per peccatores vero, superbos: iuxta illud, Dominus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam.

Præcinite domino in confessione. Præcinite ei canticum aliquod in gratiarum actionem: vel canite ei, per gratiarum actiones.

Psallite deo nostro in cithara, qui operit cœlum in nubibus, & præ

parat terræ pluuiam: qui producit in montibus herbam, & olera seruituti hominũ: qui dat pecoribus alimentũ eorũ. Tegit quidẽ deus cœlum nubibus, vt pluat: pluit autem vt herbã producat, atq; olera: olera vero atq; herbam producit, vt mitia simul, atque immitia alat pecora, quæ herbis vescuntur. Dictum est autem in psalmo CIII. Irrigans montes de cœnaculis tuis. ꝙ si montes irrigat deus, multo magis fructiferam terram irrigabit: & si irrationalium curam, ac prouidentiam habet, multo magis rationaliũ habebit, propter quos irrationalia ipsa ab eo creata sunt. Quæ sequuntur in eodem similiter habentur psalmo, ibi: producens fœnum pecoribus. χόρτομὴ χλόῳ

Et pullis coruorum inuocantibus eum. In eodem etiam psalmo dixit: omnia ad te expectant, vt des illius cibum in tempore. Sensus est, quòd coruorum pullos qui parentum crudelitate ab eis derelicti (oderunt enim corui proprios fœtus) clamant vehementer, & superne oscitant & cibum quærunt, quòd hos, inquam, coruorum pullos deus admirandum in modum alit: ad supremæ scilicet benignitatis, & summæ prouidentiæ suæ demonstrationem. Auram etenim quandam deus in eorum ora demittit, per quam nutrimentum nescio quod ex aëre congregatur, quo ad grandiorem vsque ætatem nutriuntur. Inuocant autem Christum, non quòd intelligant quid agant, sed quia inuocare videntur, & quia illorum clamor obsecrationem quandam ac preces imitatur. Hac igitur de causa nunc coruorum specialiter meminit. iuxta Anagogen coruorum pulli fideles populi sunt ex gentibus congregati, veluti qui immundi erant, & fœdatas peccati caligine olim animas habebant: quibus deus spiritualem cibum præbet, & non pereuntem. Dicunt etiam aliqui, quòd cum ille, qui summæ bonitatis est fons, iustam Heliæ prophetæ in Iudæos indignationem mollire cuperet, famem induxit, vt satietatis fructus castigaret: & illum præparauit nutriri à coruo, à volucre dico, proprij fœtus inimica, quæ parit quidem pullos, sed eos non nutrit, (nutriuntur enim minutissimis quibusdam animalibus, quæ illorum nidos circunuolant) ac huiusmodi facto, visus est consilium Heliæ præbere, ne nimia in Iudæos indignatione vteretur, né ve se inhumanum magis ostenderet, quàm in eum vel illa auis fuerit, quæ tanto odio proprios persequitur

sequitur filios. Quia vero Iudæi, qui ex Babylonica reuersi fuerant captiuitate debiles erant, ac sine armis, omnibusque aliis rebus denudati, timens Propheta ne idcirco animo perturbarentur, hanc eorum in sequentibus timoris suspitionem sanat dicens.

θελήσει εὐδοκεῖ

Non in fortitudine equi uolet, neque in tibiis uiri complacet. Per voluntatem & complacentiam, ipsum dei beneplacitum intelligit: & rursus, per fortitudinem, & per tibias, ipsas vires. Nam quemadmodum in brachiis vires manuum potissimum consistunt, ita in tibiis vires pedum. Non in equi aut equitis potentia, inquit, delectabitur: sed in quibus nam delectetur audi.

εὐδοκεῖ

Delectatur dominus in timentibus eum, & in iis, qui sperant in misericordia eius. Restat igitur, vt parto huiusmodi timore ac spe, amplius non perturbemini.

Alleluia.

Laudatorius est etiam hic psalmus & gratiarum actiones continet pro bonis Hierusalem.

PSALMVS CXLVII.



Lauda Hierusalem dominum, lauda deum tuum Sion. Per Hierusalem quidem, conditam ipsam ciuitatem intelligit, per Sion vero, montem, in quo erat ædificata.

ἐνίσχυσε μόχλους

Quia fortificauit uectes portarum tuarum. Lauda, inquit, deum, & gratias ei age, quia portarum tuarum vectes adeo validos esse effecit, vt ab hostibus frangi nequeant. Deinde alia persequitur beneficia.

Benedixit filiis tuis in te. Tribuens tibi eos, & multos, & fortes, & sapientes, & diuites, &, quod cæteris longe maius est, hi filij in te vnà omnes sunt. Nam quòd dixit in te, idem sibi vult, ac si dixisset eos tibi tribuit vnà ac pariter in te habitantes. Ecce enim, inquit, quid bonum, aut quid iucundum, quàm habitare fratres in vnum.

Qui posuit fines tuos pacem. Ab omnibus finibus tuis bellū remouit. Vnde regionis tuæ terminos effecit pacificos. Vel qui posuit pacem in finibus tuis.

ἐμπιμπλῶν

Et adipe frumenti replet te. Non frumento simpliciter, sed frumenti

frumenti adipe. Ipsam autem siliginem intelligit, quæ pinguissima, ac purissima est farinæ pars. Nec dare eum simpliciter dixit, sed replere: quo sermone abundantiam pariter, ac largitatem fructuum denotauit.

Qui emittit eloquium suum terræ. Sicuti ei mos est, à priuatis ad communia sermonem transfert. Et rursus à communibus ad priuata. cum enim de particularib⁹ dixerit beneficiis, quæ in ipsam sunt collata Hierusalem, nunc in vniuersum de diuina loquitur prouidentia, per eloquium, mandatum dei intelligens, de ferendis ac producendis fructibus.

Velociter curret sermo eius. Mittente deo eloquium suum, id est, iubente aliquid sermone, seu verbo suo, huiusmodi sermo, velociter curret, hoc est, cito & quamprimum perficietur. Iuxta anagogen vero: Hierusalem & Sion Ecclesia esse dicitur fidelium, vt alibi diximus. Portæ vero illius, Baptisma & Fides. Per earum etiam vectes, sanctam intelligimus crucem. Benedixit autem deus filiis eius Ecclesiæ, hoc est, Apostolis Christus. Extollens enim, inquit, manus suas, benedixit eis: & per eos omnibus similiter benedixit, qui Apostolicæ fidei successores fuerunt. Posuit etiam eius Ecclesiæ fines, pacem: quia dum persecutorum pugnas constanter sustinet, vincendo postmodum, pacem adipiscitur. Per frumenti vero adipem, spiritualis cibi puritatem ac munditiam intellige, & per eloquium quod terræ emissum est, prædicationem fidei, atque Euangelium, quod celeriter cursurum esse prædicit Propheta. Sed nequis huiusmodi prophetiam impossibilem putaret, fidem sermoni facit, sequentibus miraculis, ac si diceret: nunquid is, qui tam de facili omnia hæc potuit perficere, imbecillis aut infirmus in illis existimabitur?

Qui dat niuem sua sicut lanam. Adeo copiosam ac densam vt breui tempore vniuersa ab ea contegatur terra, non secus atque à candida quadam lana.

Nebulam sicut cinerem spargit. Multam hanc quoque & similiter densam.

Mittit glaciem suam sicut bucellas. Defertur etiam huiusmodi glacialis nix, paruis quibusdam bucellarum frustis persimilis. Quidam vero per glaciem, maiorem grandinem intellexerunt. κρύσταλλον

Ante faciem frigoris eius, quis sustinebit. Hoc quoq; admirabile est, & magnam dei potentiam demonstrat: quomodo scilicet tam repente magnum adeò frigus fiat.

Emittet uerbum suum, & liquefaciet ea. Est & hoc aliud admirandum, quòd eius mandato niues & glacies statim liquescant.

Flabit spiritus eius, & fluent aquæ. Per spiritum ventum intelligit: Austrum nimirum, aut notum. Toto autem hoc sermone Propheta, illud nobis manifestum facere intendit, quòd hæc omnia, quæ superius commemorauit, non fortuito, aut casu fiant, nec sponte sua, sed quod diuinis obtemperant mandatis: atque ideo de facili commutantur, nunc quidem ex aqua in niuem, aut glaciem, nunc vero ex his in aquam: item modo à calore ad frigus, modo ad calorem à frigore. Quocirca non difficile est, vt credamus breui futuram esse etiam tentationum ac calamitatum dissolutionem, & finem, ac demum ex ardentissimo bello maximam pacem: similiter & calamitates, atque afflictiones cito esse in gaudium conuertendas. Significare etiam videntur superiora nescio quid profundius: & quòd quemadmodum hybernum tempus, tametsi ipsum per sese molestissimum sit, terræ tamen vtilissimum est, sic & præsentis seculi tentationes valde prosunt, tametsi multas secum afferant molestias: & dum diuina dispensatione commutantur, partim castigant, & partim adferunt solamen. Vtrumque tamen ex re nostra, atque ad humanum commodum. Deinde à communibus rursum ad particularia sermonem conuertit, vt superius declaratum est.

τὸ λόγιον αὐτοῦ

Qui annunciat eloquium suum Iacob. In psalmi principio de sensibilibus beneficiis, & corpori vtilibus tractauit, veluti de ciuitatis tutela, de prolis fœcunditate, de pace, de abundantia: nunc autem de sublimioribus bonis pertractat, & animam ipsam ornantibus: per hęc scilicet atq; illa populum excitans ad laudem atque ad dilectionem dei, qui huiusmodi eis beneficia contulit. Qui annunciat, inquit, mandatum suum Israelitico populo, illudq; eos docet, ac notum eis facit. Notas enim, inquit, fecit vias suas Moysi, filiis Israel volũtates suas. quod magis etiam declarans, addidit.

δικαιώματα

Iustificationes & iudicia sua Israel. Quod superius eloquiũ dixit, hoc nunc iustificationes appellat & iudicia.

Non fecit sic omni nationi. Nulli nationi sic fecit.

Et iudicia sua non manifestauit eis. Tanta ac talia beneficia alicui nationi non contulit. Quippe qui mandata, aut voluntates suas gentibus nõ manifestauit, sed Iudæis tantum. Aliis enim gentibus naturæ tantum legem præstitit, quæ à conscientia nascitur, iuxta quam eos etiam iudicat, & punit, populo vero Israel vnà cum naturali lege scriptam tradidit, quę diuina iudicia declarabat: atque ideo ipsi magis punientur. Multa siquidem dei misericordia, maioris condemnationis causa, negligenti ac contemptori efficitur.

Alleluia.

Consueuerunt sancti uiri ob summam animi gratitudinam, quando gratias deo acturi sunt, multos laudationis participes aduocare, rogareque, ut pulchrum atque honestum huiuscemodi laudationis officium secum adsumant: quemadmodum & tres illi sancti pueri fecerunt, cum essent in camino, uniuersam creaturam pro collatis in se beneficiis aduocantes, ut deo benediceret. Hoc in præsentia facit etiam Propheta noster, utrunque mundum complexus, superiorem scilicet atq; inferiorem, intellectualem & materialem, atq;, ut ita dicam, sensibilem. Nam ueluti per se soli ad benedictionem & laudem diuinã idonei non sint, omnia sermone suo circumeunt elementa, omnesque ad creatoris gloriã creaturas aduocant. Possumus etiam dicere quòd Propheta hoc sermone aliud quoddam profundius uoluit significare: docere nimirum, quòd creaturarum omnium unus sit atq; idem creator: & eos reprimere, qui duos esse opifices dicebant, alterum nimirum intellectualis, alterum uero materialis creaturæ. Etenim ne ex operum diuersitate uarios quis opinaretur esse creatores, unum ex utroque hoc creaturarum genere, chorum statuit, atque unam complicat laudationem, uni atque soli deo.

PSALMVS CXLVIII.



Laudate dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Ex cœlis quidem, hoc est, ex primo, atq; ex secundo cœlo, ad diuinam laudem angelos vocat, & stellas, & omnia quę in cœlis sunt: & deinde paulopost, ex terra dracones aduocat, atq; alia, vt in sequentibus: & demum in hominibus sermonem perficit.

puto autem idem voluisse eum significare,quando ait:laudate dominum de cœlis:quod significauit,quando dixit: laudate eum in excelsis . Deinde connumerat quós nam de cœlis, aut quós nam ex excelsis partibus aduocet.

Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes uirtutes eius. Cumque de angelorum ordine dixerit, collectim addidit de cæteris omnibus ordinibus, virtutes seu potentias eos appellans. Vel per angelos,& per virtutes,vniuersos illorum ordines significauit : alterum quidem , quia diuina annunciant mandata (angelus siquidem nuncius interpretatur) alterum vero, quia iussa sibi à deo possunt perficere . Potentes enim,inquit,viribus, vt faciant verbum eius.

καὶ τὸ φῶς *Laudate eum sol & luna , laudate eum stellæ & lux.* Hæc secundi sunt cœli , hoc est , firmamenti . Per solem igitur lunamque,& stellas , ipsa organa intelliges , quæ lucem suscipiunt : per lucem vero, eam lucem , quæ organa illa illuminat , atque in ea diuisa est . Vel per solem lunam & stellas, creaturas eas intelligit , quæ quarta die à deo condita sunt, per lucem vero immensam illam lucem, quæ prima creationis die à deo facta est . Verum si quæris, quomodo hæc, aut reliqua huiusmodi elementa , deum laudatura sint, cum voce careant, cum mentem aut animum non habeant,dic,quòd tres modi sunt,quibus laudari ac glorificari deus potest :per vocem nimirum quemadmodum Moyses fecit , simul cum sorore Maria laudans,& dicens:cantemus domino . Gloriose enim glorificatus est. Item per aspectum, seu præsentiam, iuxta illud : Cœli enarrant gloriam dei : de quo diximus in psalmo decimooctauo. Tertio per vitam & conuersationem nostram , iuxta quod dictum est : vt videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum,qui in cœlis est.Laudant igitur deum ipsa etiam inanimata, atque irrationalia, sua nimirum magnitudine, pulchritudine, situ, vtilitate, ministerio, perseuerantia , atque aliis similibus modis : & spectatorem in admirationem , atque ad laudem factoris mouent: vnde spectatoris lingua ad dei laudem vtuntur. Omnia enim vt, inquit Gregorius Theologus, deum laudant,inenarrabilibusque & mutis etiam , vt ita dicam , vocibus deum glorificant. Pro his omnibus etenim , inquit, gratiæ à me aguntur deo : atque hoc pacto illorum laus , qua deum laudant,

mea efficitur,

mea efficitur , dum ab illis ego laudandi occasionem accipio.

Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ quæ super cœlos sunt , laudent nomen domini. Iam sæpe diximus Hebraicum esse idioma, vt quæ singulari sermone efferenda essent,dicantur plurali . Cœlos enim cœlorum dixit, pro cœlum cœli : primum nimirum cœlum , de quo alibi dictum est : cœlum cœli domino:vnde & verba illa:laudate & laudent,pluralia sunt pro singularibus . Per aquam vero quam supra cœlos esse dicit, eam intellige, quæ est supra firmamentum . Quomodo vero primum cœlum cum non videatur, laudare deum possit, diximus in psalmo decimooctauo, ibi : cœli enarrant gloriam dei.Quòd si ipsum inuisibile cœlum,deum laudat, multo magis ab eo laudari par est,quod dicitur visibile.

Quoniam ipse dixit & facta sunt. Hoc sermone Propheta duo hæc nobis demonstrare voluit , quod & creauit deus ea, quæ antea non erant , & quod multa cum facilitate id fecit, dum dixisse tantum eum dixit , & facta esse , ac si dixisset: quemadmodum tibi facile est aliquid dicere, ita & deo facile est ea creare,quæ non sunt:quinimmo & multo facilius id potest.Neque enim possibile est diuinæ facilitatis magnitudinem demonstrare.

Ipse mandauit & creata sunt. Eandem more suo Propheta repetit sententiã.Scriptum est autem in libro Geneseos:& dixit deus, fiat lux , & facta est : & reliqua simili ratione ac modo.

Statuit ea in seculum , & in seculum seculi . Stabiliuit ea ordine nimirum,operatione,atque vtilitate,vt immobilia essent,ac seculum & naturæ terminos non transgrederentur.

Præceptum posuit, & non præteribunt. Hæc verba etiã facilitatem demonstrant,qua huiuscemodi elementa,atq; creaturæ,in esse à deo producta sunt,& qua deinceps conseruantur , & perseuerant. Posuit enim, inquit , eis mandatum de terminis eorum,quod nunquam præteribunt, non secus atq; serui,qui transgredi non audent dominorum præcepta. Omnia enim,inquit alibi,seruiunt tibi.

Laudate dominum de terra dracones , & omnes abyssi. Per dracones hoc in loco , ipsa cete intelligit,quemadmodum & alibi, quando ait: Draco iste,quem formasti eis. Per abyssos

 vero,

vero, ipsa significat maria. Quoties enim, inquit, videris cete magnitudinem, & corporis illius compactionem, quam apud beatum Iob scriptura plenius atque apertius describit, quomodo non admirabundus, tantorum animantium creatorem laudabis? qui innauigabiles maris sinus ac regiones, pro illorum habitatione eis tradidit, nec ea sinit statutos prętergredi terminos, nec ad terram, aut ad nauigabiles maris partes excurrere? ne naues scilicet aut alia piscium genera, ab illis vastarentur. Verum neque hoc tantum admiratione dignum est sed & ipsum mare non mediocrem admirationis diuinæ potentiæ occasionem præbet: quomodo scilicet cum tantam aquarum copiam habeat, & ventorum vi impellatur, atque horribiliter ebulliat, & furore penè quodam feratur, proprios tamen terminos non transgreditur, neque audet vicinam terram demergere, sed domini mandatum obseruat: & quanquam instabilem, ac nullo ordine constantem naturam habeat, ordinem tamen suum perpetuo conseruat. Hæc si animo reuolueris, diuinam sapientiam, potentiã, atque administrationem vere admiraberis, & maximam laudum occasionem assumes, quas in honorem dei complices atque contexas.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellæ, facientia uerbum eius. Ministrantia scilicet atq; inseruientia ad hominum vtilitatem, propter diuinum mandatum: non quod fortuito, aut casu id faciant, aut sponte sua. Per ignem vero, hoc in loco, ipsum fulgur intelligit.

Montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri. Feræ & uniuersa pecora, reptilia, & uolucres alatæ. Quoniam ea omnia, quæ iucunda atq; vtilia sunt, manifestam, atque apertam suam administrationem & diuinam laudem ostendunt, in tristioribus ac seuerioribus immoratur, dicens: Ignis, grando, &c. Quibus etiam ea adiungit, quæ minus vtilia videri poterant, dicens: Montes, & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri: quibus insuper ea addit, quæ noxia existimantur, dicens: Feræ & reptilia: ex omni nimirum parte diuinam plene prouidentiam demonstrans, ac docens, quod etiam hæc omnia admiranda, atque vtilia sunt, & rationem habent, quare à deo in esse adducta sint: tametsi id à nobis fortasse non percipiatur, vel difficile percipiatur.

Fulgur

Fulgur etenim pluuiæ signum est, & sępenumero etiam ventorum. Grando autem nix & glacies ad terræ cultum vtilia sunt. Spiritus vero procellæ aliquando quidem nubes dissoluit, aliquãdo vero etiam adducit: vtrunque tamen ad nostrum commodum, tametsi ob ignorantiam nostram nobis plærunq; secus videatur. Cedri quoque per quas veluti maiores arbores, omnes aliæ infructuosæ comprehensę sunt, ad domorum ædificationem, & nauium constructionem, commodissimæ sunt & necessarię: nihilque omnino superfluum est, aut fortuito factũ. Leones præterea, pardi, elephanti, vnicornes, rhinocerotes, atque alia huiusmodi: & reptilia, qualia sunt dracones, serpẽtes, scorpiones & reliqua, non mediocrẽ vtilitatẽ ad humanam vitam adferunt. Timorẽ enim nobis deus per ea præstat, & moderatiores fieri præparat, ac magis sollicitos, & primi parentis delictum in memoriam reuocat: propter quod vniuersa hęc immitia animalia seruitutẽ illam à se excusserunt, quam in ea habuit Adam. Tradita enim ei à deo fuerant in seruitutẽ & subiectionẽ: atque ideo appellationes & nomina ab eo etiam susceperant. Taceo innumerabiles vtilitates quas in medicinis præstant, & pharmacis. Si igitur ea quæ tristiora sunt aut molestiora, quæque inutilia videntur esse, ac noxia, adeo vtilia sunt, vt per ea laus & gloria deo cani debeat, quid dicendum erit de iis, quæ huiuscemodi non sunt, sed delectabilia sunt pariter atque vtilia?

Reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terræ. Rursum hoc in loco aliud pertractat diuinæ prouidentiæ genus, de principum scilicet ac regum constitutione. Est etenim diuinæ sapientiæ opus, vniuersum orbem in principes atque in subditos distinxisse. Reges autem & principes & iudices appellat, eo quod dominãtur, regunt & iudicant. Laudate enim, inquit, dominum vos quidem, quia præpositi & præfecti estis, populi vero quia studio atque curæ & sollicitudini superiorum à deo donati sunt. Vnà autem omnes id facite, quoniam ex hac ordinum varietate, ordinem quendam deus in humano genere constituit. verum quod principes imperent ac dominentur, diuinum quidem opus est, hoc est, à deo datum: quod vero male imperent, hoc ad ipsorum principũ pertinet peruersitatẽ. Simili modo quod praui homines ad imperiũ assumantur, maligni ac praui ipsi hoĩes in

causa sunt. Dicens autem omnes populos, non viros tantum, sed mulieres etiam comprehendit, & omnem denique generationem, atque omnem ætatem.

Adulescentes & uirgines, seniores cum iunioribus, laudent nomen domini. Adulescentes & puellæ id faciant, vt assuescant laudare deum. Senes vero deum laudent quod in huiusmodi ætatem peruenerint: iuniores quoque & adulescentes dixit, vt ex oppositio distingueret eos à senibus.

Quoniam exaltatum est nomen eius solius. Magnificatum est ob magna & grandia illius opera.

ἐπὶ τῆς γῆς καὶ οὐρανῶ

Confessio eius in terra & in cœlo, & exaltabit cornu populi sui. Gratiarum actio & glorificatio, quæ deo fit, in terra quidem ab hominibus, in cœlo vero ab angelis.

Hymnus omnibus sanctis eius. Iis qui ei sanctificati & dicati sunt. Hos etenim præcipue decet laudare deum, veluti qui præ cæteris illius magnalia ac beneficia nouerunt. Dictũ est etiam in psalmo XXXII. rectos decet laudatio: vbi vide expositionem.

Filiis Israel populo appropinquanti sibi. Hoc est, populo suo qui affectu ac dispositione sua in deum, ei semper appropinquat: per fidem videlicet, per cultum, & per familiaritatem virtutum: vel quia hymnus erit sanctis eius, & glorificabuntur veluti sancti dei, & tanquam populus ei appropinquans. atq; ideo oportet tales fieri, vt propterea gloriã cõsequantur.

Alleluia. PSALMVS CXLIX.

Cantate domino canticum nouum. Verba hæc sæpe alibi exposita sunt, præcipue in psalmo XXXII. & iuxta historiæ sensum, ad Hebræorum populum pertinent: iuxta anagogen vero, ad fideles, quemadmodum Gregorius Theologus tradit in sermone de Encęniis. Illi autem nouum domino canticum canunt, qui noua in Christo effecti sunt creatura, & per nouum testamentum, nouum hominem induerunt.

Laus eius in ecclesia sanctorum. In præcedenti etiam psalmo dixit: hymnus omnibus sanctis eius.

Lætetur Israel in eo qui fecit eum. Nouus Israel canens in deo lætetur, quia eum fecit, & quia fecit cum esse populum suum:

suum: atque ideo addidit.

Et filii Sion exultent in rege suo. Filij dico nouæ Sion: vel ipse etiã Israeliticus populus canens deo lætet, & lætus gratias agat, & quod creatus sit, & quod vt proprius ac peculiaris populus à deo vendicatus sit. Eis enim tanquam suis ac familiarib⁹ olim deus imperabat: quod priuatum quoddam aliud est beneficij genus.

καὶ υἱοὶ σιὼν

Laudent nomen eius in choro. In consonantia & concentu vocum, vt cantus communicatio, dilectionis pariter communicationem adferat atque animorum consensum.

In tympano & psalterio psallant ei. Antiquo quidem populo iussum erat, vt huiuscemodi instrumentis deo canerẽt, quemadmodum & illud mandatum fuerat, vt certis deo animalibus sacrificarent: atque hoc ob illius populi infirmitatem, atque amorem erga voluptates, à quibus non ita de facili poterant separari: nouus autem populus tunc se psallere putat in tympano, quando corporis voluptates mortificat. Tympanum etenim corpus quoddam mortuum est, & tunc etiam psallit in psalterio, quãdo supernè à deo, vt ita dicam, insonatur. Psalterium enim, vt alibi diximus, supernè habet vocum & sonorum causas. vel per tympanum bonas operationes, per psalterium vero contemplationem intellige, ita vt Prophetam admonere intelligamus fideles, quod affectibus propriis mortificatis: & adepta à deo supernè illa gratia: qua hominem quodammodo insonari diximus deo psallant: per bonas scilicet actiones, & per contemplationem. Quid significet etiam psalterium iuxta anagogicum sensum diximus in psalmo XXXII. ibi: in psalterio decachordo psallite ei.

Quia beneplacitum est domino in populo suo. Hoc est quia delectatur, vel quia bona vult dominus populo suo, iuxta illud: gloria in excelsis deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. vtrobique enim in græca lectione eadem habetur dictio, tametsi latine non eodem modo vtrobique recte reddi possit. Nã quod hic in Græco habetur εὐδοκεῖ, ibi habetur εὐδοκία.

Et exaltabit mansuetos in salute. Glorificet enim eos simul & saluet. in psalmo etiam XLVI. legimus: susciptens mites dominus.

Gloriabuntur

καυχήσονται *Gloriabuntur ſancti in gloria.* Primo omnia vſque ad pſalmi finem iuxta hiſtoriam interpretabimur, deinde anagogicum pertractabimus ſenſum. Iuxta igitur illum ſenſum qui magis eſſe videtur præ manibus, hoc eſt, iuxta hiſtoriã, Hebræorum victoriam prædicit, quando finitimas ſuperarunt gentes, quæ templi & ciuitatis inſtaurationem impediebãt. Tunc etenim, inquit, futurũ eſſe, vt Iſraelitę, (quos ideo ſanctos appellat, quia deo ſanctificati ac dedicati fuerant,) gloriabundi exultent propter victoriæ gloriam, à deo, hoc eſt, à diuino auxilio eis præſtitam.

ἀγαλλιάσονται *Exultabunt in cubilibus ſuis.* Non tantum ſecuri dormient abſque vllo timore, ſed iucunde etiam & cum delectatione in cubilib⁹ ſuis quieſcent veluti ab hoſtiũ periculis liberati.

αἱ ὑψώσεις *Exaltationes dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum.* Senſus eſt, quod aduerſus inimicos, laudantes deum pugnabant. Laudationes dei, inquit, erunt in ore eorũ, atq; gladij pariter in eorũ manib⁹, quib⁹ cõſiderẽt inimicos.

τοῦ ποιῆσαι ἐλεγμούς *Vt faceret uindictam in nationibus, redargutiones in populis.* Vt deus ſcilicet hanc vindictam in gentibus faceret, quæ iniuriam Iſraelitico populo intulerãt: ſimiliter vt redargutiones faceret in populo ſuo, redarguto eo nimirum atque conuicto, quod ob propria ſcelera & non ob dei ſui imbecillitatem eo vſque ab hoſtibus victus atque oppreſſus fuiſſet, cum alioqui ſolo dei nutu maxime atque admirandæ mutationes fieri poſſint. Illud tamen animaduertendum eſt, quod plurali numero hic vtitur Propheta pro ſingulari dicens: redargutiones in populis, pro in populo.

Vt alligaret reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Vt non ſolũ hoſtes ipſos repelleret, ſed etiã eorum reges, atque vt nobiliſſimos quosque eorum, captiuos faceret.

Vt faceret in eis iudicium conſcriptum. Vt in gentibus, inquit, atque in populo ſuo deus iudicium faceret, quod in libris conſcriptum eſſet: cuius iudicij in omni ſeculo memoria exiſteret. vel conſcriptum in vita atque in memoria hominum indelebile, & veluti in marmorea quadam columna inſculptum. Per iudicium autem iuſtam inimicorum deſtructionem intellige.

Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius. Sed quæ nam hæc eſt gloria? quod ſcilicet dei ope, tam admirandè hoſtes ſuperauerint. Hæc igitur iuxta hiſtoriæ ſenſum dicta ſunt. Iuxta anagogen vero exultabũt ſancti in futura gloria. Non enim condignæ ſunt, vt inquit Apoſtolus, paſſiones huius temporis, ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Gloria autẽ eſt Chriſti crux, iuxta illud: mihi autẽ abſit gloriari, niſi in cruce domini Ieſu. Laudat etiam Propheta mites ac ſanctos viros, ad manſuetudinem nimirum nos atque ad ſanctitatem exhortans: quos iubilare dicit in cubilibus ſuis, hoc eſt, in æternis indiſſolubilibusque tabernaculis, quæ eis parata ſunt. Per exaltationes vero dei, dignas deo voces intellige, quibus illius laudes decantari ſolent, quæ magnitudinẽ, potentiam, ac bonitatem diuinam extollunt. Per ancipitem etiam gladium, hoc eſt, valde cædentem ac reſecantem, ipſam crucem intellige, quæ inſtructas dæmonum acies diſſoluit, & reſecat: vel quia græca dictio δίστομοι deducta à græco verbo στομόω quod ſignificat conſolido, aliam poteſt apud latinos lectionem reddere, ita vt textus ſit: & gladij vtrinque conſolidati in manibus eorum: per gladium vtrinque conſolidatũ, eorum conuerſationem intellige. Opere nimirum & ſermone, ſeu actione & contemplatione conſolidatam. Eſt autem ſermo de apoſtolis, atq; eorum ſucceſſorib⁹. Vt faceret vindictam in gentibus: dum ſcilicet de dæmonum eos eripit tyrannide. Et redargutiones in populis Iudęorum ſcilicet, dum eos veluti legis tranſgreſſores deo aduerſarios eſſe redarguit, & cæcos ad lumen veritatis. Vt alligaret reges gentiũ, & nobiles eorum, in validiſſimis nimirum fidei, timoris, & dilectionis dei vinculis. Quod ſi reges alligauerit, multo etiã magis eos alligabit, qui regibus inferiores ſunt. vel per reges & nobiles dæmones intelligit, qui tunc ſuper eos regnabant, & nobiles ab illis reputabantur: & quorum dæmonum manus Chriſtus inefficacię atque imbecillitatis vinculis colligauit, infirmos prorſus eos reddens. Vt faceret etiam in eis gentibus conſcriptum iudicium, hoc eſt, ſtatuta & leges ſcriptas, de vita ac conuerſatione illa humana, quæ deo magis grata eſt. Gloria vero hæc eſt omnibus ſanctis, vniuerſaliter hæc omnia facientibus. Et ſi quæras quæ nam hæc ſit gloria, atque in quo conſiſtat, dic: quod gloria eſt, omnia huiuſcemodi virtutis opera adimpleuiſſe.

Alleluia.

Alleluia.

Conclusit beatus Dauid psalmorum librum in diuinis laudibus, atque in gratiarum actione, docēs nos, ut per uniuersam uitam gratias deo pro omnibus, ad ipsum usque mortis finem agamus.

PSALMVS. CL.

Laudate dominum in sanctis eius. Hoc est, propter eius sanctos, quod scilicet huiuscemodi cōuersationem virtute præditam deus in hanc vitam introduxit, quæ angelos ex hominibus eos esse effecit.

Laudate eū in firmamento uirtutis eius. Hoc est, propter firmamentū quod huiuscemodi factum est à diuina potentia. ipsum autem intelligit secundū cœlum, quod videtur, quodq; in admirationē eos mouet, qui illius magnitudinē, pulchritudinē, & reliquas illius laudandas partes contemplātur. ordinem etiam cōsydera traditū à propheta, quia inter mūdana, sancti homines præ cæteris creaturis maiori honore digni sunt: post illos vero cœlum istud, quod oculis videmus.

Δυναστείας *Laudate dominum in potentatibus eius.* Propter potētias scilicet, quas tam in commune, quàm priuatim operatur, varia efficiens miracula: vel propter potentias, quas diuinæ creaturæ ex solo suo denotant aspectu, illum magna atque omnia prorsus posse prædicantes.

Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius. Hoc est, propter immensam eius magnitudinē. dictū est enim in psalmo CXLIIII. quod magnitudinis eius non est finis.

Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio, & cithara, Σάλπιγγος *laudate eum in tympano, & choro, laudate eum in chordis, & organo, laudate eum in cymbalis bene sonoris, laudate eum in cymbalis iubilationis.* Iudæos quidem iubet propheta, vt omni musices genere, tam voce, quàm organis quibuscunque, deū laudent, Christianos vero, vt per corporis organa, hoc est, per varia illius mēbra id faciant: oculis nimirum, ore, auribus, manibusq;, & pedibus. nam si oculi turpia atq; inhonesta nō spectent, sed decētia atq; vtilia: & aures prauos sermones nō suscipiant, sed honestos animæq; vtiles: & os noxia non loquatur, sed spiritualia: manusq; auaritiæ plenæ nō sint furore, hoc est, si à cæde abstinuerint atq; à rapinis, & ad bonum opus aliquod proprias actiones extenderint: si pedes demum in vitia nō procurrerint, sed in viam rectā: tunc profecto omnibus organis deū laudamus, melodiamq; omni harmonia contēperatam ei offerimus. singulis autē omnibus instrumētis à propheta hic connumeratis, Iudæi olim deo canebant: quēadmodum in procœmio operis tradidimus. per chorū autem hoc in loco, canticū intelligit, quod in chorea decantatū sit. est etenim hoc alterū quoddam melodię genus, quod absq; musicis instrumentis cōficitur: quemadmodū & alterum musices genus est, quod per chordas disponebatur particulari quodā modo, & diuersum ab iis omnibus, quæ supra cōmemorauit. Per organū etiā illud specifice intellexit, quod nos priuato nomine organū appellamus: tāetsi hæc dictio ad alia omnia possit pertinere instrumēta. Cymbali autē duplex genus est, alterū quod bene sonorum dicitur, quod magis est suaue, & canticis præcipue accōmodatur, alterum vero quod grauioris atq; asperioris est soni, quo in bellicis vociferationibus vti solent. nō ignoro etiam quod hæc omnia à quibusdam allegorice exponuntur, verum huiuscemodi expositionem hoc in loco & persępe alibi afferre omisi, quod hi sensus facile destruuntur, & quia multis grati non sunt.

Omnis spiratio laudet dominum. Collectiuo sermone propheta omne hominū genus, omnem ætatem, ad diuinas laudes, atq; ad gratiarum actiones aduocat, per spirationē animam ipsam intelligens, per quā etiam, vniuersam significare voluit creaturam, veluti à parte totū. in præsenti igitur vita fideles cōuocat, in resurrectione vero ipsos etiam infideles. tunc etenim vnà omnes deum laudabunt, atq; omne genu ei flectetur. laudemus igitur & nos deum, & gratias ei semper agamus pro omnibus in omni opere & sermone. hoc etenim necessariū & debitū opus est, quod à nobis semper exigitur: sacrificiumq; facillimū est, & angelicum ministerium. hoc semper agentes præsentem vitam sine offensione transigemus, & futuris fruemur bonis, gratia, & misericordia domini nostri Iesu Christi, cum quo patri simul & spiritui sancto, gloria, honor, & adoratio, in secula seculorum. Amen.

Finis cum deo glossarum Psalterii.

CANTICVM MOYSI in Exodo.

Hoc canticum cecinerunt filii Israel, cùm sicco pede rubrum mare pertransissent, & persequentes se Aegyptios simul cum equis & curribus in profundum demersos necari uidissent.

CANTICVM PRIMVM.



Antemus domino. gloriose enim glorificatus est. Postquã scilicet tanta ac talia est admiranda operatus. δεδόξασται

Equum & ascensorem proiecit in mare. Quencunque equum & quencunque Aegyptium ascensorem, in mare demersit.

Adiutor & protector meus, fuit mihi in salutem: iste deus meus, & glorificabo eum: deus patris mei, & exaltabo eum. Hæc per se clara sunt. quomodo autem deum quis exaltet, dictum est in principio psalmi centesimiquadragesimiquarti. βοηθὸς, καὶ σκεπαστὴς

Dominus conterens bella. Hoc est, qui delet, atque extinguit ea. σωτηρίαν πολέμους.

Dominus nomen ei. Loquens enim deus ad Moysen duplici se nomine appellauit, eum scilicet qui est, & dominum.

Currus Pharaonis, & potentiã eius proiecit in mare. Demersit enim eos in mari. eadem autem sæpius repetit propheta, atque in eisdem sæpe versatur. miraculum hoc pacto diuinum magnificans.

Lectos ascẽsores tristatas demersit in mari rubro, ponto opperuit eos, descenderunt in profundum, quasi lapis. Tristatas dicit, eo quod tres in eodem curru consistere solebant: & vnus quidem currum agebat, habenasque moderabatur, reliqui autem duo aduersus hostes decertabant. est autem Græca dictio tristatas. τριστάτας

Dextera tua domine magnificata est, in fortitudine, dextera manus tua

nus tua domine percussit inimicos, & multitudine gloriæ tuæ contriuisti aduersarios. Per dexteram dei simpliciter,& per dexteram manum dei,diuinam intelligit potentiam. similiter & per multitudinem gloriæ, summam dei significat fortitudinem ac vim,per quam glorioſe glorificatus eſt, & magnifice magnificatus.

Misisti iram tuam,deuorauit eos quasi stipulam. Conſumpſit & deleuit eos,veluti ignis ſtipulã.per iram vero à deo emiſſam, ſupplicia ac pœnas intelligit à deo illatas, vel ipſum etiam angelum pœnarum miniſtrum.

Et per spiritum indignationis tuæ diuisa est aqua. Per ſpiritum indignationis,vel angelũ intelligit: qui,vt diximus,huiuſcemodi pœnæ à deo miſſæ miniſter erat: vel ventum ipſum,qui deo inſeruiebat. Induxit enim,inquit,dominus mare,in noto inualido per totam noctem,& fecit mare ſiccum, & diuiſa eſt aqua.

Concretæ sunt aquæ quasi murus,& concreti sunt fluctus in medio maris. Et erat,inquit,aqua eis murus à dextris,& murus à ſiniſtris.

Dixit inimicus persequar,comprehendam,diuidam spolia,implebo animam meam,occidam gladio meo, dominabitur manus mea. Inimicus nimirum Aegyptiorum exercitus,vel Pharao ipſe. pœnitentia etenim ducti Aegyptij perſecuti ſunt populum, poſtquam eum dimiſerant.

Misisti spiritum tuum,opperuit eos mare, demersi sunt quasi plũbum in aqua uehementi. Spiritum expone,vt iam ſuperius tradidimus.

Quis similis tibi in diis domine? Nemo ſane. dictum eſt etiam in pſalmo ſeptuageſimoſexto. quis deus magnus ſicut deus noſter?

Quis similis tibi glorificatus in sanctis. Symmachus vero, glorificatus in ſanctificationibus reddidit. poſſumus etiã intelligere,quod deus magis glorificatur inter angelos, quàm inter homines. illi etenim diuinam potentiam,atque eius vires magis nouerunt, & quod deus ſupra omnium opinionem eſt incomparabilis.

Admirabilis,glorioſe faciens prodigia? Glorioſe,hoc eſt,magnifice.

Extendisti dexteram tuam, absorbuit eos terra. Illi etenim demerſi

demerſi fuerant,& poſtmodum emiſſi ſunt in terram, vt Iſraelitę eos viderent, & certiores fierent de miraculo, atque vt eos ſpoliarent. deinde facto terræ hiatu,ad diuinæ iræ demõſtrationem abſorpti ſunt.

Deduxisti iustitia tua populum tuum hunc,quem redemisti. Deduxiſti eum per mare, per nouũ hoc iter. iuſtitia autem tua, ideo dixit,quia ſummæ fuit iuſtitiæ oppreſſum ab Aegyptiis populum liberare, & grauia patienti incõmoda opem ferre, eripereq; eum à tyrannide.

Aduocasti fortitudine tua in diuersorium sanctum tuum. Hæc & quæ ſequuntur vſque ad verſiculum: cadat ſuper illos timor & tremor: prophetias continent,quæ poſtmodum acciderunt, tametſi tempus præteritum eſſe videatur: quod pro futuro poſitum eſt,hoc eſt,pro aduocabis,audient,& iraſcẽtur,& ſimili modo alia quæ ſequuntur verba. vel quæ futura ſunt,prophetarum lege, narrat, vt iam facta. aduocaſti autẽ, hoc eſt duxiſti in habitationem ſanctam,electam & tibi deſtinatam. eſt autem ſermo de Hieruſalem.

Audierunt gentes,& iratæ sunt. Audient mirabilia & prodigia tua, quæcunq; feciſti pro populo aduerſus Aegyptios, & iraſcentur,hoc eſt,turbabuntur,& formidabunt.

Dolores ceperunt habitatores Philistiim. Dolores,hoc eſt, labores eos comprehendent,ob Iudæorum videlicet timorem.

Tunc festinauerunt duces Edom, & principes Moabitarũ. Hoc eſt,tumultuati ſunt & perturbati ſunt, quemadmodum alius interpres reddidit.

Cepit eos tremor,& liquefacti sunt omnes habitatores Chanaam. Cum notiores nationes certo nomine appellauerit,poſtea in vniuerſum omnium meminit dicens: habitatores Chanaan. terram etenim Chanaam varij gentium populi incolebant.

Cadat super illos timor,& tremor, in magnitudine brachii tui lapidescant,donec pertrãseat populus tuus domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem redemisti. Potentiæ tuæ magnitudini concreſcant: timoreq; ac tremore inſtar lapis immobiles fiant,donec populus tuus iter faciens per eos,in terram promiſſionis pertranſierit.

Introducẽs,planta eos in mõte hæreditatis tuæ. In monte tibi in hæreditatẽ deſtinato. ipſum autem intelligit montẽ Sion.

In paratum habitaculum tuum. Hoc eſt in habitationem ti-

bi præparatam.

Quod perfeciſti domine ſanctuarium. Quod prædeſtinaſti, vel quod tibi præparaſti.

Domine quod parauerunt manus tuæ. Hoc eſt, quod tu paraſti. vtitur enim circunlocutione.

Dominus regnans in ſeculum. Subintellige verbum, eſt.

Et in ſeculum, & amplius. Cum regnare eum dixerit in ſeculum, hoc eſt, perpetuo, perpetuitatem hanc amplius etiam extendit dicens: quod vltra ipſum ſeculum in aliud ſeculum regnabit. & deinde magis etiam ac magis extendens, addidit: & amplius.

Quia ingreſſus eſt equus Pharaonis, cum curribus & aſcenſoribus in mare. Dñs, inquit, rex æternus & amplius. ob ſummã etenim illius potentiam, equorum multitudo ſimul cum curribus & aſcenſoribus cecidit & demerſa eſt in mare.

Et induxit dominus ſuper eos aquam maris. Aquam ſcilicet eos demergentem.

Filii autem Iſrael ambulauerũt per ſiccum in medio maris. Per ſiccum iter quod factũ in medio mari poſt illius diuiſionẽ. & hic quidem ſenſus eſt iuxta hiſtoriam: iuxta anagogen vero, aſcenſores & triſtatas, dæmones eſſe intelliges, qui in homines conſcendunt, atq; in tribus animæ partibus ſiſtentes, certant, atq; oppugnant nos. per equos vero, paſſiones atque affectus animi intelliges, per quos illi trahere homines ſolẽt, ac veluti currus quoſdam, quocunq; eis libuerit, transferre. Vehicula enim dæmonum, modo affectus ſunt, & modo homines. per Pharaonem etiã, ſatanam ſignificauit, qui primus eſt inter dæmones: & per rubrũ mare, amaritudinem & demerſionem, in quam dæmones cum equis. & curribus incidunt, quoties deus ſeruos ſuos eripuerit & liberauerit à diabolicis inſidiis. & in vniuerſum, per gentes, & per duces Edom, & alios qui hic connumerati ſunt, prauos homines, atque eorum principes intellige. per populum vero dei, eos ſignificauit, qui deo oblati, & dedicati ſunt, quiq́ue eius mandatis obediunt. mons etiam hæreditatis dei cœlum eſt. & filij Iſrael, dei populus, qui tranſeunt per ſiccum: quia ab affectuum & paſſionum aquis, quæ in medio præſentis vitæ mari ſunt, madefieri non poſſunt.

Canticum

Canticum Moyſi in Deuteronomio.

CANTICVM II.

Attende cœlum, & loquar, & audiat terra uerba ex ore meo. Moriturus Moyſes populo hæc verba conteſtatus eſt, ad quæ audienda, extremas & ca paciores mundi partes conuocat: cœlũ nimirũ, in quo diuinæ cõtinentur atq; angelicę virtutes, & terram mortalium habitationem: quoniam duo hæc ſtabiliora erãt & in omnes generatiões diutius permanere poterant. eſt autem mos prophetis, vt in magnis promiſſionibus, aut in horrendis aliquibus minis ad maiorem ſermonis ſui confirmationem cœlum & terram in teſtes aſſumant.

Expectetur ut pluuia apophthegma meum, & deſcendant quaſi ros uerba mea. Expectetur ab animabus veſtris ita iucunde, & cum delectatione, quemadmodum pluuia à ſitienti terra ſolet expectari: & deſcendant verba mea in corda veſtra quaſi ros quidam impinguans.

Sicut imber ſuper gramen, & ſicut nix ſuper herbam. Ipſæ etenim herbæ atque olera huiuſcemodi præcipue irrorationibus, atque irrigationibus gaudent, & ſtatim creſcunt: quas propheta imitari nos prorſus cupit.

Quia nomẽ domini uocaui, date magnificẽtiam deo noſtro. Quia iã vocaui nomen domini, & de eo etiã dicturus ſum, idcirco ante huiuſmodi ſermonem, magnificate deũ, hoc eſt, laudate eum, antequam verba mea audiatis. deinde dicere incipit.

Deus uera opera eius, & omnes uiæ eius, iudicia. Deus vera opera eius, dei ſcilicet. vera autẽ, hoc eſt, non falſa, ſed ſtabilia & firma: vel irreprehenſibilia, & recta. eſt autem idioma hoc Hebraicũ. per vias etiam, opera intelligit. omnia, inquit, opera eius, tam ea, quæ in ſermone, quàm ea quæ in actione conſiſtunt, vera ſunt: nec tantum vera ſunt, ſed ipſum etiam iudicium, hoc eſt, ipſa iuſtitia, appellari poſſunt. vel per opera (ſi magis placet) ea intellige, quæ in actione conſiſtunt: per vias vero, ea quæ in ratione, atque in ſermone.

Deus fidelis. Hoc eſt, fide dignus, & non mendax.

Et nõ eſt iniuſtitia in eo. Quomodo enĩ poteſt in eo eſſe iniuſtitia, cũ ſit de gentiũ autẽ dij, & mẽtiunt, & iniuſte agũt, quoniam multis iniuriã inferũt, & omnia peruerſe faciunt.

Iuſtus & ſanctus dominus. Iuſtus in iudicãdo, ſanctus ve-

ro in omni actione, hoc est, mundus atque innocens.

Peccauerunt ne ei filii uituperabiles? Per interrogationem hic sermo efferendus est, & cum reprehensione. num, inquit, vituperabiles filij deo peccauerunt? Iudæos autem intelligit, qui dei filij appellati sunt, iuxta illud: filius meus primogenitus Israel. peccauerunt autem deo Iudæi, variis modis, quemadmodum in psalmo septuagesimo propheta latius docet.

Generatio obliqua & peruersa, hæc domino retribuitis? Huic dicto, euangelicum illud simile est: ô generatio obliqua & peruersa.tu ne,inquit, pro tãtis beneficiis à deo acceptis, ingratitudinem hanc, & mandatorum contemptum domino retribuis? in eodem etiam psalmo propheta generationem obliquam & exasperantem eos appellauit.

Hic populus stultus, & non sapiens. Qui nec à variis potuit flagellis castigari, neque à lege erudiri. possunt etiam hæc verba ad Christum pertinere, in quem Iudæi peccauerunt, occidendo eum, qui tot ac tantis illos affecerat beneficiis.nã & docuerat eos,& ægritudines sanauerat,& dæmonia eiecerat. retribuerunt ei igitur pro tantis donis innumerabiles afflictiones,& tandem cruci illum affixerunt.

Nõnne hic est pater tuus? Vel iuxta illud: filius meus primogenitus Israel, vel tanquam creator.per interrogationem vero hoc etiam legendum est.

Possedit te, & fecit te, & plasmauit te? Nónne,inquit,hic deus possedit te liberatum ab Aegyptiis? constituens nimirum te sibi populum peculiarem. & quod maius est: nónne ipse fecit, & plasmauit te? iuxta illud: manus tuæ fecerunt me,& plasmauerunt me.

Mementote dierum seculi. Dierum scilicet antiquorum.

Intelligite sanè annos generationis generationum. Cogitate,inquit,annos generationis generationum,hoc est,generationis antiquæ, quando scilicet genus Habraam clarum ac celebre esset apud omnes.

Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi seniores tuos, & dicent tibi. Atqui tam parentes quàm seniores diuina sententia veluti murmuratores atque exacerbantes deum,olim prẽmortui erant. quoniam igitur isti illorum erant filij, & nuper edocti, hortatur eos, vt interrogent, & melius addiscant ab iis,

ab iis, qui adhuc erant superstites. superstes autem erat adhuc ipse Moyses & Iesus filius Naue,& Chaleb filius Sephonæ.per patrem igitur verisimile est,vt propheta seipsum intelligat,tanquam populi ducem,& legislatorem:per seniores vero,duos illos duces quos connumerauimus, Iesum scilicet & Chaleb tanquam antiquiores inter cæteros.

Quando diuidebat altissimus gẽtes, quomodo dispersit filios Adã, statuit terminos gentium iuxta numerum angelorum dei, & factus est pars domini populus eius Iacob. Et dicent tibi, inquit, seniores illi, quod dispersit deus filios Adam: quando altissimus diuidebat gentes. & constituit terminos gentium iuxta numerum angelorum dei: eorum scilicet angelorum qui constituti sunt, atque ordinati, vt gentibus præessent, hoc est,quod tot terminos gentium effecit, quotus erat numerus huiusmodi angelorum.quædam vero exemplaria habent:iuxta numerum angelorum dei,hoc est quod iuxta terminorum numerum statuit rursus angelum dei. quando igitur diuidebat deus gentes, & dispergebat filios Adam, super faciem omnis terræ, & statuebat terminos gentium, & quæ sequuntur,tunc populus eius, qui ex patriarcha descendit Iacob, quique electus fuit tempore Habraam, tanquam religiosissimi patris religiosissimum semen,tunc,dico,hic populus factus est pars domini. hoc est enim totius sermonis caput, quod illos potissimum docere voluit. vel angelorum exercitus deus per loca & regiones disposuit, vt malignas dæmonum potentias coercerent. nam nisi hoc factum esset, præ inuidia fortassis malignus dæmon vniuersos iam homines perdidisset.

Funiculus hæreditatis suæ Israel. Eandem repetit sententiam,quod Israeliticus populus factus est pars hæreditatis. funiculum vero ideo dicit, quia hæreditaria prædia fune inter hæredes dimetiri solent.

Satisfecit ei in deserto. Satisfactionem ei præbuit atq; extra omnem indigentiam illum esse constituit.

In siti æstus,in inaquoso. Hoc est,in siti,quę ab æstu prouenire solet,atque in inaquosa terra.

Circundedit eum. Hoc est,custodia sua eum muniuit.

Et erudiuit eum. Per legem scilicet datam.

Et custodiuit eum, quasi pupillam oculi. Eum inquam inter

multas & bellicosissimas gentes pertranseũtem. de custodia autem pupillæ oculi dictum est in psalmo XVI.

Sicut aquila protegit nidum suum, & super pullis suis uolauit. Non secus, inquit, seruauit eos dominus, atque aquila fœtus suos seruat in nido adhuc existentes, & quos semper circunuolat.

Expandens alas suas suscepit eos. Diuisis nimirum ac distentis protectionis suæ alis, deus instar aquilæ eos suscepit. perstitit enim propheta in metaphora, summam hoc pacto dei in nos curam, ac solicitudinem demonstrans.

Et suscepit eos in humeris suis. Quemadmodum scilicet aquila pullos in humeris suis suscipit. per humeros autem dei, hoc in loco, patientiam, & longanimitatem ac sustinentiam, vt ita dicam, eius intelligimus, & conseruandi potentiam, ferentem eos ac dirigentem.

Dominus solus dux erat eis, & non erat cum eis deus alienus. Hoc est alius deus, quales sunt falsi gentium dij.

Traduxit eos in fortitudinem terræ. Quæ sequuntur futurorum prophetiam continent: quæ propheta tamen narrat, vt iam facta. per fortitudinem autem terræ, promissionis terram intelligit, tanquam validam, ac fructiferam.

Nutriuit eos fructibus agrorum. Hoc per se clarum est.

Expressit mel de petra. Per petram saxosa atq; aspera loca intellige: quæ & ipsa, mel, ac fructus protulerũt suauissimos. per mel etenim voluptatem intelligere debemus, vel aquas illas, quæ fluxerunt de petra. ob summam etenim earum suauitatem ac dulcedinem, melli similes videbantur.

Et oleum de saxo durissimo. Petræ enim oliuas produxerũt, ex quibus abundantissimè oleum subministrabatur.

Butyrum boum, & lac ouium, cum adipe agnorum & arietum filiorum taurorum, & hircorum, cum adipe renum frumenti. Hæc scilicet omnia comedebant. per adipem vero, pinguedinem denotauit. per arietes autem hoc in loco mares agnos intellexit. illorum enim fœminas ad ferendos fructus conseruabant. per taurorum etiam & Hircorum filios, vitulos, atque hœdos significauit: & per frumenti renes, summam illius pinguedinem. possumus etiam addubitare quomodo iubente lege in Leuitico, non comedendum esse adipem, sed offerendũ esse deo in odorem suauitatis, dicat nũc propheta,

eos adipe

eos adipe implendos esse. Manifestum est igitur de bona Apostolorum habitudine eum loqui, quorum doctrina fideles pasti atque enutriti sunt. Apostoli etenim & agni erant, propter infantiam nimirum & simplicitatem, quam in Christo habebant: & Arietes atque Hirci, merito dici poterant, quia armentorum & gregum erant duces. Taurorum præterea filiis comparantur, veluti qui Boum instar deo collum subdebant. Bos quidem erat & Moyses, triturans atque arans Israelitarum animas. Quinimmo etiam & oues, ob mansuetudinem. Boues simili modo erant Apostoli, quemadmodum ait Paulus. Nunquid deo, inquit, boues curæ sunt? propter nos prorsus hæc scripta sunt. Etiam Apostoli oues. Ecce enim, inquit, mitto vos, sicut oues in medio luporum. Ab his igitur omnibus animalibus Israelitæ lac expresserunt. Butyrum enim, inquit, & lac ouium comedebant, scilicet & bibebant.

Et sanguinem uuæ biberunt uinum. Vinum etenim vuæ sanguis appellatur, ob colorem nimirum sanguini similem.

Et comedit Iacob, & impletus est, & dilectus recalcitrauit. In felicitate enim ob huiuscemodi bona populus cõstitutus, exiluit, atq; à fide, & dilectione dei resiliuit.

Impinguatus, incrassatus, & dilatatus est, & dereliquit deum, qui fecit eum, & recessit à deo saluatore suo. Eadem manifestius repetit contestans, prudentes ac securos eos reddere cupiens, vt par erat.

Iritauerunt me, in alienis, in abominationibus suis exacerbauerunt me. Per alienos, dæmones intelligit, qui ob propriam prauitatem à deo erant alienati. Quos etiam abominationes vocat. Est autem sermo ex dei persona, iritauerunt, inquit, me in idolis, ea sibi constituentes in deos, atque illis sacrificantes.

Sacrificauerunt dæmoniis, & non deo: diis, quos non nouerunt. Hoc est, ignotis diis, & non deo vero, quem cognoscebant.

Noui, & recentes uenerunt. Huiuscemodi eorum dij de nouo venerunt, hoc est, nuper dij apparuerunt.

Quos non nouerunt patres eorum. Hæc est ratio, quare nouos ac recentes eos venisse dicat.

Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es dei nutrientis te?

Qui generauit,hoc est, qui creauit te. Pater etenim omnium nostrorum deus est,ratione scilicet creationis.

Et uidit dominus,& zelatus est. Iuste iratus est:zelus etenim proprie iusta ira est in re aliqua, quæ impiè commissa sit.

Et concitatus est deus propter iram filiorum eorum, & filiarum. Zelum & concitationem in deo intelligere debemus esse absque vlla passione, vt par est. Concitatus est autem propter iram, qua iratus est in eorum filios, qui sacrificauerunt sculptilibus Chanaam, quemadmodum declarauimus in psalmo CV.

Et dixit, auertam faciem meam,ab eis. Protectionem scilicet & custodiam meam,quæ illos tuetur.

Et ostendam quid erit eis in nouissimis. Et significabo eis ea, quæ in futurum illis euentura sunt, vt ante futura eis supplicia,dolorum sint participes.

Quia generatio peruersa est, filii quibus non est fides in eis. Hoc ipse etiam saluator ad Iudęosdicebat,generationem eos incredulam & peruersam appellans.

Ipsi prouocauerunt me in non deo. Irritauerunt me, & zelo admodum cõmoueri me fecerunt propter eum,qui deus non est,quem tamen ipsi fecerunt deum.

Iritauerunt me in idolis suis. Ob idola scilicet quæ ipsi honorabant. Eandem autem manifestius repetit sententiam.

Et ego prouocabo eos in non gente. Quod latine interpres hic & paulo superius prouocare dixit, septuaginta interpretes expresserunt verbo παραζηλόω, quod verbum vltra significationem illam quam diximus, proprie magis etiam significat ad zelum commouere. Commouebo igitur,inquit, eos ad zelum propter non gentem, hoc est, ad inuidiam eos concitabo,atque inuidere illos faciam:fidelibus scilicet Christianis, quos non gentem appellauit: eo quod fidelis populus per sese gens aliqua particularis non sit,sed ex omnibus gentibus congregata.

In gente insipienti irritabo eos. Per gentem insipientem, eosdem fideles intelligit, ob veterem nimirum amentiam atque errorem, in quo ante fidem, versabantur. Propter fideles igitur, eos inquit, irritabo. Neque enim Iudæis adeò molestum est se & promissa terra priuatos esse, & dispersos inter gentes,quantum eos stimulat Christianorum splendor,fœ-

dor, fœlicitas, & gloria.

Quia ignis incensus est ex excandescentia mea. Hoc, & quæ sequuntur,ad timorem atque ad diuinam indignationem indicandam dicta sunt.

Accendetur usque ad infernum inferius. Ignis nimirum omnia comburens,quando deus fuerit indignatus.

Comedet terram & germina eius, comburet fundamenta montium. Tanta scilicet erit illius ignis efficacia. Cum autem de diuinæ excandescentiæ viribus docuerit, sermonem suũ deinceps ad Iudæos conuertit,qui eum irritauerunt.

Congregabo in eos mala. Afflictiones nimirum & supplicia.

Et sagittas meas consummabo aduersus eos. Quæ superius mala appellauit,nunc sagittas dicit, vtpotè quæ feriunt,& occidunt. Complebo, inquit, omnes sagittas meas, nullam illarum relinquam, quam in eos non mittam.

Liquefacti fame,& esu auium. Erunt scilicet liquefacti tam à fame,quàm ab esu auium: eo quod bello vrgerentur, obsidione,fameque,& esu quarundam auium:quas cum ob ciborum indigentiam comederent, magis tabescebant, ob nocumentum nimirum quod ab illarum auium carnibus perueniebat:vel quia ipsos iam penè fame consumptos,immissæ à dei ira volucres deuorabant: atq; hoc pacto partim fame tabescebant,partim ab ipsis auibus perdebantur.

Et opisthotonos immedicabilis. Erit scilicet in eis. Est autem Opisthotonos ægritudo quædam, quæ posteriores corporis partes vi quadam extendit,atq; amare excruciat. ὀπισθότονος

Dentes ferarum mittam in eos,cum indignatione trahentium super terram. Ferarum trahentium super terram,pro quæ trahuntur seu deferuntur. Verisimile enim est dracones contra illos irruisse. Vel per ferarum dentes,sæuitiam atque crudelitatem hostium intelligit: à quibus tanta perpetiebantur mala.

Foris,filiis orbabit eos gladius,atq; in penetralibus pauor. Nam & intus insidiæ illis parabantur,domesticosque non minus q̃ hostes timebant. Omnia vero hæc euenerunt Iudæis, modo hæc,modo illa, cum sæpius obsessi fuerint: præcipue tamen hæc verificata sunt post domini mortem.

Aduleſcens cum uirgine. Subintellige occidetur. Imperfectus

ctus enim persæpe esse solet comminatorius sermo.

Lactans cum confecto sene. Confecto, hoc est, perfecto atq; ætate confecto. Et dum extremas hominis ætates commemorauit, eas etiam quæ in medio sunt subnotauit.

Dixi dispergam eos. In seruitutem scilicet inter gentes.

Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum, si non ob inimicorum iram, ne diutius permaneant. Dixi me illorum memoriã extincturum, ne diutius in hac gloria permaneant, ne amplius celebre sit eorum nomen: atque hoc iam effecissem, si iamdiu non detinerer ob meã irã erga impios eorũ inimicos.

Et ne simul irruerent aduersarii. Et ne aduersarij calamitatibus eos esse debilitatos cernentes, vnà aduersus illos impetum facerent, & viribus propriis superasse sese eos existimarent.

Ne dicerent, manus nostra hæc excelsa, & non dominus fecit hæc. Hæc scilicet quod contriti & superati fuerint.

Quoniam gens est, quæ perdidit consilium, & non est in eis scientia. Gens inconsulta, atque imprudens, quæ nec ea consulit, quæ salutaria sunt, nec intelligit. In quibusdam enim deo placet, in quibusdam vero eum exacerbauit.

ἐφρόνησαν *Non sapuerunt intelligere, omnia hæc suscipiant in futuro tempore.* Non sapuerunt nec prudentes fuerunt vt causam intelligerent, cur à deo hactenus dispersi non fuerint, & cur eorum memoria extincta non sit: nec prudentes fuerunt, vt diuino cultui incumberent. Quod reliquum est igitur, prædictas pœnas in futuro tempore suscipient: quemadmodum postea vere accidit, quando mortuo domino, Iudæi rabidi ac furentes in Christi apostolos, Romanis à deo in exterminationem sunt traditi.

Quomodo persequetur unus mille? & duo commouebunt decem millia? nisi deus uendidisset eos, & dominus tradidisset eos. Admirabundus Propheta quærit quomodo vnus Romanus miles tunc mille Iudæos persecuturus sit, & quomodo duo Romani plura Iudæorum milia commouebunt, cum hoc præter omnium opinionem & sensum esse videatur, nisi deus eos aperte in perditionem tradiderit. Vel, quod ait, vendidisset, seruitutem indicat, quam sustinuerunt, tradidisset vero, perditionem atque interitum. Multi etenim eorum in seruitutem redacti sunt, reliqui vero occisi.

Non

Non enim sunt dii eorum, sicut deus noster. Dij inimicorum scilicet, hoc est, gentium, quæ in circuitu Iudæorum sunt, tales non erant, vt tanta ac talia cultoribus suis præstare possent beneficia.

Inimici autem nostri insipientes. Hoc est, non intelligentes. Neque enim ea ratione nos superant, quod viribus simus inferiores. Alia etenim est nostræ captiuitatis ratio: illa nimirum, quod sic traditi ei sumus à deo, qui omni sua ope nos spoliauit, qua antea protegere nos solebat.

Ex uinea enim Sodomorum uinea eorum, & pampinus eorum ex Gomorra. Quemadmodum ij, qui patriarchę Habraam vestigia ac mores imitantur, illius etiam filij dici solent, hoc est, filij Habrahæ, ita etiam ij, qui Sodomitarum & Gomorræorum scelera amplectuntur, ab illis genus trahere dicendi sunt propter vitiorum similitudinem. Per vineam igitur radicem eorum intelligit, non eam, quæ est secundum carnem, sed vitiorum radicem. Per pampinos etiam, noua scelerum germina, veluti productiones quasdam vitiorum appellauit.

Et uua eorum uua fellis, racemus amaritudinis eorum. Cum vineam & pampinum dixerit, consequenter & vuæ meminit & racemi, persistens in metaphora. Per vuam vero illorum fructus, hoc est, opera atque actiones intelligit, quæ fellis in morem amara esse dicit: quia instar fellis animarum agricolam ob suam malignitatem amaritudine quodammodo conficiunt. Racemus etiam eorum, racemus est amaritudinis: vel racemus amaritudinis est racemus eorum. Idem est autem hoc in loco vua & racemus.

Furor Draconum, uinum eorum, & furor aspidum, immedicabilis. Quemadmodum eorum actiones vuam appellauit, sic & eorum doctrinam, quæ ab huiusmodi actionibus prouenit, vinum appellat: nec simpliciter vinum, sed vinum furorem, seu excandescentiam draconum, atque aspidum, propter efficaciam nimirum ad vitia, atque ad perditionem: vnde immedicabilé etiam eã esse dixit, hoc est, immutabilé.

Nonne ecce hæc omnia congregata sunt apud me, & signata sunt in thesauris meis? Sed quæ nam hæc sunt, quæ apud se congregata esse dicit? pœnæ nimirum, & supplicia. Est autem sermo ex dei persona dicentis: Nonne ecce hæc omnia

parata

parata sunt apud me? & conseruantur in thesauris meis? vt opportuno tempore ea in Iudæos immittam? Per dei autem thesauros, illius constantiam aut patientiam intelligere possumus.

In die ultionis retribuã. Sed quę nam sit vltionis dies, audi.

In tempore quando lapsus fuerit pes eorum. Cum in grauissima lapsi fuerint peccata, in necem scilicet domini. Tunc etenim immitti cœperunt supplicia aduersus eos, & quando in itinere quo ad deum ferebantur, supremo omnium errore errauerunt.

Quoniam prope est dies perditionis eorũ. Tunc scilicet quãdo eorum pes lapsus fuerit. Illum autẽ diem intelligit, quando ciuitas Hierusalem capta ac prorsus euersa est.

Et adsunt parata uobis. Mala nimirum quæ vos compræhensura sunt.

Quoniam iudicabit dominus populum suum, & in seruis suis consolabitur. Iudicabit quidem, & condẽnabit populum suum Iudaicum, tanquã legis trãsgressorẽ, & deo inimicũ: in seruis autẽ suis, qui in Christum crediderint cõsolabitur & placabĩtur. vel quia Græca dictio παρακαλῶ, non tantum consolari significat, sed aduocare, dic quod in seruis suis aduocabitur, hoc est, aduocatus ab illis flectetur, & exaudiet eos.

Vidit enim eos dissolutos, & deficientes in inductione & remissos. Eos scilicet Iudæos. Inductionem autem prophetæ, vltionis tempus appellant: iuxta quod alius propheta ait: quid facies in die inductionis. Vidit igitur eos male ac misere afflictos, verum nunc de alio loquitur tempore, quando scilicet Iudæi idola adorarunt, & traditi sunt in captiuitatem.

Et dixit dominus ubi sunt dei eorum, in quibus confisi sunt in eis? Quod ait in quibus in eis, idioma est Hebraicum, vt sæpe diximus.

Quorum adipem sacrificiorum eorum comeditis, & bibitis uinum libaminum eorum. Quorum sacrificiorũ, inquit, adipem comeditis, eis nimirum sacrificantes.

Exurgant & auxiliẽtur uobis, & fiant protectores uestri. Ironicus est sermo: si possunt, inquit, exurgant.

Videte uidete, quia ego sum. Ab iis, inquit, quæ passi estis & patimini, scitote & certi efficiamini quod ego sum, quodq; illi nõ sunt. Ego etenĩ eo noĩe appellor qui sum: seu qui est.

Et non

Et non est deus præter me. Me, inquam, vnum in Trinitate ac trinum in vnitate.

Ego occidam, & uiuere faciam. Facillime etenim hoc atque illud possum perficere.

Percutiam, & ego sanabo. Affligam eos suppliciis, & rursum misericordia tactus, curabo eos qui conuersi fuerint ad me.

Et non est qui eripiat de manibus meis. Eos scilicet qui morbo immedicabiles fuerint, & aduersus quos ego sententiam tulero.

Quoniam extollam in cœlum manũ meã, & iurabo dextera mea. Eorum scilicet hominum ritu, qui tunc iurabant. extendebant enim manum in cœlum. Per deum illum iurantes qui in cœlo est. vel iurabo per dexteram meam.

Et dicam, uiuam ego in seculum. Nam ex quo antiqui olim iurantes dicere solebãt, viuit dominus, atque hoc maximum erat eis iuramentum, ita & ipse deus nihil aliud habẽs seipso maius, per quod iuraret, per semetipsum iurat, dicens: viuo ego in seculum. Deinde apponit quid iurauerit.

Quoniam acuam tanquam fulgur gladium meum. Ex hoc loco Propheta rursum de extremis loquitur malis, quæ Iudæi à Romanis passi sunt. Acuam, inquit, gladium meum, & lucebit vt fulgur, atque ex solo aspectu timorem incutiet. Gladiũ autem suum & sagittas suas deus Romanorum gladios vocat, eo quòd sua sententia in Iudæos immitterentur. παροξυνῶ

Et arripiet iudicium manus mea. Per iudicium vltionẽ intelligit, per manum autem dei, potentiam illam quam deus habet in puniendo.

Et retribuam ultionẽ inimicis. Hoc est supplicia ac pœnas. Inimici autẽ Christi, occisores Christi sunt: vel inimici dei patris, quoniã illius filium occiderunt. Potest enim hic versiculus tam ex patris, quam ex filij persona proferri.

Et iis qui oderunt me, retribuam. Eandem repetit sententiã, dei hostes magis ac magis perterrens.

Inebriabo sagittas meas à sanguine, & gladius meus comedet carnes. Romanorum sagittas & gladios deus suos facit, vt diximus. quod vero ait, inebriabo & comedet, metaphorice dixit. translatum est enim hoc ab animãtibus ad inanimata.

A sanguine uulneratorum & captiuitate. Cum inebriaturũ se dixerit

se dixerit sagittas à sanguine, dicit etiã de quo sanguine loquatur, de vulneratorum nimirũ, & de captiuorũ sanguine.

A capite principum gentium. Simili modo, cum gladiũ suum dixerit, carnes manducaturũ esse, addit de quib⁹ nam carnibus intelligat, dicens: quod à capite principũ & gẽtium: quo sermone comminationẽ suam magis timendam reddidit. Significat autem totum à parte. Per principes vero ipsos pontifices, scribasque, & populi seniores intelligit. Per gẽtes vero Iudæorum multitudinem, quę in variis Palestinę prouinciæ præfecturis constituta erat: quas ideo gentes appellat, quia gentium instar viuerent, & legem transgrederentur.

Lætamini cœli simul cum eo. Per cœlos puto Prophetam cœlestes appellare potentias, vel etiam ipsos cœlos. Lætamini autem ob immensum gaudium, quod Christus incarnatione sua omnib⁹ largitus est, tam iis qui in alto erant, quàm iis qui inferius: & lætamini simul cum eo, Christo nimirum, qui prædicta omnia comminatus est.

Et adorent eum omnes angeli dei. Gratias ei agant, glorificent eum. Nam si iuxta saluatoris vocem, gaudium magnum fit in cœlo, super vno peccatore pœnitentiam agente, quanto magis exultandum est in tanto ac tali humani generis beneficio? fugato scilicet errore, introducta veritate, hominibusque in cœlum admissis, & conuersantibus cum angelis.

Lætamini gentes cum populo suo. Per populum quidem eos intelligit, qui ex Iudæis crediderunt, per gentes vero, eos qui ex variis gentium populis accesserunt ad fidem. Lætamini, inquit, vos qui in vnam caulam pulchri pastoris congregati estis, atque in vno spiritu cum patre conciliati.

Et inualescant ei omnes filii dei. Et fortes fiant ab eo aduersus dæmonum certamina illi omnes, qui per sacri baptismatis regenerationem à deo in filios fuerint adoptati. Quædam vero exemplaria habẽt: & fortificent eum, ipsum scilicet populum dei. Per filios autem dei, sanctos intelligimus apostolos, atque eorum successores, tanquam qui deo proximiores sint ac magis familiares, & propter conuersationem, & propter dignitatẽ. & fortificent eum, hoc est, coadiuuent & fortiorem reddant, quasi maximo indigentem auxilio.

Quoniam sanguinem filiorum suorum ulciscetur. Rursus Iudæorum pœnas prædicit, quod scilicet filiorũ suorum, prophetarum nimirum, atque apostolorum sanguinem, qui ab illis effusus est, vlciscetur per Romanos.

Et uindicabit. Et vere, inquit, eorum mortem vlciscetur.

Et retribuet uindictam inimicis, & iis qui oderunt eum, retribuet. Hoc etiam superius dixit, ex dei persona. Immoratur autem huic prophetię, & comminationi, cupiens hoc pacto eos, prę maiori timore ad se conuertere.

Et expurgabit dominus terram populi sui. Exterminatis scilicet omnibus prauis hominibus, & ablato illinc omni vitio per Romanos, & desolata prorsus terra illi⁹ populi, qui olim dei populus dicebatur. vel aliter: expurgabit Palæstinã prouinciam, quæ est terra noui populi sui, à Iudęorum inquinationibus & spurcitiis mundam eam reddens.

Canticum Annæ matris Samuel.

Habetur hoc canticum in primo Regum libro, quo beata Anna non solum deum laudat, ob accepta beneficia, quod scilicet uentris fructũ acceperit, atque à sterilitatis infamia fuerit liberata, sed uarias etiã res prædicit: ueluti quæ & prophetã pepererat, & propheticæ gratiæ particeps effecta fuerat.

CANTICVM III.

Firmatum est cor meum in domino. Cor meum, quod ob sterilitatis dolores laxatũ, & molle effectum fuerat, nunc confirmatum est, consolidatumque, & corroboratum à domino.

Exaltatum est cor meum in deo meo. Exaltata est gloria mea propter deum meum. Nam post filij partum gloriam adepta sum.

Dilatatũ est os meũ super inimicos meos. Apertũ est os meũ, & maiori cũ libertate atq; imperterritè admodũ locuta sũ. Per inimicos autẽ eius, intelligendi sunt Phenenna altera vxor Helchanę viri eius, atq; illi⁹ cognati: qui eousq; de Annę sterilitate exultauerãt, & multis idcirco eã opprobriis affecerãt.

Lætata sum in salutari tuo. Quod scilicet in me factum est. Salutem enim mihi præstitit hæc proles, cum antea præ immenso atque immoderato dolore periclitarer.

Quia

Quia non est sanctus sicut dominus. Purus scilicet ac mundus, qui nullam alicui occasionem mali præstat, sed omnia cum ratione administrat.

Et non est iustus sicut deus noster. Neque enim sustinuit me amplius in miseria versari, & male audire.

Et non est sanctus præter te. Qui videlicet vere ac proprie sanctus sit. tu etenim natura ipsa sanctus es, & sãctitatis fõs.

Nolite gloriari, & nolite loqui sublimia ad excellentiam. Sermo est ad Phenennam atque ad illius cognatos, & per eos ad omnes alios, qui in fœlicitate aliqua constituti gloriantur. Nolite loqui, inquit, sublimia propter excellentiam atq; præstantiam vestram.

Neque exeat magniloquentia de ore uestro. Hoc per se clarum est.

Quoniam deus scientiarum dominus. Quoniam dominus, inquit, deus est scientiarum: qui non apparentia tantum atque aperta cognoscit, sed ipsa etiam occulta. vnde temeritatem & iactantiam vestram, & meam quoque humilitatem perspiciens, iuste inter nos iudicabit.

Et deus præparans studia sua. Sibi ipsi dispensationes præparat. vel præparat consilia sua. quæ nam autẽ hæc sint, audi.

Arcum potentium debilitauit, & debiles accincti sunt robore. Per arcum vires seu arma intelligit. In vniuersum autẽ orationem suam profert. quamplurimis enim conueniunt hæc verba. deinde magis particularem addit sermonem, dicens.

Repleti prius panibus diminuti sunt. Hoc est effecti pauperes.

Et esurientes dimiserunt terram. Terrã dimiserunt, in qua ob mercedem ærumnose fatigabantur. vel dimiserunt colere terram, atque esse amplius agricolæ, effecti nimirum terræ atque agricolarum domini, & diuites demũ ex pauperibus.

Quoniam sterilis peperit septem, & quæ multa erat in filiis, infirmata est. Hic sermo etiam priuatũ ac particularem respicit casum Per sterilem enim, seipsam intelligit, quæ dei ope septem filios, hoc est multos peperit. Solent enim Hebræi septenario numero vti, quoties multitudinem volunt exprimere. quemadmodum in psalmis præmonstrauimus. quòd si historiam dicas vnius tantum filij meminisse, illud responderi potest, quod Samuelẽ dignũ pro multis esse intelligat.

Fuit

Fuit etiam Phenenna multa in filiis, vtpote quæ multos peperit, & infirmata est, eo quòd à priori decidit superbia, & quia Anna à viro suo deinceps magis amata est. Iuxta anagogen, per sterilem intelligere possumus ecclesiam ex gentibus congregatam, quæ olim infructuosa fuit, & postmodum recepto fidei ac religionis semine multos peperit filios. Cõtra autem Iudęorum synagoga olim multa fuit in filiis. multos enim olim peperit prophetas, multosque sanctos & iustos viros, verum postmodum infirmata est: quia gloriã eius & famam ecclesia ex gentibus collecta superauit.

Dominus mortificat & uiuificat. Omnia nimirum potest.

Deducit ad infernum, & reducit. Reduxit enim illinc non tantũ Lazari aut filij viduæ & filiæ Archisynagogi animas, sed omnes etiam alias, quãdo nimirum illuc post passionem suam descendit.

Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & exaltat. Hæc autem frequentissime fieri videmus.

Eleuat à terra pauperem, & de stercore erigit inopem. Eleuat à terrenis atque ab humanis cogitationibus eum qui in vitiis pauper est, aut vitiorum diuitias abiecit: atque erigit ab affectuum & passionum fœtore pauperem, non illum dico qui fortunæ bonis pauper sit, sed eum qui pauper sit spiritu: vel eum qui prauitatis ac malitiæ, & scelerum omnium sit pauper. quod vero ait: de terra, magis ex sequentibus verbis declaratur, cum ait: de stercore.

Vt sedere eum faciat cum potẽtibus populi. Hoc est cum populi principibus.

Et thronum gloriæ hæreditet. Hoc est, vt principis locum adipiscatur & sedem.

Qui dat preces peccanti. Hoc est, qui ad finem promissiones perducit quæ cuicunque factæ sunt. Per ipsum etenim deum, omne bonum ad finem perducitur. vel qui dat petitionem petenti, sicuti & ipsi Annæ tribuit quod petebat.

Et benedixit annis iusti. Hoc est vitæ iusti.

Quia non inualescit potens uir in fortitudine sua. Sed in deo scilicet, atque ideo Christus postmodũ dicebat: sine me nihil potestis facere. ἐνισχύει

Dominus debilem facit aduersarium suum. Hostem atque inimicum suum.

Dominus sanctus. Per omnia etenim diuinam potentiam iustitiamque & benignitatem laudat.

Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur potēs in potentia sua, & non glorietur diues in diuitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, si intelligit & cognoscit dominum, & si facit iudicium & iustitiam in medio terræ. Inhoc, inquit, gaudeat & lætetur in intelligendo atque in cognoscendo dominum. quod scilicet deus est, quòd dominus est, quòd creator, quòd sapiens, quòd omnipotens, & alia huiusmodi: atque in hoc etiam lætetur, quod facit iudicium & iustitiam in terra.

Dominus ascendit in cœlos. Prophetia est de Christi assumptione.

Et intonuit. Simili modo hic prophetia cōtinetur de sancti spiritus descensu. Facta est enim, inquit, vox de cœlo repente. futura autē prædicit prophetiæ lege, veluti iam facta.

Ipse iudicabit extrema terræ cum sit iustus. Hoc quoque ad vniuersalis iudicij prophetiam pertinet. Per extrema autem terræ vniuersum terrarum orbem significauit: vel homines ipsos qui ex terra sunt.

Et dabit fortitudinem regibus nostris. Regi nimirum Dauid, atque eius successoribus. atque hæc verba etiā prophetia non carent. tunc temporis enim Iudęorum populus regibus nondum, sed iudicibus regebatur.

Et exaltabit cornu Christi sui. Hoc quoque de Christo prædictum est, cuius potentiā & gloriam deus super cœlū exaltauit. super cœlos enim, inquit, gloria eius.

Canticum Abbacum prophetæ.

Habetur hoc canticum in libro prophetiarum ipsius Abbacum, in eoque domini nostri incarnatio præsignatur.

CANTICVM IIII.

Domine audiui auditum tuū, & timui. Intellectu meo inquit, audiui auditum tuum, hoc est, auditum de te quod scilicet incarnandus es, & præ summo stupore timui, admirans quo pacto is qui cœlo non capitur, complectendus sit à virgine, & quomodo

modo intolerabilis ignis fœno debeat commisceri.

Domine consyderaui opera tua, & stupefactus sum. Admirāda nimirum opera vitæ atque conuersationis tuę in carne, & salutares passiones tuas.

In medio duorum animalium cognosceris. Per animalia, duo Cherubin intelligit, quæ ex vtraque parte propitiatorij posita erant, in quorum medio deus olim à sanctis viris cognitus est, cum ad eos loqueretur. Ait igitur quod dominus ille, qui incarnandus est, cognoscetur interim in medio duorum Cherubin. Tu, inquit, in medio eorum cognosceris, atque illic tanquam patri tuo æqualis, opportuna populo dabis responsa. vel cognosceris ab iis qui huiusmodi cognitione digni sunt. & est futurum tempus pro præterito. Quidam vero dictionem græcam ζώων, non accentu paroxytono, quæ animalium significat, sed circumflexo legentes ζῶν, videlicet quæ vitarum significat, per duas vitas, duas viuendi conuersationes, seu modos intelligunt: alteram nimirum iuxta antiquam legem: alteram vero iuxta euangelium, in quarum medio Christus cognitus est. Quippe qui ab Apostolis, atque à discipulis suis, eo tempore cognitus est, & tunc incarnatus, quando antiqua lex finem, & noua initium sumpsit.

Dum appropinquant anni cognosceris. Annos incarnationis dicit. tunc enim, inquit, in carne cognosceris, quando conuersationis tuæ tempus aduenerit.

Dum adfuerit tempus demonstraberis. Eandem sententiam, sed manifestius repetit.

Dum perturbata fuerit anima mea in ira, misericordiæ memor eris. Quando anima mea timore affecta fuerit, te nimirum iratum sentiēs, tunc misereberis mei. Qui vero iratum deum timet, peccatorum suorum continuo pœnitentiam agit. Pœnitentium autem hominum semper miseretur deus. Hoc igitur sermone docemur, quod deus peccatoribus facile conciliatur.

Deus de Thæman ueniet. Thæman notus interpretatur, vel auster. Deus, inquit, ab austro veniet, hoc est, egredietur ex Bethleem. Illic enim natus est secundū carnem. Sita autem est Bethleem ad Hierusalem in australi plaga.

Et sanctus de monte umbroso denso. Eundem etiam sanctum appellat. Ita enim antiqui persæpe appellare deum solebant.

veluti qui & natura ſanctus ſit, & qui ſui participatione alios ſanctificat. Mons vero vmbroſus & denſus eſt beata virgo, mons quidem, tanquam omni creatura ſublimior, vmbroſa etiam quia à diuina virtute obumbrata eſt. Virtus enim, inquit, altiſſimi obumbrabit tibi. denſus etiam eſſe dicitur hic virginalis mons propter impenetrabile virginitatis myſterium.

Operuit cœlos uirtus eius, & ſapientia eius plena eſt terra. Hæc verba ſummam virtutem & ſummam Chriſti ſapientiam declarant: humanam autem dico ſapientiam, hoc eſt, humanitatis Chriſti. Virtutem autem eam intelligit, quam in operibus atque in miraculis oſtendit: ſapientiam vero quã in ſermonibus atque in doctrina. Altera etenim cœleſtium potentiarum virtutem opperiens, magnitudine ſua eas ſuperauit: altera vero totum mundum impleuit. Quædã etiam exemplaria pro ſapientiæ habent laudationis. Virtutẽ enim ſequitur laudatio. vel ſecundum beatum Iſidorum, ſermo de diuina ſubſtantia maior eſt quacunque angelica multitudine. Gloria enim, inquit, domini opperit ſermonem, hoc eſt, omni ſermone eſt maior. & non dixit naturã, à qua eſt gloria: ſed gloriam quæ eſt ex ſubſtantia.

Et lumen eius ut lux erit. Per lumen, euangelium intelligit, quod iis illucet, qui in erroris nocte atque in peccatorũ ſunt tenebris, quodque viam ad veritatem atque ad ſalutem oſtendit. Hoc igitur lumen erit, vt lux, mundum nimirũ atque immaculatum.

Cornua in manibus eius. Per cornua quidem, regna intelliguntur, propter honoris ſublimitatẽ, & propter robur ac fortitudinem in pugnando atque in defendendo: per manus vero diuina intelligitur potentia, ſeu dei dominiũ. omnium enim deus dominatur.

Et poſuit dilectionem fortem potentiæ ſuæ. Per euangelium effecit, vt dilectio fidelium indiſſolubilis atque infrãgibilis eſſet à potentia ſua, hoc eſt, ab ipſo deo. quis enim, inquit, ſeparabit nos à dilectione Chriſti?

Ante faciem eius ibit uerbum. Verbum, ſeu ſermo aliorum prophetarum: vel ſermo præcurſoris Ioannis. Ecce enim, inquit, ego mitto angelum meum ante faciẽ tuam, qui parabit viam tuam ante te.

Et egredietur

Et egredietur ad diſciplinam iuxta pedes eius. Egredietur Chriſtus ad erudiendum atque ad docendum homines, poſt huiuſmodi verbum, ſeu ſermonem prophetarum qui præceſſit. Ipſe enim ſermonem huiuſmodi ac penè illius veſtigia ſubſequetur.

Stetit & commouebit terram. Stetit in terra, humanum in morem, genitus nimirum ſecundum carnem. Et cõmota eſt terra, hoc eſt, terreni homines, pertranſeuntes nimirum ab errorũ tenebris ad lucem veritatis. vel ſtetit in cruce, & contremuit terra, contumeliam domini non ferens. Terræmotus enim, inquit, factus eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.

Reſpexit & liquefactæ ſunt. Reſpexit in terram humano more. Eſt autem hoc dictum conſequens præcedentibus. Et humiliatæ ſunt dæmonum gentes, atque aduerſarij omnes ordines infirmati ſunt.

Confracti ſunt montes uiolentia. Principes eorum contriti ſunt. Hos etenim propter eleuationem & ſuperbiam, montes appellat. Per violentiam vero ſeu vim, inſuperabiles Chriſti vires intellige.

Liquefacti colles æterni. Per colles eos intellige qui prędictis quidẽ montibus aliquanto inferiores ſunt, aliis vero ſuperiores: ſuperiores, inquã, & maiores ad vitia. æternos autẽ ideo dixit, quia innumerabilibus penè annis, hanc tyrannidem exercuerant, ab ipſo nimirũ Adam, vſque ad Chriſtum.

Itinera ſua æterna pro laboribus uiderunt. Longa ac diuturna itinera ſua dæmones, quæ ad hominum perniciem diſponunt, quaſi laborem viderunt, hoc eſt, laborem tantum ea eſſe cognouerunt, & nihil aliud: quia Chriſtus eorum tyrannidem ſtatim deleuit, atque artes illorũ euertit. Quidam vero legunt, itinera eius æterna, exponentes quòd pontifices, ſcribæ, ac ſeniores Iudæorum rationabilia Chriſti itinera fideles omnes inſtruentia, quæ æterna atque incompræhenſibilia ſunt, æque ac labores viderunt, hoc eſt, labores prorſus eſſe exiſtimarunt. Propter inuidiam enim ac vitia eorum oneroſa eis eſſe videbantur.

Tabernacula Aegyptiorum formidabunt. Per Aegyptios, dęmones intellige, qui ob ſuperbiam atque eleuationem ſuam, ex luce, tenebræ effecti atq; appellati ſunt. Aegyptus etenim interpretatur tenebræ. Eorum autem tabernacula, idola eſſe

 intelliges,

intelliges,in quibus habitabãt. Hæc igitur idola Christi aduentum formidabunt. & quia Propheta modo præterito tempore vsus est, modo autẽ futuro vtitur,ne mireris, quia prophetæ omnes etiam cum futura prædicunt, promiscue omnibus vtuntur temporibus.

Et tentoria terræ Madian. Et quæ idolorum templa sunt in Madianitide regione. Erat autẽ regio Madian idolis plena,& supra omnes alios Iudæis finitimos populos, colebat simulacra.

Non in fluminibus irascaris domine,non in fluminibus indignatio tua,aut in mari motus tuus. Redimens olim deus populum Israel de Aegyptiorum tyrannide, illorum flumina atque aquas omnes in sanguinem commutauit ne biberent,ipsosq; Aegyptios in mari rubro necauit: in fluminibus nimirum atque in mari indignationem suam ostendens. atque ideo propheta noster ad deũ nunc dicit: Domine qui nouum modo redẽpturus es Israel, peto à te,ne simili, sed alio quodam modo ad salutem illius vtaris. Non irascaris in fluminibus neque in eis sit indignatio tua. non sit etiã motus, atque impetus tuus in mari,motus,inquam, atque impetus puniendi hostes: non hoc pacto quæso sit aduentus tuus, nec huiuscemodi suppliciis inimicos tuos castigabis. Per primam autem & per vltimã plagam, omnes alias significauit. & aliter: cognata sunt mutuo inter se flumina & mare.

Quia ascendes super equos tuos. Iste est redemptionis modus. Per equos autem apostolos intelligit,tanquam cursu celeres ad virtutem,& habenis diuinæ maiestatis obtemperãtes,& ascensori suo requiem præstantes. Ascendit autem super eos Christus,per euangelij nimirum prædicationẽ,quod excurrentes illi per totum orbem tulerunt.

Et equitatio tua salus. Hæc,inquit,equitatio tua,per huiusmodi equos salus mundi effecta est.

Extendens extendes arcum tuum ad sceptra,dicit dominus. Verba sunt patris ad filium: filij enim arcus ipsi etiam apostoli dicuntur,per quos errorem & peccatum,ipsumque dæmonis regnũ sagittauit. Hoc etenim regnũ propheta sceptra dæmonis appellauit. Per Zachariam etiã alibi dominus ad Iudaicum populum dicit: extendi te,Iuda,mihi in arcum.

Fluminum terra scindetur. Per fluminum terram ipsam intelligit

intelligit Hierusalem,veluti prophetarum patriam, qui fluminum instar rationalibus riuulis eam irrigant. hæc autem terra Hierusalem scindetur,præ siccitate nimirũ & siti, quãdo scilicet nullus amplius erit propheta, atque hoc, quia viuificos Christi riuulos non susceperit.

Videbunt te,& parturient populi. Iudæorum nimirum populi,qui Christum videntes, inuidiam parturierunt, & cædem pepererunt. vel populi, qui ex gentibus crediderũt, qui parturierunt religionem & genuerunt virtutem.

Dispergens aquas itineris. Subintellige verbum erit. aquæ autẽ itineris potabilia,atque dogmatica sunt Christi fluenta, quæ populis tradebat, quocunque accederet. circumibat enim Iesus ciuitates & villas,docens in synagogis earum.

Dedit abyssus uocem suam. Per abyssum,credentes intelligit, propter eorum scilicet multitudinem. nam & aquarum multitudo,abyssus dicitur. per vocem vero hic, cõfessionem fidei in Christum significauit.

Altitudo phantasiæ eius. Alti nimirum sublimes ac prestãtiores viri, qui in phantastica, vt ita dicam,atque in imaginaria huius mundi gloria, nobiliores putantur, ipsi etiam vocem dederunt. tales reges fuere ac principes, quorum multi in Christum crediderunt.

Eleuatus est sol,& luna stetit in ordine suo. Christus nimirum, qui solis instar summa splendescit munditia, & credentium animas illuminat,in crucem eleuatus est,vel eleuatus in cœlum. Ecclesia quoque,quæ lunæ instar in præsentis vitæ tenebris atq; in erroris nocte lucet, stetit in suo ordine: quia post crucem, & assumptionem domini stabilita est, in ordine suo, vt illis scilicet luceret, atque eos illuminaret, qui sub ea sunt.

In lucem iacula tua ibunt. Rursus per iacula, Apostoli intelliguntur,veluti iacientes, ipsumque errorem & dæmones ferientes. hi igitur ibunt in lucem,hoc est, vt prædicando illuminent. vel in lucem,hoc est, ad prædicationem. est enim prædicatio lux quæ eos illuminat qui peccati caligine sunt obtenebrati.

In lumen fulguris armorum tuorum. Arma quidem à Christo Apostolis data sunt,iustitiæ thorax,& salutis galea, Clypeus fidei, & gladius spiritus, & reliqua, quibus Apostolus

Paulus fideles omnes armari iussit, vt huiuscemodi armorum fulgore inimici fugentur.

In comminatione minues terram. Diminues nomen terræ: Hierusalem scilicet, quæ eo vsque conspicua fuerat & celebris. antea enim comminatus fuerat per prophetas, & deinde ipse etiam confirmauit, dicens: nisi credideritis quòd ego sum, in peccatis vestris moriemini: & alia huiusmodi. hanc igitur terram nō emendatam, minis tuis cōminues, & perdes.

Et in indignatione franges gentes. Iudæos deiicies quos gentes, hoc in loco appellat, tanquam sanguinarios, & legis transgressores. huiuscemodi enim vitiis, ac sceleribus gentes abundabant. potes etiam per gentes, dæmones ipsos intelligere, veluti hostes noui populi Israel.

Exiuisti in salutem populi tui. Ex deo enim, inquit, exiui, & venio.

Saluare Christos tuos uenisti. Christos domini, illos esse intellige, qui pretioso eius sanguine, & sacratissimo sancti spiritus oleo, per baptismum vncti sunt, & quibus iussum est, vt dęmonibus, atque animi affectibus dominentur, & conregnant cum Christo in regno patris.

Misisti in capita iniquorum mortem. Iniqui quidem dæmones sunt. iniquorum autem capita, vel eosdem dæmones intellige, veluti totum à parte: vel eorum maiores ac superiores, quorum mortem tunc subsequi dicimus, quando tyrannica eorum potentia, ita inefficax redditur, & destruitur, vt mortua penè esse videatur.

Excitasti uincula usque ad collum in finem. Euangelici iugi vincula ad Apostolorum colla inuoluisti, vel circa colla eorum: in finem autē, id est, vt finem imponeres & prædictam tuā equitationē perficeres. vel in finem, hoc est, vsq; ad finē.

Discidisti in extasi capita potentum. Potentum dæmonum principatus euertisti, seu occidisti eos, vt declaratum est, atque hoc, quia à dominio atque ab imperio tuo rebelles fuēre. vel Romanorum gladio potentum Iudæorum capita discidisti, atq; in hoc tēpore extaseos, hoc est, eo tēpore, quando defecerunt à Romanis, vel quando in extasi fuerunt, hoc est, quando extra seipsos, atque extra mentem & prudentiam exiuerunt, quando scilicet tot prioribus flagitiis non satiati, illud etiam perficere nitebantur, vt domini etiam discipulos occiderent. potentum autem nomine, omnes etiam alios comprehendit.

Quatientur in eis. Turbabuntur prius Apostoli in eis nimirum potentibus Iudæis. ducentur enim ad eorum tribunalia, atq; ab eis persecutionem & multa alia patiētur mala.

Aperient frena sua, quasi inops latenter comedens. Aperient Apostoli frena oris sui, & cū libertate omnes illos dissoluent timores, qui olim frenabant eorum ora, nec sinebant euangelium cum libertate prædicari. hoc autem factum est, adueniente sancto spiritu, quando accepta ex alto potentia, profecti sunt ad prædicandum euangelium. aperient autem os suum adeo late, vt aperire illud solent pauperes, qui in occulto comedunt, maiori nimirum edentes cum libertate.

Et eduxisti in mare equos tuos turbantes aquas multas. Per mare quidem hominum multitudinem intelligit. nam & superius abyssum eam appellauit, vel humanam vitam propter fluxum, & instabilitatem rerum omnium quæ in hac vita sunt, & propter quandam, vt ita dicam, salsuginem atque absurditatem gentilium dogmatum, & opinionum non rectarum: & propter peccatorum amaritudinem, amara enim est * equi etiam Apostoli dicuntur ob rationem superius traditam: quia scilicet sessorem, atque aurigā Christum habētes, in illud mare inducti, quod declarauimus, cōturbauerunt atque inuerterunt aquas multas inanis gloriæ, multasque impias atque irreligiosas doctrinas. vel turbantes, hoc est, mouentes atq; agitantes aquas multas baptismatis tempore vndiq; collectas & ad baptizādum præparatas.

Custodiui, & timuit cor meum à uoce orationis labiorum meorū. Custodiui & sobrius fui, modeste vixi, & mihi ipsi caui à voce orationis labiorum meorum, hoc est, post orationem timuit cor meum.

Et intrauit tremor in ossa mea, & in me turbata est fortitudo mea. Hæc passus est propheta cum diuina illuminatione futuram à Iudæis Christi cædem spectaret. tremebundus enim ideo ac pauidus effectus est & turbatus, ne ipse fortassis ad illos dies esset peruenturus, in quibus ausuri erant Iudæi mortem illam committere. deinde rursus cognoscens se eousque temporis peruenturum non esse, consolatur se-

tur seipsum, dicens.

Requiescam in die tribulationis meæ, & ascendam ad pōpulum peregrinationis meæ. In die huius tribulationis meæ requiescam, omni scilicet timore solutus. sed cur requiescam? cur refrigerabor? quia scilicet ad populum peregrinationis meę ascensurus sum, ita vt nunquam antea. vel quia transibo per mortem. per populum autem peregrinationis suæ, sanctos intelligit eiusdem peregrinationis comites & iam defunctos.

Quoniam ficus non fructificabit, & non erunt germina in uineis. Requiescam, inquit, moriens, quoniam postmodum venient Iudæi, qui ob tam grandes ausus exterminabūtur: & gaudeo quòd peruenturus non sim vsq; ad illud tempus. eosdem autem Iudæos & vineas & ficū appellauit. ficum, eo quòd aliquando dulces fructus tulerint: & vineas, veluti qui olim dederint doctrinę vinum, quod lętificat cor hominis.

Mentietur opus oliuæ, & campi non facient cibum. Eosdē rursus oliuas appellat, & campos: Oliuas, quia aliquando virtutum fructus tulerint, & campos, quia olim frumentum illud boni operis germinarunt quod in superna solet horrea comportari. eumq; illorum sterilitatē prędixerit, exterminationem quoque, atq; euersionem illorum addit, dicens:

Defecerunt à cibo oues, & non sunt boues in præsepiis. Per cibum hoc in loco pascua intelligit, & libros propheticos, quorum lectione animæ nutriuntur. Oues, inquit, quæ olim dei erant, defecerunt, eo quòd consueto cibo ac solitis pascuis caruerunt. per boues etiam eosdem intelliges Iudæos, veluti qui olim virtutis operatores essent, & per præsepia sacros ac diuinos libros.

Ego autem in domino exultabo, & lætabor in deo salutari meo. In eo, inquam, qui ante huiusmodi tempus aduocauit, & saluauit me à prædicta calamitate.

Dominus deus meus potentia mea. Qui potentiam mihi præstat ad virtutem.

Et ordinabit pedes meos in consummationem. Et pedes meos sistet in huius vitæ finem.

Et super excelsa deducit me. Ad virtutum culmen me deducet, & ad altas ac sublimes contemplationes.

Vt uincam in cantico eius. Ita vt vincam, & vitia destruam, dum

am, dum diuinas illius laudes cano, vel vt vincam canens ac laudans eum.

Oratio Esaiæ prophetæ.

Ex propheticis Esaiæ libris desumpta est præsens hæc oratio, quæ de Christo pertractat.

CANTICVM QVINTVM.

De nocte consurgit spiritus meus ad te deus. Per noctem, conuersationem & vitam legalem intelligit, propter legis nimirum obscuritatem & tenebras. Deus, inquit, scito quòd spiritus meus, hoc est, quòd ego ipse ex tenebrosa hac cōuersatione cōsurgo ad te. Et quia Græca dictio ὀρθρίζει non solū consurgere significat seu vigilare, sed mane & diluculo atq; ante lucem id facere, conuenienter huiuscemodi verbo propheta vsus est ad te, inquiens deum intellectualem lucem, & iustitiæ solem consurgo atq; ortum tuum præuenio. consurgere etenī ac vigilare videtur propheta ante lucem, qui ante Christi incarnationem talia ad illum loquitur. per spiritū vero hoc in loco propheticam gratiam intelliges.

Quoniam lux mandata tua super terram. Quoniam euangelica mandata tua lux sunt in terra. ob summam etenim munditiam & claritatem eorum lucent, eosq; qui in erroris atque ignorantię tenebris ambulant, adeo illuminant, vt iter ac viā manifeste videant, qua ad liberationem deducantur.

Iustitiam discite, qui habitatis super terram. Euangelicam dico iustitiam, de qua Christus dicebat, nisi abundauerit iustitia vestra plusquā iustitia scribarum & pharisęorum, non intrabitis in regnum cœlorū. addiscite igitur hanc iustitiam illum habentes præceptorem, qui primus eam constituit.

Cessauit enim impius. Infidelis Iudæus & populus qui deum non colit, cessauit ablata potestate & gloria quam eousq; habuerat, & Romanis militibus in prædam traditus est. hoc etiam in loco propheta, quæ futura erant tanquam iam facta commemorat.

Non discis iustitiam. Euangelicam scilicet, vt declaratum est: atque

est: atque hoc facis data opera obsurdescens, & voluntarie cæcutiens, & doctorem huiuscemodi iustitiæ repudians.

In terra ueritatem non facies. Veram, inquit, virtutem, qualis est Euangelica, non operaberis. Legalis enim virtus, vmbra ac figura est veræ virtutis.

Tollatur impius, ne uideat gloriam domini. Tollatur ad perditionem, atq; ad seruitutem exterminetur de terra, ne Christi gloriam videat, qua à fidelibus glorificandus est. Hanc autem gloriam, sanctorum patrum vitam ac conuersationem, vt ita dicam, angelicam intellige. Similiter & discipulorum & cæterorum omnium illos imitantium, qui adeò fulgebunt, vt Christiano nomini claritatem & gloriam addere videantur.

Domine excelsum est brachium tuum. Brachium patris, est filius, & tanquam potens, & tanquam creator. Omnia enim, inquit, per ipsum facta sunt. Laudans autem excelsum illum esse dixit, vel propter diuinitatis magnitudinem, vel propter virtutum excellentiam, quibus Christi humanitas abundabat. Speciosus enim, inquit, forma præ filiis hominum. Per formam etenim qua speciosus esse dicitur Christus, elegantiam & decorem animæ eius intelliges.

Et non cognouerunt. Iudæi scilicet nolentes ob summam eorum peruersitatem illum agnoscere. Oculos etenim ad lucem claudebant.

Cum autem cognouerint erubescant. Imperantis modo vtitur Propheta pro futuro tempore. Hoc cognito, inquit, erubescent. Hoc autem, eo tempore factum est, quando milites, qui Christi sepulchrum obseruabant, reuolutum ab angelo lapidem annunciarunt. Tunc etenim adeò erubuerunt Iudæi, vt gratia obtegendi tantam ignominiam, multum militibus argenti dederint, vt quod acciderat tacerent. Vel in futurum fiet, quando in vniuersali iudicio veniet filius in gloria patris, & præibit eum sanctæ crucis signum, supra solis radios fulgentissimum.

Zelus comprehendet populum ineruditum. Zelus eorum in dei defensionem, vt Iudæi ipsi arbitrabantur. Irascebatur enim populus ille quod Christus æqualem se faceret deo. Est autem ineruditus Iudæorum populus & rudis, veluti qui à sacris & diuinis scripturis addiscere ea non valuit, quæ pertinebant

nebant ad Christum, nec prophetias de eo dictas. Nam etsi huiuscemodi legerent scripturas, præ summa tamen inuidia ac malignitate eas non intelligebant.

Et nunc ignis aduersarios comedet. Dictio nunc, hoc in loco, idem significat, quod semper. Perpetuus, inquit, ignis eos comedet. Vel ignis furoris, quo aduersus Christum & fideles omnes moti sunt, eos comedet, donec vixerint. Vel ignis Gehennæ in tempore retributionis. Vel, nunc, id est, propter hoc. Ea etenim ratione ignis eos comedet, quia Christum non cognouerunt. Fatua igitur, atque insipiens erit tunc eorum pœnitentia, eo quòd perpetua illis afflictio erit post mortem

Domine deus noster pacem da nobis. omnia enim reddidisti nobis. Petit Propheta ex eorum persona, qui fideles futuri erant, Christum sibi dari, qui pacificus dicitur, vt patri eos reconciliaret: qui etiam pax nostra dicitur, & mediator dei, & hominum. Hunc, inquit, Christum da nobis. Omnia etenim alia nobis reddidisti, hoc est, dedisti: legem scilicet Prophetas, & cæteras admonitiones, quibus peccatores ad sanam conuersionem humanissime adducuntur. Hoc etenim solum nunc nobis necessarium est. Omnia etenim dedisti nobis, si hunc vnum etiam tribues, qui omnia potest.

Domine deus noster crea nos. In nouam scilicet creaturam, denuo nimirum creando nos ac regenerando per baptisma in nouum hominem, & detracta vetustate peccati, in nouum populum. Vel per Euangelium crea nos creaturam excellentem, & hæreditatem præcipuam. Dabis enim vt alibi scriptum est, gentes hæreditatem tuam.

Domine extra te alium non nouimus. Alium deum nescimus; quod propter falsos deos dictum est. Ex eorum autem persona est hic sermo, qui iam in Christum crediderunt.

Nomen tuum nominauimus. Inuocamus, prædicamus, non tantum diuinum nomen tuum, sed etiam humanum.

Mortui autem uitam non uideant. Ij nimirum qui animas mortuas habent ad fidem ob infidelitatis mortem: hi, inquit, beatam, atque æternam vitam non cognoscant, hoc est, in resurrectione Christum nesciant. Ego enim, inquit, sum via, veritas, & vita.

Neque medici fusitent. Nec qui apud gentiles sunt Philosophi,

sophi, aut Theologi, nec qui apud Hebræos scribæ & doctores, qui animarum medici esse videntur, illos ad vitam, quam diximus, suscitabunt: sed nec ipsa idola, quibus, vt medicis persæpe vtebantur, eos suscitabunt, aut exurgere eos facient à pœnarum ac suppliciorum fouea.

Propterea induxisti, & perdidisti, & tulisti omnem masculum eorum. Eo quod, vt diximus, mortificati sunt, dum adhuc viuerent. Perdidisti autem per Romanos, & de medio eorum potentissimos quosque abstulisti. Per mares etenim, eos intelligit, qui eloquentia, viribus, diuitiis, & gloria præstantiores, atque clariores essent: ea nimirum ratione, quod mares fœminis validiores sunt. Quod si huiusmodi homines exterminabit, tanto magis cæteros inferiores. Vel per mares, omnes in vniuersum intelligit, vel ipsos tantum masculos, veluti fœminæ omnes superuixerint, & in captiuitatem deductæ sint.

Appone eis mala domine. Christi scilicet occisoribus. Per mala autem afflictiones, & supplicia intelligit, quæ ideo illis Propheta infligi optat, quia propter huiuscemodi eorum rabiem eos oderat.

Appone mala illustribus terræ. Principibus scilicet qui vbique terrarum sunt. Quod ideo fieri optat, vt hoc pacto castigati, moderatiores in subditos reddantur, & temperatiores fiant.

Domine in tribulatione memores tui fuimus. Quoties enim affligimur, & castigamur, toties tui meminimus.

Domine in tribulatione modica, correptio tua nobis. Nec tantum, inquit, in magna afflictione, sed etiam in parua, fit nobis correptio tua. Neque enim tantum magnis, sed etiam modicis afflictionibus nos castigas, veluti sitiens emendationem nostram.

Et quemadmodum parturiens appropinquat partui & in dolore partus sui clamauit, sic & nos facti sumus dilecto tuo. Hæc verba Esaias de se & de aliis dicit Prophetis, quod quemadmodum parturiens mulier tempori appropinquat, vt pariat, & parturiens detenta doloribus clamauit, sic & nos sumus dilecto tuo. Appropinquantes etenim tempori, quo ex virgine nasciturus est, dolore comprehendimur: ob eorum nimirum perditionem, qui in errore sunt, & seducuntur, vnde ad deum clamantes

clamantes adiutorem illum inuocamus.

Ob timorem tuum domine in uentre concepimus. Ob timorem tuum, vt tibi scilicet placeremus, in animarum nostrarũ ventre, prophetiæ semen concepimus, hoc est, in mente, atque in intellectu nostro, in quo thesauri instar contemplationes diuinæ reconduntur.

Et peperimus. Concepimus, inquit, in illo ventre, & postmodum per linguam, conceptum partum emisimus.

Spiritum salutis tuæ fecimus super terram. Gratiam scilicet prophetiæ tuæ: quam ideo salutem appellat, veluti quæ salutem præstat. Hanc, inquit, gratiam fecimus super terram, hoc est, constituimus inter homines, per scripta nimirum ac monumenta nostra. Prophetię autem gratiam eam intellige, quę illis data est.

Non cademus, sed cadent, qui habitant in terra. Verba hæc ex Martyrum persona dicta sunt. Non vincemur, inquiunt, nos, sed tyranni vincentur, qui nos morti tradunt: ipsi, inquam, tyranni, qui relicti sunt in terra.

Resurgent mortui, & exurgent, qui sunt in monumentis. Primo ac principaliter vniuersalem mortuorum resurrectionem prædicit, secundario autem fidelium renouationem: qui cum mortui essent, eo ꝙ illorum animæ insensibiles, inefficaces, atque (vt ita dicam) emortuæ essent in iis actionibus, quæ pertinent ad virtutem, per Euangelij prædicationem resurrexerunt, & per baptisma, regenerati sunt. In tenebrosis enim olim atque in abominabilibus erroris dogmatibus, veluti in sepulchris quibusdam iacentes, erecti sunt ad clara ac veneranda religionis & fidei fundamenta.

Et lætabuntur, qui sunt in terra. Lætabuntur fideles, qui fuerint in terra, quod à dæmonis tyrannide liberati sint. Vel qui in terra fuerint, lætabuntur, quod iam cœlorum regnum sint consecuti.

Ros enim qui est à te, medicina eis est. Per rorem, Euangelium intelligit, quo illi omnes sanantur, qui peccatorum flammis ambusti fuerint. Vel alia ratione, per rorem, Euangelium intelligimus: quia sensim ac paulatim animarum agris infunditur, vbi innata virtutum semina irrigat, atque ad fructificandum disponit.

Terra autem impiorum peribit. Terra autem infidelium, hoc est eorum

est eorum animæ, cadent in sterilitatem virtutum. Atque in perditionem & supplicia, veluti quæ tanto vitiorum morbo laborent, vt immedicabiles sint, nec possint ab illa ariditate ac sterilitate, ad vbertatem deduci.

Vade populo meus. Hæc verba ex saluatoris persona ad nouum populum dicta sunt, iubentis illum Euangelij viam incedere.

Ingredere in penu tuum. Per penu, seu promptuarium, vniuscuiusque sepulturam intelligit, vel terram illam, in quam Adam ab initio abire iussus est ab angelo.

Occlude ianuam tuam, abscondere modicum quantulum quantulũ. Hoc est, modicum, ac parum quid.

Donec transeat ira tua domine. Iram eam dicit, quæ in mundi consummatione aduersus impios & peccatores futura est, post quorum condemnationem assumet deus iustos ad regnũ cœlorum, quemadmodum ex Euangelio didicimus.

Oratio Ionæ Prophetæ.

Præsens oratio, quam Ionas Propheta orauit, cum adhuc esset in uentre ceti, ex illius libro sumpta est.

CANTICVM VI.

CLamaui in tribulatione ad deum meum. Per tribulationem afflictionem illam intelligit, qua detinebatur cum esset in ventre ceti, à quo absorptus fuerat.

Et exaudiuit me. Statim enim agnouit Propheta se exauditum fuisse.

De uentre inferni clamorem meum audisti, uocem meam. Audisti vocem meam de ceti ventre emissam: quem infernum appellauit: eo quod viuentem absorpsisset, & absorptum detineret. Et iuxta quidem rerum naturam, atque ea, quæ contigerant, mortuus reputari poterat, sed diuina gratia viuebat. Audisti, inquit, cito clamorem meum, seu vocem clamantem ad te, atq; inuocantem præ summo desiderio.

Proiecisti me in profunda cordis maris. Tu parasti vt illuc proiicerer. Excitasti enim procellam his hominibus, quibus cum

cum nauigabam, & periculum constituisti, donec me sortito in mare proiecerunt, quemadmodum ipsa docet historia.

Et flumina circundederunt me. Illa scilicet quæ influunt in mare. Vel per flumina maris fluxus simpliciter intelligit.

Omnes eleuationes tuæ, & fluctus tui transierunt in me. Per eleuationes, tumidas fluctuum insurrectiones intelligit.

Et ego dixi abiectus sum ab oculis tuis. Quando, inquit, absorptus fui, dixi me eiectum esse à custodia atque à protectione tua, & à prouidentia tua prorsus destitutum.

Nunquid apponam, ut uideam templum sanctum tuum? Illud etiam reputaui, atque considerauí intra me: nunquid futurum sit, vt aliquando adhuc videam sanctum templum tuum, quod est in Hierusalem.

Circumfusa est mihi aqua, usque ad animam meam. Cetus quidem in mari erat, & Ionas in ceti visceribus. Vel aliter: quia ipsa etiam viscera aquosa erant, ideo dicitur esse aqua circumfusus. Vsq; ad animam meam, vero dixit, vt ostenderet periculi magnitudinem. Deinde non corpus tantum, sed ipsam etiam animam, in aquis esse affirmat: & quod huiusmodi aquæ ad ipsam vsq; animam peruenerint.

Abyssus extrema circundedit me. Extrema, hoc est, vltima & profunda. Ipsa etenim cete in profundissimis pelagi partibus degere solent.

Ingressum est caput meum in sciſſuram montium. Per montes insulas intelligit, quæ in nauigabili sunt pelago. Vel etiam montes, qui in insulis sunt. Vel montes huiusmodi æquoribus proximos, & vsque in profundum abyssi peruenientes, qui scissuras habent sub mari, in quas persæpe natantia cete ingredi solent. Ingrediente igitur ipso ceto in eas scissuras, ingrediebatur pariter & ipse Ionas propheta. Ingressum est, inquit, caput meum, hoc est, ego ipse, à parte totum significans.

Descendi in terram, cuius uectes eius retinacula æterna. Aliquando enim cetus in profundam abyssum descendens quiescebat. Descendi, inquit, cum ceto in terram, cuius portæ perpetuo ingressos homines detinent. Eas etenim nullus vnquam effugit, qui eousque peruenerit. Per vectes autem, seu seras, portas intelligit, & clausſtra, hoc est, ipsam detentionem.

Et ascendat de corruptione uita mea ad te domine deus meus. Ex corruptione quidem ascendat, ne scilicet perdar, neue corrumpar à ceto, à quo veluti à perditione, aut corruptione quadam complector. Ad te vero ascendat, hoc est, ad templū tuum, in quo habitas.

Cum deficeret ex me anima mea, domini recordatus sum. Neque ipsi etiam morti appropinquans recessi à memoria dei. Vel aliter? memor fui domini, vt ad defensionem atque ad auxilium meum illum inuocarem.

Et ueniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum. Oratio mea, inquit, quam pro desiderio meo tibi offero, vt ascendam ad te in vitam. Veniat, inquit, ipsa oratio, & perueniat ad te, seu ad templum sanctum tuum, in quo habitas, vt dictum est. Vel vtinam sursum ad te rursus mea mittatur oratio, quemadmodum antea à templo sancto tuo mittebatur ad te. Solebat enim Ionas in templo orare ad dominum.

Conseruantes uana & falsa, misericordiam suam dereliquerunt. Ij qui inania ac falsa idola obseruant, & venerantur, ab ipsa sorte persuasi, misericordiam illam suam dereliquerunt, qua mei hactenus miserti sunt, & malis meis non parcentes, miserunt me in mare. possunt etiam hæc verba prophetiam militum continere, qui domini sepulturam custodierunt, ita vt Ionas qui typus, & figura fuit triduanæ salvatoris sepulturæ, de ea prædicat, quod ij, qui Christi sepulchrum inaniter, atque (vt ita dicam) falso obseruabant, corpus etenim Christi clam ab eis surrexerat, quodque ij, qui dereliquerunt salutem suam, hoc est, veritatem propter quam futurum erat, vt deus eorum misereretur, atque hoc pacto saluarentur, quod ij, inquam, muneribus corrupti, falsitatem ac mendacium elegerunt, dicentes, Domini discipulos noctu aduenisse, atque illius corpus furto ipsis dormientibus abstulisse.

Ego autem cum uoce laudis & confessionis, sacrificabo tibi. In voce laudis, & gratiarum actione. Suam enim ipsius liberationem prædicit de ventre ceti.

Quæcunq; uoui, reddam tibi salus mea domino. O salus mea, inquit, reddam tibi domino meo omnia, quæ pollicitus sum, veluti sacrificium cum voce laudis, & gratiarum actione, aut siquid aliud huiuscemodi pro salute mea noui. Quædam vero

dam vero exemplaria habent, in salutem meam, hoc est, pro salute mea.

Oratio Azariæ ex libro Danielis prophetæ.

CANTICVM VII.

Benedictus es domine deus patrum nostrorum, & laudabile & glorioſum nomen tuum in ſecula. Benedictus es, hoc est, benedicendus, celebrandus, & laudandus, nec tantum quando mirabilia operaris, sed nunc etiam, & quia peccatores castigas, & quia ad te conuersos omnes beneficiis cumulas. Omnia quippe cum ratione administras, atque ad omnium salutem. Deum vero patrum nostrorum dixit, cum vt animi sui moderationem ostenderet, tum, vt patrum virtutem, quibus poterat laudibus efferret.

Quoniam iustus es in omnibus, quæ feciſti nobis. Veluti, qui iuste hæc omnia in nos adduxisti propter peccata nostra.

Et omnia opera tua uera. Hoc est iusta. Solent enim Prophetæ sæpenumero veritatem ponere pro iustitia.

Et rectæ uiæ tuæ domine. Id est, actiones tuæ.

Et omnia iudicia tua uera. Sententiæ tuæ nimirum: vel iudicia quemadmodum, & vias pro actionibus posuit, tanquam quæ in iudicio atque in iustitia sint dispositæ.

Et iudicia ueritatis feciſti in omnibus, quæ induxiſti ſuper nos, & ſuper ciuitatem ſanctam patrum noſtrorum Hieruſalem. Ab vniuersalibus ad particularia descendit. Veritatis, inquit, iudicia feciſti, hoc est, vera iudicia, & iustas sententias, in omnibus, quæ induxisti super nos, qui captiui in Babylone detinemur, & super ciuitatem Hierusalem: quam ideo & sanctam, & patrum ciuitatem appellauit, vt dominum hoc pacto sibi magis conciliaret, & ad misericordiam magis flecteret.

Quoniam in ueritate & iudicio induxiſti hæc omnia ſuper nos propter peccata noſtra. In iustitia, & ratione, hoc est, iuste & rationabiliter. Eadem autem verba repetit sæpius,

& reuoluit, vt animi sui gratitudinem ostenderet, dum vera esse dicit, & deum pariter ad misericordiam commoueret: dum ipse se prorsus condemnat, atque omni priuat venia.

Quoniam peccauimus & inique egimus, recedendo à te. Discedentes à te, dum legem tuam transgressi sumus, atque impie egimus. Cæterum magnam emphasim habent ea verba, dum ait: à te, ac si dicat à te factore, creatore, bono domino, nutritore, & custode, quique inenarrabilia quædam bona, post fugam ex Aegypto nobis præstitisti.

Peccauimus in omnibus & in mandatis tuis non audiuimus. In rebus omnibus peccauimus.

Neq; obseruauimus nec fecimus quemadmodum mandasti nobis ut bene nobis esset. Neq; obseruauimus mandata tua.

Et omnia quæcunq; fecisti nobis, & omnia quæcunq; induxisti, in uero iudicio induxisti, & tradidisti nos in manus inimicorũ iniquorum, inimicissimorum rebellium. Non inimicorum simpliciter, sed tibi æque ac nobis inimicissimorum.

Et regi iniusto & scelestissimo supra omnem terram. Hoc est, supra omnes homines terræ. Ipsum autem intelligit Nabuchodonosor.

Et nunc non licet nobis aperire os. Non habemus sermonem aduersus eos, qui nos afficiunt contumelia.

Pudor & opprobrium facti sumus seruis tuis, & colentibus te. Hoc est patribus nostris.

Ne tradas nos in finem propter nomen tuum. In consummationem, in perditionem, propter nomen tuum, quod nos soli inter alias genres cognoscimus, & nominamus: vel ne improperetur nomen tuum, & opprobriis afficiatur ab inimicis, veluti quod populum tuum de inimicorum manibus eripere non valeat.

Et ne disperdas testamentum tuum. Ne euertas, ne reprobes ea, quæ maioribus nostris, & Patriarchis sanctis disposuisti.

Et ne auferas misericordiam tuam à nobis, propter Habraam dilectum tuum, & propter Isaac seruum tuũ, & Israel sanctum tuum, quibus locutus es. Dicens nimirum ad eos verba, quæ sequuntur.

Multiplicabo semen eorum, sicut stellas cœli, & sicut arenam, quæ est iuxta littus maris. Hæc verba loquitur Azarias ex trium puerorum

puerorum persona, qui cum sese diuina indignos misericordia esse palam confiteantur, ad parentum religionem, atque ad dei beneuolentiam confugiunt: atque hæc supplicantis in morem proponunt.

Quoniam domine diminuti sumus supra omnes gen[illegible], & sumus humiles in omni terra hodie propter peccata nostra. Periculum est, inquit, ne antiqua illa tua promissio euanescat. Per humiles autem hoc in loco infirmos appellat. Tu vero considera quo pacto seipsos hi pueri peccatores appellent, & transgressores, tametsi pij, ac religiosi essent in deum, & omni virtutum genere fulgerent. Ob multam siquidem animi humanitatem, cæterorum omnium Iudæorum sibi adscribunt peccata.

Et non est in hoc tempore Princeps, neque Propheta, neq; dux. Ducem eum appellat, qui primus erat post regem, quique communia curabat negotia. Quòd si aliquis opponat tunc temporis adfuisse etiam Prophetas apud eos, quemadmodum Ezechiel fuit & Daniel, illud dici poterit, quod captiui vnà erant omnes in Babylone, & consueta libertate vti nõ poterant.

Neque holocaustum, neque sacrificium, neq; oblatio, neq; incensatio, neque locus primitiarum, coram te, & inueniendi misericordiam. Vetabat enim lex prædicta omnia alibi fieri, quàm in Hierusalem.

Sed in animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur, quemadmodum in holocaustis arietum, & taurorum. Verum non valentes prædicta ad cultum tuum offerre atque ad misericordiam tuam inueniendam, in eo saltem quod possibile est, ipsi à te suscipiamur, tibi sacrificium effecti, in animo contrito, atque in spiritu humilitatis, hoc est, in spiritu humiliato: atq; ita suscipiamur quemadmodum sacrificium, in arietum atq; in taurorum holocaustis suscipitur. Sacrificium enim, inquit, deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus nõ despiciet.

Et quemadmodum in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie. Sacrificium, quod nos tibi facimus, per holocaustum.

Et perficiatur post te. Hoc est, postq̃ tu nos prætergressus es, & postq̃ auersus es à nobis. Post hanc, inq̃, iram tuam perfi-

 ciatur

ciatur hoc nostrum sacrificium.

Quoniam non est confusio iis qui confidunt in te. Non est confusio, aut pudor, si tibi sacrificamus.

Et nunc consequimur in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam. Consequimur te, & alium deum non adoramus: & timemus te, & non Babyloniorũ regem, aut caminũ ignis. & quærimus te, eo quòd speramus redire ad te.

Ne confundas nos. Obaudiendo, scilicet.

Sed fac nobis secundum benignitatem tuam. Hoc est, iuxta lõganimitatem & misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Et tãquam valde misericors.

Et erue nos secundum mirabilia tua. Quemadmodum admirande facere soles, & secundum multa prodigia, quæ cum patribus nostris fecisti.

Et da gloriam nomini tuo domine. Glorifica nomen tuum apud Babylonios, liberando nos ex ardentissima hac ignis fornace.

Et confundantur omnes, qui ostendunt seruis tuis mala, & confundãtur ab omni potestate. Hoc est propter omnem potẽtiam suam, à qua eleuati sunt vt aduersus deum pugnarent. confundantur autem vt moderatiores fiant.

Et fortitudo eorum conteratur. Qua & populum & omnes alios perdunt.

Et cognoscant, quia tu es dominus. Deus vere.

Solus & gloriosus super omnem terram. Solus scilicet deus agnoscant vero hoc, per miraculum illud quod efficietur in nobis.

Nec cessabant ministri regis qui immiserant eos, accendere fornacem sulphure, Pice, stuppa, & sarmentis, & diffundebatur flãma supra fornacem cubitis quadraginta nouem, pertransiitq; & incendit quotquot Chaldæorum inuenit iuxta fornacem. Cum effusa esset flamma per terram, & repertos illic Chaldæos incenderet, signa huius flammæ impressa in terra, in quam effusa est, ad totidem cubitos commensurata sunt.

Angelus autẽm domini descendit simul cum Azaria & sociis in fornacem, & excussit flammam ignis ex fornace, & fecit medium fornacis, quasi spiritus roris sibilans. Sed quis nam angelus? vel custos Iudæorum Michael, vel alius quispiam à deo missus.

Nec tetigit

Nec tetigit eos omnino ignis, nec molestiam intulit, nec perturbauit eos. tunc tres quasi ex uno ore laudabant, benedicebãt, & glorificabant deum in fornace, dicentes. Hæc per se clara sunt.

Benedictus es domine deus patrum nostrorum, & superlaudabilis & superexaltatus in secula, & benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, & superlaudabile. Laudandus es, inquit, tametsi supra omnem fis laudem. quis enim te condigne laudare poterit? nomen autem gloriæ domini deus est, quemadmodum & hoc nomen rex, gloriæ nomen est. quid igitur dici poterit de illius natura, cuius vel gloriæ nomen est superlaudabile?

Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ. Templum gloriæ dei, quod est in Hierusalem. tu igitur dignus es, cui in templo benedicatur.

Benedictus es qui uides abyssos. Qui inuisibilia conspicis.

Qui sedes super Cherubin. Vide in psalmo LXXIX. vbi eadem prorsus habentur verba.

Benedictus es super thronũ gloriæ regni tui. Thronus gloriæ regni dei, cœlum est, iuxta illud: cœlũ mihi thronus est.

Benedictus es in firmamẽto cœli. Hoc de secundo cœlo dictum est. verum dum propheta benedicendum deum esse affirmat, in hac atque in ea re. per connumerata omnia, veluti maiora, reliqua etiam comprehendere videtur, atque illud affirmare, quòd deus semper vbique & in omnibus benedicendus est.

Canticum sanctorum trium puerorum.

CANTICVM VIII.

Benedicite omnia opera domini domino, laudate & superexaltate eum in secula. In psalmo CXLVIII. inuenies de his traditum.

Benedicite angeli domini domino, benedicite cœli domino, benedicite aquæ omnes quæ super cœlos sunt, omnes uirtutes domini domino. Illic etiam de his dictum est.

Benedicite sol & luna, stellæ cœli domino, benedicite imber & ros, omnis spiritus domino. Illic autem scriptum est, grando, nix, glacies, spiritus, procellæ.

Benedicite ignis & calor, frigus & æstus domino, benedicite pruinæ & niues, fulgura & nubes domino: benedicite lux & tenebræ, noctes & dies domino: benedicite terra, montes & colles, omnia nascentia in terra domino. Sparsim etiam de his in eodem habetur psalmo.

Benedicite aquæ & flumina, fontes, cete, & omnia quæ mouentur in aquis domino. Ab iis quæ illic dicta sunt, hęc omnia intelliges.

Benedicite omnes uolucres cœli, feræ & omnia pecora domino: benedicite filii hominum, benedicat Israel domino. Hic populus priuatim domino benedicat tanquam proprius & peculiaris dei populus. quæ sequuntur manifesta sunt.

Benedicite sacerdotes domini, serui domini domino: benedicite Anania, Azaria, Misael, apostoli, prophetæ, & martyres domini domino. benedicamus patri, & filio, & sancto spiritui: laudamus, benedicimus, adoramus dominum. Aestum dicit, qui de frigoris immensitate aduenit, vel æstus intensus est calor. Ordine autē in hac creaturarum commemoratione, isti tres pueri nullo vsi sunt. quo pacto autem inanimata hæc deum glorificent, dictum est in sæpe commemorato psalmo: insuper & quare non delectabilia tantum, atque vtilia ad laudem dei aduocentur, sed illa etiam quæ minus vtilia, ac magis noxia esse videtur, de quib⁹ omnib⁹ expositionē vide psalmi CXLVIII. siquidem præsens psalmus ad illius similitudinē atque imitationem fuit compositus. Omnes enim creaturas aduocant tres pueri ad creatoris laudē, deinde eas distinguūt: & iuxta mensuram ac modum laudare iubent. Et tres quidem pueri priuatim vnum quodque tractarunt illa inuicem coniungētes, quæ mutuo inter sese rationem aliquam habeant: verum ij qui antiphoniam psalmorum postmodum cōfecerunt, totum hunc hymnum per duos versiculos protulerunt, atque ideo illi versiculo pruinæ & niues, sequentem versiculū improprie addiderunt. Nam versiculus: noctes & dies, ordini optime accommodatur. Noctes enim & dies idē sunt, quod lux & tenebræ: deinde fulgura, & nubes. Verba autem illa, Anania, Azaria, Misael, & reliqua quæ sequuntur, postmodum apposita fuere.

Canticum

Canticum beatæ uirginis matris dei, quod ex euangelio secundum Lucam sumptum est.

CANTICVM IX.

Magnificat anima mea dominum. Hoc est, laudat & glorificat. Est autem hic sermo credentis ac fidelis animæ, & in gratiarum actionem prolatus.

Et exultauit spiritus meus in deo salutari meo. Per spiritum, animā rursus intelligit. Lætata est, inquit, anima mea in deo, quòd saluauit me. Iam enim saluata sum, veluti quę digna existimata fui, vt fierē mater dei. deinde causam addit cur deum glorificet, & gratias ei agat.

Quia respexit ad humilitatem seruæ suæ. Ad tenuitatem, ad exiguitatem, ad deiectionem. humiliat autem ac deprimit seipsam beata virgo, indignam se existimans tanto dono. vel etiām id facit, ob humanæ naturæ exiguitatem, si ad altitudinem & sublimitatem diuinæ comparetur.

Ecce enim ex nunc beatam me dicent omnes generationes. Fidelium scilicet.

Quia fecit mihi magnalia qui potens est, & sanctum nomen eius, & misericordia eius in generationem & generationem timentibus eum. Quia ille qui potens est, vt talia faciat, & cuius nomen electum est & magnum, & cuius misericordia semper est in timentibus eum, fecit in me magna quædam & supra modum admiranda. idem enim significant illa verba: in generationem & generationem: ac si dixisset perpetuo, & semper. deinde connumerat alias dei facultates, quemadmodum facere solent ij qui gratias agunt.

Fecit robur in brachio suo. Fecit magnum quid: fecit victoriam in potentia sua. Per brachium enim hic potentiam significauit: quia qui certant, potentiam ac vires in brachiis habere solent.

Dispersit superbos mente cordis sui. Superbos in seipsis.

Deposuit potentes de sedibus & exaltauit humiles: esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Similia hæc verba sunt iis quæ dicta legimus ab Anna Samuelis matre, quę dicebat: Dominus pauperem facit, & ditat. deinceps vero de diuina pertractat misericordia, qua erga christianos vsus est.

Auxiliatus

Auxiliatus est Israeli puero suo. Protexit Israeliticum populum seruum suum. Per puerum enim hic seruum intelligit.

Vt recordaretur misericordiæ, sicut locutus est ad patres nostros Habraã & semini eius usq; in seculũ. Auxiliatus ei est, & protexit eum, vt recordaretur misericordiæ suæ in seculum, hoc est, æternæ & perpetuæ misericordiæ: quemadmodum pollicitus est ad patres nostros. Deinde dicit quibus nam deus de huiuscemodi misericordia locutus sit: ipsi nimirum Habraam & semini eius: Isaac videlicet & Iacob: insuper & ipsi Dauid. His etenim tanquam insignioribus deus id pollicitus est, tametsi obscure atque in morem ænigmatis. Misericordia autẽ in seculum, est dei incarnatio, tanquam quæ ob nostri misericordiam facta est ex semine Habraam & posterorum eius, iuxta promissionẽ ad eos factam. Dubitabit quispiam fortassis, quomodo deus Israelitico populo auxiliatus sit, vt recordaretur misericordię suæ. Christianis etenim potius auxiliatus est deus, quàm Iudæis. Respondendũ est igitur, quod antiquus quidem populus, antiquus erat Israel: nouus vero populus, nouus Israel appellatur, & pro illo introductus est: christianus nimirum populus, qui ex omni gente congregatus est. Hunc igitur populum hoc in loco Israelis nomine appellauit. Quod si antiquum malis populum intelligere, hoc pacto etiam sermonem hũc ab obiectione saluabis: quia propter eum magis incarnatus est. Nam & matrem illinc habuit, & eorum cognatus appellari voluit. Apud eos etiam & docuit, & miracula operatus est: atq; ideo dicebat, non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel: verum quia ipse quidẽ in propria venit, sed sui eum non receperunt, quod reliquum fuit, gentibus misericordiam impertitus est.

Canticum Zachariæ prophetæ patris præcursoris, quod habetur in euangelio secundum Lucam.

CANTICVM X.

Benedictus dominus deus Israel, quia uisitauit & fecit redemptionẽ populo suo. Dicũtur hæc à prophetа de Christi incarnatione, per quam populum suum visitauit, atque ex dura non inuisibiliũ solum, sed visibilium etiam inimicorum tyrannide redemit. Per populum autẽ suum, principaliter antiquum populum, illo autem incredulo atque infideli permanente, nouum populũ intellige. Futura etiã Propheta tanquam iam facta cõmemorat lege prophetiæ. Verũ quomodo deus Israel appellatur? neq; enim Israelitarum tantũ, sed totius etiã humani generis deus est, tanquam omnium creator. Dic igitur quòd ea ratione deus Israel dicitur: quia aliorum quidẽ hominum omnium deus est, tametsi illi nolint, & inuitorum dominatur: Israelitarum vero deus est, quia sponte sua & volentes eum dominum agnoscũt. Nec turberis in obscuritate verborum Zachariæ. Solent enim prophetica omnia difficiliora esse. Conabor tamen ea declarare iuxta cognitionẽ & scientiam, quæ à deo nobis est præstita.

Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius. Per cornu, regnum significat: quoniam reges cornu vngebantur cum eligerentur: vel robur & potentiam: quia cornuta animalia in cornibus potissimum vires habent. Cornu autẽ non simpliciter dixit, sed cornu salutis, hoc est, salutare cornu. Christum igitur salutare regnum, seu salutarem potentiam appellat, tanquam regnantium regem, & patris potẽtiam, & credentium in se saluatorem. Domum vero Dauid, illius genus, seu posteros appellat. Ait igitur, quod erexit nobis in populo suo regnum vel potentiam ex genere Dauid serui sui ex semine enim Dauid erat beata Virgo, ex qua Christus genitus est. Hoc autem fecit quemadmodum pollicitus fuerat per os sanctorum, prophetarum dico, qui iamdiu defuncti sunt. Per eos nanque pollicitus est, se erecturum regem potentem in domo Dauid, qui futurus esset saluator Israel, quẽadmodum complures Dauidici psalmi docent.

Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderũt nos, vt faceret misericordiam cum patribus nostris, & memor esset testamenti sui sancti. Erexit autẽ hoc cornu in salutẽ ac redẽptionẽ tam ex visibilibus, q̃ ex inuisibilibus inimicis nostris, vt faceret misericordiã cum patrib⁹ nostris, hoc est, vt patrũ nostrorum misereretur, ad quos salutis nostræ promissio facta est: atque vt per illos memor esset testamenti sui sancti. Per testamẽtum enim, promissionem intelligit. Ille vero dicitur esse memor, qui opere ea omnia adimplet, quæ pollicitus

licitus est.

Iusiurandum, quod iurauit ad Habraam patrem nostrum. Vt memor esset iurisiurandi quod iurauit, hoc est, vt illius asseuerationis meminisset quam asseuerauit ad Habraam patrem nostrum. Iusiurandum etenim seu iuramentum in deo nihil aliud est, quàm asseueratio quædam seu confirmatio. est autem indifferens hæc constructio verbi, memorari seu memor esse, dum à secundo casu transitum patitur ad quartum: qua loquendi licentia persæpe abutuntur prophetæ, quemadmodum & persæpe implicatione quadam sermonis. deinde dicit cuius rei gratia huiuscemodi testamentum factum sit,& cur hoc pacto asseuerauerit ad Habraam.

Vt daret nobis,ut sine timore de manu inimicorum nostrorum redempti coleremus eum in sanctitate & iustitia coram ipso,omnibus diebus uitæ nostræ. Ordo fit per hyperbaton, hoc modo, vt daret nobis vt sine timore coleremus eum in sanctitate & iustitia coram ipso: deinde quod in medio est,de manu inimicorum nostrorum redenpti. per sanctitatem autem, religionem & pietatem in deum intelligit: per iustitiam vero reliquas virtutes. deinde sermonem suum propheta ad præcursorem filium conuertit.

Et tu puer propheta altissimi uocaberis. Et vere quidem prophetam illum omnes appellant mortales.

Præibis enim ante faciem domini ad parandas uias eius. Dominum hic Christum appellat. hoc igitur Ioannes animaduertens veluti illius præcursor & præco,profectus est in eremum Iudææ,& parauit vias eius. quæ nam autem sint viæ eius,diximus in tertio euangelij capite secundum Matthæum ibi: Vox clamantis in deserto, parate viam domini.

Ad dandam scientiam salutis populo eius. Præibis,inquit,ante faciem domini &c. ad dandam,seu, vt des salutis scientiã: hoc est: vt iudices, & demonstres Iudæis ipsum Christum, qui eorum est salus.

In remissione peccatorum eorum. Illius,inquam,salutis,quę est in remissione peccatorum,hoc est,quę salus tunc demum efficitur,cum remittuntur & soluuntur eorum peccata. sic enim & angelus ad beatum dixit Ioseph, cum nominis Iesu significationem interpretaretur. ipse enim,inquit, saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

Propter

Propter uiscera misericordiæ dei nostri. In illa dico peccatorum remissione, quæ fit propter viscera misericordiæ dei nostri, vel quæ data est propter summam dei misericordiam & non propter nostra aliqua merita.

In quibus uisitauit nos oriens ex alto. In quibus visceribus misericordiæ dei visitauit nos,seu aduenit ad nos oriens, illud,inquam,oriens, intellectualis solis, quod ex alto diuinitatis loco ad nos venire debebat. ipsum enim dei ad nos aduentum intelligit: qualem nunquam antea aliquis viderat.

Vt illuceret iis qui in tenebris & in umbra mortis sedent. Visitauit,inquam,nos,vt illuceret,hoc est,vt splendescere faceret veritatis lucem iis qui in errorum tenebris sedebant. vmbra autem mortis peccatum est. assimilatur enim morti peccatum. nam quemadmodum mors animam separat à corpore,sic & peccatum diuinam gratiam fugat ab homine.

Vt dirigeret pedes nostros in uiam pacis. Vt conuersationis nostræ iter,in viam pacis dirigeret,quæ est secundum deum, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

Finis Canticorum sancto cum deo.

PARISIIS.

Excudebat Carola Guillard,sub Sole aureo,via ad diuum Iacobum, Anno à partu virgineo. M. D XLIII.

